Sc. 15. Pl. 6.

37
23 A
6

ARA 240

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum selectissimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI observatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in sua singulæ capita tributæ: nec non selecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratissimi.

TOMUS SEXTUS
complectens DUOS POSTERIORES LIBROS REGUM.



VENETIIS
MDCCXLVIII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS } sub signo Providentiæ.
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

LIBER REGUM TERTIUS,

QUI APUD HEBRAEOS DICITUR PRIMUS MELACHIM.

Oſteriores libros Regum Hebræi Melachim *vocant. Hos libros ex publicis & ſacris commentariis excerptos, & in compendiariam hiſtoriam relatos exiſtimat Theodoretus in Præfatione. Nam in eis ſæpe laudantur Libri verborum dierum Regum Iſrael & Iuda; tumque extabant Libri Semeiæ, Ahiæ, & aliorum Prophetarum. Iſaiæ cap.* XXXVII. *&* XXXIX. *in poſterioris Regum Libri capita* XIX. *&* XX. *ſunt translata, idque potius ab Eſdra, quam a Ieremia factum Huetius putat. Hinc cap.* VI. *tertii Libri Regum Chaldaica menſium nomina uſurpantur, magno quidem indicio hos libros poſt captivitatem Babylonicam fuiſſe conſcriptos. Quæ ſibi a Deo fuerant imperata, Prophetæ mandabant litteris, hæc ad Reges fere & optimates pertinebant. Unde eorum libris magna pars hiſtoriæ continebatur. Iſaias Oziæ hiſtoriam ſcripſerat ex cap.* XXVI. *Lib. II. Paralip. Id quoque factum a Iehu legimus eodem in Libro cap.* XX. *Acta Salomonis & Regum aliquot hiſtorica hoc libro continentur.*

CAPUT PRIMUM.

David ſenio confectum puella Abiſag calefacit; caſta manens: Adonia vero regnum occupante, Bethſabee directa conſilio Nathan impetravit a David ungi Salomonem in Regem: quo audito, fugit Adonias.

1 ET Rex David ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur veſtibus, non calefiebat. 2. Dixerunt ergo ei ſervi ſui: Quæramus domino noſtro Regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram Rege, & foveat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat dominum noſtrum Regem. 3. Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, & invenerunt Abiſag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem. 4. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege, & miniſtrabat ei, Rex vero non cognovit eam. 5. Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque ſibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum. 6. Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti? Erat autem & ipſe pulcher valde, ſecundus natu poſt Abſalom. 7. Et ſermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote, qui adiuvabant partes Adoniæ. 8. Sadoc vero ſacerdos, & Banaias filius Ioiadæ, & Nathan propheta, * & Semei, & Rei, & robur exercitus David, non erat cum Adonia. 9. Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & univerſis pinguibus, iuxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit univerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Iuda ſervos Regis. 10. Nathan autem prophetam, & Banaiam, & robuſtos quoſque, & Salomonem fratrem ſuum, non vocavit. 11. Dixit itaque Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis: Num audiſti, quod regnaverit Adonias filius Haggith, & dominus noſter David hoc ignorat? 12. Nunc ergo veni, accipe conſilium a me, & ſalva animam tuam, filiique tui Salomonis. 13. Vade, & ingredere ad Regem David, & dic ei: Nonne tu domine mi Rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens: * Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? quare ergo regnat Adonias? 14. Et adhuc ibi te loquente cum Rege, ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos. 15. Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculum: Rex autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei: 16. inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit Regem. Ad quam Rex, Quid tibi, inquit, vis? 17. Quæ reſpondens, ait: Domine mi, tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo. 18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi Rex, ignorante. 19. Mactavit boves, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocavit omnes filios Regis, Abiathar quoque ſacerdotem, & Ioab principem militiæ: Salomonem autem ſervum tuum non vocavit. 20. Verumtamen, domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, ut indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo, domine mi Rex, poſt te. 21. Eritque cum dormierit dominus meus Rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores.

22.

22. Adhuc illa loquente cum Rege, Nathan propheta venit. 23. Et nuntiaverunt Regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu Regis, & adorasset eum pronus in terram, 24. dixit Nathan: Domine mi Rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum? 25. Quia descendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit universos filios Regis, & principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat Rex Adonias: 26. Me servum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum, non vocavit. 27. Numquid a domino meo Rege exivit hoc verbum, & mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei Regis post eum? 28. Et respondit Rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram Rege, & stetisset ante eum, 29. iuravit Rex, & ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 30. quia sicut iuravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. 31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit Regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum. 32. Dixit quoque Rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram Rege, 33. dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon: 34. & ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, * in Regem super Israel: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat Rex Salomon. 35. Et ascendetis post eum, * & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illique præcipiam ut sit dux super Israel, & super Iudam. 36. Et respondit Banaias filius Ioiadæ, Regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei Regis. 37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo Rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium eius a solio domini mei Regis David. 38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi: & imposuerunt Salomonem super mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon. 39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon. 40. Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra a clamore eorum. 41. Audivit autem Adonias, & omnes qui invitati fuerant ab eo, iamque convivium finitum erat: sed & Ioab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? 42. Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians. 43. Respondit Ionathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus enim noster Rex David Regem constituit Salomonem: 44. misitque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, & Cerethi & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam Regis. 45. Unxeruntque eum Sadoc sacerdos & Nathan propheta Regem in Gihon: & ascenderunt inde lætantes, & insonuit civitas: hæc est vox quam audistis. 46. Sed & Salomon sedet super solium regni. 47. Et ingressi servi Regis benedixerunt domino nostro Regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius super thronum tuum. Et adoravit Rex in lectulo suo: 48. & locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel,

qui

qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. 49. Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, & ivit unusquisque in viam suam. 50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, * & abiit, tenuitque cornu altaris. 51. Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens Regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Iuret mihi Rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio. 52. Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. 53. Misit ergo Rex Salomon, & eduxit eum ab altari: & ingressus adoravit Regem Salomonem: dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 8. *Et Semei*, & *Rei*, & *robur exercitus David*. Pro *Rei* non est subst*i*tuendum, *Cerethi* & *Phelethi*, quod alii male: nec addendum *omne* ante *robur*, quod quidam superflue.

V. 13. *Salomon filius tuus regnabit post me*. Non præponas *quod*.

V. 34. *In Regem super Israel*. Non addas & *Iudam*.

V. 35. *Et veniet*, & *sedebit super solium meum*. Pro *veniet* singulari tertiæ personæ, non est substituendum *venietis*, plurale secundæ personæ: denique nec addendum *in Ierusalem*.

V. 50. *Et abiit, tenuitque cornu altaris*. Post *abiit*, non addas *in tabernaculum Domini*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. PLURIMOS, scilicet prope septuaginta annos: tot enim vixit.

V. 2. STET CORAM, id est ministret.

V. 3. SUNAMITIDEM, scilicet ex urbe Sunem tribus Issachar. Vide IV. Reg. IV.

V. 4. DORMIEBATQUE. Hebr. & Sept. *Fovebatque*, id est calefaciebat.

V. 6. NEC CORRIPUIT, scilicet nimis indulgens: sic sup. Lib. II. cap. XIII. etiam sancti interdum negligentes: vel causam Miphiboseth cap. XIX. quam negligenter iudicavit? Hebr. *Non contristavit*: scilicet noluit corripiendo contristare. IPSE, scilicet ut Absalom. SECUNDUS NATU, adeoque ad eum iure regnum pertinere videbatur; sed Deus voluit esse Salomonis, cuius voluntas summum est ius. Vide inf. cap. II.

V. 7. SERMO, id est consilia; quasi dicat, Rem tractabat. ABIATHAR. Hoc reiecto, qui ex Heli & Ithamar, datus est Pontificatus Sadoc, qui ex Phinees & Eleazaro. Vide cap. II.

V. 21. PECCATORES, id est miseri: sic Hispani, Peccatorem me, id est miserum me: vel quasi dicat: Reiiciemur tamquam si graviter peccavissemus.

V. 33. MULAM MEAM: scilicet id nisi Regi non licebat. GIHON, scilicet fontem: alias Siloe dicitur: eius aqua perennis, quale David volebat regnum esse Salomonis.

V. 36. AMEN; id est, ita fit. SIC LOQUATUR; quasi dicat: Confirmet id Deus. Sept. *Confirmet verba*. Chald. *Sic velit*.

V. 39. OLEI, scilicet unctionis.

V. 40. INSONUIT. Hebr. *Scindebatur*; id est, videbatur scindi. Chald. *Tremebat*.

V. 42. FORTIS. Chald. *timens peccata*; quasi dicat, Bonus.

V. 43. NEQUAQUAM, &c. Hebr. Chald. & Septuag. *Profecto dominus noster*, &c. Noster sensum reddidit quasi dicat: Non bona nuntio, ut putatis.

V. 45. INSONUIT: sic etiam Septuag. at Hebr. *Tumultuata est*. Chald. *Commota est*.

V. 47. BENEDIXERUNT; id est, bene precati sunt. SUPER, id est plus quam

quam. ADORAVIT, ſcilicet Deum, gratias agens.

V. 50. ALTARIS, ſcilicet quod David extruxerat: nam quod Moyſes, adhuc erat in Gabaon. Vide I. Paral. XXI.

ESTII.

Verſ. 2. QUAERAMUS DOMINO NOSTRO REGI ADOLESCENTULAM VIRGINEM, ET STET CORAM REGE, ET FOVEAT EUM. Quæritur an David hanc Sunamitidem duxerit in uxorem. Hieronymus videtur ſentire, quod fuerit virgo & uxor. Sed dicendum, Scripturam non indicare quod eam duxerit in uxorem, ſed magis videtur ſignificare contrarium: nam dicitur tantum quæſita ad calefaciendum corpus ſenile Regis. Deinde ſi uxor fuiſset Davidis, quomodo Adonias filius eius tam imprudens fuiſset, ut eam peteret ſibi in uxorem? Nam ducere eam uxorem, quæ fuiſſet uxor patris, expreſſe prohibitum eſt Levitic. XVIII. ubi dicitur: *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies.*

V. 5. & 6. ADONIAS AUTEM..... ELEVABATUR, DICENS: EGO REGNABO. FECITQUE SIBI CURRUS ET EQUITES.... NEC CORRIPUIT EUM PATER SUUS. Simile quid habemus II. Reg. XIII. quando Amnon filius David inceſtum cum ſorore ſua commiſerat. *Et noluit* (inquit Scriptura) *David contriſtare ſpiritum Amnon filii ſui, quoniam diligebat eum.* Sane utrobique Scriptura taxare videtur in Davide nimiam indulgentiam erga filios, quos ſciebat graviter delinquere; & ne eos contriſtaret, corripere tamen pro merito non audebat. Et idem accidit in Abſalone, quem cum pater videret inſtituere regiam pompam, ſimiliter eum non corripuit: unde & rebellio Abſalonis in patrem eſt ſecuta. Itidem multi alii tempore veteris teſtamenti viri, alioqui ſancti, hac parte infelices fuerunt in filiorum educatione. Exemplo ſunt filii Iacob, filii Heli, filii Samuelis, filii David, filius Ezechiæ, filii Joſiæ. In quibus etſi Heli, & David cauſam aliquam dediſſe legantur nimia ſua in filios indulgentia, cauſa tamen generalior quoque iſta non improbabiliter aſſignatur, quod tempore veteris teſtamenti matrimonium nondum eſſet proprie dictum ſacramentum; neque eam gratiam largiretur ad prolem pie educandam quam confert tempore novi teſtamenti, iis qui cum debita præparatione matrimonium ineunt.

V. 21. ERITQUE CUM DORMIERIT DOMINUS MEUS REX CUM PATRIBUS SUIS, ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES. Quidam Hebræorum poſtrema verba ſic interpretantur: Erimus falſi, & fruſtrati ſpe noſtra, & quaſi aberrantes a ſcopo: non id conſequemur quod ſperabamus. Sed videtur plus aliquid ſignificari, quia ſupra verſ. 12. Nathan dixerat ad Bethſabee: *Nunc ergo veni, & accipe conſilium a me, & ſalva animam tuam, filique tui Salomonis.* Per quod ſignificatur ſcilicet, quod regnante Adonia, periclitaretur ipſorum ſalus & vita. Senſus igitur eſt: *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores*; id eſt, quæret contra nos Adonias occaſionem tollendi nos e medio, puniendique nos tamquam peccatores. Videlicet metuebat Bethſabee, ne mortuo Davide, ſi Adonias regnaret, ad ſtabiliendum ſuum regnum animadverteret in eam ob crimen adulterii, & ſimiliter contra Salomonem filium eius occaſionem mortis inferendæ quæreret.

MARIANAE.

Verſ. 3. SUNAMITIDEM adducunt miniſtri ad David, ex Sunam urbe tribus Iſſachar, IV. Reg. IV. verſ. 8.

V. 4. DORMIEBATQUE CUM REGE. Hebr. *Fovebat*, ſeu *calefaciebat Regem*. Adonias fecit ſibi

V. 5. QUINQUAGINTA VIROS, ſatellites qui cum armis, more nimirum Regum, comitabantur quaſi prætoriani Adoniam.

V. 6. NEC CORRIPUIT EUM PATER SUUS ALIQUANDO: ſic Septuag. Hebr. *a diebus ſuis*: ſic Chald. ſed ſignificatio eadem, pro in diebus ſuis, opportune, dum vixit ipſe David, non corripuit Adoniam. SECUNDUS NATU POST ABSALOM. Hebr. *Et eum peperit* (ſcilicet mater Haggith) *poſt Abſalom. Peperit* in Hebr. generis feminini. Indicatur his verbis eum ad regnum proxime vocari ex ætate.

V. 7.

V. 7. ET SERMO EI CUM IOAB : ſcilicet conſilia cum eo communicabat : coniurationis erat particeps Ioab.

V. 8. ROBUR EXERCITUS DAVID. Hebr. *Et fortes qui cum David*, ſcilicet illi triginta ſeptem, de quibus Lib. II. Reg. cap. XXIII. verſ. 39. non erant cum Adonia.

V. 9. ARIETIBUS, ET VITULIS, ET UNIVERSIS PINGUIBUS. Hebr. *Et immolavit*, ſcilicet Adonias, *pecudes*, *boves*, *& pinguia*, id eſt ſaginata. IUXTA LAPIDEM ZOHELETH. Vox Hebr. *zoheleth* ſignificat *ſcaturientem*, quod ibi eſſent ſcaturigines fontis Rogel, id eſt fullonis, ſic dicti, quod in eo veſtes lavarent pedibus conculcantes. Unde vox *Rogel* a pede derivatur, qui Hebr. *Reghel* eſt. Bethſabee it ad Regem.

V. 16. QUID TIBI, INQUIT, VIS? Ex vultu cognovit eam premi, aut quia ingreſſa eſt non impetrata facultate. Illa: Poſt mortem tuam

V. 21. ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES, id eſt *ſpurii*. Sic Hieronymus in Tradit. id eſt *manzer*, quod ibi ponit; quaſi dicat: Erimus, ego quaſi adultera, ille ut filius adulteræ, eoque regno indignus. Chald. eo reſpicere videtur cum ait, *Erimus pulſi a regno. Megurechin*, ſcilicet *quaſi incapaces*: ſic citat Hebræus, nam in Regiis invenio Chald. *mitharchin*, id eſt *extirpati*; quaſi dicat: Actum eſt de vita noſtra? quod verſ. 12. dixit Nathan: *Salva animam tuam*. Verba Bethſabee ad Regem. Adeſt Nathan.

V. 28. VOCATE AD ME BETHSABEE. Ad adventum prophetæ illa diſceſſerat.

V. 33. TOLLITE VOBISCUM SERVOS DOMINI VESTRI, id eſt meos. IMPONITE SALOMONEM.... SUPER MULAM MEAM, argumento, Regem factum: nam nemo privatus in Regis mula equitabat, neque in eius throno ſedebat. DUCITE EUM IN GIHON. Hic fons Siloe erat prope Ieruſalem ad Auſtrum. Sic Chald. vertit, ſic Hebræus. Nomen quod ſecundo fluvio Paradiſi, Gen. II. & fortaſſis influit in Iordanem, & ab eo Iordanis vocatur *Gihon*: nam quod plerique Gihon, Nilum putant, nullo efficaci argumento confirmant. Sed quare ad fontem? ut ante unctionem corpus lavaret, aut quoniam perenne fluit, argumento regnum perpetuum fore: ſic Hebræus. Rex Salomonem ait] velle Regem facere. Banaias:

V. 36. SIC LOQUATUR. Deprecatio. Hebr. *Sic dicat*; id eſt, ſic placeat Deo, ſcilicet quæ Rex dixit.

V. 38. CERETHI, ET PHELETHI. Chald. *ſagittarii & fundibularii*. Hebræus *Sanhedrim*, ſcilicet ſeptuaginta ſenes iudiciis præfecti: ſic Hieronymus in Tradit. Sed præſtat ut duas legiones militum iis nominibus intelligamus, ſic dictas, ut ſup. II. Reg. VIII. verſ. 18. docui. Hi cum aliis duxerunt Salomonem in Gihon. Sadoc ſumpſit

V. 37. CORNU OLEI DE TABERNACULO, ſcilicet teſtimonii, ubi erat oleum unctionis, & tunc tabernaculum, quod fecit David, quando arcam tranſtulit, Ieroſolymæ erat: II. Reg. VI. verſ. 17. Inde illud ſumpſit Sadoc.

V. 40. INSONUIT TERRA. Sic Sept. Chald. *Ita ut tremeret terra*. Hebr. *Rumpebatur terra a clamore eorum* qui Salomoni plaudebant. Hyperbole. Adonias:

V. 41. QUID SIBI VULT CLAMOR CIVITATIS TUMULTUANTIS? Heb. *Quare* (ſcilicet hoc videtur) *vox civitatis tumultuantis*.

V. 42. VIR FORTIS. Hebr. *Vir virtutis*, id eſt bonus. BONA NUNTIANS. Hebr. *Nuntiabis*. Id dixit Adonias filio Abiathar ad ſe venienti. Quid ille?

V. 45. INSONUIT. Sic Sept. Hebr. *Tumultuata eſt civitas*.

V. 47. ADORAVIT REX, ſcilicet Deum in lectulo ſuo. Adonias tamen abiit,

V. 50. TENUITQUE CORNU ALTARIS, quod ſcilicet David erexit: nam quod Moyſes, erat in Gabaon, I. Paral. XXI. 19. Dixitque Salomon de Adonia,

V. 52. SI FUERIT VIR BONUS. Hebr. *Si fuerit in filium virtutis*, ſeu *fortitudinis*: ſic Sept. Fortitudine opus eſt ad vincenda peccata. Chald. *Si fuerit vir timens peccata*. Certe qui poſſit ſibi imperare. *Haiil* vox Hebr. videtur eſſe polyſema, ut *virtus* Latinis, ſignificans tum *fortitudinem*, tum *probitatem*.

MAL-

MALVENDAE. *

Verſ. 1. HABEBATQUE AETATIS PLURIMOS DIES. Heb. *Venit in dies.* Quidam: *Vergebat ætate*: vel *ætatis provectæ erat*. Attigiſſe tunc Davidem circiter ſeptuageſimum vitæ ſuæ annum, qui ei fuit ſupremus, ſatis conſtat ex II. Samuel. v. 4. & 5. NON CALEFIEBAT. Notant verbum יחם *iacham* proprie dici de calore maris & feminæ in coitu: quæ ſignificatio etſi huic loco non repugnet, at univerſe calorem nativum potius hic ſignificare videtur; quaſi dicat: Calor nativus in eo pene extinctus erat. Quidam: *Et non caleſiebat ei caro*. Sic verſ. 2.

V. 2. ADOLESCENTULAM VIRGINEM. Decem concubinas iam repudiaverat, atque clauſtro incluſerat: uxores iam natu grandi, & ipſæ quoque effetæ, minus aptæ videbantur ad miniſterium fovendi Regem; aut forte maiori ex parte iam mortuæ fuerant. ET FOVEAT EUM. Hebr. *Et ſit illi* סוכנת *ſchochenetb*. Ampla huius participii feminei ſignificatio: 1. *Et erit ei congruens, conveniens, conſerens, conducens, utilis, proficiens*: & *erit ei uſui*: 2. *Adhabitatrix, conſuetudinaria, aſſidua, continua*: 3. *Adiutrix*: 4. *Apothecaria*; id eſt, quæ & dulciaria, & pretioſa quæque in uſum medicinæ aſſervabat: 5. *Theſauraria*: 6. *Cameraria*: 7. *Præfecta domus interioris*, ſeu cubiculi: 8. *Cenſens, cenſatrix, quæ cenſuram exerceat*, nimirum in reliquas famulas, ſeu famulos a cubiculo. Sic infra verſ. 4. DORMIATQUE IN SINU SUO, ET CALEFACIAT, &c. Galenus Lib. VII. Methodi, de curatione frigidi & ſicci, inquit: *Ex iis vero quæ extrinſecus applicantur, boni habitus puellus una ſit accubans, ut ſemper abdomen eius contingat*.

V. 3. SUNAMITIDEM, a Suna oppido ſortis Iſachar, quod deſcripſimus Joſue XIX. verſ. 18.

V. 4. REX VERO NON COGNOVIT EAM; id eſt, non habuit rem cum illa. Vide de hac locutione Gen. IV. verſ. 1.

V. 5. FECITQUE SIBI CURRUS, ET EQUITES, ET.....QUI CURRERENT ANTE EUM. Hebr. *Et fecit ſibi currum*, & *equites*, & *quinquaginta viros currentes ante eum*: exemplo ſcilicet Abſalomi, de quo totam hanc clauſulam expoſuimus II. Samuel. XV. verſ. 1.

V. 6. SECUNDUS NATU POST ABSALOM. Hebr. *Et peperit eum*, ſcilicet mater ſua Haghitha ipſi Davidi, *poſt Abſolomum*, ſubaudi natum. Atque hæc fuit cauſa, cur ipſe regnare vellet, quod ad ſe regnum iure naturæ pertinere exiſtimaret, quod primus eſſet filiorum Davidis, ſenioribus fratribus extinctis. Vide II. Samuel. III. verſ. 4. Forma quoque præſtans ei gratiam apud populum conciliabat, ut olim Abſalomo.

V. 7. ET SERMO EI CUM IOAB FILIO SARUIAE. Hebr. *Et fuerunt verba*, ſeu *ſermones eius, cum Ioabo*, &c. id eſt, communicato conſilio cum illis, conſpiravit. Alii: *Communicabat autem res ſuas cum Ioabo*, &c. Hiſpanicus Interpres: *Tenia tratos con Ioab*, &c. QUI ADIUVABANT PARTES ADONIAE. Hebr. *Et adiuverunt poſt Adoniah*. Quidam: *Qui adiuverunt poſt Adoniah*. Alii: *Qui Adoniiam ſecuti adiuverunt*; id eſt, iuvaverunt Adoniiam ſequendo partes eius, & pertrahendo alios ad ipſum: vel partibus Adoniiæ ſe ſe adiunxerunt, Regem eum renuntiaturi.

V. 8. SEMEI. Hebr. *Simhi*. Suſpicantur hunc fuiſſe eum de quo infra cap. IV. verſ. 18.

V. 9. IMMOLATIS ERGO ADONIAS ARIETIBUS, &c. Hebr. *Et ſacrificavit*, ſive *macta vit*, *Adoniiahu oves*, &c. Non verum Deo ſacrificium immolatum intelligunt, ſed convivium ſeu epulum profanum, amicis & coniuratis exhibitum. Sic id verbum interdum uſurpari, docuimus in I. Samuel. IX. verſ. 12. Sic infra verſ. 19. & 25. IUXTA LAPIDEM ZOHELETH. Hebr. זחלת *Zocheleth*. A venenatis ſerpentibus, qui ibi forſitan eſſent, nomen accepiſſe videtur. FONTI ROGEL, de quo vide Joſue XV. verſ. 7. & cap. XVIII. verſ. 16. & II. Samuel. XVII. verſ. 17.

V. 12. SALVA ANIMAM TUAM. Hebr. *Eripe, libera, erue, evadere fac, vitam tuam*: quæ alioqui periclitatura eſſet ab Adoniah regnum occupante: ut ipſa David exponit, infra verſ. 21.

V. 16. INCLINAVIT SE BETHSABEE, ET ADORAVIT REGEM. Hebr. *Et verticem flexit Bath-Sebah*, & *procumbere ſe fecit Regi*. Videtur dicere, quod Bath-Sebah ingreſſa cubiculum, primum verticem inclinavit, honoris cauſa, deinde

cum parum progreſſa eſſet, etiam toto corpore procubuit honorem exhibens Regi. Aliqui reddunt: *Et inclinato vertice Bath-Sebab, incurvavit ſe honorem habens Regi*: ut utrumque fecerit. Ita inf. verſ. 31.

V. 17. TU IURASTI PER DOMINUM DEUM TUUM. Exponunt: Qui tibi fuit auctor, ut Salomonem inſtituas ſucceſſorem regni: & inſuper promiſſiones adiecit ampliſſimas, I. Paralipom. XXII. verſ. 9. & ſequentibus, & hic inf. verſ. 30.

V. 21. PECCATORES; id eſt, agetur nobiſcum, ut cum ſontibus, & de vita noſtra periclitabimur. Vide Geneſ. XLIV. verſ. 10.

V. 23. CUMQUE INTROISSET IN CONSPECTU REGIS. Notant, egreſſam iam tum fuiſſe Bath-Sebam, ut appareret ex verſ. 28.

V. 25. ILLISQUE VESCENTIBUS ET BIBENTIBUS CORAM EO, id eſt aſſatim, & laute convivantibus.

V. 28. QUAE CUM FUISSET INGRESSA, nimirum egreſſo iam Nathane, ut docet verſ. 32.

V. 31. IN AETERNUM, id eſt quam diutiſſime; quaſi dicat: Mihi ſatis eſt de iure confirmari, non peto ut te regno ſpolies. Sic Hiſpanice, *Viva mil años*.

V. 33. SERVOS DOMINI VESTRI. Hebr. *Servos dominorum veſtrorum*. Plerique putant ſic de ſe pluraliter loqui Davidem ob dignitatem & auctoritatem: nam ſic ſolent principes viri appellari. Vide Geneſ. XXIX. verſ. 2. & 20. & hic infra verſ. 43. 47. Alii: *Servos dominorum veſtrorum*: exponunt: Id eſt, cum meos, ut qui in obedientia mihi præſtanda fideliter adhuc permanſiſtis; tum filii mei Salomonis, qui iam dominus vobis a me præſicitur. SUPER MULAM MEAM. Hebr. *Super mulam, quae eſt mihi*; id eſt, qua nemo alius niſi Rex vehi poterat. Sic infra verſ. 38. & 44. ET DUCITE EUM IN GIHON. Hebr. *Et deſcendere facietis eum ſuper Ghichon*. Quidam explicant: Id eſt, in locum iſtum per gradus civitatis Davidis proſequimini, qui eis Gihonem eſt, quaſi medius inter civitatem Davidis & altera Ieruſalaima, ut aditus obtineat ex adverſo fontis Rogelis: nam Gichon rivus erat alluens civitatem Davidis, & Ieruſalaima, II. Chronicor. XXII. verſ. 30. & cap. XXXIII. verſ. 14. Sed de rivo, ſeu fonte Ghichon, fuſe diximus in Paradiſo, cap. XXIX. Vuillermus Tyrius Lib. VIII. Belli ſacri, cap. IV. *Gion autem locus eſt ab auſtro in valle Enon media Ieruſalem poſitus: ubi hodie eſt in honorem beati Procopii martyris eccleſia: ubi Salomon in Regem inunctus fuiſſe dicitur III. Reg. cap.* I. *verſ.* 33.

V. 36. ET RESPONDIT BANAIAS, ſuo, & reliquorum nomine, ut apparet e verſ. 47. DICENS, AMEN. De hac voce vide Numer. V. verſ. 22. quaſi dicat: Firmum, ratum, ſtatum eſto a Deo.

V. 38. ET CERETHI, ET PHELETHI, quorum præfecturus erat Benaiahu: de quibus vide II. Samuel. VIII. verſ. 18.

V. 39. DE TABERNACULO, quod tetenderat David arcæ in civitate ſua, II. Samuel. VI. verſ. 17.

V. 40. ET INSONUIT TERRA. Heb. *Et ſiſſa, diſrupta fuit terra*. Hyperbole, ſumpta a fragoris ſimilitudine: nam maxima & ſolida ingenti fragore diſſinduntur. Id eſt, tantus erat fragor, ut terra videretur diſrumpi, & findi.

V. 42. ET BONA NUNTIANS. Vide quid ſimile II. Samuel. XVIII. verſ. 27.

V. 43. NEQUAQUAM. בֹּאַר *baal*, de qua particula vide in II. Samuel. XIV. verſ. 5. quidam hic reddunt *profecto*; alii *at, aſt*; quaſi dicat? *Bonum vero: At dominus noſter Rex David*, &c. id eſt, tantum abeſt ut annuntiem proſpera, ut dominus noſter Rex David, te omiſſo, Salomonem Regem conſtituerit. Sic II. Samuel. 14. verſ. 5. Poſſis reddere *luctus*; id eſt, maximus luctus tibi, tuiſque inſtat: dominus enim noſter, &c. Nos convertimus *quin etiam*, ac ſi dicat: Nihil proſperi affero, ſed omnia adverſa; quin etiam, quod caput omnium tuorum infortuniorum eſt, dominus noſter Rex, &c.

V. 47. BENE DIXERUNT DOMINO NOSTRO REGI DAVID. Hebr. *Ad benedicendum domino noſtro Regi Davidi*. Exponunt: Ad bene precandum, vel ad congratulandum domino noſtro Regi. Hiſpanice, *A dar el parabien*. Quidam reddunt: *Ad benedicendum cum domino noſtro Rege Davide*; id eſt, ad bene precandum Salomoni, & regno eius, cum domino noſtro Rege, &c. nimirum ut ſimul omnes beneprecarentur pro Salomone, &c. vel ut laudarent, & gratias agerent Deo pro Salomone,

ne, &c. vel ut laudarent, & gratias agerent Deo pro Salomone, &c. ET ADORAVIT REX IN LECTULO SUO. Heb. *Procumbere ſe fecit Rex ſuper cubationem ſuam.* Aliqui: *Ac incurvavit ſe Rex in ſuo cubili*, nimirum adoraturus Deum, ut Iahakob Gen. XLVII. verſ. 31. & cum illis beneprecaturus filio.

V. 49. ET IVIT UNUSQUISQUE IN VIAM SUAM; id eſt, diverſis itineribus diſperſi ſunt, nec amplius de regno Adoniiæ conſilia agitaverunt.

V. 50. TENUITQUE CORNU ALTARIS. De quibus vide Exodi XXVII. verſ. 2. Hoc altare intelligunt, quod David extruxerat in tabernaculo quod arcæ tetenderat in civitate ſua, ſupra verſ. 39. Nam tabernaculum, & altare, quod Moſes in deſerto extruendum curaverat, eo tempore adhuc erant in excelſo Gabaon, I. Paralipom. XXI. verſ. 29. At ego potius crediderim Adoniiam Gabaonem ad altare holocauſti confugiſſe: nam Ieroſolymis ſtationarium altare ad arcam conſtitutum non exiſtimo veriſimile; cum uno loco tantum ordinarie ex lege ſacrificandum eſſet, & David omnes ſacerdotes Gabaonem ad altare, & ſacrificia amandaviſſet, I. Paralipom. XVI. verſ. 39. & 40. Sic de Ioab intellige infra cap. II. verſ. 29. Notant aliqui, Adoniiam prehendiſſe cornua altaris, non ut tutus eſſet donec cauſa cognoſceretur; ſed ut miſericordiam imploraret ob Numinis reverentiam, ſicut Ioab infra cap. II. verſ. 29.

V. 52. SI FUERIT VIR BONUS. Hebr. *Vir virtutis*, id eſt probus. Quidam: *Si futurus eſt in filium roboris*, id eſt ſtrenuus; quaſi dicat: Hoc quidem ipſi condonatur crimen, ſed viderit in poſterum quo ſe modo gerat: nam, prout deinceps ſeverit, ſic etiam metet. NON CADET NE ULLUS QUIDEM CAPILLUS EIUS IN TERRAM; id eſt, incolumis omnino futurus eſt a me. Similis locutio I. Samuel. XIV. verſ. 45. & II. Samuel. XIV. 11. Actor. XXVII. 34. SIN AUTEM MALUM INVENTUM FUERIT IN EO, nimirum deinceps amplius.

V. 53. VADE IN DOMUM TUAM; id eſt, hac condonata culpa res tuas privatas cura, nec amplius tibi arrogato illam auctoritatem exeundi, & redeundi coram hoc populo: ne ſumas tibi publicas curas: quietus domi tuæ age, & omne regnandi conſilium omitte.

* 30. Auguſti 1623.

MENOCHII.

Verſ. 1. REX DAVID SENUERAT, HABEBATQUE AETATIS PLURIMOS DIES. Annum agebat ſeptuageſimum, nam anno trigeſimo regnare cœpit, & annos quadraginta regnum tenuit, ut diſerte dicitur II. Reg. v. 4. *Filius*, inquit, *triginta annorum erat David cum regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnavit*, &c.

V. 2. DIXERUNT EI SERVI SUI, medici nimirum, ut Ioſephus affirmat.

V. 4. DORMIEBATQUE CUM REGE: duxerat enim illam Rex in uxorem. MINISTRABAT EI, ut delectabilius comederet de manu eius, ut pridem Amnon de manu Thamar. REX VERO NON COGNOVIT EAM. Hoc eximitur ſa Scriptura, quia facit ad laudem Davidis a licita delectatione, quæ ætati parum conveniebat, abſtinentis. Secundo quia pertinet ad ſignificandum puellæ ſtatum, quæ Rege mortuo virgo permaneret. Tertio confert ad cauſam Adoniæ eam in uxorem poſtulantis, quod alioqui non licuiſſet illi, ut multis diſputat Abulenſis quæſt. VI. in hoc cæput, de quo tamen vide inf. cap. II. num. 21.

V. 5. ELEVABATUR, ambitioſo ſpiritu. FECITQUE SIBI CURRUS, ET EQUITES, &c. Abſalonem imitatus, de quo ſupra Lib. II. cap. XV. initio putabat ſibi regnum deberi, quia erat primogenitus.

V. 6. NEC CORRIPUIT EUM PATER SUUS, cuius indulgentiæ in filium cauſa in ſacro textu ſubditur cum ait: *Erat autem & ipſe pulcher valde, ſecundus natu poſt Abſalom.* Nimiæ remiſſionis, & negligentiæ, merito accuſatur David ab Abulenſi quæſt. XII. & XIII. in hoc caput, & ab aliis. Sunt tamen qui putent ſenem, & lecto frequenter affixum, quæ fieret ignoraſſe, quod parum eſt probabile, aut metu maioris mali diſſimulandum cenſuiſſe.

V. 7. SERMO EI CUM IOAB, &c. Ioab, & Abiathar Adoniæ favebant, quia

forte ſibi perſuaſerant regnum illi ut primogenito deberi, quemadmodum Pontificatus ad primogenitum tranſibat. Sic Ioſaphat loram regnum reliquit, eo quod unigenitus eſſet, ut dicitur II. Paralip. XXI. 3. vel etiam illi favebant ut ſibi eum devincirent, & in muneribus Ducis exercitus, & ſummi Pontificis confirmarentur.

V. 8. SADOC SACERDOS, Abiathar is æmulus. BANAIAS, ſummæ militum præfecturæ candidatus. NATHAN PROPHETA, qui Salomoni erat educatione, & benevolentia pater. SEMEI, quem D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in hunc librum, ait fuiſſe Nabath patrem Ieroboam, qui poſtea regnavit ſuper decem tribus. REI, quem idem Hieronymus tradit fuiſſe Iram Iairitim, qui II. Reg. XX. 26. dicitur ſacerdos David.

V. 9. IMMOLATIS ERGO ADONIAS ARIETIBUS, &c. non per ſe ipſum, ſed ſacerdotum miniſterio. IUXTA LAPIDEM ZOHELETH, qui erat lapis magnus extra civitatem, inquit Lyranus, in cuius motione, & tractione viri fortes experiebantur vires ſuas. Porro lapis hic, ſicut & fons Rogel, erant ad orientalem partem urbis, in valle Ioſaphat, iuxta torrentem Cedron. VOCAVIT UNIVERSOS FRATRES SUOS, ſcilicet ad convivium quod inſtitutum eſt, quia ſemper ſequebatur huiuſmodi ſacrificia, & quia fratrum, & aliorum benevolentiam ſibi conciliare ſtudebat, a quibus admoveri volebat ad regnum.

V. 11. DAVID HOC IGNORAT. Adeo illius iuſſu hoc factum non eſt, ut etiam totius rei geſtæ ſit prorſus ignarus; quaſi dicat: Non eo res deducta eſt ut diſturbari non poſſit, continendum ergo ut Adoniæ conatus irritos reddamus.

V. 12. SALVA ANIMAM TUAM, FILIIQUE TUI SALOMONIS. Vobis enim, ſi Adonias regnet, imminet exitium.

V. 13. IURASTI MIHI. Quando iuraverit diximus ſupra Lib. II. cap. XII. num. 24.

V. 14. COMPLEBO SERMONES TUOS, a te dicta confirmans, & alia addens quæ Salomonis cauſam iuvare poſſint.

V. 18. TE, DOMINE MI REX, IGNORANTE, utique non ſine contemptu tuo, quem tanti negotii non ſolum conſcium, ſed auctorem etiam fieri oportebat.

V. 19. SALOMONEM AUTEM NON VOCAVIT. Quod Salomonem, & Nathan non vocaſſet, conſpirationis ſignum erat: eos enim habere præſentes noluit Adonias, qui eius conatibus potuiſſent adverſari.

V. 20. INTE OCULI RESPICIUNT TOTIUS ISRAEL, expectatione ſuſpenſi quem tibi in regno ſucceſſorem deſignes.

V. 21. DORMIERIT, mortuus fuerit. ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES; id eſt, invenietur prætextus aliquis ut tamquam peccati, aut criminis alicuius rei morti tradamur, ut nobis de medio ſublatis Adonias regnet ſecurius.

V. 24. DIXISTI: ADONIAS REGNET? &c. ita enim ſe gerit ac ſi a te regnare iuſſus eſſet.

V. 25. VIVAT REX ADONIAS. Acclamatio erat uſitata in Regum inauguratione, *Vivat Rex*. Nolebat tamen Adonias ita regnare ut exturbaret David; ſed res ſuas ita componere, ut David extincto nemo ſe illi auderet opponere quo minus Rex eſſet.

V. 27. EXIVIT HOC VERBUM? &c. quaſi dicat: Num inſcio me mutaſti ſententiam a Deo tibi per me denuntiatam, & a te Bethſabee iuramento firmatam, de conſtituendo poſt te Rege Salomone?

V. 28. VOCATE AD ME BETHSABEE, quæ cubiculo regio exierat Nathan prophetæ cedens, ut nunc vice verſa Nathan locum dedit Bethſabee revertenti, ut patet ex verſ. 32. ſequenti.

V. 31. ADORAVIT REGEM, gratias illi agens, & ſimul inclinatione corporis reverentiam exhibens. VIVAT DAVID IN AETERNUM. Hæc eſt non æternæ, ſed diuturnioris vitæ precatio; quaſi dicat: Vis Salomonem poſt te regnare; gratias ago, & ut poſt diuturnum tempus hoc fiat, opto, te adhuc ad multos annos ſuperſtite.

V. 33. SERVOS DOMINI VESTRI. Cerethi, & Phelethi ad propulſandam vim, ſi forte Adonias illam tentet inferre. Loquitur vero de ſe in tertia perſona David, cum ait, *Domini veſtri*, David ſcilicet. SUPER MULAM MEAM, quam ſolus David ſolebat inſcendere, itaque id erat regii honoris indicium. DUCITE EUM IN GIHON, ad fontem videlicet qui erat ab occaſu Ieroſolymorum, e regio-

gione oppositus fonti Rogel, ad quem inventus fuerat Adonias, ut nihil interturbarent, sed res prius confecta esset quam id illi sentirent, ut etiam revera contigit.

V. 35. VENIET, huc in arcem. REGNABIT PRO ME. Non dicit, *Post me*, quia nimirum vivo Davide Rex erat futurus, Davide sponte regno cedente.

V. 36. SIC LOQUATUR DOMINUS DEUS DOMINI MEI; id est, confirmet Dominus quæ a te dicta sunt. LXX. habent, *Confirmet verba*: Chaldæus, *Sic velit*.

V. 37. SUBLIMIUS FACIAT SOLIUM. &c. Non timuit Banaias his verbis Davidem offendere, hoc enim optant parentes ut a filiis felicitate vincantur. Simile est votum illud apud Claudianum in quarto consulatu Honorii:

Aspice, completum votum, iam natus adæquat.
Te meritis, & quod magis est optabile, vincit.

V. 39. SADOC SACERDOS, qui nondum erat summus Pontifex: nec necessarium erat Regem a Pontifice inungi: David enim, & Saul a Samuele, & alii ab aliis, qui Pontifices non erant, uncti sunt in Reges: & in hac etiam Salomonis inauguratione, & unctione Nathan ministerium videtur interviniſse: dixerat enim Rex num. 34. *Ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in Regem.*

V. 40. INSONUIT. Hebraice, *Scindebatur*; id est, videbatur scindi. Chaldæus, *Tremebat*.

V. 42. FORTIS. Chald. *Timens peccata*, id est bonus.

V. 46. SALOMON SEDET SUPER SOLIUM REGNI, adita regni possessione.

V. 47. BENEDIXERUNT: bene precati sunt, agentes gratias pro novo Rege dato Salomone. ADORAVIT REX IN LECTULO SUO, Deo & ipse gratias agens, ut patet sequenti versiculo.

V. 49. IN VIAM SUAM, in domos suas, ut ibi se abderent, & dissimularent se Adoniæ faviſse.

V. 50. ABIIT, ET TENUIT CORNU ALTARIS. Abiit in Gabaon ubi erat tabernaculum Moſis, & altare holocaustorum, ut habetur II. Paralip. 1. 3. Tenuit autem cornu altaris, quia immunitatis privilegium altari maxime tribuebatur. Sunt tamen qui velint tenuiſse cornu altaris quod David Ierosolymis extruxerat, non autem eius quod erat in Gabaon.

V. 51. QUOD NON INTERFICIAT SERVUM SUUM GLADIO. Humilis oratio, & idonea veniæ impetrandæ.

V. 52. SIN AUTEM, &c. Præteritas noxas condono; si vero peccaverit in posterum, pœnas dabit.

V. 63. VADE IN DOMUM TUAM. Qua voce non ablegat eum ab aula, sed ei securitatem in domo sua pollicetur.

TIRINI.

Vers. 4. REX VERO NON COGNOVIT EAM. Vel hinc ergo patet, hanc Abisag Sunamitidem, id est de Suna civitate tribus Isſachar oriundam, non ancillam fuiſse Davidi, sed veram uxorem. Ut quid enim diceretur, tamquam res admodum miranda, hæc virgo a Davide non fuiſse cognita, nisi legitime cognoſci potuiſſet? Et cur Adonias, eo quod ipſam in uxorem mortuo Davide expetiit, interfici iuſſus est? an viam sibi sternebat ad regnum per nuptias ancillæ parentis sui? Abulensis concedit fuiſse concubinam, seu ex secundariis uxoribus. Sed S. Hieronymus, Theodoretus *a*, Procopius, Lyranus, Dionyſius, Caietanus, & alii dicunt e primariis fuiſse. Addit S. Hieronymus, tropologice per Sunamitidem intelligi sapientiam, quæ ubi omnia alia naturæ adiumenta, ornamentaque deficiunt, comitatur, recreat, foiatur & fovet senectutem. Qua vero ratione corpus senile flaccescente naturali calore, vegetari roborarique possit halitu iuvenili, fuse demonstrat Valeſius *b*, & alii medici.

V. 9. De fonte Rogel vide quæ dixi II. Reg. XVII. verſ. 17.

V. 17. TU IURASTI ANCILLAE TUAE: SALOMON FILIUS TUUS REGNABIT POST ME. Veriſimile est, Davidem id dixiſſe Bethſabee, quando mortuo iam parvulo ex adulterio concepto, illam extreme dolentem ſolatus est, II. Reg. XII. 24. Cum enim timeret Bethſabee, ſe ob præteritum crimen repudiandam a Rege, vel ſaltem proles, quas ex eo ſuſceptura esſet, exoſas Regi futuras, vel ut minimum poſtremo loco habendas in domo Regis; creditur Rex ei reſpondiſſe, longe aliter actum iri; quin etiam

qui

qui ex ea naſciturus eſſet filius, præferendum aliis omnibus, & regium ſolium occupaturum. Ita S. Hieronymus *c* ex Hebræorum traditione, Abulenſis, & Sanctius. Putatur vero divina revelatione id indicatum Davidi etiam antequam natus eſſet Salomon, immo antequam conceptus eſſet. Nam id inſinuat ipſemet I. Paralip. XXVIII. 5. cum in publico procerum conſeſſu, ait, cogitanti ſibi de templo conſtruendo dixiſſe Deum: *Salomon filius tuus ædificabit domum meam & atria mea: ipſum enim elegi*, &c. Item: *Elegit Dominus de filiis meis Salomonem filium meum, ut ſederet in throno regni*. Atqui cogitarat David de templo conſtruendo, diu ante quam vel noſſet, vel incautis oculis e ſolario vidiſſet matrem Salomonis: ergo. Et ut non expreſſiſſet tum Deus nomen Salomonis, hoc ipſo tamen quo dicebat, *Semen quod egredietur de utero tuo*, II. Reg. VII. verſ. 12. id eſt, filius non iam natus tibi, ſed adhuc naſciturus, *ædificabit domum nomini meo*: cum primus poſt id tempus Davidi filius natus ſit & in vivis conſervatus Salomon; facile colligebat David, divino decreto Salomonem ad regnum fuiſſe deſtinatum.

V. 21. ERIMUS EGO, ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES. Id eſt, habebimur paſſim, & publice traducemur ego ut adultera, & Salomon filius meus ut *mamzer d* Hebraice, id eſt de ſcorto & adulterio natus: & quia conſtat omnibus, Salomonem deſignatum fuiſſe a te ſucceſſorem regni, ſi iam contingat Adoniam regno potiri, certo certius coget nos tamquam reos affectati ſceptri, indigna morte perire. Ita Sanctius.

V. 33. DUCITE EUM IN GIHON. Fons hic eſt aut rivus oppoſitus fonti Rogel, ubi Adonias ex adverſo inaugurabatur. Hunc Gihon Interpretes volunt eſſe Siloe, cuius aquas Ezechias Rex poſtea in urbem induxit, ut dicitur II. Paralip. XXXII. verſ. 30. & Eccleſ. XLVIII. verſ. 19. Ideo ergo iubet David Salomonem inaugurari ad fontem Gihon, id eſt procul & ex oppoſito loci ubi erat Adonias, ne duo duorum iſtorum principum exercitus, ob diverſa in diverſos Reges ſtudia, ſi in vicina loca coiiſſent, manus inter ſe conſererent, & inaugurationem civili ſanguine cruentarent.

V. 36. RESPONDIT BANAIAS, AMEN; id eſt, Fiat ſicut Rex iubet, & Salomon ſit princeps Iſraelis. ET SIC LOQUATUR DOMINUS DEUS; id eſt, etiam Deus idem velit, iubeat, ratum habeat, & confirmet.

(*a*) Hieron. Epiſt. 11. ad Nepotianum. Theodor. & alii in hunc locum.
(*b*) Valeſius de ſac. Philoſophia cap. XXIX.
(*c*) Hieronymus in Trad. Hebr.
(*d*) Deuter. XXIII. verſ. 2.

GORDONI.

Verſ. 5. DE filiis David vide Lib. II. cap. III. Hic Adonias, poſt Abſalom natu maximus, regnum affectat ex Haggith matre.

V. 9. Fons Rogel, ubi agebat Adonias, eſt prope montem cui inſidebat Ieruſalem, & terminus inter Iudam & Beniamin: Ioſ. cap. XV. & XVIII. ZOHELETH ſignificat *ſcaturientem*, זֹחֶלֶת.

V. 16. Hæc adoratio urbanus eſt modus captandæ benevolentiæ: ſic David adoravit Ionathan I. Reg. cap. XX. verſ. 11. & Abigail Davidem cap. XXV. verſ. 23. & Thecuitis Davidem Lib. II. cap. XIV. verſ. 4. In Hebr. *incurvavit*, a radice שׁחה, paſſim in Scriptura.

V. 21. ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES, hoc eſt rei. Ego ut adultera, Salomon ut filius adulteræ, aut ſpurius.

V. 23. Hic quæſtio eſt, cur Salomon natu minor, Rex, regnique ſucceſſor deſignetur? verum nondum priſcis illis ſæculis, ſive lege, ſive aliter inducta fuit conſuetudo ut maiores natu ſuccederent in regnum. Sed regnum dabat Regis voluntas: præſertim hic ubi Salomonis indoles multa pollicebatur. Immo Roboamus Salomonis filius Ahiam ſucceſſorem elegit, licet putetur habuiſſe natu maiores. Duci iubetur Salomon in Gihon. Adrichomius, pag. 375. ait eſſe montem ſaxoſum qui ab occidente urbem Ieroſolymam ambiens decreſcit ſenſim, & profunda valle ab urbe diſterminatur. Hic unctus Salomon fuit.

V. 38. CERETHI, ET PHELETHI, regii ſtipatores, & ſagittarii; vel certe legiones regiæ, ut ſupra II. Reg. cap. VIII. verſ. 18.

V. 45.

V. 45. INSONUIT. *Turbata eſt civitas,* ἤχησεν ἡ πόλις. Chald. *Commota eſt.*

V. 47. ET ADORAVIT REX IN LECTULO SUO; hoc eſt, e lectulo ſalutat novum Regem, iam præſentem, fauſta illi precatus; ut fieri ſolet paſſim, & dixi verſ. 16. vel adoravit Rex Deum.

V. 50. Hinc, & ex verſ. 52. conſtare videtur Salomonem ab hoc tempore ſimul regnaſſe cum patre, quamvis eius anni chronologici non numerentur niſi poſt mortem patris. Ceterum Davidem depoſuiſſe tunc regni adminiſtrationem non exiſtimo. Abiit Adonias ad excelſum Gabaon ubi erat tabernaculum (nam arca erat in monte Sion) & altare holocauſtorum, II. Paralip. 1. verſ. 3. & tenuit cornu altaris: immunitatis privilegium erat: diſtabat ab urbe leucis fere duabus: non in tribu Davidis, ut aliqui putarunt, ſed Beniamin; aliqui tamen intelligunt altare quod extruxit David, I. Paralip. XXI verſ. 19. & 26.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Annos Davidis habes II. Reg. III. verſ. 4.

V. 8. Putatur iſte Semei pater Ieroboam, qui regnum Iſrael poſtea diviſit.

V. 28. VOCATE. Bethſabee feceſſerat loquente Nathan.

V. 33. DOMINI VESTRI. Loquitur David de ſe in tertia perſona, ac per ſervos intelligit ſtipatores Regis, Cerethi, & Phelethi.

V. 35. VENIET huc in arcem.

V. 39. SADOC. Hic nondum erat ſummus Sacerdos, ſed nec fuit neceſſe ungi Regem a ſummo Sacerdote: unctus enim Saul a Samuele eſt.

CAPUT II.

David datis Salomoni variis præceptis moritur. Adonias petens Abiſag in uxorem, occidi a Salomone iubetur. Abiathar ſacerdotio privatur, & tandem Ioab in tabernaculo interficitur. Semei quoque, quia contra præſcriptum egreſſus eſt Ieruſalem, occiditur.

1. APpropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio ſuo, dicens: 2. Ego ingredior viam univerſæ terræ: *confortare, & eſto vir: 3. *& obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, ut cuſtodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & teſtimonia, (*a*) ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi: ut intelligas univerſa quæ facis, & quocumque te verteris: 4. ut confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me, dicens: * Si cuſtodierint filii tui vias ſuas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael. 5. Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, (*b*) Abner filio Ner, & (*c*) Amaſæ filio Iether: quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem prælii in balteo ſuo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus eius. 6. Facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos. 7. Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua: (*d*) occurrerunt enim mihi quando fugiebam a facie Abſalom fratris tui. 8. (*e*) Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Iemini de Bahurim, qui maledi-

xit

xit mihi maledictione peſſima, quando ibam ad Caſtra: ſed quia deſcendit mihi in occurſum cum tranſirem Iordanem, & iuravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio: 9. tu noli pati eum eſſe innoxium. Vir autem ſapiens es, ut ſcias quæ facies ei, deducesque canos eius cum ſanguine ad inferos. 10. (*f*) Dormivit igitur David cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David. 11. Dies autem quibus regnavit David ſuper Iſrael, quadraginta anni ſunt: in Hebron regnavit ſeptem annis: in Ieruſalem, triginta tribus. 12. Salomon autem ſedit ſuper thronum David patris ſui, & firmatum eſt regnum eius nimis. 13. Et ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificuſne eſt ingreſſus tuus? Qui reſpondit: Pacificus. 14. Additque: Sermo mihi eſt ad te. Cui ait: Loquere. Et ille: 15. Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum, † & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in Regem: ſed translatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei: a Domino enim conſtitutum eſt ei. 16. Nunc ergo petitionem unam precor a te; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere. 17. Et ille ait: Precor ut dicas Salomoni Regi (neque enim negare tibi quidquam poteſt) ut det mihi Abiſag Sunamitidem uxorem. 18. Et ait Bethſabee: Bene, ego loquar pro te Regi. 19. Venit ergo Bethſabee ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia: & ſurrexit Rex in occurſum eius, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. 20. Dixitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te; ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex: Pete mater mea: neque enim fas eſt ut avertam faciem tuam. 21. Quæ ait: Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. 22. Reſponditque Rex Salomon, & dixit matri ſuæ: Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? poſtula ei & regnum: ipſe eſt enim frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotem, & Ioab filium Saruiæ. 23. Iuravit itaque Rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc. 24. Et nunc vivit Dominus qui firmavit me, & collocavit me ſuper ſolium David patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locutus eſt, quia hodie occidetur Adonias. 25. Miſitque Rex Salomon per manum Banaiæ filii Ioiadæ, qui interfecit eum, & mortuus eſt. 26. Abiathar quoque ſacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini Dei coram David patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. 27. Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini, (*g*) ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo. 28. * Venit autem nuntius ad Ioab, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. 29. Nuntiatumque eſt Regi Salomoni, quod fugiſſet Ioab in tabernaculum Domini, & eſſet iuxta altare: miſitque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum. 30. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit Rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, ſed hic moriar. Renuntiavit Banaias Regi ſermonem, dicens: Hæc locutus eſt Ioab, & hæc reſpondit mihi. 31. Dixitque ei Rex: Fac ſicut locutus eſt: & interfice eum, & ſepeli, & amovebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt a Ioab, a me, & a domo patris mei. 32. Et reddet Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius, quia interfecit duos viros iuſtos, melioresque

ſe : & occidit eos gladio , patre meo David ignorante , (*b*) Abner filium Ner principem militiæ Iſrael, & (*i*) Amaſam filium Iether principem exercitus Iuda : 33. & revertetur ſanguis illorum in caput Ioab, & in caput ſeminis eius in ſempiternum. David autem & ſemini eius, & domui & throno illius, ſit pax uſque in æternum a Domino. 34. Aſcendit itaque Banaias filius Ioiadæ , & aggreſſus eum interfecit : ſepultuſque eſt in domo ſua in deſerto. 35. Et conſtituit Rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo ſuper exercitum, & Sadoc ſacerdotem poſuit pro Abiathar. 36. Miſit quoque Rex, & vocavit Semei, dixitque ei : AEdifica tibi domum in Ieruſalem , & habita ibi : & non egredieris inde huc atque illuc . 37. Quacumque autem die egreſſus fueris , & tranſieris torrentem Cedron, ſci. to te interficiendum : ſanguis tuus erit ſuper caput tuum . 38. Dixitque Semei Regi : Bonus ſermo: ſicut locutus eſt dominus meus Rex , ſic faciet ſervus tuus. Habitavit itaque Semei in Ieruſalem diebus multis. 39. Factum eſt autem poſt annos tres, ut fugerent ſervi Semei ad Achis filium Maacha Regem Geth: nuntiatumque eſt Semei , quod ſervi eius eſſent in Geth. 40. Et ſurrexit Semei, & ſtravit aſinum ſuum : ivitque ad Achis in Geth ad requirendum ſervos ſuos , & adduxit eos de Geth. 41. Nuntiatum eſt autem Salomoni, quod eſſet Semei in Geth de Ieruſalem, & rediiſſet. 42. Et mittens vocavit eum , dixitque illi : Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixi tibi: * Quacumque die egreſſus, ieris huc & illuc, ſcito te eſſe moriturum? Et reſpondiſti mihi: Bonus ſermo, quem audivi. 43. Quare ergo non cuſtodiſti iusiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi ? 44. Dixitque Rex ad Semei : Tu noſti omne malum , cuius tibi conſcium eſt cor tuum , quod feciſti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum . 45. Et Rex Salomon benedictus , & thronus David erit ſtabilis coram Domino uſque in ſempiternum. 46. Iuſſit itaque Rex Banaiæ filio Ioiadæ: * qui egreſſus, percuſſit eum , & mortuus eſt .

(*a*) Deuter. xvii. 19. (*b*) II. Reg. iii. 27. (*c*) II. Reg. xx. 10. (*d*) II. Reg. xix. 31. (*e*) II. Reg. xvi. 5. & xix. 19. (*f*) Act. ii. 29. I. Paralip. xxix. 23. (*g*) I. Reg. ii. 31. (*h*) II. Reg. iii. 27. (*i*) II. Reg. xx. 9.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. *Confortare & eſto vir*. Non ſubilicias *fortis* , quod quidam.

V. 3. *Et obſerva cuſtodias Domini Dei tui*, Qui exiſtimarunt *cuſtodias* verbum eſſe , ei & præpoluerunt nomen *mandata*; falſi: nomen eſt enim.

V. 4. *Si cuſtodierint filii tui vias ſuas*. Non eſt mutandum pronomen tertiæ perſonæ *ſuas* in primæ *meas*.

V. 28. *Venit autem nuntius ad Ioab* . Retinendum eſt nomen *Ioab* , non ſubſtituendum *Salomonem* , nec ſubdendum participium *dicens*. Lege Notationes noſtras.

V. 42. *Quacumque die egreſſus , ieris huc & illuc*. Legendum eſt *ieris* , non *fueris* a *ſum*.

V. 46. *Qui egreſſus percuſſit eum*. Pro *egreſſus*, quod eſt poſtquam exiſſet, non eſt ſupponendum *aggreſſus*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 15. *Et me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in Regem*. Quidam legendum ex aliis manuſcriptis putant *propoſuerat* , vocali quinta loco diphtongi *a*.

Notationes.

Verſ. 2. *Ego ingredior viam univerſa terra* : *confortare, & eſto vir fortis* . Sic plurima exemplaria legunt , atque ad eum modum Græcæ Germanorum editiones cum Aldina addunt :

ἰσχύσεις ἢ ἐσῃ εἰς ἄνδρα τέλειον. *Et potens eris, & eris in virum perfectum.* Verum alia non pauca Latinorum exemplarium omittunt *fortis*; Brugenſe, Lobienſe, unum Societatis Ieſu, quatuor Pariſienſium, quinque Hunnæi, multa Hentenii, quædam Beſſarionis tantum habent: *Confortare, & eſto vir*: idque conformiter Hebræo textui, & Græcis exemplaribus Vaticano, ac Regio: conſentiente etiam inter Tractatores Abulenſi Epiſcopo. Non igitur veriſimile eſt ab Interprete additum *fortis*, cum etiam ſententiæ decorem tollat. Itaque Hentenius ex textu ſuſtulit. Videtur alicuius fuiſſe commentarius; quemadmodum & quod Græcis illis exemplaribus additur τέλειος. Chaldæus porro Paraphraſtes addidit: *Et ſis vir peccata timens.*

V. 3. Sequitur in vulgata editione verſ. 3. *Et obſerva cuſtodias Domini Dei tui*: omnino enim ad eum legendum eſt modum: plurima namque noſtræ editionis exemplaria, & Enarratores plerique ſic legunt. Exemplaria Pariſienſium quinque, Hentenii octo, noſtra viginti; Enarratores Toſtatus, Carenſis, Richelius, & ſi introſpiciatur Lyranus. Atque ita Hebraice eſt: וְשָׁמַרְתָּ אֶת־מִשְׁמֶרֶת יְיָ֣ אֱלֹהֶ֑יךָ, & Græce ἢ (*a*) φυλάξῃ τὴν φυλακὴν κυρίου τοῦ θεοῦ σου. Imperitis autem aliquibus nonnihil deſiderari viſum fuit quod *cuſtodias* verbum eſſe exiſtimarent. Itaque quidam ſcripſerunt: *Et obſerva* (*b*) *cuſtodias mandata Domini Dei tui*. Sic enim duo librorum noſtrorum. Alii: *Et obſerva ut* (*c*) *cuſtodias mandata Domini Dei tui*. Sic enim habent ex codicibus noſtris ſex. Quidam fortaſſis explicandi gratia dumtaxat adſcripſerant *mandata*: atque id in textum poſtea relatum eſt. Nam & aliud ſcriptorum noſtrorum habet: *Et obſerva cuſtodias cæremonias & mandata Domini Dei tui*. Aliud rurſus: *Et obſerva mandata & cuſtodias Domini Dei tui*. Sic & Chaldæus expoſuit: Et cuſtodias *cuſtodiam verbi Domini Dei tui*.

V. 28. *Et venit fama uſque ad Ioab, quia Ioab declinaverat poſt Adoniam, & poſt Abſolonem non declinaverat; & fugit.* Ita codices Hebræi, Chaldæique legunt. Ab his Græci, & Latini libri diſſentiunt. Græci ſcribunt: *Et fama venit uſque ad Ioab filium Sarviæ, quia Ioab erat inclinatus poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaverat; & fugit.* Latini autem omnes propemodum habent: *Venit autem*, vel *ergo*, *nuntius ad Salomonem, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet: fugit ergo*. In hac librorum diverſitate quid potius ſequendum ſit quæſtio eſt non contemnenda.

Alphonſus Toſtatus, quod alias raro, Hieronymum Interpretem hoc loco arguit, quod Hebraicam litteram non recte mutaverit; quod pro *Ioab*, & pro *Abſolom* Salomonem ſcripſerit. Quomodo enim nuntius ad Salomonem venit, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet, cum id notorium eſſet, & Salomonem minime lateret? & quæ cauſa fuit fugæ Ioab, quod ad Salomonem nuntius veneriſ? „Non accuſamus“, inquit, „nec exeu„ſamus Hieronymum, ſed illi patenter He„braicam veritatem præferimus. Patiatur „eam quam aliis tulit legem: non mirum „ſi quandoque erret, cum Interpres, non „Propheta ſit.“ Senſum autem Hebraicæ lectionis dat percommodum: Pervenit ad Ioab fama interfecti Adoniæ, & erecti Abiathar: & quia ipſe Ioab qui initio Abſalonem ſibi eximie dilectum ſecutus non fuerat, Adoniæ partes in maius Salomonis præiudicium ſecutus erat, ideo timens fugit.

Porro in marginali ſpatio commentariorum Toſtati annotatum eſt, errorem illum non Interpreti, ſed ſcriptoribus tribuendum: „Creditur quod Hieronymus bene tranſtu„lit, & in littera tam clara non erraret; „tamen corrupta eſt littera vitio ſcripto„rum ſeu ſtamparorum, quod genus homi„num ignorantiſſimum eſt, potius lucro „quam ſcripturæ veritati advertens.“ Ita ibi notatur, neque hoc a vero alienum eſt. Fit enim non parum probabile iudicaſſe ſcriptores, aut lectores aliquos ipſi Ioab ſuam latis notam fuiſſe perfidiam; itaque non Ioab, ſed Salomoni nuntiatum, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, atque ideo Ioab cum Salomonis nomine commutaſſe. Deinde quia Abſolonis hiſtoria huc nihil ſpectare videbatur, præſertim cum laudandus ſit Ioab, quod poſt Abſolonem non declinaverit; arguendus autem quod poſt Salomonem non declinaverit: etiam Abſolonis nomen in Salomonis mutandum cenſuerunt. Et quidem poſterioris huius corruptelæ in manuſcriptis ſigna non reperi, niſi forte quod manuſcriptorum noſtrorum duo, pro *& poſt Salomonem*, legant *& poſt ſe* (quæ cur ſit facta mutatio, an ut convenientior eſſet oratio, quamquam parum conveniat pronomen reciprocum; an ut Abſolonis nomen quod Salomonis nomini non abſimile eſt certius excluderetur: an utramque ob cauſam diſpici poteſt.) Prioris autem non parva animadverſa ſunt. Sunt enim quibus legatur: *Venit autem nuntius ad Ioab, quod*. Sic exemplar *S.* Germani parvum, ſic antiqua exemplaria, quæ Ordinariæ Gloſſæ margo commemorat, ſic Auctor Hebraicarum quæſtionum. Cardinalis Beſſarionis exemplar habet: *Venit autem nuntius ad Ioab eo quod*. Sed prius aliter habuit *Salomonem* haud dubie: poſtea vero priori eraſo ſcri-

ſcriptum eſt *Ioab eo*, atque in margine notatum a Beſsarione, ut videtur, recte eſt. Eſt autem hæc exemplarium iſtorum lectio Græcorum codicum lectioni conformis. Nam & illi priori loco *Ioab* poſteriori *Salomonem* ſcribunt. Atque huius lectionis ſenſum Hebraicarum quæſtionum Auctor dat: „ Venit „ ad Ioab fama quod in domo Salomonis di„ ceretur illum ſecutum non fuiſſe Salo„ monem, ſed declinaſſe poſt Adoniam: ut „ ſcilicet antequam Adonias affectaſſet re„ gnum, Salomonem non dilexiſſe, nec ei „ faviſſe, ſed ab eo declinaſſe diceretur, quod „ totum rei probavit eventus. “ Fortaſſis autem non minus eſt rectus ſenſus, quem Beſsarionis exemplar indicat: Perlatum eſt nuntium Ioab de morte Adoniæ, & electione Abiathar, eo quod & ipſe Adoniam, non Salomonem ſecutus fuiſſet. Fugit ergo, &c. In hunc fere modum Joſephus narrat: „ Ioab „ autem princeps militiæ peremtum audiens „ Adoniam valde perterritus eſt; erat enim „ eius amicus potius quam Salomonis Re„ gis: & periculum ex hoc propter illius favorem „ non irrationabiliter ſuſpicatus, fugit &c.“

Qui communem Latinorum codicum lectionem ſequuntur Hugo Carenſis, & Dionyſius Richelius: nuntiatum dicunt Salomoni Ioab etiam poſt inaugurationem Salomonis, Adoniæ partibus voluiſſe, & conſilium de petenda ducendaque in uxorem Abiſag Sunamitide ſuggeſſiſſe, ideoque Ioab, cum id Salomonem reſciſſe audiret, ad tabernaculum Domini fugiſſe. Atque ad hunc modum has diſcuſſiſſe varietates ſufficiat nobis: iudicium relinquimus aliis.

Verum quod quidam Latini codices addunt, *Dicens* (*Dicens quod Ioab declinaſſet*) textui ſuperfluit: commentarius eſt, & quidem non omni ex parte probandus. *Nuntius* enim hoc loco non pro eo qui nuntiat, ſed pro eo quod nuntiatur accipi debet. Nam & Hebraice eſt שִׁמְעָה, & Græce ἀκοή.

(*a*) Gg. φυλάττεις.
(*b*) I. Ms. *cuſtodiens*.
(*c*) IV. Ms. *cuſtodi.ni*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. TERRAE, id eſt hominum. *Verſ.* 3. CUSTODIAS; id eſt, quod præcepit cuſtodiri. CAEREMONIAS. Hebr. *decreta*, ſeu *ſtatuta*. INTELLIGAS. Hebr. *Prudenter agas*. Chald. *Proſperes*, ſeu *proſpere agas*.

V. 4. VIAS SUAS; quaſi dicat mores ſuos.

V. 5. BELLI, id eſt more belli, vel quaſi eſſet hoſtis in bello. BALTEO, id eſt gladio alligato balteo. CALCEAMENTO; quaſi dicat: Ita ut mortui corruerint ad pedes eius.

V. 6. PACIFICE, id eſt impune, ſeu abſque punitione. INFEROS, id eſt ſepulcrum.

V. 9. INNOXIUM, id eſt impunitum. SANGUINE, id eſt cæde.

V. 16. CONFUNDAS, id eſt pudefacias, ſcilicet negando. Hebr. *Avertere facias*, ſcilicet præ pudore. LXX. *Avertas faciem tuam*.

V. 17. NEQUE ENIM NEGARE TIBI QUIDQUAM POTEST. Hebr. & Chald. *Non enim faciet averti faciem tuam*.

V. 20. CONFUNDAS. Hebr. & Chald. *Avertas*, ſeu *avertere facias*. FAS EST UT. Addita hæc ab Interprete.

V. 22. ET REGNUM; quaſi dicat: Hac via regnum affectat.

V. 23. ADDAT, ſcilicet ſi non illum interfecero. Iurandi modus apud Hebræos; quaſi dicat: Male mihi faciat Dominus, niſi, &c.

V. 24. DOMUM, id eſt familiam.

V. 26. MORTIS, id eſt morte dignus. DOMINI DEI. Hebr. *Adonai Iehova*, id eſt *Domini Domini*; ſed recte vertit Interpres: *Iehova* enim nomen proprium veri Dei. LABOREM. Hebr. & Chald. *afflictionem*. LABORAVIT. Hebr. & Chald. *Afflictus eſt*.

V. 27. EIECIT. Ita impletum quod Deus fuerat minatus Heli, I. Reg. II.

V. 28. NUNTIUS, ſcilicet de morte Adoniæ. Hebr. & Chald. *Venit fama ad Ioab, qui ſecutus fuerat Adoniam, quamquam Abſalonem ſecutus non fuerat*. POST SALOMONEM. Sic etiam LXX. At Heb. & Chald. *Abſalonem*, ut dixi proxime.

V. 31. SANGUINEM, id eſt culpam effuſi ſanguinis.

V. 33. PAX, id eſt proſperitas.

V. 37. CAPUT TUUM, id eſt te;

quasi dicat, Occideris: vel tibi causa mortis eris.

V. 42. TESTIFICATUS SUM. Hebr. *iuravi*, seu *adiuravi*; id est, te feci iurare. PER DOMINUM, scilicet iurans, vel cogens iurare.

V. 45. BENEDICTUS, scilicet sit, vel erit a Domino. ERIT. Alii, *Sit*.

ESTII.

Vers. 23. HAEc FACIAT MIHI DEUS, ET HAEC ADDAT, QUONIAM CONTRA ANIMAM SUAM LOCUTUS EST ADONIAS VERBUM HOC. Execratio est, qua sibi gravissima mala precatur Salomon, & proinde subintelligenda est certa conditio. Potest autem ea duobus modis explicari. Uno modo, ut sit sensus: Maximis malis afficiat me Deus, si non Adonias hoc locutus est contra animam suam. Altero modo, quasi dicat: Si non vindicem in Adoniam, quia contra animam suam hoc locutus est. Ceterum quod dicit Adoniam contra animam suam locutum esse, nequaquam intelligendum est, contra voluntatem suam, quia revera hoc Adonias petebat; neque etiam contra conscientiam suam, quia Adonias hac via ad regnum adhuc aspirabat, quod sibi putabat deberi. Sed sensus est: *Contra animam suam*; id est, contra salutem suam. Anima enim vitam & salutem frequenter significat; quasi dicat: Hoc Adonias petivit in suam ipsius perniciem; quia propter illam petitionem interficietur.

V. 27. EIECIT ERGO SALOMON ABIATHAR, UT NON ESSET SACERDOS DOMINI, UT IMPLERETUR SERMO DOMINI, QUEM LOCUTUS EST SUPER DOMUM HELI: quin additur vers. 35. ET SADOC SACERDOTEM POSUIT PRO ABIATHAR. Non est existimandum, quod Salomon regia potestate constituerit, aut constituere potuerit summum sacerdotem, etiam posito quod aliquem sumeret ex posteris Aaron (id enim numquam Reges, quantumvis mali, in sacris litteris sibi arrogasse leguntur.) Sed dum Salomon utitur regia potestate in eiiciendo seu proscribendo Abiathar, propter crimen laesae maiestatis, factum est ex consequenti, ut Abiathar non potuerit amplius fungi sacerdotio, quo fungi non licebat extra templum; quod erat Ierosolymis. Et hac ratione factum est ut impleretur quod dictum erat de domo Heli I. Reg. II. Et quia Sadoc iure erat proximus, immo iure prior, quia de posteritate Phinees, ut patet I. Paralip. VI. hinc, amoto propter crimen Abiathar, Sadoc iure successit, & dicitur Rex eum posuisse, quia ius ei restituit, seu potius iure suo illum uti ordinavit. Etenim quod Salomonis intentio non fuerit Abiathar privare iure sacerdotii, si quod habebat, intelligi potest ex eo quod etiam postea adhuc cap. IV. Sadoc & Abiathar iunctim nominantur sacerdotes tempore regni Salomonis, sicut nominati fuerant tempore regni Davidici, II. Reg. XX. & alibi. Vide etiam de his I. Paralip. VI.

V. 28. VENIT AUTEM NUNTIUS AD IOAB, QUOD IOAB DECLINASSET POST ADONIAM, ET POST SALOMONEM NON DECLINASSET. Ita legendum censuerunt Biblia Sixtina nuper edita. Erat huius loci pridem varia lectio, de qua prolixe Franciscus Lucas, & inter cetera haec: *Et venit fama usque ad Ioab, quia Ioab declinaverat post Adoniam, & post Absalonem non declinaverat, & fugit. Ita codices Hebraei, Chaldaeique legunt.* (Nota *post Absalonem*, ubi nos habemus *post Salomonem*.) Et pergit idem auctor: *Ab his*, inquit, *Graeci, & Latini libri dissentiunt. Graeci scribunt: Et fama venit ad Ioab filium Saruiae, quia Ioab erat inclinatus post Adoniam, & post Salomonem non declinaverat, & fugit. Latini autem omnes propemodum habent: Venit autem nuntius ad Salomonem, quod Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset.* Et nonnullis interiectis: *Sensum Hebraicae lectionis percommodum dat Tostatus; Pervenit ad Ioab fama interfecti Adoniae, & electi Abiathar: & quia ipse Ioab, qui initio Absalonem sibi eximie dilectum secutus non fuerat, Adoniae tamen partes in maius Salomonis praeiudicium, secutus fuerat, idcirco timens fugit.* Ac tandem Franciscus Lucas concludens, *Qui*, inquit, *communem Latinorum codicum lectionem sequuntur, Hugo Cavensis, & Dionysius Richelius, nuntiatum dicunt Salomoni, Ioab etiam post inaugurationem Salomonis, Adoniae partibus favisse, & consilium de petenda, ducendaque in uxorem Abisag Sunamitide suggessisse: ideo-*

quo

que Ioab, cum id Salomonem refciſſe audiret, ad tabernaculum Domini fugiſſe. Hactenus quæ ſunt apud dictum auctorem præcipua: ex quibus difficile non erit commodum ſenſum lectionis Sixtinæ eruere, ut quæ cum Hebræa, & Græca in priori parte conveniat, & poſterior pars difficultatem non habeat: ſitque illa non ſolum correctionis Sixtinæ, ſed ſemper in ea parte tam Græci quam Latini ita legerint.

MARIANAE.

Verſ. 2. ESTO VIR, ſcilicet magnus: id ſignificat *ויהי is*: ſic David ad Salomonem.

V. 3. OBSERVA CUSTODIAS. Heb. *Cuſtodi cuſtodiam*, ſcilicet quæ Deus cuſtodire iuſſit. UT INTELLIGAS UNIVERSA QUAE FACIS; id eſt, *ut proſpere cadant*: ſic Hebræus. Magnum ad felicitatem momentum cognitio. Chald. *Ut proſpera reddas omnia quæ facis*. Deus dixit mihi: Si filii tui cuſtodierint.

V. 4. VIAS SUAS, non meas: ſcilicet mores ſuos, opera ſua cuſtodierint filii tui, o David. Quid Ioab?

V. 5. QUAE FECERIT MIHI, id eſt contra me, me invito, noſti. SANGUINEM BELLI IN PACE: ſcilicet pace facta fudit ſanguinem, non ſecus ac ſi bellum eſſet. CRUOREM PRAELII IN BALTEO. Alludit ad id quod eſt dictum Lib. II. Reg. cap. xx. verſ. 8. ſupra ſagum cinxiſſe gladium præter morem, nam alii infra ſagum geſtabant, idque fecit ad maiorem utendi facilitatem. ET IN CALCEAMENTO SUO. Quoniam mortui ad pedes decidit cruor.

V. 6. NON DEDUCES CANITIEM EIUS PACIFICE AD INFEROS. Sic Sept. Verum Hebraica vox *ſeol* hoc loco potius ſignificat *ſepulcrum*; quaſi dicat: Non ſines eum ex morbo aut ſenio interire morte naturali. Filiis Berzellai reddes gratiam:

V. 7. OCCURRERUNT ENIM MIHI. Hebr. *Acceſſerunt ad me*, id eſt meas partes ſunt ſecuti. Chald. *Præbuerunt mihi neceſſaria*. Habes

V. 8. APUD TE SEMEI. Hebr. *tecum*; quaſi dicat: Icroſolymæ eſt, non erit opus ut eum procul quæras. Maledixit mihi MALEDICTIONE PESSIMA. Heb. *vehementi, rigida*, ſcilicet verbis & opere: QUANDO IBAM AD CASTRA. Hebr. *Mahanaim*. Loci nomen. SED QUIA DESCENDIT. Hebr. *Et ipſe deſcendit obviam mihi*: ſic in Vulgata oratio manet imperfecta, niſi expungatur coniunctio & quæ ſequitur illis verbis, *Et iuravi*; quæ tamen Hebr. eſt, & nihilominus oratio perfecta manet, ſic: *Et ipſe deſcendit obviam mihi, & iuravi ei, Non te interficiam gladio*. Vox *quia* videtur redundare, nec eſt in Sept. aut Chald.

V. 9. NOLI PATI EUM ESSE INNOXIUM, id eſt impunitum. DEDUCESQUE CUM SANGUINE AD INFEROS; ad ſepulcrum, id eſt effuſo ſanguine, non ut alii homines moriuntur. Salomon matri de Adonia:

V. 22. ET HABET ABIATHAR. Hebr. *Et ei, & Abiathar ſacerdoti, & Ioab* (ſocii eius) ſcilicet pete regnum: ſic Hieronymus in Tradit. Si Abiſag datur illi, quæ Regina fuit, populus putabit eum Regem eſſe. Vivit Deus qui

V. 24. FECIT MIHI DOMUM, id eſt dedit mihi regnum, quia occidetur. Et occiſus eſt

V. 25. PER MANUM BANAIAE; id eſt, eo miniſtro occidit Salomon Adoniam: Quid ad Abiathar?

V. 26. VADE IN ANATHOTH. Eius erat patria. Vides eiectum a ſacerdotio qui erat ex Heli poſteritate, manſitque penes Sadoc, qui erat e poſteris Eleazari. TE NON INTERFICIAM, QUIA PORTASTI ARCAM DOMINI DEI. Hebr. *Adonai Iehovi*. Nomen tetragrammaton profertur per *Adonai* frequentius, ſicque *Adonai* puncta illi adiunguntur: quando autem præcedit nomen ipſum *Adonai*, nomen tetragrammaton aſſumit puncta nominis *Elohim*, ut hic fit, & illud loco eius proferatur. Ita Hebraice legito: *Adonai Elohim*. Amovetur Abiathar,

V. 27. UT NON ESSET SACERDOS, ſcilicet magnus: ſic Hebræus. Sed fortaſſis iam ante Princeps ſacerdotum tantum erat, non ſummus Sacerdos. Id illi auferetur.

V. 28. VENIT AUTEM NUNTIUS AD IOAB, non ad Salomonem. Hebr. *Fama*: ſic Sept. & Chald. *Venit ergo fama*, ſcilicet eorum quæ facta erant, ad Ioab, & timuit, quod Ioab declinaſſet, & quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quæ sequuntur. POST SALOMONEM DECLINASSET. Chald. *Post Absalom non inclinavit*: sic Hebr. quasi dicat: Initio fidelis fuit, neque Absalonem est secutus, postea defecit. Sept. & Hieronymus *post Salomonem* dixerunt; quasi dicat: Causa timendi fuit quod in eo diffidio Adoniam est secutus, non Salomonem. Hebr. sic: *Quia Ioab declinavit post Adoniam, & post Absalom non declinavit*; pro, quamvis post Absalom non declinasset.

V. 31. SEPELI: scilicet Ioab supplicii ea moderatio est, quoniam Princeps erat. AMOVEBIS SANGUINEM INNOCENTEM QUI EFFUSUS EST A IOAB. Vindicta fontium placatur Deus, dissimulatione irritatur.

V. 34. ASCENDIT ITAQUE BANAIAS: quia tabernaculum in sublimi loco erat, ubi Ioab occidit. Quid Semei?

V. 37. QUACUMQUE AUTEM DIE EGRESSUS FUERIS TRANS TORRENTEM CEDRON, id est *obscuritatis* (sic vocatur a densitate arborum & opacitate) occideris. Salomonis verba ad Semei. Egressus est Semei. Ad eum Salomon:

V. 42. NONNE TESTIFICATUS: UM TIBI, o Semei? Hebr. *Nonne adiuravi te in Domino* (id est, feci ut iurares mihi, per Dominum) *& testificatus sum tibi*? id est coram testibus denuntiavi, ne posses negare: scilicet ne ex urbe exires. Sic Sept. & Chald.

V. 46. QUI EGRESSUS. Banaias scilicet ad iudicii suppliciique locum. PERCUSSIT EUM. Hebr. *Irruit in eum*, per ministros scilicet: nam Banaias ipse non fuit carnifex.

MALVENDAE.

Vers. 1. APPROPINQUAVERUNT AUTEM DIES DAVID UT MORERETUR. Quidam reddunt: *Cumque prope essent dies Davidis, ut moreretur*, &c. Vide quæ annotavimus in II. Samuel. XXIII. vers. 1.

V. 2. ECCE EGO INGREDIOR VIAM UNIVERSAE TERRAE. Aliqui reddunt: *Ecce ego decessurus sum brevi consuetudine totius terræ*; id est, brevi moriturus, ut ceteri homines. CONFORTARE. Hebr. *Et confortaberis, fortis, robustus eris, confirmaberis*. ET ESTO VIR. Hebr. *Et eris in virum*; id est, vir futurus es: vel præsta te virum, quamvis ætate adolescens. I. Paralipom. XXVIII. vers. 20. & cap. XXIX. 1. & II. Samuel. VII. 12. & seqq.

V. 3. UT INTELLIGAS UNIVERSA QUAE FACIS. Hebr. *Ad correspondentiam intelligere facies* omne quod facies. De significato verbi שכל *sachal*, cum Schin sinistro, plenius egimus in Gen. III. vers. 6. Varie hic transferunt: 1. *Ut prudenter agas quæcumque aggrederis*: 2. *Ut feliciter transigas omnia quæcumque feceris*: 3. *Ut prospera reddas quæcumque feceris*: 4. *Ut gnaviter, industrie agas, omnia quæ feceris*. 5. *Ut secundes quidquid feceris*. Volunt eodem sensu dictum, quo Exod. XX. vers. 12. ad correspondentiam prolongabunt dies tuos, &c.

V. 4. IN VERITATE. Hebr. *in fide*. Quidam, *bona fide*, id est integre, sincere, sine hypocrisi: sequentibus se exponit. NON AUFERETUR TIBI VIR DE SOLIO ISRAEL. Hebr. *Non excindetur tibi vir a solio Israelis*; id est, semper erit aliquis tibi successor: numquam deficient reges Israelis e semine tuo. Sic infra cap. VIII. vers. 25.

V. 5. QUAE FECERIT MIHI IOAB; dum perfide interfecit illos, quos ego in fidem meam receperam. ET EFFUDIT SANGUINEM BELLI IN PACE. Hebr. *Et posuit sanguines belli in pace*. Quidam: *Sanguinem bellicum fundens in pace*; id est, quos interfecit in pace, hoc est incautos, & dum nihil tale suspicarentur: & cædem eorum non minus sibi licitam reputavit, quam si interfecisset eos in ipso prælio. Alii: *Designant cædem bellicam in pace*; id est, patrans eiusmodi cædem pacis tempore, quæ tantum temporibus belli convenit. ET POSUIT CRUOREM PRAELII IN BALTEO SUO. Quidam reddunt: *Et reposuit sanguines belli*, id est *sanguinem bellicæ cædis, in zona sua*, &c. id est, cruentatum ensem in vaginam reposuit, quem lateri ad balteum, seu zonam accinxit. Sed non est dubium, quin cum Ioab duos illos fortissimos imperatores dolo occidit, sanguis eorum ad cingulum usque Ioabi emicuerit. ET IN CALCEAMENTO SUO, QUOD ERAT IN PEDIBUS EIUS. Quidam exponunt: Id est, occidit eos in ipso loco, ita ut corruerint mortui ad pedes eius. Alii: Et cruen-

cruentatis pedibus occiſorum ſanguine, ambulavit, neque eo nomine magis affectus eſt, quam ſi nihil commiſiſſet.

V. 6. IUXTA SAPIENTIAM TUAM, vel pro tua ſapientia. Explicant: Id eſt, tempus & rationem faciendi ſapienter obſervans; quaſi dicat: Homo eſt novarum cupidus, invidus, malignus, ambitioſus, non diu quieſcet, quin tibi iuſtam occaſionem in ſe animadvertendi præbeat. ET NON DEDUCES CANITIEM EIUS PACIFICE AD INFEROS. Quidam reddunt: *Ne ergo ſinito deſcendere canitiem eius cum pace in ſepulcrum*; id eſt, ne ſinito eum ſenio confectum naturali morte interire. Sic infra verſ. 9.

V. 7. OCCURRERUNT ENIM MIHI, &c. Hebr. *Quia ſic appropinquaverunt, acceſſerunt, ad me*. Quidam exponunt: *Sic*, id eſt pari benignitate, & gratia; hoc eſt, cum amplis muneribus & commeatu. Alii: *Quia ſimiliter appropinquaverunt ad me*; id eſt, appropinquantes idem officium exhibuerunt mihi, II. Samuel. XVII. verſ. 27. 28. 29. Vide etiam II. Samuel. XIX. verſ. 31. & ſequentibus: vel illud *ſic*, aut *ſimiliter*, accipiendum, Sic ſimiliter ut pater eorum.

V. 8. HABES QUOQUE APUD TE SEMEI. Hebr. *Et ecce tecum Simghi*. Quidam: *Denique ecce apud te Simghi*, &c. eſto; id eſt, ne ſinito eum vagari; ſed certum ei locum circumſcribito, quo ſe contineat, ne quid cum ſuis Beniaminitis moliatur, apud quos gratia & auctoritate valet: ut apparet II. Samuel. XIX. verſ. 17. & ſequentibus. Vide hiſtoriam Semei II. Samuel. XVI. verſ. 5. & ſequentibus. MALEDICTIONE PESSIMA. Participium נמרצת *nimretzeth* omnia iſta complectitur, *Maledictione diſrupta, violenta, vehementi, forti, robuſta, acerrima, roborata, valida, acerbiſſima*. Hiſpanice eleganter, *Deshecha*.

V. 9. NOLI PATI EUM ESSE INNOXIUM. Verbum נקה *nikah* ex Pihel, varie reddunt: 1. *Non innocentabis eum*: 2. *Non inſontabis eum*: 3. *Non abſolves eum*: 4. *Non vacare facies eum*, pœna: 5. *Ne innocentem dimittas eum*: 6. *Ne ſinas eum impunitum*: 7. *Ne illi ſinas hoc impune abire*: 8. *Eum ſontem ne abſolvito*. Vide verbi notionem expoſitam Exod. XXXIV. verſ. 7.

V. 11. QUADRADINTA ANNI SUNT, &c. De annis regni Davidis, vide II. Samuel. cap. v. verſ. 4. & 5.

V. 12. SALOMON AUTEM SEDIT, &c. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Cum itaque Selomoh ſederet in ſolio Davidis patris ſui, & confirmaretur regnum eius valde: venit Adoniiahu*, &c. quaſi dicat: Quando Adoniias acceſſit ad matrem Salomonis poſtulaturus in uxorem Abiſagham, iam tum regnum Salomonis maxima incrementa, & ſtabilitatem ceperat. Id videtur adieciſſe auctor ad ſugillandam temeritatem & audaciam Adoniiæ, qui confirmato iam regno Salomonis, aulus eſt nova regni invadendi conſilia agitare. Vide infra verſ. 22.

V. 13. PACIFICUSNE EST INGRESSUS TUUS? Hebr. *Num pax in venire tuo?* Quidam: *An pacis eſt advenire tuum?* vel, *An cum pace advenis?*

V. 14. SERMO MIHI EST AD TE. Hebr. *Verbum mihi eſt ad te*; id eſt, aliquid mihi eſt dicendum tibi: vel negotium mihi tecum eſt.

V. 15. A DOMINO ENIM CONSTITUTUM EST EI. Hebr. *Quia a Iehovah fuit ei*. Quidam: *Eo quod a Iehova eius ſit*: ut dicitur I. Paralip. XXII. verſ. 9. & cap. XXVIII. verſ. 5.

V. 16. NE CONFUNDAS FACIEM MEAM. Heb. *Non reverti faciem faciem meam*; id eſt, ne facias ut averſam faciem meam præ pudore & verecundia. Quidam: *Ne avertito faciem meam*; id eſt, ne recuſes, ne repellas, ne abiicias me, ne dimittas me vacuam, ne patiar abs te repulſam. Synecdoche. Sic infra verſ. 17. 20.

V. 22. POSTULA EI ET REGNUM. Exponunt: Si Abiſagham petis, eadem opera regnum transfer: nam hic ſcopus eius eſt. Eodem Achithophelis conſilium ſpectabat, cum Abſalomum induxit ut rem haberet cum concubinis patris ſui, II. Samuel. XVI. verſ. 21. Videtur Adoniiahu, & formæ ſuæ, qua alioqui gratioſus erat in populo, & prærogativæ ætatis, qua maior erat, nunc adiungere voluiſſe gratiam uxoris, regiæ puellæ, quo magis ad ſe animos totius populi traheret. Hebræi tradunt, nemini licuiſſe tangere mulierem quæ cum Rege concubuiſſet, niſi Rex eſſet; quaſi dicat: Si daretur illi Abiſagh, omnes intelligerent, ad eum pertinere regnum. ET HABET ABIATHAR

THAR SACERDOTEM, ET IOAB FILIUM SARUIAE. Hebr. ſunt dativi: *Et ei, & Ebiathari ſacerdoti, & Ioabo filio Tzeruiah*. Exponunt: Et illi eſt conſilium, & Abiathari ſacerdoti, & Ioabo filio Saruiæ; id eſt, communicat ſua conſilia cum Ebiathare, & cum Ioabo, de invadendo regno: omnia facit eorum conſilio. Alii: Pete, inquam, illi regnum, & Ebiathari ſacerdoti, & Ioabo filio Saruiæ, quorum ſcilicet conſilio nititur invadere regnum; quaſi dicat: Omnibus his tribus petis regnum. Nonnulli reddunt: *Et illius, & Ebiatharis ſacerdotis, & Ioabi filii Tſeruiæ petitio eſt*; id eſt, hoc non ipſe ſolus commentus eſt, ſed Ebiatharis & Ioabi conjuratorum uſus eſt conſilio.

V. 23. HAEC FACIAT MIHI DEUS, ET HAEC ADDAT. Hebr. *Sic faciet mihi Deus, & ſic addet*. Vide hanc locutionem expoſitam Ruth 1. verſ. 17.

V. 24. SICUT LOCUTUS EST, II. Samuel. VII. verſ. 12. & ſequentibus.

V. 26. ABIATHAR QUOQUE SACERDOTI DIXIT REX. De hoc Abiathare ſacerdote vide I. Samuel. XXI. verſ. 1. IN ANATHOTH. De hac urbe vide Joſue XXI. verſ. 18 erat in tribu Beniamin, ſacerdotibus attributa. ET SUSTINUISTI LABOREM IN OMNIBUS, IN QUIBUS LABORAVIT PATER MEUS. Hebr. *Et quia affligere feciſti te in omnibus, quibus affligere fecit ſe pater meus*. Verbum עני *ghanah* utroque loco ponitur in formula Hithpahel, & ingentes afflictiones, oppreſſiones, ærumnas, ac continuas indicat. Fuit Abiathar comes laborum & perſecutionum Davidis, ex quo exciſa eſt domus paterna eius a Saule, I. Samuel. XXII. verſ. 20.

V. 27. UT IMPLERETUR SERMO DOMINI. Hebr. per infinitivum: *Ad implendum verbum Iehovæh*. Quidam: *Ut impleret verbum Iehovæ*; id eſt, ut Iehova impleret verbum ſuum. Nomen pro ſe, & pro relativo. Sic Geneſ. IX. verſ. 6. QUEM LOCUTUS EST SUPER DOMUM HELI IN SILO. Vide I. Samuel. II. verſ. 33. & 36.

V. 28. QUOD IOAB DECLINASSET POST ADONIAM, ET POST SALOMONEM NON DECLINASSET. Heb. *Quia Ioab declinavit poſt Adoniam, & poſt Abſalomum non declinavit*. Quidam volunt hoc additum ad indicandum Ioabum, non amore in Adoniiam, ſed odio Salomonis partes Adoniiæ ſuſcepiſſe fovendas, cum partes Abſalomi, quem unice amabat, non fuerit ſecutus. Alii reddunt: *Ioab enim declinavit poſt Adoniiam, quamvis poſt Abſalomum non declinaſſet*; quaſi dicat: Qui antea fuit fidelis, poſtea defecit. FUGIT ERGO IOAB IN TABERNACULUM DOMINI: nimirum quaſi ad aſylum, ut Adoniiah ſupra cap. I. verſ. 50. Vid. Exod. XXI. verſ. 13.

V. 29. ET ESSET IUXTA ALTARE. Plerique Hebr. vertunt: *Et ecce eſt prope, iuxta, apud altare*: alii, *pone aram*. Ex verbo: *Et ecce ſepoſitio, reſervatio, altaris*: vel *ecce reſervationem altaris*; quaſi dicat: Et ecce altare eſt locus reſervatus, immunis, aſylum. De altari apud Gabaonem intellige. Vide ſupra cap. I. verſ. 50.

V. 31. FAC SICUT LOCUTUS EST, nimirum ex expreſſa lege Dei, Exod. XXI. verſ. 14. ET AMOVEBIS SANGUINEM INNOCENTEM, QUI EFFUSUS EST A IOAB, &c. Hebr. *Et recedere facies ſanguines gratis, quos effudit Ioab*. Traiectio: ſanguines, quos gratis, & ſine cauſa effudit Ioab. Quidam reddunt: *Ut amoveas culpam ſanguinis immeriti, quem effudit Ioab*. Alii: *Ut auferas ſanguinem gratis*; id eſt, cædem gratis, temere, & ſine cauſa factam; ſive cædem immeritam, hominis innocentis, hoc eſt culpam, ſive crimen, aut reatum cædis immeritæ; quaſi dicat: Liberabis me, & poſteros meos culpa cædis perpetratæ: efficies ne poſthac imputetur mihi, aut patri meo cædes horum duorum ducum.

V. 32. ET REDDET DOMINUS SANGUINEM EIUS SUPER CAPUT EIUS. Hebr. *Et reverti faciet*, vel *redire faciet Iehovah ſanguinem eius ſuper caput eius*. Quidam: *Reddetque Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius*; id eſt, peribit ob cædem a ſe factam. Alii: *Et retorquebit Iehovah ſanguinem eius*, id eſt quem ipſe effudit, *in caput eius*.

Sanguinis effuſi pœnas in ſanguine ſolvet.

Sic infra verſ. 44.

V. 33. ET REVERTETUR SANGUIS ILLORUM IN CAPUT IOAB; id eſt, Ioab capite ſuo luet pœnam cædis duorum illorum ducum. ET IN CAPUT SEMINIS

MINIS EIUS USQUE IN SEMPITERNUM. Vide hanc pœnam latius explicatam II. Samuel. III. verſ. 29. SIT PAX, id eſt ſecuritas, integritas, incolumitas, proſperitas, felicitas.

V. 37. TORRENTEM CEDRON: de quo vide II. Samuel. XV. verſ. 23. Aliqui reddunt, *Convallem Kidron*. SANGUIS TUUS ERIT SUPER CAPUT TUUM. Exponunt: *Caput tuum ſanguine tuo fœdabitur, & intingetur*. Rectius alii: *Cædes tua erit in capite tuo*; id eſt, capite lues: vel tu tibi eris cauſa necis tuæ: tibi tua cædes imputabitur.

V. 38. DIXITQUE SEMEI REGI, adhibito iureiurando, ut apparet infra verſ. 42. & 43.

V. 42. BONUS SERMO, QUEM AUDIVI. Hebr. *Bonum verbum audivi*. Quidam explicant: Bonum eſt verbum quod locutus es: audivi illud, percepi, intelleXi probe quæ dixiſti. Aliqui: *Bene habet res, audivi*. Alii: *Bona eſt hæc res quam audio*.

V. 46. CONFIRMATUM EST IGITUR REGNUM IN MANU SALOMONIS. Sublatis nimirum rerum innovatoribus.

MENOCHII.

Verſ. 2. INGREDIOR VIAM UNIVERSAE TERRAE: in terram revertor de qua formatus ſum. CONFORTARE, ET ESTO VIR; quaſi dicat: Me ſuperſtite adoleſcentem agere tibi licuit; nunc vero quando mortuus fuero, virum te præſtes neceſſe eſt, fortitudine ſcilicet, ſapientia, & rerum gerendarum peritia.

V. 3. OBSERVA CUSTODIAS DOMINI. *Cuſtodias* vocat ea quæ Dominus cuſtodiri vult, & ſervari, hoc eſt mandata divina. CAEREMONIAS, præcepta cæremonialia. PRAECEPTA EIUS, moralia. IUDICIA, præcepta iudicialia. TESTIMONIA, pacta, & leges a Domino præſcriptas. INTELLIGAS UNIVERSA QUAE FACIS. Hebr. habetur, *Ut prudenter agas*. Chald. *Ut proſpere tibi omnia ſuccedant*. QUOCUMQUE TE VERTERIS: quidquid facere aggreſſus fueris.

V. 4. SI CUSTODIERINT, &c. Habetur hæc promiſſio II. Reg. VII. 6.

V. 5. QUAE FECERIT MIHI IOAB &c. Abſalonem ſcilicet occidendo, imperioſe agendo, afflictum exacerbando, & ſeditionem minando II. Reg. XIX. 7. Adoniæ regnum affectanti favendo, &c. ABNER FILIO NER, quem per proditionem interfecit. AMASAE FILIO IETHER. Davidis nepos hic erat ex Abigaile ſorore, quem etiam, ut ſupra vidimus, Ioab interfecit. EFFUDIT SANGUINEM BELLI IN PACE, quaſi ſcilicet cum hoſte in bello pugnaret, cum illi pacifice & mecum, & cum eo agerent. IN BALTEO SUO, ET IN CALCEAMENTO SUO. Alludit ad modum perpetratæ cædis utriuſque Principis, præſertim Amaſæ: quem dum occidit Ioab, habuit cingulum gladii ad lumbos ſuos, in vagina ſua, qui inde egreſſus eſt, Ioabo ſe incurvante ad proditoriam ſalutationem, quem levatum ſiniſtra ſua, immerſit in latus eius, unde ſanguis exiliens balteum, & calceamenta eius cruentavit, quippe qui eum complexum tenebat.

V. 6. CANITIEM. Licet Ioab Davidis eſſet ex ſorore nepos, erat tamen illi ſuppar ætate ſenex, & canus. PACIFICE, impune, ſeu abſque punitione. INFEROS, id eſt ſepulcrum. Punitio Ioab tamdiu dilata eſt, quia Davidis regnum inquietum fuit, nec potuit in illum animadverti ſine periculo magnarum turbarum.

V. 7. OCCURRERUNT ENIM MIHI, &c. Vide II. Reg. XIX. 31.

V. 8. SEMEI FILIUM GERA, &c. Vide II. Reg. XVI. 5. MALEDIXIT MIHI MALEDICTIONE PESSIMA, cum ſcilicet ingeminabat: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial*, II. Reg. XVI. 7. QUANDO IBAM AD CASTRA, ad urbem ſcilicet Manahim ultra Iordanem.

V. 9. INNOXIUM, id eſt impunitum. SCIAS QUAE FACIAS EI: quomodo cum illo te gerere debeas, & qua ratione illum punire. CUM SANGUINE, id eſt cum cæde, morte violenta. Non fuit periurus David mandando Salomoni ut occideret Semei, quia cum illi mortem commerito pepercit, præciſe iuravit ſe illum non occiſurum: quod idem erat ac ſi diciſſet. Polliceor, ac iuro tibi me quoad vixero te non interfecturum.

V. 10. IN CIVITATE DAVID, id eſt in arce Sion.

V. 12. FIRMATUM EST REGNUM EIUS NIMIS, populi ſcilicet, tribuum, omniumque ordinum conſenſu in comitiis exhibito, & iuramento fidelitatis, & omnium propenſa in illum voluntate. Acta Comitiorum vide I. Paralip. cap. XXVIII.

V. 13. PACIFICUSNE EST INGRESSUS TUUS? Merito dubitare potuit Bethſabee pacificuſne eſſet Adoniæ adventus, quia ab illa regno propemodum occupato dejectus erat.

V. 14. SERMO MIHI EST AD TE; quaſi dicat: Habeo quæ tibi dicam, & in quo ut mihi favere velis, rogem.

V. 15. MEUM ERAT REGNUM, titulo primogenituræ, & electionis.

V. 16. CONFUNDAS; id eſt, pudefacias negando. Hebr. *Avertere facias*, ſcilicet præ pudore. LXX. *Avertas faciem tuam.*

V. 18. BENE, EGO LOQUAR PRO TE REGI. Non ſolum ſpondet ſe petitionem renuntiaturam Regi, ſed etiam rem videtur ſuſcipere perficiendam.

V. 19. PRO ADONIA. Non dicitur, *De Adonia*, ſed *pro Adonia*, cuius ſcilicet cauſam tamquam patrona ſuſceperat. ADORAVIT EAM, conveniente corporis inclinatione utens. SEDIT AD DEXTERAM EIUS. Salianus putat in throno humiliori, ne alioqui ſupra Regem honorari videretur. Abulenſis vero pari throno, & ad dexteram, honoris cauſa collocatam: quod facit probabile occurſus reverens, & præcedens adoratio.

V. 20. NEQUE ENIM FAS EST UT AVERTAM FACIEM TUAM, pudore, & dolore repulſæ, quaſi te inſipientiæ arguam, quod ea poſtulaveris quæ concedi non poſſunt: aut quaſi parum te diligam, & parvi faciam, ideoque quod petis negare non verear.

V. 21. DETUR ABISAG SUNAMITIS ADONIAE FRATRI TUO UXOR. Videtur huiuſmodi matrimonium contra legem Levitici fuiſſe cap. XVIII. 8. ubi vetatur ne quis uxorem patris ducat. Nec obſtat quod cognita non fuiſſet, quia non copula, ſed conſenſus matrimonium facit: & licet impedimentum publicæ honeſtatis, quod a iure poſitivo eſt, eo tempore non eſſet, ius tamen publicæ honeſtatis, quod naturæ eſt, violabatur, natura enim tale matrimonium refugit. Adde quod non conſtabat Abiſag a Rege cognitam non fuiſſe.

V. 22. POSTULA EI ET REGNUM; quaſi dicat: Habet tam multos qui illi favent, acclamatus eſt Rex, eſt etiam me maior, cum etiam ſit Regis primogenitus; ſi hoc etiam accedat, quod Abiſag regiam paulo ante uxorem ipſe ducat, nihil illi deeſſe videtur ad regnum.

V. 23. CONTRA ANIMAM SUAM, in perniciem ſuam. Aliqui iniuſtitiæ, & crudelitatis accuſant Salomonem quod ex levi ſuſpicione fratrem quaſi reum maieſtatis occiderit. Alii iure feciſſe putant: idque Salianus divinæ tribuit inſpirationi, quæ ut ei patefecit inſidias, ita & voluntatem ſtatim occidendi ſuggeſſit: ſane eo nomine nuſquam Salomon reprehenditur in Scriptura.

V. 24. FECIT MIHI DOMUM, familiam ſcilicet regiam. SICUT LOCUTUS EST: ſicut promiſit.

V. 25. INTERFECIT EUM. Modus, & locus tacentur, quia nihil in eis fingulare contigit.

V. 26. VADE IN ANATHOTH AD AGRUM TUUM. Erat Anathoth civitas ſacerdotalis in tribu Beniamin, ut patet Joſ. XXI. 18. VIR MORTIS ES, mortis reus, propter coniurationem cum Adonia. QUIA PORTASTI ARCAM DOMINI, propter reverentiam ſacræ dignitatis pontificalis, in qua miniſtraſti. SUSTINUISTI LABOREM, &c. Davidi enim ipſos ſex & quadraginta annos tam in proſperis quam in adverſis adhæſerat.

V. 27. EIECIT ERGO SALOMON ABIATHAR, UT NON ESSET SACERDOS. Non poterat laicus Princeps iure communi Pontificem deponere, itaque divina intervenit ordinatio, cuius executor Salomon fuit, ut docent Theodoretus, Procopius, Pineda Lib. VI. de rebus Salom. cap. XV. num. 7. Salianus, & alii. Probabile etiam eſt, Sadoc ſententiam, conſenſumque interveniſſe: a Levitis enim ſacerdotibus maximam iudiciorum partem fuiſſe tractatam, ex pluribus Scripturæ locis habemus. Vide plura apud Salian. anno tertio Salomonis num. 15. margin. SERMO DOMINI, quem habemus I. Reg. 11. 3. SUPER DOMUM HELI, ex qua erat Abiathar.

V. 29. VENIT ERGO NUNTIUS AD IOAB,

IOAB, QUOD IOAB DECLINASSET POST ADONIAM; id eſt, venit ad Ioab fama quod in Regia Salomonis curia diceretur illum declinaſſe ad Adoniam, ſecunda ſcilicet hac coniuratione, & molitione, cum ſcilicet Abiſag uxorem ſibi dari poſtulavit. IN TABERNACULUM DOMINI &c. Vide dicta cap. I. num. 5.

V. 31. INTERFICE EUM: quod iure fieri poterat, dicente lege Exod. XXI. 14. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur.* Recte credidit Salomon perinde eſſe Ioabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi iugulare: utrovis enim modo locus violabatur, niſi legis diſpenſatio interveniſſet. Ita Salianus. SEPELI: id enim viri dignitati, & generi dari par erat. AMOVEBIS SANGUINEM, &c. quaſi dicat: Niſi hoc facerem, & Ioab occidi iuberem, reus eſſem ſuſi ſanguinis ab ipſo Ioab. ET A DOMO PATRIS MEI: a David qui a multis fortaſſe accuſabatur quod tot, & tam atrocia Ioabi crimina tacitus tranſmiſiſſet.

V. 31. SANGUINEM EIUS, quem ſcilicet ipſe fudit. SUPER CAPUT EIUS: ut ſcilicet capite luat quod peccavit fundendo ſanguinem.

V. 31. EUM INTERFECIT, amputato capite, ut aſſerit Ioſephus. IN DESERTO. Deſerti huius nomen Scriptura non expreſſit. Fortaſſe fuit in deſerto Techuæ, vel in montanis Hebron, vel iuxta Bethlehem: hæc enim omnia erant in ſorte Iuda. Porro de æterna ſalute Ioab, ſicut eorum qui legitimo iudicio ſupplicio afficiuntur, non eſt niſi in re clara deſperandum.

V. 37. TRANSIERIS TORRENTEM CEDRON. Sententia eſt: Si vel tantulo ſpatio ab urbe exceſſeris quantum eſt uſque ad torrentem Cedron: nam quando ivit in Geth, torrentem hunc revera non tranſivit: torrens enim erat civitati ad orientem, Geth vero ad occidentem. Neque tamen ſine cauſa torrentem Cedron nominavit Salomon, quia de Ieruſalem euntibus in Bahurim ubi agros habebat Semei, tranſeundus erat Cedron. SANGUIS EIUS ERIT SUPER CAPUT TUUM; id eſt, tu tibi eris cauſa mortis.

V. 38. BONUS SERMO; quaſi dicat: Recta, atque honeſta oratio eſt.

V. 39. SERVI SEMEI, duo ſcilicet; ut habetur in Hebræo, Græco, & Chaldæo. AD ACHIS FILIUM MAACHA REGEM GETH; quem Abulenſis in hoc cap. quæſt. XLIV. eum putat ad quem ante 44. circiter annos fugerat David. Porro ſervi in Geth fugerunt, quia fortaſſe Philiſthæi erant, & ex Geth.

V. 40. IVIT AD ACHIS IN GETH: quieta enim erant omnia inter Hebræos & Palæſtinos, qui illis etiam tributa penſitabant. Putavit Semei facile ſe poſſe latere Salomonem, qui multis regni negotiis occupabatur.

V. 42. TESTIFICATUS SUM. Hebr. *Iuravi*; ſeu *adiuravi*; id eſt, a te iusiurandum exegi, ut ſcilicet per Dominum iurares te iuſſa facturum.

V. 44. REDDIDIT DOMINUS MALITIAM TUAM IN CAPUT TUUM. In pœnam peccati illius, quo Davidem contumelia affeciſti, in hoc alterum peccatum ut mihi non pareres, vindex ſcelerum Numen te labi permiſit, ut utrumque nunc una, eademque ultione puniretur.

V. 45. ET THRONUS SALOMON ERIT STABILIS, &c. Cum dicit hoc reo caſtigato ſtabile futurum regnum ſuum, utique ſignificavit illud labefactandum, niſi in Semei animadvertiſſet.

V. 46. EGRESSUS e conſpectu Regis noluit enim illum coram ſe occidi.

TIRINI.

Verſ. 3. OBSERVA CUSTODIAS DOMINI, id eſt mandata quæ Deus cuſtodiri iuſſit. Et idem valent prorſus quæ explicandi gratia, cum epitaſi mox ſubiungit, *Viæ Domini, cæremoniæ, præcepta, iudicia, teſtimonia*, ut alibi *a* dixi. SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE MOYSI, nempe Deuter. XVII. ubi traduntur præcepta quæ Rex recens deſignatus ſervare debet: & inter alia, ut tranſcribat Deuteronomium, illudque familiare habeat, & aſſidue legat.

V. 5. NOSTI QUID IOAB FECERAT MIHI, id eſt adverſum me, mihique noxium, & toti meo regno per incommodum, cum duos principes tam utiles, tam neceſſarios perfide ſuſtulit. ET EFFUDIT SANGUINEM BELLI IN PACE; id eſt, pacatis publicis rebus, & privata

insuper amicitia simulata, non secus occidit istos principes quam si bellum adversus ipsos adhuc viguisset, quando honeste, & laudabiliter licet sanguinem hostilem profundere. Cur David ad hoc usque tempus pepercerit Joabo tot scelerum reo, causam insinuavimus II. Reg. III. ad illud, *Ego delicatus Rex*. Quia Joab princeps totius exercitus Davidici, potentior erat quam ut posset a Davide coerceri, ut etiam affirmat hic Iosephus *b*: & in continuis gravissimisque bellis, quibus perpetuo exagitatus fuit David, egebat illius opera & industria. At Salomon, quiete iam a bellis ubique parta, & Joabo per senectutem minus publico utili, facile potuit & opera illius carere, & exauctoratum condigno supplicio castigare.

V. 9. VIR SAPIENS ES. Si Salomon tunc vir erat, & vir sapiens, ergo non octo annorum puer, ut vult S. Ignatius Martyr *c*; neque undecim, vel duodecim, ut S. Hieronymus: sed ut minimum viginti circiter annorum fuit cum regnum susceperit, quod una cum parente paucis mensibus administravit. Idem colligitur ex cap. XI. vers. 4. ubi senex vocatur, necdum exactis quadraginta regni sui annis. Et confirmatur ex Seder-Olam Chronico Hebræorum cap. XVI. ubi dicitur, David antequam e vivis excederet, vidisse nepotulum suum Roboamum ex Salomone procreatum. Ita Lyranus, Abulensis, Pineda, & Sanctius *d*.

V. 10. ET SEPULTUS EST IN CIVITATE DAVID; id est, in ea parte Ierosolymæ quam ipse a Iebusæo abstulerat, & a suo nomine vocarat civitatem David, II. Reg. v. 9. Iosephus, Comestor, Abulensis, & plures alii putant, Davidem cum palatium sibi regium construeret, etiam sepulcrum cadaveri suo condendo exstruxisse, sed sat exile, & moderatum; Salomonem vero id auxisse, & in magnificum mausolæum commutasse, in quo & ipse recondi voluit. Hoc mausolæum ad tempus usque Apostolorum durasse, constat ex cap. II. Act. vers. 29. dicente Petro: *Sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem*. Tempore Adriani Imperatoris sponte corruit magna ex parte, ut scribit Dion in vita Adriani. S. Hieronymus *e* affirmat, illud suo etiam tempore perstitisse, seque ad mausolæum istud precari consuevisse. Sebastianus Serlius *f* dicit, ipsum illud hoc quoque nostro ævo superstes esse. Mirum sane, & instar prodigii, post urbem Ierosolymam toties expugnatam, toties excisam, mausolæum istud nihil a Chaldæis (qui tamen reliquorum Regum Iuda ossibus non pepercerunt *g*) nihil a Græcis, nihil a Romanis, nihil ab aliis barbaris passum fuisse. Quod vero Iosephus addit, Salomonem in Davidis sepulcrum una cum cadavere multa talentorum millia intulisse, quæ multis post sæculis Hyrcanus inde extulerit, merum ipsius figmentum est.

V. 22. POSTULA EI ET REGNUM. Cum Adonias primogenitus esset filiorum Regis, & tori populo non ingratus, immo Rex haud ita pridem ab omnibus conclamatus; honesta insuper ac liberali esset forma, quæ blanda multitudinis conciliatrix est: si ad hæc iam accederent nuptiæ Sunamitidis nuper reginæ, & populo propter formæ venustatem & honestos mores admodum gratæ; procul dubio fuissent Adoniæ, mortuo iam Davide, ad regnum obtinendum prompta facilisque via. Et hoc erat callidum & fraudulentum Ioabi, de se, fuisque rebus alioqui desperantis; itemque Abiathari Pontificis, & aliorum Adoniæ faventium consilium. Sed fraus statim suboluit Salomoni, qui severo supplicio, ne altiores radices malum ageret, primum in Adoniam, dein & in Ioabum, denique & in Abiatharum animadvertit.

V. 27. EIECIT ERGO SALOMON ABIATHAR, UT NON ESSET SACERDOS DOMINI. Nempe cum reus esset capitis, propter conspirationem cum Adonia contra Salomonem iam a Deo, & a patre Regem designatum, multavit illum Salomon solo exilio; & consequenter impedivit ne deinceps pontificatu fungeretur, sed is transferretur ad Sadoc, id est referretur ad rectam lineam Eleazari primogeniti Aaronis, a quo ante iubente Deo migrarat per Heli ad familiam Ithamari, secundogeniti eiusdem Aaronis. Atque ita impleta iam fuit prophetia viri Dei I. Reg. II. qui pontifici Heli, propter scelera filiorum eius prædixit, sacerdotium summum ab illo ad æmulam familiam transferendum. Vide quæ ibidem dixi ad vers. 31. *b*

Nota. Ex hoc Salomonis facto Doctores colligunt, in lege veteri, utpote tempora-

lia

lia magis, quam ſpiritualia ſpectante, Pontificem in politicis & criminalibus Regi ſubiectum fuiſſe, ſicut Rex in ſacris ſuberat Pontifici. Bellarminus tamen & quidam alii dicunt, Salomonem non ut Regem, ſed ut Prophetam & executorem divinæ iuſtitiæ, Abiatharum exauctoraſſe.

V. 31. FAC IOABO SICUT LOCUTUS EST; id eſt, non obſtante perfugio ad altare, occide eum. Nam Exodi XXI. verſ. 14. expreſſe iubet Deus: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et credibile eſt non in ipſo loco tabernaculi iugulatum eſſe Ioabum, ſed quantumcumque reluctantem, a Banaia per prætorianam cohortem avulſum ab altari, extra tabernaculum ſupplicio affectum fuiſſe; ut poſt etiam Athalia, iubente Ioiada pontifice IV. Reg. XI. verſ. 15. Nam in ipſo ſacrario non videtur citra neceſſitatem humanus ſanguis profundi potuiſſe. Unde & Sanctius damnat hic Salomonem, & Banaiam non levis peccati, quod putet, Ioabum in ipſo ſacrario iugulatum fuiſſe. Sed Abulenſis id excuſat, eo quod ſupplicium de impio ſumptum etiam in loco ſacro, non minus grata ſit hoſtia Deo, quam arietum aut vitulorum, qui quotidie iſtic mactabantur.

(*a*) In Prolegom. de Idiotiſm. Hebr. num. 4.
(*b*) Ioſeph. Lib. VII. Antiq. cap. XII.
(*c*) Ignat. ad Magneſianos. Hieron. epiſt. CXXXII. ad Vitalem.
(*d*) Lyran. in Lib. III. Reg. cap. XI. Abulenſ. & Sanct. in cap. XII. Pineda in Salom. prævio Lib. VIII. cap. 1. num. 6.
(*e*) Hieron. Epiſt. ad Marcellam.
(*f*) Sarlius Lib. III. de Architectura.
(*g*) Ierem. VIII. & Baruch II.
(*h*) Et I. Reg. XXII. verſ. 22. & Chron. cap. XIII.

GORDONI.

Verſ. 3. OBSERVA, & cuſtodi CUSTODIAS, ſcilicet quæ Deus iuſſit cuſtodiri. Septuag. φυλαξῃ τὴν φυλακήν, *ut proſpere cadant omnia.* De Semei ſupra.

V. 5. TU NOSTI. De hac cæde, vide Lib. II. cap. III. EFFUDIT SANGUINEM BELLI IN PACE. *Sanguis belli* eſt qui impune effundi poteſt in bello iuſto. Ioab in pace ſanguinarius fuit. Vide Lib. II. cap. XX. verſ. 9. Balteum, & calceamentum polluit ſanguine.

V. 10. De Davidis ſepulcro Ioſeph. Lib. VII. Antiq. cap. ult. Duravit non tantum ad tempora Apoſtolorum, Actor. II. verſ. 29. ſed etiam uſque ad noſtrum ſæculum. Hinc incipit primus annus Salomonis, quem ego facio mundi annum 2959. Regnat 40. annis.

V. 13. INGRESSUS ADONIAS, &c. Speraſſe putatur Adonias viam iterum ad regnum, ſi Abiſag puella Sunamitis, uxor David, & iam ampla dote dives, ſi, inquam, ei daretur in matrimonium: quo præſentiens Salomon occidi iubet: quod Salianus refert ad tertium Salomonis annum.

V. 26. Abiathar ſacerdos ex conſpiratione reus erat mortis; ſed Salomon memor paterni beneficii in Davidem, curavit ſolo privandum ſacerdotio, & ſtatuitur Sadoc. Vide Lib. I. cap. II. verſ. 35. At quomodo princeps ſæcularis in Abiatharem ſacerdotem dicit ſententiam? Reſpondeo: Hic mandari tantum executioni ſententiam Dei contra domum Heli, ut hic habetur verſ. 27. Vide Lib. I. Reg. cap. II. verſ. 32. Sive acceſſiſſe dicas ad hoc factum Salomonis, iudicium Sadoc ſacerdotis, ſive aliter, non pugno: adfuit quidem utriuſque voluntas. Sic rediit ſacerdotium ad domum Eleazari.

V. 28. VENIT AUTEM NUNTIUS; id eſt, venit fama eorum quæ geſta ſunt ad Ioab, & timuit, quod declinaſſet poſt Adoniam. Ea fama volabat, & timens fugit ad altare.

V. 30. Sunt certe qui Salomonem non liberant a peccato, ut in cauſa Adoniæ (poſt datam veniam) ita & in extractione Ioab.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. CÆREMONIAS.....ET PRÆCEPTA, cæremonialia, moralia, & iudicialia pacta.

V. 5. Amaſa nepos Davidis.

V. 6. Ioab canus erat. INFEROS, ſepulcrum.

V. 7. OCCURRERUNT ENIM MIHI, ſup. Lib. II. cap. XIX. verſ. 31. De Semei cap. XVI.

V. 8. AD CASTRA, cap. XVII. verſ. 28.

V. 15.

V. 15. MEUM ERAT REGNUM, quia natu fuit maior Salomone.

V. 21. Abiſag erat uxor Davidis, licet intacta: nam conſenſus facit matrimonium. Vide Levit. XVIII. 8. ubi quod petebat Adonias, videtur prohibitum.

V. 23. Viſus eſt Adonias hinc, ex prio-re facto, & ætate affectare regnum. Adhuc ſic plerique Salomonem excuſat in hac cæde.

V. 28. In cæde hac Ioab ius facere potuit, ſententia a Davide prolata.

V. 40. De Semei, & Geth urbe, multa ſupra.

CAPUT III.

Salomon, accepta in uxorem filia Pharaonis, ſapientiam in ſomno petit; quam una cum divitiis & gloria accipit, & primum in meretricum dirimenda lite oſtendit.

1. Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni Regi AEgypti: accepit namque filiam eius, & adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum ſuam, & domum Domini, & murum Ieruſalem per circuitum. 2. Attamen populus immolabat in excelſis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini uſque in diem illum. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris ſui, excepto quod in excelſis immolabat, & accendebat thymiama. 4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelſum maximum: mille hoſtias in holocauſtum obtulit Salomon ſuper altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis ut dem tibi. 6. Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſervo tuo David patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulavit in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & recto corde tecum: cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius, ſicut eſt hodie. 7. Et nunc Domine Deus, tu regnare feciſti ſervum tuum pro David patre meo: ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum & introitum meum. 8. Et ſervus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. 9. (*b*) Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum: quis enim poterit iudicare populum iſtum, populum tuum hunc multum? 10. Placuit ergo ſermo coram Domino, quod Salomon poſtulaſſet huiuſcemodi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium: 12. ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. 13. (*c*) Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi: divitias ſcilicet, & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus. 14. Si autem ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur evigilavit Salomon, & intellexit quod eſſet ſomnium: cum.

cumque veniſſet Ieruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta, & fecit victimas pacificas, & grande convivium univerſis famulis ſuis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteteruntque coram eo, 17. quarum una ait: Obſecro, mi domine: ego & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc; & eramus ſimul, nullusque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppreſſit eum. 20. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in ſinu ſuo: ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo. 21. Cumque ſurrexiſſem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum quem genueram. 22. Reſponditque altera mulier: Non eſt ita ut dicis, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus eſt. Atque in hunc modum contendebant coram Rege. 23. Tunc Rex ait: Hæc dicit, Filius meus vivit, & filius tuus mortuus eſt. † Et iſta reſpondit, Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit. 24. Dixit ergo Rex: Afferte mihi gladium. Cumque attuliſſent gladium coram Rege, 25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri. 26. Dixit autem mulier, cuius filius erat vivus, ad Regem (commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo:) Obſecro domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur. 27. Reſpondit Rex, & ait: Date huic infantem vivum, & non occidatur: hæc eſt enim mater eius. 28. Audivit itaque omnis Iſrael iudicium quod iudicaſſet Rex, & timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium.

(a) I. Paralip. I. 1. (b) II. Paralip. I. 10. (c) Sap. VII. 17. Matth. VI. 29.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 23. *Et iſta reſpondit.* Videtur præſens *reſpondet* præferendum præterito: nam & in Miſſali Romano legitur præſens, feria ſecunda poſt Dominic. quartam Quadrag.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. DONEC COMPLERET AEDIFICANS, &c. quaſi dicat: Adeo confirmatum Regnum, ut potuerit complere: vel eouſque manſit illa in civitate David, donec, &c.

V. 2. EXCELSIS, id eſt locis editis, vel altaribus, ſcilicet variis, quod uſque ad templi ædificationem videtur licuiſſe: certe permittebatur paſſim.

V. 3. EXCEPTO. Videtur reprehendi. Vel ſenſus eſt: Id tamen David, quamquam licitum, numquam fecerat.

V. 4. GABAON. Civitas in tribu Beniamin. MAXIMUM. Quidam putant fuiſſe altare æneum, quod Moyſes fecerat.

V. 5. IN VERITATE, id eſt citra ſimulationem, ſeu ſincere. GRANDEM. Heb. Chald. & LXX. *grandem hanc.* EST, id eſt apparet.

V. 7. EGRESSUM ET INTROITUM; quaſi dicat: Quomodo debeam converſari, & populum regere.

V. 9.

V. 9. DOCILE. Hebr. *audiens*, id eſt obediens, ſcilicet Deo. Chald. *intelligens*. LXX. *ſapiens*.

V. 12. NULLUS, ſcilicet Regum Iſrael.

V. 13. RETRO. Hebr. & Chald. *tuis*; videturque coniungendum cum *dedi*, pro dabo.

V. 14. PRAECEPTA. Hebr. & Chald. *ſtatuta*, ſeu *decreta*. LONGOS FACIAM. Id non factum, quia peccavit.

V. 15. IERUSALEM, ſcilicet ubi arca Domini, nam tabernaculum Moyſis in Gabaon. FECIT, id eſt obtulit, ſeu ſacrificavit.

V. 20. INTEMPESTAE NOCTIS SILENTIO. Hebr. Chald. & LXX. *media nocte*.

V. 22. MENTIRIS. Hebr. Chald. & LXX. *Non*.

V. 25. DIVIDITE, ſcilicet o miniſtri, ſeu ſatellites.

V. 28. IUDICASSET: ſcilicet cum eſſet duodecim annorum, ſecundum Hieron. epiſt. CXXXI. id quod ego non puto. Regnavit enim annis 40. adeoque obiiſſet anno ætatis 52. at reliquit filium annorum 41. ut dicitur II. Paralip. XIII. ut neceſſe fuerit illum gignere anno ætatis 11. quod non eſt veriſimile.

ESTII.

Verſ. 1. AFFINITATE CONIUNCTUS EST PHARAONI REGI AEGYPTI: ACCEPIT NAMQUE FILIAM EIUS. Deuter. VII. prohibet Dominus filiis Iſrael contrahere matrimonium cum mulieribus alienigenis. Quin etiam infra cap. XI. reprehenditur Salomon, quod duxiſſe uxores alienigenas. Merito ergo quæritur utrum Salomon etiam peccaverit ducendo hanc filiam Pharaonis. Cauſa dubitandi eſt. Nam mox hoc capite ſubiungitur: *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis patris ſui*. Ac deinde Scriptura initio regni Salomonis vehementer eum commendat, quam commendationem non merebatur, ſi ſtatim initio regni tam gravi deteſtabilis coniugii peccato Deum offendiſſet. Ad hanc igitur quæſtionem, ſalvo meliori iudicio, reſpondendum videtur, Salomonem eatenus non peccaſſe. Nam quod Deuter. VII. lex prohibet, intelligendum principaliter eſt de alienigenis habitantibus in terra promiſſionis, quamvis etiam referatur aliquo modo ad alias nationes, ut patet I. Eſdræ IX. ſed tamen cum hac exceptione: niſi ſcilicet alienigenæ illæ mulieres cultum gentilem relinquerent, & unius veri Dei cultum amplecterentur. Et hanc exceptionem etiam ipſa Scriptura exemplis comprobat. Sic enim Moyſes duxit Sephoram Madianitidem; Booz Ruth Moabitidem; David Maacha filiam Tholmai Regis Geſſur: denique & Salmon duxit Raab, quæ erat ex terra Chanaan. Sed omnes iſtæ ad cultum unius Dei converſæ erant. Et ſimiliter omnino veriſimile eſt, Salomonem filiam Pharaonis initio regni ſui non prius ſibi copulaſſe quam illa verum Dei cultum ſuſcipere parata eſſet. Quod quia in aliis femi is alienigenis poſtea non obſervavit, idcirco ſcilicet poſtea graviſſime reprehenditur.

V. 3. DILEXIT AUTEM SALOMON DOMINUM, AMBULANS IN PRAECEPTIS PATRIS SUI DAVID, EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT. Scriptura his verbis Salomonem reprehendere videtur, quod immolaverit in excelſis. Interim & Samuel legitur immolaſſe in excelſis, & alii alibi. Neque id omnino illicitum fuit (modo immolaretur Deo vero) eo tempore quo arca Dei ſtabilem locum non habebat. Aliqui etiam exiſtimant his verbis Salomonem non reprehendi, ſed tantum ſignificari, eum non immolaſſe coram arca, propterea quod templum nondum eſſet ædificatum: recte autem eum immolaſſe in excelſo Gabaon, eo quod ibi eſſet tabernaculum & altare holocauſti, quæ fecerat Moyſes, ut habetur I. Paralip. cap. XXI.

V. 12. ET DEDI TIBI COR SAPIENS, &c. Conſtat Salomonem, etiam ante hanc revelationem divinam, ſapientem fuiſſe: ſic enim ait ad eum pater, cap. præced. verſ. 9. ſequente: *Vir autem ſapiens es, ut ſcias quæ facies ei*. Dedit igitur ei nunc Deus cor ſapiens, id eſt donum ſapientiæ; quo factum eſt ut & prior ſapientia augeretur, & cor eius dilataretur ad facile percipiendum, tam experientia quam ſtudio maiorem ſapientiam. In ſapientia enim Salomonem profeciſſe, nec ſolum experientia, ſed etiam ſtudio, ipſe teſtatur Eccle. I. & II.

V. 15.

V. 15. IGITUR EVIGILAVIT SALOMON, ET INTELLEXIT QUOD ESSET SOMNIUM. Quale fuerit hoc somnium, & utrum in eo meruerit desiderando, & petendo sapientiam, vide D. Thom. I. II. quæst. CXIII. art. 3. ad 2. & II. II. quæst. CLVI. art. 5. ad 1. ubi etiam S. Auguſtinum allegat. Et videtur in eo Salomon meruiſſe, quia dicit Scriptura: *Placuit ergo ſermo coram Domino*. Unde conſequitur, quod fuerit ſomnium extraordinarium a Deo immiſſum, in quo ſenſus quidem fuerunt ligati, non tantum impeditus uſus rationis.

V. 25. DIVIDITE, INQUIT, INFANTEM VIVUM IN DUAS PARTES. Non ſunt verba præcipientis ipſam infantis ſectionem (nam dividere infantem innoxium non licebat) ſed iniungentis, ſeu ordinantis actionem qua ſe veluti ad huiuſmodi ſectionem ſatellites præpararent, ut hac ratione proderetur vera infantis mater, quæ eius ſectionem non ſuſtineret, ſed vivum potius integrum adverſariæ ſuæ cederet.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN CIVITATEM DAVID, ſcilicet arcem Sion, ubi erat domus David: ibi uxorem Pharaonis filiam voluit eſſe, donec ipſe domum aliam ſibi ædificaret.

V. 2. POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS. Præceptum erat re offerrent ſacrificia niſi in loco quem elegiſſet Dominus. Id ad templum referebant. Sic eo non extructo multis locis immolare moris erat. Porro *exceſſa* altaria ſunt, ut colligitur ex verſ. 4. ubi *exceſſum maximum* vocat altare a Moyſe conſtitutum. Salomon ambulabat in viis David,

V. 3. EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT. Hebr. *Verumtamen in excelſis ipſe immolans*. Non taxatur Salomon, nam tunc id licebat; ſed redditur ratio cur in Gabaon, & Ieroſolyma immolavit, ut mox dicitur.

V. 4. EXCELSUM MAXIMUM. In Gabaon in tribu Beniamin erat altare quod fecit Moyſes, idque eſt *exceſſum*, ſed vocatur *maximum* aliorum comparatione, neque mole, ſed dignitate.

V. 7. PUER PARVULUS erat Salomon, annorum non amplius duodecim. Sic Hebræus, ſic Hieron. epiſt. CXXXI. Si credi poteſt, qui quadraginta annis regnavit, & filium reliquit natum unum & quadraginta annos ætatis, undecimo anno illum ſuſcepiſſe. IGNORANS EGRESSUM ET INTROITUM MEUM: QUO pacto me gerere debeam: a paſtoribus ſumpta ſimilitudine, qui egrediuntur cum grege, & cum eo redeunt.

V. 9. DABIS ERGO SERVO TUO COR DOCILE. Hebr. *Cor audiens*; Septuag. *ſapiens*; Chald. *intelligens*: nempe Princeps qui audit, is ſapiens: ſed & *audire*, *obedire* eſt: nempe nemo imperare ſcit, niſi qui obedire novit. QUIS ENIM POTERIT IUDICARE POPULUM.... TUUM HUNC MULTUM? Hebr. *gravem*: ſic Septuag. ſed *gravis* pro *multo*, ut Numer. XX. verſ. 20. & aliis multis locis. Chald. *Populum multum hunc*.

V. 13. IN REGIBUS. Multo minus in aliis, ſeu inter alios nemo Salomoni ſimilis fuit. In ſomniis loquitur Deus Salomoni.

V. 15. ET INTELLEXIT QUOD ESSET SOMNIUM. Hebr. *Et ecce ſomnium*; id eſt, cœpit meminiſſe ſomnii, intellexit quid portenderet, lætatus eſt eo. ET FECIT, id eſt ſacrificavit.

V. 16. VENERUNT DUAE MULIERES MERETRICES. Chald. *Tabernariæ*. De hac voce plura Ioſ. 11. verſ. 2.

V. 17. OBSECRO MI DOMINE. Hebr. & Sept. *In me domine mi*: ſic verſ. 26. ſed ea voce idem ſignificatur quod *obſecro*, & ſic Chald. poſuit. Mortuus eſt huius filius:

V. 19. DORMIENS QUIPPE OPPRESSIT EUM. Hebr. *Quia iacuit ſuper eum*.

V. 22. MENTIRIS. Hebr. *Non*, ſcilicet eſt, quod dicis. CONTENDEBANT. Hebr. *Loquebantur*; pro, ingeminabant ea verba. Iubet Rex dividi infantem.

V. 26. COMMOTA SUNT, Hebr. *Caleſacta ſunt*, ſcilicet ex amore erga filium, viſcera matris. Audivit Iſrael.

V. 28. TIMUERUNT. Occulte etiam perperam agere timebant, quando ea ſapientia Rex erat, ut occulta proferret in lucem.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET AFFINITATE CONIUNCTUS EST. חתן *chathan* in

Hithpahel, proprie eſt: *Et iunxit ſe affinitate; contrahere ſe fecit affinitatem; conſoceravit, ſocerum ſibi fecit.* Hiſpanice: *Conſogro*, ſeu generum ſe fecit. ACCEPIT NAMQUE FILIAM EIUS, ſcilicet, ut plerique notant, prius populo Dei profeſſione fidei & religionis coniunctam: aliter enim prohibebatur, Deuteron. VII. verſ. 3. nam hæc a Salomone geſta eſſe in principio regni eius, cum adhuc amaret Deum, verſus tertius oſtendit. Pſalm. XLIV. & libro Canticorum idem confirmatur: quæ ſcripta non ſunt huius argumenti, cum ſint potiſſimum de Eccleſia, & non de filia Pharaonis uxore Salomonis; ſed tamen a Davide, & Salomone ſcripta ſunt, cum huius rei occaſione, ad cæleſtis illius & ſpiritualis coniugii cogitationem erecti eſſent, & in meditatione illius occuparentur. Sic etiam David habuit uxorem filiam Regis Geſſur, II. Samuel. III. verſ. 3.

Hunc Pharaonem, cuius filiam Salomon duxit, Vaphrem appellatum fuiſſe, Eupolemus vetuſtus Hiſtoricus indicat apud Euſebium Lib. IX. Præparationis Evangelicæ, cap. IV. In Chronico Euſebiano AEgyptiorum dynaſtiæ vigeſimæ Diospolitanorum annus 146. incidit in initia regni Salomonis, ſed abſque ullo nomine Regum. In Manethonis, ſacerdotis AEgyptii rationibus apud Iulium Africanum, Pſuſennes in AEgypto regnabat ſub initia Salomonis. Sed hæc ſunt incerta, de quibus vide recentiores chronologos.

IN CIVITATEM DAVID, ubi regiam ſuam habebat, ſed anguſtiorem, quam ut tantam reginam cum eius comitatu commode caperet. Vide II. Paralipom. VIII. verſ. 11. DONEC COMPLERET AEDIFICANS. Infra cap. VII. verſ. 8. DOMUM SUAM, de qua infra cap. VII. verſ. 1. & 8. ET DOMUM DOMINI, de qua infra cap. VI. verſ. 1. & ſeqq. ET MURUM IERUSALEM, de quo infra cap. IX. verſ. 15. & 19.

V. 2. ATTAMEN POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS. De *excelſis* vide Comm. in I. Samuel. IX. 12. Quidam *excelſa* hic univerſe accipiunt loca extra tabernaculum Domini in excelſis poſita, ubi populus prava conſuetudine ſacrificabat, contra Dei mandatum: atque hic populum fugillari putant, quod in aliis locis extra tabernaculum ſacrificaret; quaſi dicat: Verumtamen id populus præpoſtere agebat, quod in variis excelſis extra tabernaculum ſacrificaret. Alii *excelſa* ſingulariter intelligunt illa duo quæ hoc capite commemorantur: nempe illud quod erat in Gabaon, infra verſ. 4. & aliud quod erat Ieruſalaimis, infra verſ. 15. quæ duo excelſa ſancta, & grata Deo erant, in quibus rite & legitime ex mandato Dei ſacrificabatur: nam in excelſo Gabaon erat tabernaculum Moſis, & altare holocauſtorum, I. Paralip. cap. XVI. verſ. 39. & cap. XXI. verſ. 29. & II. Paralip. I. verſ. 3. 5. & 6. In altero vero excelſo Ieruſalaimorum erat tabernaculum a Davide extructum & in tabernaculo arca Domini, II. Samuel. VI. 17. quocirca hoc in laudem populi dictum exiſtimant, unde vertunt: *Tantummodo populus ſacrificabat in excelſis*, nempe in his duobus, ſcilicet Gabaonitano, & Ieroſolimitano; quaſi dicat: In his duobus tantum, & non alibi: quod legitime & rite fiebat ex præſcripto legis. Sic verſu ſequente.

V. 3. DILEXIT AUTEM SALOMON DOMINUM .... EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT. Vitio tribuere videtur Salomoni, quod in excelſis immolaret; quaſi dicat: Salomon cetera bonus Dei amans, & præceptorum Dei obſervans, hoc ſolo delinquebat, quod in excelſis extra tabernaculum ſacrificabat. Alii notant, non taxari hic Salomonem ſuperſtitionis, ſed reddi rationem cur Salomon in excelſis Gabaonis, & Icruſalem ſacrificarit, ut hic dicitur verſ. 4. & 15. Nonnulli, iſtud in laudem Salomonis dictum volunt, unde reddunt: *Amabat enim Salomoh Iehovam, ambulando in ſtatutis Davidis patris ſui: tantummodo in iſtis excelſis ipſe ſacrificabat, & adolebat*; quaſi dicat: Cum eſſet Salomon Dei amans, & cultor patriorum præceptorum, ideo neque ipſe alibi offerrebat, neque alios offerre patiebatur, quam ubi patrem Davidem ex mandato Dei ſacrificantem viderat, nempe in his dumtaxat duobus ſacris excelſis, Gabaone, & Ieruſalaimis, locis cultui divino dicatis.

V. 4. ILLUD QUIPPE ERAT EXCELSUM MAXIMUM: nimirum ubi ordinarium erat cultus divini exercitium, & alta-

altare iugis holocausti, I. Paralipom. cap. XVI. vers. 39. & cap. XXI. vers. 29. & II. Paralip. cap. I. vers. 3. 5. & 6.

V. 5. NOCTE. Quidam, *eadem nocte*, videlicet quæ proxime sacrificium Salomonis subsecuta est, II. Paralipom. I. 7.

V. 6. SICUT EST HODIE. Heb. *Sicut die ista*. Quidam, *Ut est hodierno*. Alii, *Ut hæc dies declarat*; vel *ut hodie revera apparet*.

V. 7. EGRESSUM ET INTROITUM MEUM. Quidam, *Procedere, & redire*; id est, obire functionem meam, quid agere debeam in administratione tanti regni. Vide Numer. XXVII. vers. 17.

V. 8. IN MEDIO EST POPULI. Nonnulli volunt esse Hebraismum, pro regnare: nam princeps in medio populi esse debet, ad quem omnes undique ex æquo conveniant: unde Plato iubet urbem regiam in medio regionis constitui. Vide Pierium Lib. XV. Hieroglyphicorum initio.

V. 9. COR DOCILE. Recte expressit Hebraismum: *Cor audiens*. Quidam: *Animum intelligentem*. Præcipua principis virtus, *Audire subditos*, non eos tantum ad ministros amandare. Nonnulli: *Cor obaudiens, auscultans, obediens, obtemperans*: mentem Deo, & spiritui monenti audientem. MULTUM: Hebr. *gravem*, id est numerosissimum. Sic Genes. I. 9. & Numeror. XX. vers. 20.

V. 12. COR SAPIENS. Quidam, *Animum sapientem*, ad intelligenda quæ sunt officii tui. Rectius universe: nam Salomum nedum in administrando regno, sed in aliis rebus fuit sapientissimus omnium Regum.

V. 15. ET INTELLEXIT QUOD ESSET SOMNIUM. Hebr. *Et ecce somnium*. Exponunt: *Et ecce somnium*, quod somniaverat, obversabatur ei; quasi dicat: Non est oblitus somnii, non excidit illi somnium, quod viderat: sed cœpit probe reminisci somnii, & reputare secum tam magnifica sibi a Deo in somnio promissa. Alii: *Cum ecce adesset somnium*; id est, abeunte somno, sentiret illud somnium non fuisse somnium evanidum, sed solidum, & ornatum se esse revera donis, quæ in somno promissa fuerant.

V. 16. DUAE MULIERES MERETRICES. De voce זונה *zonah* vide Iosue II. I. Plerique Hebræorum, & nostrorum secuti Chaldæum exponunt: *Duæ mulieres cauponæ*, seu *cauponariæ*. Quidam explicant: Id est, quæ simul aperte cauponoriam exercebant, clam vero specie cauponæ, meretriciam, & scortariam: nam publicas atque famosas meretrices fuisse, credibile non est: cum quia regnum inde a temporibus Davidis bene constitutum erat; tum quia non fuissent aufæ coram Salomone Deum amante, & tum adhærente legi, ad agendum causam suam comparere. Alii veras meretrices & scorta fuisse putant, ut esse fere solent quæ cauponariam exercent, ac corpore quæstum fecisse. Et sane præter meretricum consuetudinem peperisse videntur, quæ certe parere non solent: quod si pariunt, fœtus necare aut exponere consueverunt. At istæ non penitus proiectæ pudicitiæ fuisse videntur, quæ præter aliarum morem, pepererunt, & amorem curamque prolis servabant.

V. 17. OBSECRO, MI DOMINE. Hebr. *In me, domine mi*. Quidam: *Attende ad me, domine mi*. Hispanice: *Conmigo mi señor*; id est, in me intende. Vide de hac locutione Genes. XLIII. 20. Sic infra vers. 26.

MENOCHII.

Vers. 1. CONFIRMATUM EST ICITUR REGNUM IN MANU SALOMONIS, sublatis inimicis, aut quasi vinculis constrictis, ne se umquam cum publico damno commovere possent. CONIUNCTUS EST PHARAONI REGI AEGYPTI. Pertinebat hæc affinitas ad confirmandum regnum, cum AEgypti Rex Pharao & finitimus esset, & valde potens. Regis autem nomen non prodidit Scriptura: videtur ex Eupolemo apud Eusebium Lib. IX. de præparatione Evangelii cap. ult. dictus fuisse Vavres. Sponsam credibile est Iudaica sacra professam, quare hanc coniugem ducendo non peccavit Salomon, qui nusquam in sacris litteris hoc nomine reprehenditur: & colligi etiam potest ex iis quæ paulo post dicuntur hoc capite num. 3. *Dilexit autem Salomon Dominum*. IN CIVITATEM DAVID, in arcem Sion, in qua habitavit donec ædificato templo regiam uxori domum ædifi-

cavit, quam illi propriam esse voluit. Vide inf. cap. VII. num. 8.

V. 2. POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS. Vide dicta Lib. I. cap. IX. num. 12.

V. 3. EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT, &c. Hac in re excusari non posse a peccato Salomonem sentit Sanchez in hunc locum: erat enim Domini præceptum Levit. XVII. 4. & Deuteron. XII. 13. ut sacrificia fierent solum ante tabernaculum. Vide Riberam Lib. I. de Templo cap. 11. *Videtur* Salomon *reprehendi*, inquit Sa. Vel sensus est: Id tamen David, quamquam licitum, numquam fecerat. Vide Pineda de rebus Salomon. Lib. V. cap. V. num. 5.

V. 4. ABIIT IN GABAON. *Gabaon*, inquit D. Hieronymus de Locis Hebr. *unde Gabaonitæ supplices venerunt ad Iesum, erat olim metropolis civitas & regalis Hevæorum, occiditque in sortem tribus Beniamin, ubi Salomon hostiis immolatis divinum meruit oraculum.* ILLUD QUIPPE ERAT EXCELSUM MAXIMUM. Alibi enim fuerant, vel erant adhuc excelsa in Cariathiarim, Ramatha, Bethel, Maspha, Galgala, Gabaa Beniamin, Silo, & Hebron. Erat autem maxima huius excelsi in Gabaon religio, quia ibi adhuc stabat Mosis tabernaculum.

V. 5. APPARUIT DOMINUS SALOMONI: qua forma Scriptura non expressit. POSTULA QUOD VIS UT DEM TIBI. Sciebat quid vellet, sed voluit ea interrogatione attentionem renovari, & affectum ad rem præsentem applica.

V. 6. TU FECISTI CUM SERVO TUO DAVID PATRE MEO MISERICORDIAM MAGNAM, Regem Israelis constituendo. SICUT AMBULAVIT IN CONSPECTU TUO IN VERITATE; quasi dicat: Cui misericordiæ ipse correspondit, ut qui ambularit in conspectu tuo in veritate, & iustitia, & recto corde coram te. CUSTODISTI EI MISERICORDIAM TUAM GRANDEM, ut ex ea non decideret, ut Saul, eiusque familia.

V. 7. SUM PUER PARVULUS, adolescens. IGNORANS EGRESSUM ET INTROITUM: quomodo scilicet gerere me debeam, & populum gubernare.

V. 9. COR DOCILE. In Hebræo est *audiens*, id est obediens Deo.

V. 11. ANIMAS INIMICORUM TUORUM, ultionem, & mortem inimicorum.

V. 12. UT NULLUS ANTE TE, &c. Non tamen videtur dicendus sapientior Adamo orbis terrarum magistro, & perfectionum exemplari, ad quas in hac vita homo evehi potest. Nec obstat quod de summa Salomonis sapientia universim pronuntiatur, sæpe enim universæ propositiones in Scriptura cum aliqua exceptione accipiendæ sunt. Aliqui comparari tantum putant Salomonis sapientiam cum sapientia Regum Israel, quare non Adamum tantum, sed alios etiam nonnullos, Mosen verbi gratia, Prophetas, aut Apostolos sapientiores existimant. Ita Lyranus, Caietanus, Vatablus, Emmanuel Sa.

V. 14. LONGOS FACIAM DIES TUOS. Id non est factum, quia peccavit. INTELLEXIT QUOD ESSET SOMNIUM, scilicet divinitus immissum.

V. 16. MERETRICES. Chaldæus Paraphrastes habet *mulieres tabernarias*; sed verius est fuisse meretrices. Vide dicta Iosue cap. II. num. 1. Satis etiam apparet fuisse meretrices, quia nulla maritorum mentio; immo profitetur illarum altera nullum præter eas in domo fuisse: & licet meretrices fere concipere non soleant; tamen hoc de omnibus verum non est, sed tantum de iis quæ passim, & multis vulgant corpora.

V. 20. INTEMPESTAE NOCTIS SILENTIO, *media nocte*, ut habetur Hebraice, Chaldaice, & LXX. Nox idonea furtis, & maleficiis. TULIT FILIUM MEUM. Ad quod furtum non prolis amore, sed invidia fuerat excitata, dolens sociam suam eo bono frui, quo ipsa se misere privarat.

V. 21. FILIO MEO, quem scilicet meum esse putabam.

V. 28. TIMUERUNT REGEM: admirati sunt. Sic timor accipitur Luc. VII. 16. cum dicitur: *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum.*

TIRINI.

Vers. 3. EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT. Hic usus in locis editioribus sacrificandi Deo invalescebat paulatim, eo quod non esset certus unus locus designatus, seu para

partim in Gabaon, partim Ierosolymæ sacrificaretur; a Prophetis vero in gravi necessitate pluribus etiam aliis locis, ex singulari Dei dispensatione, ut dixi Iudic. ult. vers. 4. Horum imitatione populus, ad ritus Gentilium plus æquo propensior, idem sibi arrogabat hinc inde. Sed David toto regni sui tempore fortiter sese huic abusui, toties in lege *a* vetito oppositi: & filio suo Salomoni, ut sese pari modo opponeret, in mandatis reliquit: unde hic dicitur ambulasse *in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolaret*. Et hoc est peccatum quo omnes Reges Israel & Iuda peccasse dicuntur, *præter David, Ezechiam, & Iosiam:* Ecclesiast. XLIX. 5. Nam alii omnes aut immolaverunt in excelsis, aut certe, cum possent, & deberent, non sustulerunt excelsa. David vero, ut iam vidimus, non toleravit excelsa: Ezechias, & Iosias illa etiam disparunt *b*. Porro hanc rationem sacrificandi in excelsis displicuisse Deo etiam in Salomone, vel inde colligitur quod obeunti varia excelsa, & in singulis plurimas hostias immolanti, nusquam apparuerit aut faverit de cælo Deus; sed tunc solum cum in Gabaon, hoc est in legitimo loco, legitimum obtulit sacrificium, ut hic dicitur vers. 5. Nam *in Gabaon ea tempestate erat tabernaculum Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum*, I. Paralip. XXI. 19. Idcirco exelsum Gabaon vocatur hic vers. 4. *excelsum maximum*, non tam mole, quam dignitate. Et is proprius designatus sacrificiis locus. Unde simulatque ibi sacrificavit Salomon, Deus id sibi gratissimum accidisse, nocturna visione, donisque nobilissimis ei collatis testatum fecit.

V. 11. QUIA POSTULASTI VERBUM HOC. Salomon sæpe ante id tempus, quin & eadem illa nocte proxime ante somnum orationi intentus, immemor aliarum rerum solam sapientiam a Deo postulasse videtur. Quod cum feciisset toto animo in eam curam intento, nil mirum, si quod proxime meditabatur vigilans, idem dormienti statim occurreret. Deus vero cum tam ampla hic promittit Salomoni dormienti, non respondet orationi aut electioni ipsius quam habuit, aut habuisse sibi visus est in somnis, sed quam vigilans ante habuit huic similliman. Unde non opus est affirmare quod affirmant Dionysius, Lyranus, & Salmeron, *c* Salomonem in somnis absque operatione phantasmatum, usum fuisse libero arbitrio, & meruisse (licet ex divino privilegio id fieri potuisse sentiant Richardus de Media villa, & S. Bonaventura *d*:) nam ante somnum ea omnia præsticerat quæ hic de illo commemorantur. Ita S. Augustinus, S. Thomas *e*, & fere alii, Doctores.

V. 12. DEDI TIBI COR SAPIENS .... IN TANTUM UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TUI FUERIT, NEC POST TE SURRECTURUS SIT. Comparatio sit non cum solis Regibus Israel (ut putant Lyranus, Vatablus, Caietanus, & Emanuel Sa;) sed cum omnibus prorsus totius orbis hominibus, sed vulgari modo procreatis. Et sermo est de sapientia omni naturali, quæ hic infusa fuit Salomoni; non vero de omni supernaturali. Unde non est necessum præferre Salomonem Adamo, vel Moysi, vel præsque Prophetarum, aut Apostolorum; multo minus B. Virgini, vel Christo Domino. Ita S. Iustinus, Clemens Alexandrinus, S. Augustinus, Philo, Pereira *f*, & Sanctius. Nolim tamen ad solam œconomicam & politicam sapientiam id restringere cum Caietano: nam cap. sequ. vers. 33. dicitur etiam de plantis differuisse, *a cedro quæ est in Libano, usque ad hissopum*: item *de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus*. Item Sap. VII. 17. de se ipse testatur, datum sibi a Deo *ut sciat dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem & medietatem temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones: naturas animalium, iras bestiarum, cogitationes hominum, virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa*. Quibus verbis medicam & physicam omnem scientiam, item geometricam, chronicam, astronomicam etiam coniecturalem complectitur. Ita præter iam dictos etiam Abulensis, & Pineda *g*. Addunt Iosephus *h*, S. Hieronymus, & Epiphanius, Salomonem etiam gratiam gratis datam a Deo habuisse, qua & exorcismis, & herbis quibusdam ac radicibus dæmones unde vellet expelleret. Qua de re vide S. Thomam *i*, & Victoriam, & Delrionem de Magia.

V. 15. EVIGILAVIT SALOMON, ET

ET INTELLEXIT QUOD, seu quodnam, ESSET SOMNIUM, scilicet divinitus immissum, quale subinde Prophetis, & Patriarchis immitti solet, ut Adamo *k*, Abrahamo *l*, Iosepho *m*: vel etiam aliis, ut Laban *n*, Pharaoni *o*, Nabuchodonosori *p*. Intellexit vero id Salomon ex ipso effectu & fructu inde consecuto, nempe maxima sui mutatione, ex sapientia quam sibi insusam sensit; quæque instar lucis, suo splendore se ipsam statim prodidit.

(*a*) Levit. XVIII. vers. 4. & Deuter. XII. vers. 5. & 13.
(*b*) IV. Reg. XVIII. 4. & XXIII. 8.
(*c*) Salmer. Tom. III. tract. XXII.
(*d*) Richard. quodlib. I. quæst. XVII. Bonavent. dist. XXV. quæst. VI.
(*e*) S. Aug. Lib. XII. in Gen. ad litt. cap. XIV. S. Thom. I. II. quæst. CXIII. art. II. & II. II. quæst. CLXV. art. 5. ad 2.
(*f*) Iustinus Martyr quæst. XXV. ad Orthodoxos. Clemens Lib. I. Stromat. sub fin. Aug. Lib. VIII. de Civit. cap. XL. Philo in Vita Moysis Lib. I. Pereira in cap. I. Exod. quæst. VII.
(*g*) Pineda sup.
(*h*) Ioseph. Lib. VIII. Antiq. cap. V.
(*i*) S. Thom. quæst. VI. de Potentia art. 10. ad 3.
(*k*) Genes. cap. II. vers. 21.
(*l*) Genes. XV. vers. 12.
(*m*) Genes. cap. XXXVII. vers. 5.
(*n*) Genes. cap. XXXI. vers. 24.
(*o*) Genes. cap. XLI. vers. 1.
(*p*) Dan. cap. II. vers. 1. & cap. IV. vers. 2.

GORDONI.

Vers. 1. CONiugium hoc Salomonis AEgyptia & regia puella, videtur prohibitum Exod. XXXIV. 15. tamen alienam posse duci in uxorem, dum modo Israeliticam amplectatur religionem, habes Deuter. XXI. 10. 11. & 12. Existimandum autem est, hanc Pharaonis filiam eiuraſſe AEgyptiacam religionem.

V. 3. & 4. IN EXCELSIS IMMOLABAT. Aliqui *excelſum* cum Abulensi montem intelligunt; alii, & plures intelligunt altare: erant enim altaria varia in montibus erecta ad sacrificandum vero Deo: & ibi aliquando sacrificare licebat, præsertim ante conditum templum. Ita *excelſum* interpretatur. Hieronymus in Tradit. ubi versus hunc tertium versiculum interpretatur excelsum esse altare æneum in Gabaon coram tabernaculo, & ex dignitate vocari maximum. Hoc maius fuit excelsis, & piis locis in Cariathiarim, Ramatha, Bethæ, Masipha, Galgala, Gabaa, Beniamin, Silo, & Hebron. Vide cap. I. vers. 50.

At quid est illud, EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT? A plerisque hoc vertitur vitio Salomoni. Dilexit Deum Salomon ambulando in præceptis patris sui, excepto quod cum pater non sacrificaverit in excelsis, Salomon in excelso sacrificare voluerit (nec vim aliam dat Hebraicum רק *rak* significans *tantummodo*.) Alii hoc licuisse Salomoni existimant, & in re licita discrepasse a patre: at quidquid de hoc sit, nunc sacrificat in excelso maximo, ubi erat tabernaculum, & non ubi arca in Sion. Ceterum quod vel Salomoni, vel populo non licuit, hoc erat ne passim, & ubilibet extructis excelsis, offerretur sacrificium. Immo ipse Salomon post acceptam a Deo sapientiam (de qua hic vers. 12.) huic malo occurrens extruxit templum. Erat tunc in Gabaon tabernaculum, I. Paralip. cap. XXI. vers. 29. porro Gabaon erat extra Ierusalem in tribu Beniamin, quidquid dicat Adrichomius: & unde Gabaonitæ supplices venerunt ad Iosue, ex Hieron. de Locis Hebr.

V. 11. Postulat sapientiam, & potuit petere divitias. Libertas asseritur.

V. 12. Hic de oraculo sapientiæ datæ Salomoni: ubi quæri potest, quomodo ita sapiens, ut similem non habuerit? Sed textus satis indicat sermonem esse de terra, & regno Israelitico: seu de iis qui ibi fuerunt, vel erunt, & fortassis Regibus ante vel post Salomonem: sicut Act. II. 5. *ex omni natione quæ sub cælo est*, scilicet ubi habitant Iudæi. De hac Salomonis sapientia, quæ, quantave fuerit, & cum quibus personis comparanda, alterius est instituti. Lege Salianum ad annum mundi 3022. num. 54. & deinceps.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. IN CIVITATEM DAVID, in arcem Sion, ubi habitabat usque ad extructam domum regiam.

V. 5. POSTULA. Sciebat Deus quod volebat Salomon; sed sic loquitur, ut excitet affectum.

V. 10. Verius est fuisse meretrices: nec ulla est hic mentio maritorum.

CA-

CAPUT IV.

Numerantur principes & præfecti Salomonis, apparatus ciborum ipſius, pacisque ſecuritas eo regnante, & numerus parabolarum atque carminum eius.

1. Rat autem Rex Salomon regnans ſuper omnem Iſrael: 2. & hi principes quos habebat: * Azarias filius Sadoc ſacerdotis: 3. Elihoreph & Ahia filii Siſa ſcribæ: Ioſaphat filius Ahilud a commentariis: 4. Banaias filius Ioiadæ ſuper exercitum: Sadoc autem, & Abiathar ſacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, ſuper eos qui aſſiſtebant Regi: Zabud filius Nathan ſacerdos, amicus Regis: 6. & Ahiſar præpoſitus domus: & Adoniram filius Abda ſuper tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſrael, qui præbebant annonam Regi & domui eius: per ſingulos enim menſes in anno, ſinguli neceſſaria miniſtrabant. 8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim. 9. Bendecar, in Macces, & in Salebim, & in Bethſames, & in Elon, & in Bethanan. 10. * Benheſed in Aruboth: ipſius erat Socho, & omnis terra Epher. 11. Benabinadab, cuius omnis Nephathdor, Tapheth filiam Salomonis habebat uxorem. 12. Baana filius Ahilud regebat Thanac & Mageddo, & univerſam Bethſan, quæ eſt iuxta Sarthana ſubter Iezrael, a Bethſan uſque Abelmehula e regione Iecmaan. 13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Avothiair filii Manaſſe in Galaad, ipſe præerat in omni regione Argob, quæ eſt in Baſan, ſexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant ſeras æreas. 14. Abinadab filius Addo præerat in Manaim. 15. Achimaas in Nephthali: ſed & ipſe habebat Baſemath filiam Salomonis in coniugio. 16. Baana filius Huſi, in Aſer, & in Baloth. 17. Ioſaphat filius Pharue, in Iſſachar. 18. Semei filius Ela, in Beniamin. 19. Gaber filius Uri, in terra Galaad, * in terra Sehon Regis Amorrhæi, & Og Regis Baſan, ſuper omnia quæ erant in illa terra. 20. Iuda & Iſrael innumerabiles, ſicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes. 21. (*a*) Salomon autem erat in ditione ſua, * habens omnia regna a flumine terræ Philiſthiim uſque ad terminum AEgypti: offerentium ſibi munera, & ſervientium ei cunctis diebus vitæ eius. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, 23. decem boves pingues, & viginti boves paſcuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, & avium altilium. 24 Ipſe enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, * a Thaphſa uſque ad Gazam, & cunctos Reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25. Habitabatque Iuda & Iſrael abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, a Dan uſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis. 26. (*b*) Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium. 27. Nutriebantque eos ſupradicti Regis præfecti: ſed & neceſſaria menſæ Regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore ſuo. 28. Hordeum quoque

que & paleas equorum & iumentorum, deferebant in locum ubi erat Rex, iuxta conſtitutum ſibi. 29. Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris. 30. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & AEgyptiorum, 31. (*c*) & erat ſapientior cunctis hominibus: ſapientior Ethan Ezrahita, & Homan, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in univerſis gentibus per circuitum. 32. Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille. 33. Et diſputavit ſuper lignis, a cedro quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. 34. Et venichant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab univerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius.

(*a*) Eccl. xlvii. 16. (*b*) II. Paralip. ix. 25. (*c*) Eccli. xlvii. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Azarias filius Sadoc ſacerdotis*. Non mutes genitivum *ſacerdotis*, in nominativum.

V. 10. *Benhefed in Aruboth*. Non mutes *Ben*, quod ſignificat filium, in *Beth* domum.

V. 19. *In terra Sehon Regis Amorrhæi*. Non præponas & coniunctionem.

V. 21. *Habet omnia regna*. Redundat quod ſequitur in quibuſdam libris, *ſecum*.

V. 24. *A Taphſa uſque ad Gazam*. Non præponas his verbis adverbium *quaſi*.

V. 32. *Et fuerunt carmina eius quinque & mille*. Cave legas, ſublata coniunctione, ut plerique, *quinque millia*, pro *quinque & mille*, quod eſt quinque ſupra mille.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. FILIUS, id eſt nepos: nam filius Achimaas filii Sadoc.

V. 3. SCRIBAE, id eſt ſecretarii. Vide Eſther III. A COMMENTARIIS, id eſt hiſtoriographus.

V. 4. ABIATHAR, ſcilicet antequam eiiceretur; vel iſte alius eſt. SACERDOTES: ſcilicet unus præcipuus erat, alter velut vicarius, vel ſuffraganeus.

V. 5. SACERDOS, id eſt princeps. Alii, *ſacerdotis*.

V. 8. BENHUR. Alii, *filius*: ſic & in ſeq.

V. 11. NEPHATHDOR, id eſt terminus Dor.

V. 13. AVOTHIAIR, id eſt *villas Iair*. Vide Iud. x. ARGOB, ſcilicet Traconitide.

V. 20. INNUMERABILES, ſcilicet erant.

V. 21. A FLUMINE, &c. Alii, *A flumine* (ſcilicet Euphrate) *uſque ad terram Philiſtiim, & uſque ad terminum AEgypti*.

V. 22. CORI. *Corus* continet decem epha, epha vero tria ſata. SIMILAE, id eſt puriſſimæ farinæ.

V. 23. PASCUALES; quaſi dicat, Non ſaginati, ſed quales a paſcuis redeunt. BUBALORUM, id eſt boum ſilveſtrium.

V. 24. FLUMEN, ſcilicet Euphratem.

V. 25. SUB VITE; quaſi dicat: Etiam ruri libere agebant, nullum timentes hoſtem.

V. 26. PRAESEPIA, id eſt equos in præſepiis. Nam II. Par. ix. quatuor millia, ſcilicet in quolibet decem equi.

V. 27. NUTRIEBANTQUE, &c. Heb. Chald. & LXX. *Alebant dicti præfecti Regem Salomonem, & neceſſaria*, &c.

V. 28. IUMENTORUM. Alii, *mulorum*. Chald. *equorum curſorum*. LXX. *currum*.

V. 29. LATITUDINEM, id eſt capacitatem. ARENAM, id eſt arenæ locum; vel quaſi dicat, Capiendi pæne infinita.

V. 31. ETHAN, &c. Erant hi celebratiſſimi illo tempore ſapientiæ nomine. EZRAHITA, id eſt Eſræ filio. FILIIS, Iun-

Iungendum cum duobus poſtremis, nam priores duo fratres (quamquam LXX. vertunt, *filio.*) Vide Pſal. LXXXVII. & LXXXVIII.

V. 32. PARABOLAS, id eſt obſcuras ſententias, ſeu proverbia.

V. 34. AUDIEBANT, ſcilicet fama.

ESTII.

Verſ. 4. SADOC ... ET ABIATHAR SACERDOTES. Quæritur quomodo hic inter ſacerdotes etiam Abiathar ponatur, cum Salomon eum initio regni ſui cap. II. dignitate ſacerdotii videatur privaſſe. Quidam reſpondent, hunc Abiathar, qui hoc loco nominatur inter ſacerdotes, alium eſſe ab eo qui ſupra cap. II. legitur repulſus a ſacerdotio. Sed hoc improbabiliter dicitur, quia nemo alius veriſimiliter cogitari poteſt qui hoc loco cum ſummo Sacerdote nominetur, niſi aut ille ipſe Abiathar, aut forte filius ſummi Sacerdotis, qui non Abiathar, ſed Azarias vocatur initio huius. Proinde dicendum, Abiathar non fuiſſe ſubmotum ſimpliciter iure ſacerdotii (quod excedebat auctoritatem Regis;) ſed cum propter crimen læſæ maieſtatis (ut dictum eſt ſupra cap. II.) proſcriptus eſſet, conſequenter Sadoc ſummo ſacerdotio ſolus primo functus eſt. At vero cum periculum amplius novæ conſpirationis non eſſet, Salomone confirmato in regno, permiſſum quoque eſſe ut Abiathar ad miniſterium templi rediret, ut haberet unde viveret; ſic tamen ut non amplius prima dignitas ei deferretur. Et tunc impleta videtur prophetia illa Domini ad Heli, I. Reg. qua ait: *Futurum eſt autem, ut quicumque remanſerit de domo tua, veniat, & oretur pro eo, dicatque: Dimitte me, obſecro, ad unam partem ſacerdotalem*, &c.

V. 30. & 31. ET PRAECEDEBAT SAPIENTIA SALOMONIS SAPIENTIAM OMNIUM ORIENTALIUM ET AEGYPTIORUM, ET ERAT SAPIENTIOR CUNCTIS HOMINIBUS. Hoc poſtremum quidam referre volunt tantum ad homines illius temporis. Sed ex cap. præcedenti patet ad omnes omnino hominum omnium temporum referendum eſſe. Dicit enim Dominus ad eum: *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrectu-rus ſit.* Ceterum quod ſequitur, SAPIENTIOR ETHAN EZRAHITA, ET HEMAN, ET CHALCOL, ET DORDA FILIIS MAHOL, Auctor libri Tradit. Hebraicarum per *Ethan* Abraham intelligit, per *Heman* Moyſen, per *Chalcol* Ioſeph, per *Dorda* duodecim tribus. Sed prorſus commentitia, & coacta eſt illa interpretatio. Fuerunt autem quatuor iſti hic enumerati, Levitæ, & cantores celebres. Nam ab Ethan intitulatur Pſal. LXXXVIII. *Miſericordias Domini*, &c. & titulus eſt: *Intellectus, ſeu ſapientia, Ethan Ezrahitæ.* Quo titulo ſane commendatur eius ſapientia. De Heman quoque mentio fit I. Paralip. XXV. Eius autem fratres fuerunt reliqui duo hic nominati. Hos itaque celebres ratione ſapientiæ, nihilominus Salomon longe dicitur ſuperaſſe.

V. 33. ET DISPUTAVIT SUPER LIGNIS, A CEDRO QUAE EST IN LIBANO, USQUE AD HYSSOPUM QUAE EGREDITUR DE PARIETE. Plenius explicatur hæc amplitudo ſcientiæ & ſapientiæ Salomonis Sapient. VII. Itaque vide ibi.

MARIANAE.

Verſ. 2. AZARIAS FILIUS SADOC, ſcilicet nepos: nam Azarias fuit filius Achimaas filii Sadoc.

V. 3. SCRIBAE, id eſt ab epiſtolis. Eſther III. verſ. 12. A COMMENTARIIS. Hebr. *Commemorans*: forte qui res geſtas ſcribebat, Hiſtoricus. Chald. *Præpoſitus ſuper monimenta*. De qua voce II. Reg. VIII. verſ. 16.

V. 4. SADOC AUTEM ET ABIATHAR SACERDOTES. Quis hic *Abiathar*? an nondum pulſus erat, & quod de eius expulſione dictum eſt, per anticipationem?

V. 5. AZARIAS ... SUPER EOS QUI ASSISTEBANT REGI. Hebr. *ſuper præfectos*, ſcilicet duodecim, de quibus mox. AMICUS REGIS, ſcilicet illi intimus, arcanorum particeps.

V. 11. CUIUS OMNIS NEPHATHDOR. Sic Sept. Alii, *Terminus Dor*. Chald. *Regiones Dor*. Ea regio erat Benabinadab.

V. 13. HABEBAT AVOTHIAIR. Sept. *civitates Iair*. Chald. *Huius erant vici Iair*. Itaque & eſt nomen proprium

Avothiair, & ſignificat *villas Iair*, de quibus Num. xxxii. verſ. 41. & Deut. iii. verſ. 14. Villæ dictæ *Havoth*, a vita, quod ibi vivatur: in agris vita ſit iucunda. Porro Argob, & Baſan, & ſexaginta civitates, ſeu oppida, quæ ibi erant, hæc omnia complexu ſuo comprehendebat tractus qui vocabatur *Villæ Iair*, quod ex Deut. colligas, & ex Lib. Iudic. cap. x. verſ. 4.

V. 16. BAANA FILIUS HUSI. Forte hic fuit filius Chuſi qui diſſipavit conſilium Achitophel: nam Hebraica Scriptura non diſcrepat. Sept. *Chuſi* dixerunt. In BALOTH. Tractus in tribu Iuda, uti Hebræus ait. Illi urbi præerat Baana.

V. 19. SUPER OMNIA QUAE ERANT IN ILLA TERRA. Hebr. *Et præfectus unus qui in terra*: ſcilicet unus erat præfectus illi terræ Baſan, & quæ Sehon erat.

V. 20. IUDAS ET ISRAEL INNUMERABILES, SICUT ARENA MARIS IN MULTITUDINE. Hebr. *ſicut arena, quæ ad mare ad multitudinem*, id eſt multa. Vox *multa* ſupra *arenam* cadit, non ſupra *gentem*. Salomon dominabatur.

V. 21. A FLUMINE TERRAE PHILISTIIM. Sic Sept. & Pagn. ſed quoniam Hebr. נהר *nahar* non eſt in regimine, locus ſic explicabitur: *Erat in ditione habens a flumine illo* (emphaticos *Euphratem* intelligit, ſic Chald.) *terra Philiſthiim* (pro, & a terra Philiſthiim) *uſque ad terminum Aegypti*. Itaque præpoſitio *Min* uno loco poſita, altero ſuppleatur. Ecce Geneſis promiſſionem completam cap. xv. verſ. 18. *A flumine Aegypti uſque ad fluvium magnum Euphratem.*

V. 22. ERAT AUTEM CIBUS SALOMONIS .... TRIGINTA CORI. Corus triginta modios continet, ſexaginta celemines.

V. 23. AVIUM ALTILIUM. Sic Chald. Hebræus voces Hebraicas ברבורים אבוסים *barburim abuſim* ait ſignificare *capones ſaginatos*. Ob id tantum caſtrantur, ut pingueſcant.

V. 24. TRANS FLUMEN, ſive Iordanem, ſive Euphratem. Obtinebat omnem regionem.

V. 27. CUM INGENTI CURA PRAEBEBANT IN TEMPORE SUO præfecti. Hebr. *Vir*, id eſt quiſque, *menſe ſuo non deficiebant in verbo*, id eſt in re aliqua.

V. 28. UBI ERAT REX, eo hordeum deferebant præfecti: Hebr. non eſt *Rex*; ſed bene ſuppletur: ſic Sept. IUXTA CONSTITUTUM SIBI. Hebr. *Vir*, id eſt quiſque, *ſecundum iudicium ſuum*, quod bene exprimitur per *conſtitutum*, modo id ad menſuram, ad tempuſque referatur; ad locum etiam. Erat ſapientior

V. 30. OMNIUM ORIENTALIUM. Orientales, & AEgyptii cognitione aſtrorum excellebant. Eos ſapientia Salomon præcedebat.

V. 32. CARMINA EIUS. Sic Sept. Hebr. *canticum eius*; pro, cantica eius. QUINQUE ET MILLE. Sic Hebr. & Chald. at Sept. *quinque millia*, ſic Pagn. Itaque vult coniunctionem ו Hebr. redundare, quod ſæpe contingit. Diſputavit

V. 33. SUPER LIGNIS, id eſt arboribus. Naturam ſingulorum & virtutes explicuit.

V. 34. AB UNIVERSIS REGIBUS, ſcilicet veniebant legati ad Salomonem.

MALVENDAE.

Verſ. 1. SUPER OMNEM ISRAEL. Hoc adiectum volunt propter Davidem, qui initio non regnavit ſuper totum Iſrael, ſed primum ſuper tribum Iehudæ, poſtea ſuper univerſum Iſraelem. At Salomon ſtatim initio regnavit ſuper omnem Iſraelem.

V. 2. FILIUS SADOC, id eſt nepos: nam Tzadok genuit Achimahatz, ex quo genitus eſt Azarias iſte, I. Paralipom. vi. 8. & 9. SACERDOTIS. Vox כהן *cohen* & ad Tzadokum referri poteſt, *filius Tzadoci ſacerdotis*; ſubaudi, fuit primus ac primarius princeps inter principes aulæ Salomonis: vel ad Azariam, *filius Tzadoki ſacerdos*; ut is ſimul cum patre ſuo ſungeretur officio Sacerdotis ſummi, ut antea Ebiathar ſimul cum patre eius. Nonnulli reddunt: *Hazaria filius Tzadoki, præfes*: exponuntque, Filius Tzadoki, non illius Tzadoki Sacerdotis ſummi, ſed alterius eiuſdem nominis. *Præfes*, id eſt vices Regis agens in regni totius adminiſtratione. Sic diſtinguitur ab eo præſide, cuius fit mentio infra verſ. 5. Sic nomen *Cohen* pro *præſide* accipiunt. Rectius acceperis, pro intimo, & familiariſſimo Regis, quaſi dicas,

cas, Sacratiſſimum Regis, quaſi ſacerdotem Regis, aut æditumum Regis. Hiſpanice vocamus, *El Trivado*. Sic II. Samuel. VIII. 18. & cap. XX. verſ. 26. Vide Gen. XIV. verſ. 18.

V. 4. SADOC AUTEM, ET ABIATHAR SACERDOTES. De Abiathar, quidam intelligunt, antequam in ordinem redigeretur a Salomone. Alii exponunt: Id eſt, erant primarii in ordinibus ſacerdotum conſtitutis a Davide, I. Paralip. XXIV. verſ. 3. 5. & 6.

V. 5. SUPER EOS QUI ASSISTEBANT REGI. Hebr. *Super ſtantes*. Quidam, *Super ſtatores*, *apparitores*, *viatores*; id eſt, erat præfectus ſtatorum. Alii, *Super ſtationarios milites*, nempe ſuper eos qui in ſtationibus & præſidiis erant: vel erat præfectus prætorianarum cohortium, Cerethæorum, & Phelethæorum: ac ſorte ſucceſſerat in locum Benajæ, qui nuper aſcenderat ad dignitatem imperatoriam, ſupra verſ. 4. Nonnulli, *Super præfectos*, vel *ſuper ſtarchos*, ſeu *præfectos annonæ*; id eſt, præerat illis duodecim præfectis, ſeu ſtarchis, qui curatores erant annonæ regiæ, de quibus paulo poſt verſ. 7. & ſequentibus. SACERDOS. Quidam reddunt *præſes*, ſcilicet regii conſilii: vel *ſacerdos*, id eſt intimus & familiariſſimus Regis, ut ſupra verſ. 2. nam additur *amicus*, ſodalis, familiaris Regis.

V. 6. PRÆPOSITUS DOMUS. Hebr. *ſuper domum*, id eſt præfectus domui, ſeu magiſter aulæ magnus. Italice, *Maeſtro de caſa*. Hiſpanice, *Mayordomus*. SUPER TRIBUTA. Quidam reddunt, *Præfectus delectui*: ſic enim capitur vox מס *mas*, infra cap. V. verſ. 13. nimirum præfectus delectui illi, de quo infra cap. V. verſ. 14. Alii ſimpliciter intelligunt præfectum illis qui regia tributa colligebant. Videtur is eſſe qui II. Samuel. XX. 24. & infra cap. XII. verſ. 18. *Aduram* dicitur.

V. 9. IN MACCES. Hebr. מקץ *Makketz*. Divinant fuiſſe tractum qui obtigerat tribui Danis, Peliſthæis conterminum; unde nomen habuit, quod ſonat extremitatem & finem; quaſi dicas, Tractum terminalem. IN SALEBEIM. Hebr. *Sahalbim*: urbs in tribu Dan, de qua vide Joſ. XIX. verſ. 42. & Judic. I. verſ. 35. IN BETHSAMES. Hanc quidam eſſe volunt, quæ in catalogo urbium Iudaicarum ponitur Joſue XV. 10. Alii vero proprius eam quæ Joſue XIX. 41. inter urbes tribus Dan vocatur *Hir-Semes*, & Judic. I. 35. *Har-Semes*. IN ELON, ET IN BETHANAN. Hebr. אילון בית-חנן, *Elon Beth-Chanan*. Quidam nomen unius tantum urbis exiſtimant, quæ exponitur, *Quercus domus pietatis*, quæ ſimpliciter *Elon* dicitur in tribu Danis, Joſue XIX. verſ. 43. ibi vide. Alii duas urbes faciunt, *Elon*, & *Beth-Chanan*. Nonnulli exponunt: Et in Elon, quæ ſita erat in loco qui dicebatur Beth-Chanan.

V. 10. IN ARUBOTH. ארבות *Aruboth*. Tractum eſſe ajunt in tribu Iudæ: fortaſſe ſic dictum ab inſidiis, quod iis aptus eſſet locus, aut quod inſidiis graſſatorum eſſet infeſtus. SOCHO. Duplex fuit Sochoh in ſorte Iudæ: altera in planitie, Joſue XV. 35. altera in monte, ibidem 48. de utraque vide Comment. ibi. Sed erant vicinæ, ut ex libro de Locis Hebraicis intelligitur. ET OMNIS TERRA EPHER. Hebr. *Chepher*. Aiunt eſſe alium tractum in ſorte Iehudæ, poſſeſſum a Chepher filio Sur, I. Paralip. IV. 6. Unde erit diverſus a Chepher Zebulonis, Joſue XIX. 13. De qua vide Joſue XII. 17.

V. 11. BENABINADAB, CUIUS OMNIS NEPHATHDOR. Heb. *Filius Abinadab, omnis Naphath-Dor*. Exponunt: Filius Abinadab erat ſuper omnem Naphath-Dor: vel Filii, aut Filio Abinadab erat omnis Naphath-Dor; id eſt, filius Abinadab regebat, adminiſtrabat omnem Naphath-Dor: vel eius ditionis, curæ, erat omnis Naphat-Dor; id eſt, curabat annonam regiam eius tractus. Sic in ſequentibus. *Omnis Nephathdor*. Reddunt, *Omnis ramus*, *tractus*, *regio*, *Dor*. De hoc loco vide Joſ. XI. 2. & Joſue XVII. 11. Erat in ſorte Menaſeh cis Iordanem. TAPHETH FILIAM SALOMONIS. *Taphath* Heb. ſonat *parvulam*, *infantem*. Filias Regum Hiſpani vocant *infantes*.

V. 12. THANAC. Hebr. *Thahanach*. Erat urbs in tribu Menaſeh cis Iordanem, de qua egimus in Joſue XII. verſ. 21. & cap. XVII. verſ. 11. ET MAGEDO. Heb. *Meghidso*. Urbs quoque in tribu Menaſeh citra Iordanem, de qua vide Joſue XII. 21. & XVII. 11. BETHSAN. Hebr. *Beth-Sean*. Erat quoque in tribu Menaſeh Ciſiordanina: de qua vide annotata in Joſue

xvii. vers. ii. QUAE EST IUXTA SARTHANA. Hebr, *Tzarthanah*. De hac vide in Iosue iii. vers. 16. SUBTER IEZRAEL: de qua egimus in Iosue xvii. vers. 16. ABELMEHULA: & hanc descripsimus Iudic. vii. vers. 23. IECMAAN. Hebr. *Iakmegham*. Quidam volunt hanc esse quæ cum Nun dicitur, *Iakneghamː* de qua vide Iosue xii. 22. & xix. ii. & I. Paralip. vi. 68.

V. 13. IN RAMOTH GALAAD. De hac vide Deuter. iv. vers. 43. AVOTHIAIR, id est *villas*, *vivaria*, *pagos Iair*. De his sexaginta villis, seu urbibus Iair in regione Basanitide ultra Iordanem, vide Numer. xxxii. 41. & 42. Deuter. iii. 14. Iosue xiii. 30. Iudic. x. 4. Inepte Tremellius, & Iunius has villas diversas statuunt ab illis alteris villis Iairis, de quibus Iudic. x. 4. cum eædem omnino fuerint. IN OMNI REGIONE ARGOB. Hebr. *& funis Argob*. De sune Argob diximus Deuteron. iii. 4.

V. 14. IN MANAIM. Hebr. *Machanaim*. De hoc loco vide Genes. xxxii. 2. Iosue xiii. 26.

V. 15. BASEMATH FILIAM SALOMONIS. Alii efferunt בשמת *Bosmath*. Exponitur, *Aromatica*, *odorifera*.

V. 16. ET IN BALOTH. Hebr. *Et Beghaloth*. Plerique, Nostrum, & LXX. secuti, Beth hic radicale faciunt, & putant esse oppidum in sorte Iehudæ, Iosue xv. 24. Sed quid tribui Aser cum tribu Iudæ? Alii servile esse volunt, redduntque, *Et in Ghaloth*. Sed non expediunt quis locus, aut ubi fuerit Ghaloth. Nonnulli appellative capiunt, redduntque, *Et in aliis*, *altanis*; vel *& in superioribus partibus*, id est in montanis, quorum pars ad Danem, pars ad Aserem pertinebat; pars a Salomone fuerat recens acquisita, II. Paralip. viii. vers. 5. *& 6.*

V. 19. IN TERRA GALAAD, scilicet reliqua ab ea quam supra vers. 13. nominavit. SUPER OMNIA QUAE ERANT IN ILLA TERRA. Hebr. *Et statio una quæ in terra*, vel *præsidium unum quod in terra*; id est, tota illa terra continebatur in fide & officio unica statione seu præsidio militari, quamvis remota, & ultra Iordanem esset. Quidam reddunt: *Et præfectus unus*, *qui in terra*. Alii: *Adhæc erat præses unus super eam terram*. Nonnulli: Hic, id est Gheber, sitarchus unus, qui præerat illi terræ, nimirum quæ fuerat illorum duorum Regum. Nonnemo: *Et præfectus unicus erat*, *qui præerat illi terræ*.

V. 21. A FLUMINE, Euphrate: sic enim plerumque in Scriptura per antonomasiam vocatur Euphrates. Ita infra vers. 24.

V. 22. TRIGINTA CORI SIMILAE. כור *cor*, *corus*, aiunt esse nomen mensuræ aridorum, dici autem a figura foveæ, vas excisum, & capax: quod Hebræis כור *cur* sit *fodere*. Iosephus Lib. III. Originum, cap. xiii. extremo: *Cori septuaginta*, *hoc est medimni Siculi triginta & unus*; *Attici vero quadraginta & unus*: & Lib. XV. cap. xii. *Corus autem capit decem medimnos Atticos*. S. Epiphanius Lib. de ponderibus & mensuris ait, continuisse triginta modios. Atque idem ipsum omnes affirmant, eamdemque omnino mensuram esse notant *cor*, & חומר *chomer*, de qua vide Levit. xxvii. vers. 16. Ergo consumebantur quotidie in aula ad conficiendos panes Salomoni, nongenti modii farinæ purissimæ & defæcatissimæ, seu floris farinæ ordinariæ; & mille octingenti modii, farinæ ordinariæ: qui omnes erant duo mille septingenti modii.

V. 23. ET AVIUM ALTILIUM. בוברים אבוסים *ubarburim abusim*. *Barburim* plerique Hebræorum aiunt esse *gallos gallinaceos castratos*, seu *capones*, qui saginantur per coactionem intrusio illis in os cibo. Alii putant esse gallos silvestres ac feros, seu barbaros. Aliqui *aves pingues & saginatas*, *quæ afferebantur ex Barbaria*, unde dictæ sint *Barburim*. Barbariæ regionis AEthiopiæ sub AEgypto meminere Arrianus in Periplo maris Erythræi, & Ptolemæus Lib. IV. cap. vii. Barbariam Africæ regionem descripsit late Ioannes Leo Lib. I. cap. ii. & alii permulti. Recentiores Romani Scriptores Barbariam vocabant quidquid erat extra imperium Romanum: nam totum orbem dividebant in Romanum, & Barbariam. Hoc est pervulgatissimum. Verum unde sciemus tempore auctoris huius libri nomen Barbariæ iam fuisse. Nonnulli volunt *barburim* esse *anseres*. Alii *gallos indicos*, quos *gallipanos* appellamus. Plerique ex etymo verbi ברר *barar*, a quo deducunt ברבר *barbur*, sicut a בקק *bakak* derivatur בקבוק *bakbuk*; docent esse animalia, quæ expurgata sunt;

id

id eſt, pinguefacta, nitida, conſpicua, expurificata, elucidata, craſſa, obeſa, ſaginata, & delecta ad eſum: nos *altilia* vocamus: unde reddunt, *Et nitidis altilibus*. Aliam vocem *abuſim*, aiunt ſignificare *ſaginatos*, *pinguefactos*, *altos*: proprie *præſepiatos*, *ſtabulatos*, *caleatos*, quaſi in loco ubi caleant, & ſtabulantur animalia, ſaginatos, & pinguefactos. Ergo hunc locum varie reddunt: 1. & *gallinaceis ſaginatis*; 2. & *caponibus ſaginatis*; 3. & *electis altilibus*; 4. & *altilibus ſaginatis in ſtabulo*, vel *in præſepi*, aut *cavea*; 5. & *avibus ſaginatis*; 6. denique *lectiſſima quæque altilia*. Poſſis reddere, *Et electis caleatis*, id eſt infarctis, & conſtipatis.

V. 24. A THAPHSA. Hebr. a *Thiphſach*. Putant eſſe urbem celebrem ad Euphratem, quam externi Scriptores Thapſacum vocant. Xenophon Lib. I. Cyropædiæ pag. 254. *Ad Euphratem fluvium procedit. Ibidem urbs ampla, & locuples erat, cui nomen Thapſacus*. Thapſaci plurima mentio apud Strabonem Lib. II. & XVI. Plinius Lib. V. cap. XXIV. *At in Syria oppidum Thapſacum quondam, nunc Amphipolis*. Meminit etiam eius Ptolemæus Lib. V. cap. XIX. AD GAZAM. Eam deſcripſimus in Gen. X. verſ. 19. & Ioſue X. verſ. 41.

V. 25. UNUSQUISQUE SUB VITE SUA, ET SUB FICU SUA, id eſt in prædiis, & agris ſuis. Synecdochica & proverbialis locutio, quæ plenius explicatur I. Machabæor. XIV. 8. quaſi dicat: Colebat quiſque in pace agros ſuos, & partis opibus ſecure fruebatur. A DAN USQUE BERSABEE. Vide Iudic. XX. 1.

V. 26. QUADRAGINTA MILLIA PRAESEPIA EQUORUM. II. Paralip. IX. 25. Hebr. *Quatuor millia ſtabula*, ſeu *præſepia equorum* tantum ponuntur. Quidam ita conciliant, ut revera quadraginta millia ſtabula ſeu præſepia equorum fuerint, & unuſquiſque equus ſuum ſtabulum ſeu præſepe habuerit, ut ſolent Reges ad magnificentiam ſingulos equos in ſingulis præſepibus ſeu ſtabulis ſeorſim & ſeparatim ab aliis habere: ut equi currules eſſent quadraginta mille, tot quot præſepia, ut Noſter in loco Paralip. expreſſit: at in Paralipomenis dicuntur quatuor millia præſepia, id eſt quatuor mille decades, ſeu decuriæ præſepiorum, ut ibi exponemus, quæ efficiunt quadraginta millia præſepia. Aliqui ſic: Ex his quadraginta millibus equorum, ſexdecim millia quatuor millibus curruum aptabantur, de quibus II. Paralipom. IX. 25. quaternis ſcilicet in ſingulos currus: reliqua 24. millia ad 12. mille equites pertinebant, de quibus hic mox, & in Paralipom. quorum quiſque habebat binos, ut ſit in ordinariis principum copiis. Alii hic ita reddunt: *Quadraginta millia equorum, in equibus equorum*: ut Hebr. ſit traiectio, *Præſepia quadraginta millium equorum*: nempe in quolibet præſepi ſeu equili erant decem equi: atque ita erant quatuor millia equilia ſeu præſepia, ut ſcribitur II. Paralip. IX. 25. Nonnulli ita convertunt: *Quadraginta millia præſepiorum equilium*; id eſt, ſtatus ordinarius a Salomone conſtitutus eſt de alimento præſtando huic equorum numero ad omnem neceſſitatem, nimirum myriadibus quatuor equorum, vel quater millenis decuriis, aut etiam quater millenis equitibus ſingulas decurias capientibus. Ita, inquiunt, conciliandus eſt hic locus cum II. Chronicor. IX. 25. Vide infra cap. X. verſ. 26. Aliene quidam hic vertunt: *Et fuerunt Salomoni quadragima millia impinguationes equorum*, id eſt *impinguatorum equorum*. Vocem ארות *uroth*, non *præſepia*, aut *ſtabula*; ſed *impinguationes*, quaſi *luces* & *illuminationes*, reddunt, id eſt equos lucidos, nitidos, conſpicuos. Sic Hiſpanice dicimus, *Luzios*. Biniamin pagina 43. Itinerarii: *Ieroſolymis in domo, quæ fuit Salomonis, viſuntur præſepia equorum a Salomone conſtructa, ædificium firmiſſimum, lapidibuſque conſtans maximis, cuiuſmodi fabricæ nullum in tota terra viſtur exemplum*.

V. 28. IUMENTORUM. Vox רכש *rechesch* quater tantum in Scriptura reperitur. Noſter Eſther VIII. 10. & 14. *veredarios celeres*; Michææ I. 14. *ſtuporem* reddiſſe videtur. Hebræorum nonnulli aiunt fuiſſe animalia quæ ignoramus. Alii volunt eſſe equos optimos & ſelectiores adhuc iuvenes. Nonnulli *opes regias* exponunt, id eſt animalia quæ in magno pretio apud Reges erant. Forſterus hæc annotat: *Rechesch, quantum ex locis Scripturæ, in quibus ponitur, cōniici poteſt, animal eſt celerrimum, vecturæ, & equitatui aptum. Quidam dromedarium, alii veredarium, alii ca-*

camelorum ſpeciem ſingularem eſſe volunt. Ego cum illis ſentio, qui muli eſſe ſpeciem aſſerunt, qui naſcitur conventione ſeu coitione equi, & onagri, ſeu aſini: & ut littera, ita modo tantum ſignificandi differre a verbo רגש *ragbaſch*. Accepit totidem fere verbis ex Reuchlino: eadem ferme Mercerus, & Marinus. At Avenarius inquit: *Receſch animal magni pretii, quod uſurpatur ad equitandum illo, dromedarius*: accepit etymon a רכוש *recuſch diviitiis*. Tremellius, & Iunius hic reddunt: *Et in angarios, id eſt celeres equos, qui vulgo dicuntur poſtæ, in ſtationibus Regis diſpoſitos. Vide Eſther* VIII. *verſ.* 10. & 14. Buxtorfius: *Receſch, maſculinum, equus, vel mulus levis & celer, tam ad equitatum, ut bodie ſunt poſtæ, quam vecturæ celeriori, ut cameratorum curruum*. Mercerus, & alii conſentiunt, eſſe animal citiſſimum ac velociſſimum, vecturæ aptum, & equitatui. Mercerus putat, ex II. Paralipom. IX. verſ. 24. Si conferas cum hoc loco, comperies pro hoc *receſch*, poſitum פרדים *peradim*, *mulos*, quod ego non ſatis ſolidum exiſtimo. Si meum utcumque iudicium eſt audiendum, arbitror, conſentiente voce, eſſe id quod Hiſpanice vocant *requa*, vel *requas*: nempe longum agmen ſeu ſeriem mulorum, qui merces, & commeatus in varia loca tranſvectare ſolent. Sic Hebr. dictas, quod opes, merces, Hiſpanice *riquezas*, tranſportare ſoleant. Unde appoſite Hiſpanicus Interpres, *Y para las beſtias de carga*. IUXTA CONSTITUTUM SIBI. Hebr. *Quiſque ſecundum indicium ſuum*. Quidam: *Quiſque iuxta domenſum ſuum*. Alii: *Quiſque pro ratione ſua*, vel *pro more ſuo*. Proprie: *Quiſque iuxta normam, menſuram, regulam ſuam*, vel *modum ſuum*.

V. 29. ET LATITUDINEM CORDIS. Aliqui, *amplitudinem animi*, vel *mentis*, id eſt mentem multarum rerum capacem. Alii, *cor magnanimum*. QUASI ARENAM, QUI EST IN LITTORE MARIS. Quidam ad amplitudinem loci referunt; quaſi dicat: Tam amplam mentem, quam amplum locum occupat arena quæ eſt in littore maris: unde reddunt: *Secundum amplitudinem arenæ, quæ eſt in littore maris*. Alii ad numerum: Id eſt, dedit illi Deus mentem ſua capacitate tam multa intelligentem & complectentem, quam multa eſt arena quæ eſt in littore maris.

V. 30. SAPIENTIAM OMNIUM ORIENTALIUM. Hebr. *omnium filiorum orientis*; id eſt, ſuperabat omnes exteros cognitione liberalium artium & ſcientiarum, præſertim Arabas, Chaldæos, Perſas, Indos, & alios orientales, qui tunc temporis plurimum in philoſophia, aſtrologia, mathematicis, & magia florebant. Vide Diogenem Laertium in Præfatione ad vitas Philoſophorum. ET AEGYPTIORUM. Hebr. *Et præ omni ſapientia Ægyptiorum*. Sapientia AEgyptiorum olim celebris fuit, vel teſtimonio etiam Stephani Martyris, Actor. VII. 22.

V. 31. CUNCTIS HOMINIBUS. Quidam exponunt, *Iſraelitis*. Alii univerſe, *Omnibus hominibus, qui tunc vivebant*. ETHAN EZRAHITA, &c. Hic, & tres ſequentes nominantur I. Paralip. II. verſ. 6. Omnes quatuor fuerunt fratres filii Zerach filii Iudæ ex nuru Thamar, ut ibidem dicitur: unde videntur multo ante tempora Salomonis vixiſſe: qui habiti ſunt ſapientiſſimi ætate ſua, & duo ex his, Heman, & Ethan, auctores Pſalmorum LXXXVII. & LXXXVIII. *Ezrahita*. Hebr. *Ezrachitæ*. Exponunt: Id eſt, qui Zeracho progenitus, & quem Iehudas ſuſcepit e Thamare, I. Paralip. II. 6. DORDA. Hebr. *Dardagh*, I. Paralip. II. 6. vocatur *Daragh*. FILIIS MACHOL. Hic videtur eſſe Zerach, Geneſ. XXXVIII. verſ. 30. Alii diverſum ſtatuunt. Vide I. Paralipom. II. verſ. 6.

V. 32. TRIA MILLIA PARABOLAS: ET FUERUNT CARMINA EIUS QUINQUE ET MILLE. Deploranda iactura! nam ex his ea tantum collecta, & in Eccleſiæ theſaurum importata ſunt, quæ Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, & Canticorum libris continentur: reliqua, & illa etiam omnia commentaria, quæ verſu ſequenti commemorantur, fidei hominum commiſſa interciderunt. Vide infra cap. XI. verſ. 41.

V. 33. USQUE AD HYSSOPUM. Hebr. *Ezob*: de quo vide Exodi XII. verſ. 22. quaſi dicat, A maxima uſque ad minimam plantam.

MENOCHII.

Verſ. 1. REGNANS SUPER OMNEM ISRAEL, a principio ſcilicet

licet regni, non ſicut David, qui tantum poſt annum ſeptimum.

V. 2. HI PRINCIPES QUOS HABEBAT, viri ſcilicet primarii, ſupremos magiſtratus in curia gerentes. AZARIAS FILIUS SADOC. Hic cum reliquis duobus, qui ſtatim nominantur, ſcriba erat. Quod munus eſſet ſcribæ, diximus II. Reg. VIII. num. 17. Salianus hunc locum interpretans, docet ſcribarum munere contineri ſcientiam recte legendi & ſcribendi ſcripturas (cum olim litteris tantum conſonantibus ſcriberentur, & per notas, & myſtica compendia litterarum;) tum etiam eaſdem ſcripturas intelligendi & interpretandi.

V. 3. A COMMENTARIIS. Vide dicta II. Reg. VIII. num. 16.

V. 4. SADOC AUTEM ET ABIATHAR SACERDOTES. Sadoc ſolus exercebat pontificalia miniſteria; Abiathar vero ſacerdos dicitur, quia etiamſi electus eſſet a Pontificatu, nomen tamen & dignitatem retinebat, ſicut ſolent Epiſcopi qui Epiſcopatu ceſſerunt.

V. 5. SUPER EOS QUI ASSISTEBANT REGI: qui Regi aderant ut conſiliarii. Præſes regii conſilii. SACERDOS. Vide dicta II. Reg. VIII. 18. AMICUS REGIS. Aliqui putant eſſe nomen muneris alicuius. Alii ſignificari ſolum exiſtimant Zabud Regi carum, & amicum fuiſſe. Italice dicimus, *Favorito del Re*.

V. 6. PRÆPOSITUS DOMUS: is nimirum qui Regis familiam Regis nomine moderatur. Septuaginta *œconomum* vocant. SUPER TRIBUTA: præfectus tributis exigendis, & in regium ærarium inferendis.

V. 11. FILIAM SALOMONIS HABEBAT UXOREM. Idem ſtatim dicitur de Achimaas num. 15. qui alteram Salomonis filiam duxit; ſed hæc anticipata narratione dicuntur a ſacro hiſtorico, nam hoc tempore Salomon nubiles filias habere non potuit.

V. 21. SALOMON AUTEM ERAT IN DITIONE SUA, HABENS OMNIA REGNA A FLUMINE, &c. Senſus eſt: Salomon incipiendo a flumine Euphrate, & progrediendo verſus AEgyptum, habebat omnia regna intermedia terræ, etiam Philiſthiim, uſque ad terminum AEgypti. Vide S. Auguſtinum in Joſue quæſt. XXI. Tom. IV.

V. 22. CIBUS SALOMONIS, domus ſcilicet, & familiæ Salomonis. TRIGINTA CORI SIMILAE, &c. Cum corus decem ephi, ſive triginta ſata, quæ & modii dicuntur, contineat, & ſingula ſata ſingulis hominibus in diem unum ſufficiant; ſequitur, panem qui quotidie dabatur ad annonam Salomonis, duobus hominum millibus & ſeptingentis ſufficiſſe. Vide Cornelii a Lapide opuſculum de ponderibus, & menſuris ad finem Pentateuchi.

V. 23. PASCUALES; quaſi dicat, Non ſaginati, ſed quales e paſcuis redeunt. BUBALORUM. De bubalis vide dicta Deuteron. XIV. 5.

V. 24. A TAPHSA USQUE AD GAZAM. Sunt termini latitudinis regni Salomonis, ſicut num. 21. poſiti ſunt termini longitudinis. Itaque Taphſa poſita fuiſſe videtur ultra flumen Iordanis ad orientem.

V. 25. SUB VITE, &c. quaſi dicat: Etiam ruri libere agebant nullum timentes hoſtem. A DAN USQUE BERSABEE: qui, ut ſæpe dictum eſt, extremi ſunt termini regni Iſraelitici, Dan quidem ad ſeptemtrionem, Berſabee autem ad auſtrum.

V. 26. QUADRAGINTA MILLIA PRAESEPIA EQUORUM CURRILIUM; id eſt, quadraginta millia equorum: nam II. Paralip. IX. num. 25. expreſſe dicitur: *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis*. DUODECIM MILIA, ſcilicet præſepiorum EQUESTRIUM: quod eodem modo explicandum eſt, ut ſcilicet ſint equorum duodecim millia, ut eodem loco Paralipom. habetur, ubi legimus: *Equitum duodecim millia*: totidem ergo equi.

V. 29. LATITUDINEM CORDIS, id eſt capacitatem. QUASI ARENAM; quaſi dicat, Capiendi pene in finita.

V. 30. SAPIENTIAM ORIENTALIUM ET AEGYPTIORUM: quorum ſapientia in aſtrorum cognitione in primis verſabatur.

V. 31. ETHAN EZRAHITA, &c. Cum Ethan inter cantores numeretur I. Paral. XV. 19. videntur etiam alii qui cum eo hic numerantur, cantores & muſici fuiſſe, ut exiſtimat Abulenſis, & Pineda. Lyranus etiam eos cantores, & levitas fuiſſe ait. HEMAN. Heman inter principes cantorum a Scriptura numeratur I. Paralip. XV.

xv. 19. & cap. xxv. 4. quo etiam capite numero quinto dicitur: *Videns Regis in sermonibus Dei*. Fuit autem etiam hic Ezrahita, ut patet ex titulo Pſalm. LXXXVII. & LXXXVIII. Reliquorum qui hic numerantur, nuſquam alibi meminit Scriptura.

V. 32. PARABOLAS. Parabola eſt ſimilitudo, & comparatio. Erat autem apud Hebræos Rabbinos frequens docendi modus per ſimilitudines, & parabolas, quorum ſe conſuetudini Chriſtus Dominus accommodavit. Parabola autem ſermonem obſcurum ſignificat, & ænigmaticum. Quare Matth. XIII. 10. quærentibus diſcipulis, *Quare in parabolis loqueris eis?* reſpondit Dominus: *Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum*. CARMINA EIUS QUINQUE ET MILLE. Liber odarum Salomonis, quem ediderat, inquit Vatablus, complectebatur mille & quinque odas. Septuaginta habent *quinque millia*; ſed in Hebræo, & Chaldæo eſt ut in vulgata noſtra editione.

V. 33. DISPUTAVIT SUPER LIGNIS. De ſe ipſo idem Salomon dicit Sap. VII. 20. didiciſſe ſe *naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque ſunt abſconſa, & improviſa*. USQUE AD HYSSOPUM. De hyſſopo vide dicta Exod. cap. XII. verſ. 22. AB UNIVERSIS REGIBUS TERRAE, qui legationibus miſſis quæſtiones, & ænigmata proponebant, id per alios facientes quod Regina Saba per ſeipſam fecit, quæ ultro venit, & ſapientiam Salomonis ſuis auribus audivit.

TIRINI.

Verſ. 4. SADOC ET ABIATHAR SACERDOTES, nempe ſummi. Aſt cap. II. audivimus deiectum Pontificatu Abiatharem, & in exilium ablegatum. Unde patet, non hic recenſeri ordinem miniſtrorum a ſolo Salomone conſtitutorum, ſed quoſdam interſeri qui a patre eius Davide deſignati fuerant, licet poſt a Salomone a ſuo gradu deiecti ſint; uti contigit huic Abiathari Pontifici, & quibuſdam aliis. Quidam etiam per anacephalæoſin, repetitis nominibus & miniſteriis; quidam denique per prolepſin, anticipata narratione commemorantur; verbi gratia, Ben-Abinadab verſ. 11. dicitur *Taphet filiam Salomonis habuiſſe uxorem*: & Achimaas verſ. 15. *habuiſſe Baſemath* alteram *Salomonis filiam in coniugio*: quæ non niſi multis poſt annis contigiſſe potuerunt.

V. 21. A FLUMINE TERRAE PHILISTHIIM. Hebraice eſt, *A flumine*, ſcilicet Euphrate, *& terra Philiſthiim*, quæ adiacebat mari magno ſeu mediterraneo. USQUE AD TERMINUM AEGYPTI, nempe fluvium Rhinocoruram *a*, ſeu Rhinocorulam, qui & *Sihor b AEgypti*, & *torrens AEgypti c*, & *torrens d deſerti* vocari ſolet. Habes ergo hic tres terminos extremos terræ promiſſæ, unum a parte auſtrali, fluvium Rhinocoruram, ſicut a ſeptemtrionali erat mons Libanus; alterum ab occidentali, terram Philiſthinorum ſeu mare mediterraneum; tertium ab orientali, flumen Euphraten. Atque ita completam hic vides divinam promiſſionem factam Abrahæ Gen. XV. verſ. 18. *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio AEgypti, uſque ad fluvium magnum Euphraten*.

V. 26. QUADRAGINTA MILLIA PRAESEPIA EQUORUM CURRILIUM, ſeu iugalium, quia iuga ſubeunt, & currus trahunt. Cum enim Philiſthæi ſubinde triginta millia curruum ad bella ſecum traherent, I. Reg. XIII. 5. nolebat Salomon vel illis, vel ullis qui bellum aliquando movere poſſent, ea ex parte cedere. Deinde ad rem rufticam, ad templi, ad tot palatiorum conſtructionem, ad ſaxa, ad ligna, ad annonam convehendam egebat ingenti numero tum equorum, tum curruum. Ad faſtum vero ſeu pompam regiam, ad devehendas pro dignitate tot reginas, tot concubinas, ſerviebant alii currus nobiliores, quorum numerum habes II. Paralipom. I. 4 *Facti ſunt ei mille quadringenti currus, qui erant cum Rege in Ieruſalem*, uti & *duodecim* illa *millia* equorum nobiliorum, quibus & honorarii Regis & familiares vehebantur in comitatu Regis, ſaltem ſolemniore. Tanto equorum numero coacervando putant plerique peccaſſe Salomonem, cum id diſerte vetitum eſſet Deuter. XVII. verſ. 16. *Cum fuerit conſtituturus Rex, non multiplicabit ſibi equos*. Et ideo tam Ioſue *f*, quam David *g* ſubnervabant quos ex hoſte na-

nacti ſunt equos ; & currus incendio dedebant. Et fortaſſe ſumptus nimii, de quibus Iſraelitæ mortuo iam Salomone apud Roboam conqueruntur , III. Reg. XII. verſ. 4. ex pabulo tot equis ſubminiſtrando , magna ex parte ortum habuerunt. Vide Serarium, Pinedam, & Sanctium *b*. Abulenſis tamen , & nonnulli alii , Salomonem a peccato , ſaltem graviori , vindicare conantur, partim ob bonam intentionem qua id fecit ; partim ob neceſſitatem, ut ante expoſui.

V. 29. ET LATITUDINEM CORDIS, id eſt magnanimitatem , qua quæ ſapientia & prudentia ſuggerebant, ex uſu ſeu communi, ſeu proprio fore, audebat conſeſtim in opus conferre, nullo metu, nullo ſcrupulo retardante . Quomodo & de Alexandro Magno ſcribunt Hiſtorici , ipſum & in dubiis enodandis ſapientiſſimum ſolertiſſimumque fuiſſe, & quod ſemel decreviſſet, ſtrenue , ſtatim, atque conſtanter executioni mandaſſe. Et ſane abſque hac dote fruſtra videri poſſit omnis & prudentia , & ſolertia , & ſapientia : nam cui hæ bono, ſi non audeat quis uti?

V. 31. SAPIENTIOR ETHAN EZRAHITA, qui & poeta, & muſicus erat præcellentiſſimus , ut colligitur ex I. Paralip. XV. 19. & ex titulo Pſalm. LXXXVIII. qui inſcribitur , *Intellectus Ethan Ezrahitæ* . Et hinc veroſimile eſt, ut etiam ex nominibus patet , tam hunc Ethan , quam reliquos, quibus hic Salomon præfertur, Hebræos fuiſſe. Et ita docet Joſephus *i* , & communiter Interpretes dicunt fuiſſe nepotes Patriarchæ Iudæ, uti dixi in eius *k* Genealogia.

(*a*) Ioſue XIII.
(*b*) I. Paralip. XXII. verſ. 5.
(*c*) II. Paral. VII. verſ. 8.
(*d*) Amos VI. verſ. 15.
(*e*) III. Reg. IV. verſ. 26. & II. Par. I. verſ. 14.
(*f*) Ioſ. XI. verſ. 9.
(*g*) I. Paralip. XVIII. verſ. 4.
(*h*) Serar. in Ioſ. XI. quæſt. VII. Pineda ſup. Lib. VII. cap. XIV.
(*i*) Joſeph. Lib. VIII. Antiq. cap. II.
(*k*) Chronici cap. XVI.

GORDONI.

Verſ. 2. ET HI PRINCIPES, &c. Habet hæc narratio, præſertim quæ eſt de præpoſitis & regni miniſtris , aliqua immurato ordine per metalepſim recenſita : nam Abiathar hic verſ. 4. componitur cum Sadoc, & tamen cap. II. verſ. 26. abire magiſtratu coactus eſt . Habes ergo hic regni ſtatum , qualis fuerit ab aliquot annis , ad hunc uſque Salomonis annum qui forte tertius eſt: nam quartus dabit initium templo . Azarias eſt filius Achimas filii Sadoc. Vocatur ergo *filius* , id eſt nepos.

V. 3. SCRIBÆ. Hi ſunt a commentariis , vel epiſtolis : de quo officio dixi II. Reg. VIII. 16.

V. 5. AZARIAS FILIUS NATHAN. Hic Regi amicus , ſeu intimus vocatur , arcanorum præfectus. SUPER EOS QUI ASSISTEBANT REGI , id eſt ſuper duodecim præfectos: de quibus verſ. 7.

V. 7. HABEBAT AUTEM SALOMON DUODECIM PRAEFECTOS , &c. Sic diviſo regno in duodecim præfecturas, quilibet menſis ſuum habebat annonæ curatorem: & quid ſinguli menſibus eſſet conferendum, erat conſtitutum.

V. 11. CUIUS OMNIS NEPHATDOR. Chald. *Regiones Dor*. Alii, *Terminus Dor*. TAPHET FILIAM SALOMONIS. Per anticipationem dictum: nondum enim filiam habebat Salomon . Simile eſt verſ. 5.

V. 13. AVOTHIAIR, *Villæ Iair* . De his Iudic. X. 4. & Numer. XXXII. 41. & Deuter. III. 14. ARGOB , aliqui Traconitidem notant , ſeu Baſan : eſt regio fertilis in tractu Galaaditano . Hic regnarunt Sehon Rex Amorrhæorum , & Og Rex Baſan: dicta terra Gigantum , cuius civitates munitæ mire extolluntur, Deut. I. 28. Portas hic aliqui præter repagula intelligunt vel ferreas, vel laminis ferreis intectas.

V. 20. IUDA ET ISRAEL. Infinita hominum multitudo ibi ſub Salomone laute vivebat. Hoc, temporis illius pacem , & felicitatem declarat.

V. 21. SALOMON AUTEM ERAT IN DITIONE SUA, HABENS OMNIA REGNA A FLUMINE PHILISTIIM USQUE, &c. Hæc verba plerique ita interpretantur ut ſub Salomone termini ditionis fuerint Euphrates , mare magnum , Dan, & Berſabee, qui ex tabulis geographicis notiſſimi ſunt. Dan verſus ſeptemtrionem in Phœnicia ad radices montis Libani ; Berſabee vero verſus auſtrum .

Mare magnum est mediterraneum. Euphrates ultra Iordanem est. En completam promissionem, Gen. cap. xv. vers. 18.

V. 22. Corus in se continet triginta modios: de quo dixi Gen. cap. xviii.

V. 26. Quadraginta millia, &c. Plures hic recenseri videntur equi quam II. Paralip. i. 14. verum equorum alii erant iugales, & currus seu plaustra trahunt: alii ad bella & alios usus, aut ad ephippia: sunt etiam ad sobolem. Sane hæc omnia equorum genera ubique recenseri non erat necesse. Ceterum huius versiculi quem nunc in manibus habemus sensus est iuxta vulgatam receptamque editionem: Habebat Salomon in stabulis curruum (hoc est equorum currilium) quadraginta millia, & equorum equestrium (hoc est ad cursum & dignitatem) duodecim millia; quibus totidem respondebant equites: nec tamen eadem in provincia hæc omnia fuerunt. Fateor rem hanc ex. postulare prolixionem diligentiam, ut fiat satis curioso lectori. Legi potest Salianus an. 3044. num. 9. 10. & deinceps.

V. 32. Tria millia parabolarum. De scriptis Salomonis vide Sixtum Senens. Lib. II. Bibl. verbo Salomon, & Pinedam de reb. Salom. Longe plura carmina, pluresque parabolas vel scripsit, vel locutus est Salomon, quam quæ nunc extant: an vero quæ nunc extant Salomonis opera, sint ab ipsomet edita, vel ab aliis, post iacturam aliarum partium collecta Ezechiæ Regis vigilantia, non ita certum est. Attigi hoc ad initium Proverbiorum. Carmina eius quinque et mille. LXX. πενταχισχίλιοι, *quinque millia*: ita etiam Pagninus: ita ut redundet coniunctio Hebraica, ut fit aliquoties.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 30. Et erat sapientior omnium Orientalium et Aegyptiorum. AEgyptiorum sapientia fere in astrorum cognitione erat.

V. 33. Putantur hi omnes cantores fuisse. Vide I. Paralip. xv. 19. & xxv. 4.

CAPUT V.

Concedit Hiram Salomoni ad templi ædificationem cæsores lignorum, quibus Salomon tribuit cibaria: numerus cæsorum, portantium onera, latomorum, & præfectorum eorum.

1. Misit quoque Hiram Rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim * quod ipsum unxissent Regem pro patre eius: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. 2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: 3. Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. 4. * Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non est satan, neque occursus malus. 5. (*a*) Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. 6. † Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, & servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit

rit ligna cædere ſicut Sidonii. 7. Cum ergo audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum. 8. Et miſit Hiram ad Salomonem, dicens. Audivi quæcumque mandaſti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. 9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari, uſque ad locum quem ſignificaveris mihi: applicabo ea ibi, & tu tolles ea: præbebiſque neceſſaria mihi, ut detur cibus domui meæ. 10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius. 11. Salomon autem præbebat Hiram * coros tritici viginti millia, in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos. 12. (*b*) Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, ſicut locutus eſt ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus. 13. Elegitque Rex Salomon operarios de omni Iſrael, & erat indictio triginta millia virorum. 14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita ut duobus menſibus eſſent in domibus ſuis: & Adoniram erat ſuper huiuſcemodi indictione. 15. Fueruntque Salomoni ſeptuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: 16. abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo & his qui faciebant opus. 17. Præcepitque Rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos, in fundamentum templi; & quadrarent eos: 18. quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, & cæmentarii Hiram: porro Giblii præparaverunt ligna & lapides ad ædificandam domum.

(*a*) II. Reg. VII. 23. I. Par. XXII. 10. (*b*) Sup. III. 12.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 1. *Quod ipſum unxiſſent Regem.* Non addas *ſuper Iſrael.*

V. 4. *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus mihi.* Non omittas *Dominus.*

V. 11. *Coros tritici viginta millia.* Alii minus congrue inverterunt ordinem, *viginti millia coros tritici.*

Lectionum Varietas.

V. 6. *Præcipe igitur ut præcidant mihi ſervi tui.* Non inconſulto videtur a multis omitti *ſervi tui.*

Ibidem. *Quamcumque petieris: ſcis enim quomodo.* Quidam boni libri habent *præceperis* pro *petieris*, & *quoniam* pro *quomodo.*

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. MISIT, ſcilicet gratulatu. *V.* 3. TU SCIS, &c. Heb. Chald. & LXX. *Tu noſti patrem meum, quod non potuerit ædificare.*

V. 4. SATAN, id eſt adverſarius.

V. 5. NOMINI, id eſt in honorem.

V. 9. DOMUI MEAE: ſcilicet quo alantur iſti qui tibi inſervient.

V. 11. ANNOS, ſcilicet quibus illius opera uſus.

V. 13. ELEGITQUE. Hebr. *Tulitque nomine tributi.* INDICTIO. Heb & LXX. *Tributum.*

V. 14. ESSENT, id eſt manerent: ſcilicet ſingulis menſibus ſola decem millia operabantur, adeoque ſingula duobus menſibus quieſcebant, deinde ad opus redibant.

V. 15. PORTABANT, ſcilicet e montibus utque ad locum ubi poſſent curribus

uti. LATOMORUM. Hebr. *cædentium*, ſcilicet lapides.

V. 16. ET HIS; pro, id eſt iis.

V. 17. PRETIOSOS, id eſt optimos. TEMPLI. Hebr. Chald. & LXX. *Domus*, ſcilicet Dei.

V. 18. GIBLII: ex Giblo urbe Phœniciæ.

ESTII.

Verſ. 2. MISIT AUTEM SALOMON AD HIRAM, &c. Per id quod opera gentilium & infidelium Tyriorum templum ædificatum ſit, duplex myſterium inſinuatum fuit. Nam primo præfiguratum eſt, gentilem populum potiſſimum ædificaturum Eccleſiam Chriſti, cuius templum illud Salomonis typus erat. AEdificaverunt enim Eccleſiam principaliter, primum doctores & paſtores Eccleſiæ, quales ex gentilibus plurimi, & fere omnes poſt Apoſtolos extiterunt. Deinde & omnes boni fideles ex gentibus collecti, dum bonis operibus, & ſancta converſatione etiam alios invitant, & adducunt, ut ſe tamquam lapides vivos ædificio ſpirituali Eccleſiæ adiungant. Altera autem myſtica ſignificatio eſt, non eſſe contemnendum, ſed in uſum pietatis vertendum a nobis, ſi quid in ethnicorum ſcriptis, vel etiam factis utile & laudabile reperitur, uti fecerunt præſtantiſſime quique Eccleſiarum magiſtri, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Thomas Aquinas, & alii, ſpoliis AEgyptiorum ornantes hac ratione tabernaculum Dei.

MARIANAE.

Verſ. 1. MISIT QUOQUE HIRAM, ſcilicet ad fœdus ſanciendum, gratulatuque. Ad eum Salomon:

V. 3. TU SCIS VOLUNTATEM DAVID. Hebr. Græc. & Chald. *Tu noſti David patrem meum, quod non potuerit.* PROPTER BELLA IMMINENTIA PER CIRCUITUM. Hebr. *Propter bellum* (id eſt bella) *quæ circumdederunt eum.* DONEC DARET DOMINUS EOS; ſupple, hoſtes. Chald. *Propter belligeratores qui circuierunt eos, donec daret eos Dominus.* Itaque *bellum* ſumit pro bellantibus. Non potuit ædificare templum.

V. 6. NON EST IN POPULO MEO VIR QUI NOVERIT LIGNA CAEDERE SICUT SIDONII. Tyrus, & Sidon vicinæ, utrique Hiram imperavit.

V. 8. IN LIGNIS CEDRINIS ET ABIEGNIS faciam quod vis. Plura offert Hiram quam Salomon petierat.

V. 9. ET APPLICABO EA IBI. Loco quem deſignaveris, eo deveham. Sept. *excutiam*. Chald. *coniiciam*. Pagn. *diſſolvam*. Eadem ſignificatio: fore ut ibi deponeret ligna, & rates reduceret. Porro rates ex multis trabibus colligatis conpinguntur, idque ſignificat Hebr. vox *Debereth*. UT DETUR CIBUS DOMUI MEAE; id eſt, iis qui in opere tuo verſantur, præbebis neceſſaria.

V. 11. VIGINTI COROS PURISSIMI OLEI præbebat Salomon. Hebr. *olei contuſi*: ſic Sept. & Chald. ſed id oleum eſt puriſſimum, quoniam ſine prælo exprimitur contuſis olivis.

V. 13. ELEGITQUE REX SALOMON OPERARIOS. Hebr. *Et aſcendere fecit* (pro, impoſuit) *Rex Salomon tributum ex omni Iſrael: & fuit tributum triginta millia viri.* Vide genus tributi, operas gentis.

V. 14. ADONIRAM ERAT SUPER HUIUSCEMODI INDICTIONE. Hebr. *tributo*. Adoniram illud exigebat.

V. 15. SEPTUAGINTA MILLIA EORUM QUI ONERA PORTABANT, ſcilicet ſuis humeris: ideo tam multis opus erat, & fortaſſe per menſes, ut alii priores verſ. 14. dividebantur ſex millia ſingulis menſibus. LATOMORUM. Sic Sept. Sunt *latomi* iiſdem qui lapicidæ. Hebr. *octoginta millia cædens* (pro *cædentes*: ſic Chald.) neque explicat cæderent lapides, an ligna, quod plerique malunt. Præcepit ut tollerent

V. 17. LAPIDES PRETIOSOS. Non intelligas gemmas, ſed optimos, ut marmora, iaſpides vario colore. ET QUADRARENT EOS. Hebr. *lapides dolatos*: ſic Sept. Chald. *Lapides cæſos eruerent.*

V. 18. PORRO GIBLII. Sic Sept. nimirum cives Gibla in ea arte dolandi præ ceteris periti. Alii vocem a *Gabal* deducunt, quæ Hebr. ſignificat *terminare*, & putant ſignificare *dolatores*, *lapicidas*, quoniam

niam ad menſuram lapides quaſi ad terminum perducunt. Chald. *cæſores* pro *Giblim* poſuit. Ii ligna, & lapides præparabant.

MALVENDAE.

Verſ. 1. QUIA AMICUS FUERAT HIRAM DAVID OMNI TEMPORE. Hebr. *Quia amans fuit Chiram Davidi omnibus diebus*. Exponunt: Id eſt, quam cum Davide contraxerat amicitiam, II. Samuel. v. 11. & I. Paralipom. XIV. 1. numquam interrupit.

V. 3. PROPTER BELLA IMMINENTIA PER CIRCUITUM. Hebr. *A faciebus belli, quo circumdederunt eum*. Quidam: *Propter viros belli, qui circumdederunt eum*: vel *propter bella, quibus circumdederunt eam hoſtes*. Alii: *Propter bellum*, hoc eſt omne bellum, & bellum, ſeu unumquodque bellum, id eſt bella *quæ circumderunt eum*.

V. 4. NEQUE OCCURSUS MALUS. Explicant: Non eſt qui infeſtet patriam meam incurſionibus: non eſt quiſquam, qui diſtinem meam invadat. Alii: *Non eſt occurſus mali*, quod ſit mihi impedimento.

V. 5. COGITO. Hebr. *Ego dicens*, vel *dico*; ſubaudi, apud me: vel ſtatuo, decerno: ſic Exodi XIV. vel *ego meditor*. SICUT LOCUTUS EST DOMINUS, &c. II. Samuel. VII. verſ. 13.

V. 9. ET EGO COMPONAM EA IN RATIBUS IN MARI. Hebr. *Et ego ponam ea rates in mari*. Quidam: *Et ego diſponens ea ratibus per mare*, &c. Alii: *Tum componam ea rates, vehens ea in mari*. Hebr. indicant, non poſuiſſe ligna in ratibus; ſed ipſa ligna ut rates, ſeu rates feciſſe, ac in modum ratium diſpoſuiſſe. דברות *doberoth* aiunt eſſe *ligna, ſeu arbores in ordinem, & ſeriem colligata, ut ſuper aquas duci poſſint*, nimirum ab ordine, & ductu, quod ordinatæ per mare, & flumina ducantur. Et *rates* Latinis dicuntur navigia temere facta, & incondita, ut ſunt trabes connexæ, & ſine fabrica compactæ. *Scheda* olim vocabantur. Feſtus: *Schedia genus navigii incondidi trabibus tantum inter ſe connexis facti*. Hiſpani appellant *balſas*, ſeu *almadias*. Sic videtur Hiram colligaſſe inter ſe trabes cedrorum, ut ipſæ ita per mare traherentur, ac impellerentur quaſi rates: quod indicat etiam quod mox ſubditur: *Et diſſolvam, diſparabo ea ibi*. USQUE AD LOCUM QUEM SIGNIFICAVERIS MIHI. Hebr. *Uſque ad locum quem mittes ad me*. Quidam: *Uſque ad locum quem mandaveris mihi*. Alii: *Per mare mittam uſque ad locum quem miſeris ſignificatum mihi*. ET APPLICABO EA IBI. Hebr. *Et diſpergam ea ibi*. Quidam exponunt: *Et diſpergam eas ibi*, ſcilicet rates. Sed cum pronomen ſit maſculeum, incommode refertur ad rates, quæ ſunt feminei generis: rectius conſtruatur cum lignis; id eſt, ligna ipſa, quæ in modum ratium ſeu ſchediarum incondite connexa & colligata, mari devecta fuerunt, ibi diſpergam, diſſolvam, diſparabo, diſſipabo (hæc enim eſt vis verbi נפץ *naphatz*;) ut ea tu inde tollere poſſis. Quidam non tam recte: *Et exponam ea ibi*.

V. 11. VIGINTI MILLIA COROS TRITICI. Efficiunt ſexcenta millia modiorum. De coro vide ſupra cap. IV. 22. Totidem coros hordei, & vini dediſſe, II. Paralipom. II. 10. ſcribitur. Synecdoche.

V. 13. ELEGITQUE REX SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, &c. Hebr. *Et aſcendere fecit Rex Selemoh contributionem de omni Iſrael*, &c. id eſt, aſcendere fecit triginta millia virorum contributorum ex omni Iſrael, in Libanum, ut verſ. ſequenti ſe exponit. Alii: *Et indixit, impoſuit, Rex Salomon tributum perſonale*, ſeu *dilectum, ex toto Iſraele*, &c. Sic verſ. ſequente. Quidam: *Extraxit quoque Rex Salomon ſummam ex omni Iſraele, fuitque ſumma illa triginta millia virorum*. Notant, omnes iſtos Iſraelitas fuiſſe ac curatores operum illorum 150000. operariorum de quibus verſu ſequente.

V. 14. PER MENSES SINGULOS VICISSIM. Hebr. *In menſe, mutationibus*. Quidam: *In menſem*, ſeu *per menſem, alternis*, ſeu *alternatim*, aut *permutatim*: quia ſingulis menſibus permutabantur, & innovabantur, aliis abeuntibus, & aliis advenientibus.

V. 15. SEPTUAGINTA MILLIA .... ET OCTOGINTA MILLIA, &c. Hi omnes 150000. II. Paralipom. II. 17. dicuntur גרים *gherim*, id eſt *alienigenæ, peregrini, advenæ, inquilini*: Noſtro *proſelyti*. Qui aliunde profecti, in terra Iſraeli-

ti-

tica habitabant. LATOMORUM IN MONTE. Hebr. *excidentium*, *cæsorum*, *in monte*. Ambiguum illud *cæsorum*, an lapidum, aut lignorum. Nonnulli lignorum intelligunt, unde reddunt: *Lignorum cæsores in monte*. Alii: *Putatores in illo monte*, scilicet Libano, de quo supra vers. 14. nam non recte alii montem alium accipiunt: is enim per excellentiam mons simpliciter dicitur; id est, qui ligna cædebant, & putabant. LXX. Noster, & plerique alii, *Cæsores lapidum*, seu *latomos*, interpretantur, qui excidebant, & cædebant lapides in latumiis illius montis Libani. Verbum חצב *chatzab* ordinarie ac proprie de excisione lapidum usurpari solet; quamvis Isaiæ x. 15. de lignorum cæsione dici videatur. Haud absurde hic intelligemus utrumque, cæsores lapidum, & lignorum.

V. 16. ABSQUE PRAEPOSITIS, &c. Hunc versum diversimode ex Hebr. convertunt: 1. *Præter principes præfectorum Salomonis, qui erant super opus, tria millia & trecenti, qui præerant populo qui faciebat opus*: 2. *Præter eos quos Salomon habuit præfectos operi, nempe tria millia & trecentos, qui præerant multitudini quæ faciebat opus*: 3. *Præter principes curatorum Scelomonis, qui præerant illi operi, ter mille trecentos, qui dominabantur populo, facientibus opus*. Huic versui non satis convenit cum II. Paralipom. II. 2. & 18. nam qui hic numerantur ter mille trecenti, ibi ter mille sexcenti dicuntur: quocirca quidam, ut concilient, ita hunc versum explanant: Id est, præter peregrinos illos ter mille, de quibus II. Paralip. II. 2. & 18. quos curatores illi Israelitæ triginta mille, de quibus supra vers. 13. præfecerant centum quinquaginta millibus operariis: ita ut essent e tribus millibus singuli quingenis operariis præfecti; sexcenti vero reliqui alternis ab his tribus millibus rationem exigerent, singuli ab eorum denis. Ideo hic trecenti tantum tribus millibus adduntur, in Paralipomenis autem sexcenti, annumeratis etiam trecentis, qui vicarias operas præstabant. Alii conciliant, ut trecenti fuerint immediate præfecti operaris, alii trecenti, quibus illi præfecti rationem redderent: trecenti præfecti ipsis operis; quod hic dicitur: & trecenti alii præfecti illis præfectis; quod in Paralipomenis additur.

V. 17. LAPIDES PRETIOSOS. Non quidem gemmas, sed tamen in genere suo forma & magnitudine præstantes, seu optimos, & magni pretii. Quidam reddunt *lapides raros*, ut accipitur hæc vox I. Samuel. III. 1. id est raræ & æxquisitæ magnitudinis, & præstantiæ. Sic infra cap. VII. vers. 9. 10. & 11. ET QUADRARENT EOS. Hebr. *lapides vulsionis*, id est vulsos, detonsos. Alii, *dolatos*, *politos*. Nonnulli, *cæsos*, vel *cæduos*. Vide Exodi XX. vers. 25.

V. 18. GIBLII. Hebr. *Ghiblim*. Aliqui aiunt fuisse istos vicinos Sidoniis, in Gabala Phœniciæ tetrarchia, quam Plinius Lib. V. cap. XVIII. appellat *Gaben*, seu, ut alii codices habent, *Gabalam*. Plerique Byblios putant, a Byblo insigni Phœniciæ urbe, de qua vide Comm. in Iosue XIII. vers. 5. Alii appellative exponunt, *Dolatores*, *quadratores*, *lapidum*, *lapicidas*, *latomos*: Hispanice, *Maestros de canteria*: a גבול *gebul*, *termino*, quasi *terminatores*, quod terminum mensuræ lapidibus ponant, & lapides ad ædificia terminent; id est, in terminis dolent. Nonnulli, *Ædificatores*, *architectos*, interpretantur, qui ædificia describunt & terminant. Hispanice, *Albaniles*. Forsan vox utrumque complectitur: & sane videntur eo tempore Byblii insignes architecti, & latomii fuisse.

MENOCHII.

Vers. 1. NON EST SATAN, NEQUE OCCURSUS MALUS; id est, nullum habeo adversarium, neque qui mihi hostiliter occurrat.

V. 5. NOMINI DOMINI, in Domini honorem.

V. 6. QUI NOVERIT LIGNA CAEDERE SICUT SIDONII. Non negat Salomon simpliciter se habere in populo suo qui norint ligna cædere, sed ea in re Sidoniis maiorem peritiam tribuit.

V. 9. COMPONAM EA IN RATIBUS, arborum truncis inter se colligatis, ut remulco trahi possint, aut etiam a nautis remis agi. USQUE AD LOCUM QUEM SIGNIFICAVERIS MIHI. Locus destinatus fuit portus Ioppe, II. Paralip. II. 16. inde autem ad Ierusalem aliqui novem, alii duodecim (in quibus Adrichomius) horarum iter constituunt. DOMUI

MEAE,

MEAE, ſcilicet quo alantur ii qui tibi inſervient: quod clarius habetur II. Paralip. x. ubi legimus: *Prætereà operariis, qui cæſuri ſunt ligna, ſervis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia*, & *hordei coros totidem*, & *vini viginti millia metretas*, *olei quoque ſata viginti*. De coro, & ſato, vide dicta cap. ſuper. num. 22.

V. 13. ET ERAT INDICTIO TRIGINTA MILLIA VIRORUM. *Indictio*, id eſt ii quibus iuſſum, & edictum ut operarii eſſent. Hæc autem triginta millia erant ex Iſraelitis, alia vero erant ex Proſelytis. Illa triginta millia tantum in Libano laborabant, reliqua etiam alibi; illa quater in anno erant in opere, iſta toto anno; illa ligna tantum cædebant, iſta portabant, & lapides cædebant. Vide num. 17. & II. Paralip. 11. 2. & 10.

V. 15. QUI ONERA PORTABANT. In his aurigas, & nautas intellige, & alios huius generis.

V. 16. NUMERO TRIUM MILLIUM ET TRECENTORUM. In II. Paral. 11. 1. ait ſacer textus fuiſſe tria millia ſexcentos. Ratio diverſi numeri eſt, quia in Paralipom. adduntur qui præfectis præerant, ut ex Hebræis aiunt Vatablus, Sa in Paralipom. Caietanus, & Dionyſius in III. Reg.

V. 17. PRETIOSOS, id eſt optimos, qui proinde non exigui eſſent pretii.

V. 18. GIBLII, ex Giblo urbe Phœniciæ.

TIRINI.

Verſ. 4. NON EST SATAN, id eſt adverſarius, qui conatibus meis obſiſtere aut poſſit, aut velit. Sic ſupra II. Reg. XIX. 22. Ioabum, & Abiſai vocabat David *ſatanas*: *Quid mihi & vobis filii Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in ſatan?* id eſt, cur importuno ſtudio vindictæ de maledico Semei ſumendæ, adverſamini mihi, quominus popularium animos parcendo ignoſcendoque mihi demerear?

V. 7. BENEDICTUS DOMINUS DEUS. II. Paralip. 11. 12. expreſſe additur, *Deus Iſrael, qui fecit cælum, & terram*. Ergo laudat Rex gentilis verum Hebræorum Deum. Putabant enim plerique gentiles plura eſſe vera numina ac veros deos: ac proinde ita colebant ſingulis ſuos patrios deos, ut tamen etiam alienos non contemnerent. Sic Philiſthæi I. Reg. IV. 8. de arca dicebant: *Hi ſunt dii qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga. Quis nos ſalvabit de manu deorum ſublimium iſtorum?* Sic Darius Medorum, & Babyloniorum Rex, Dan. VI. 16. *Deus tuus quem colis ſemper, ipſe liberabit te*. Et Machab. III. 3. *Seleucus Aſiæ Rex de reditibus ſuis præſtabat omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum* in templo Ieroſolymitano neceſſarios. Et Athenienſes etiam ignotis ſibi diis *a* aras ponebant: & Romani ſuo πανθεῶν templo cavebant, ne ulli uſpiam deorum ſuus etiam Romæ cultus deeſſet. Pari ergo animo Tyrius Rex Hiram, licet Herculem, & Aſtarthen coleret tamquam patrios deos, quia tamen in Deo quoque Hebræorum reperit aliquid eximium & veneratione dignum, voluit etiam ipſum hic laudare ac glorificare.

V. 8. IN LIGNIS CEDRINIS ET ABIEGNIS. II. Paralip. 11. 8. plura petit Salomon. *Ligna*, inquit, *mitte cedrina, & arceuthina, & pinea, de Libano*. Nempe Libanus, ut aromatibus, ſic & arboribus varii generis abundabat. Sed præ aliis petit Salomon pinos ſeu abietes, arceuthos (Septuaginta vertunt *iuniperos*;) ſed omnium maxime cedros: quæ ut roboris ac proceritatis ſunt eximiæ, & odoratæ materiæ, ſic ad venuſtatem dignitatemque palatiorum, quæ ſibi viri principes ad ſplendorem atque delicias conſtruebant, aptiſſimæ, atque optatiſſimæ erant. Et licet David ingentem iſtarum cedrorum copiam, uti & marmorum, ad templi fabricam comparaſſet, unde I. Paral. XXII. 4. dicitur: *Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David*: quia tamen Salomon longe ampliora & magnificentiora ædificia animo iam ſuo deſignarat adiicere tum templo, tum palatio ſuo, ſuarumque uxorum, quam forma ſibi a parente tradita requirebat, ideo & trabibus pluribus, & aliis novis marmoribus eguit.

V. 13. ELEGIT OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ſed præfectos & præpoſitos operum quibus incumbebat curare ne quando ceſſaret vel frigeret opus: nam, ut dicitur cap. IX. verſ. 22. *de filiis Iſrael non conſtituit Salomon ſervire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, &*

& principes, & duces, & præfecti curruum & equorum. Unde qui hoc cap. verſ. 15. dicuntur *onera portaſſe, & latomi* tot millia, erant ex proſelytis omnes, ut expreſſe affirmat Lib. II. Paralip. cap. 11. verſ. 17.

V. 17. LAPIDES PRETIOSOS: non quales annulis, aut coronis includuntur; ſed quales ab architectis ad ſplendida & lauta ædificia adhibentur, ut parii lapides, & porphyretici, & marmora omne genus. Quam magni fuerint eiuſmodi lapides colligere licet ex cap. VII. huius Libri verſ. 10. ubi *fundamenta* dicuntur fuiſſe *de lapidibus pretioſis magnis decem five octo cubitorum.* Quam magnitudinem etiam auget Ioſephus: additque ſtructuram totam etiam palatii Salomonis & filiæ Pharaonis ex marmore candido conſtitiſſe.

V. 18. PORRO GIBLII. Hi orti videntur a Gibal, de quibus Pſalm. LXXXII. verſ. 8. *Gebal, & Amalec, cum habitantibus Tyrum.* Hi ferrandi, & quadrandi lapides, & dolandi ligna peritiam præ aliis habebant, ac proinde a Salomone pretio conducti ſunt e Phœnicia, inquit Emanuel Sa.

(*a*) Actor. cap. XVII. verſ. 25.
(*b*) Ioſeph. Lib. XI. Antiq. cap. XIV. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. HAbet hoc caput fœdus inter hos Reges, ex verſ. 12. Libanus de quo hic verſ. 14. eſt mons qui cap. IV. verſ. 21. terminare dicitur terram promiſſionis verſus ſeptemtrionem: in qua plaga eſt Dan (Phœniciæ urbs ad radices Libani) & Damaſcus. At quid ſunt Giblii, verſ. 18. De his fit mentio Pſalm. LXXXII. 8. Gebal, Ammon, & Amalec non videntur eſſe Tyrii; tamen periti ad ligna dolanda, & quadrandos lapides: hi operas ſuas aliis locare ſoliti. Giblum urbs Phœniciæ.

V. 4. NON SATAN. Hoſtem intelligit, & adverſantem ſuis conſiliis.

V. 13. ET ERAT INDICTIO. Septuag. φόρος, *tributum*. En ſpeciale genus tributi, operas gratis, quas exigebat Rex.

V. 17. LAPIDES PRETIOSOS. Non ſane gemmas, ſed optimos, maioris pretii, marmoreos, iaſpides.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 13. Indictio a Rege conſtituta eſt operariis 30000. & hi in Libano laborabant; plures vero alibi.

V. 16. Numero 3300. at vero II. Paral. II. I. ſunt 3600. Ratio diverſi numeri eſt, quia in Lib. Paralip. adduntur illi qui præerant.

CAPUT VI.

Figuræ & fabrica templi quo ad præcipuas eius partes interiores, & exteriores.

1. FActum (*a*) eſt autem quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra AEgypti, in anno quarto, menſe Zio, (ipſe eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſrael, * ædificari cœpit domus Domino. 2. Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4. Fecitque in templo feneſtras obliquas. 5. Et ædificavit ſuper parietem templi tabula-

ta

ta per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur. 8. * Ostium lateris medii † in parte erat domus dexteræ: & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & a medio in tertium. 9. Et ædificavit domum, & consummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens: 12. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi (*b*) quem locutus sum ad David patrem tuum. 13. (*c*) Et habitabo in medio filiorum Israel, & non derelinquam populum meum Israel. 14. Igitur ædificavit Salomon domum, & consummavit eam. 15. Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, & usque ad laquearia, * operuit lignis cedrinis intrinsecus: & texit pavimentum domus tabulis abiegnis. 16. AEdificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas & iuncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut ponceret ibi arcam fœderis Domini. 20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud, atque vestivit auro purissimo, sed & altare vestivit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavis aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera; id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus: in mensura pari, & opus unum erat in duobus Cherubim; 26. id est, altitudinem habebat unus Cherub decem cubitorum, & similiter Cherub secundus. 27. Posuitque Cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebat ala una parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum: * alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. 28. Texit quoque Cherubim auro. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes. 30. Sed & pavimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus. 31. * Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. 32. Et duo ostia de lignis olivarum: & sculpsit in eis picturam Cherubim & palmarum species, & anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & oper-

ruit tam Cherubim quam palmas, & cetera, auro. 33. Fecitque in introitu templi poſtes de lignis olivarum quadrangulatos: 34. & duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus: & utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur. 35. Et ſculpſit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 36. Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata eſt domus Domini in menſe Zio: 38. & in anno undecimo, menſe Bul (ipſe eſt menſis octavus) perfecta eſt domus in omni opere ſuo, & in univerſis utenſilibus ſuis: ædificavitque eam annis ſeptem.

(*a*) I. Paralip. III. 1. (*b*) II. Reg. VII. cap. XVII. (*c*) I. Paralip. XXII. 9.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *AEdificari cœpit domus Domino*. Alii legunt activè *adificare cœpit domum Domino*.

V. 8. *Oſtium Lateris medii in parte erat domus dextera*. Non commutes *parte*, quod eſt latere, cum *pariete* ſeu muro.

V. 15. *Operuit lignis cedrinis intrinſecus*. Non præponas his verbis *&* coniunctionem.

V. 27. *Ala autem altera*. Non omittas *altera*.

V. 31. *Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola*. Ut non eſt omittenda præpoſitio *in*, ita non addendus numerus *duo* ante *oſtiola*.

Lectionum Varietas.

V. 8. *In parte erat domus dextera*. Ablativum *dextera*, qui ad *parte* referatur, præferunt quidam genitivo *dextera*, qui ad domus.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO, &c. Videntur omiſſi anni interregnorum, ſolumque computati anni Ducum, Iudicum, & Regum: ſolet quidem interdum Scriptura in annorum, aut hominum catalogis quædam præterire. Quidam tamen putant, in cuiuſque Iudicis annis intelligendos eſſe illos etiam qui ſine Iudice præceſſerunt. Zio, id eſt aprili. Chald. *ſplendoris ſiorum*. SECUNDUS, ſcilicet cuiuſque anni: non enim ſignificatur fuiſſe ſecundus quarti Salomonis. DOMINO; id eſt, in honorem Domini.

V. 2. TRIGINTA, ſcilicet uſque ad primum tabulatum, alioqui 120. Vide II. Paralip. III.

V. 3. ANTE FACIEM: ſcilicet ea latitudo erat coniuncta templi longitudini.

V. 4. OBLIQUAS, ſcilicet ex altera partel axiores. Chald. *Apertas intrinſecus* (id eſt laxiores) *& forinſecus clauſas* (id eſt arctiores.)

V. 5. SUPER, id eſt iuxta. ORACULI, ſcilicet Sancti ſanctorum. Vocatur Hebr. hæc pars *Devir*, id eſt *oraculum*, a *davar*, id eſt *loqui*, inde enim Deus reſponſa dabat; altera vero *Hechal*, quaſi dicat *palatium*, ſeu *regia*: quam Noſter vertit *templum*. LATERA. Hebr. *thalamos*, ſcilicet deambulatoria, ſeu cubicula. Chal. *appendices*.

V. 6. FORINSECUS, ſcilicet ſuper prominentiam parietis: reducebatur enim murus introrſum, ita ut ſuperior pars arctior eſſet, laxior inferior, cingebatque prominentia murum, ut trabes ſuperponerentur. HAEREREN T ſcilicet per foramina, ut fit, ſed niterentur ipſa prominentia parietis.

V. 7. PERFECTIS, id eſt integris. FERRAMENTUM, ſcilicet dolans lapides, aut ligna.

V. 8. LATERIS MEDII, &c. quaſi dicat: Ad latus dextri muri, ſcilicet meri-

ridionalis templi erat oſtium. Chald. *Porta appendicis inferioris aperta erat in latere domus dextero*, &c.

V. 10. SUPER OMNEM. Hebr. *Super tota*, vel *cum tota*. Chald. *Ultra totam*, LXX. *Per totam*: ſcilicet cingebat id tabulatum totum undique tectum, ut ſolet in tectis planis, ne quis cadat. OPERUIT: ſcilicet ſuprema tecti ſuperficies, ſeu planities cedrina erat.

V. 16. VIGINTI: ſcilicet tot ſumpſit ex ſexaginta longitudinis totius ad Sancta ſanctorum: vel ſignificatur, tantam, ut infra dicetur, fuiſſe parietum altitudinem, tectamque cedrinis tabulis. IN SANCTUM, &c. id eſt, ut eſſet Sanctum ſanctorum.

V. 17. TEMPLUM, ſcilicet pars illa quæ dicitur Sanctum, & *Hechal*, habebat quadraginta cubitos longitudinis. PRO FORIBUS ORACULI, id eſt ante oraculum, ſcilicet Sanctum ſanctorum.

V. 18. CAELATURAS, ſcilicet florum, & fructuum.

V. 19. IN MEDIO DOMUS, id eſt intra domum, ut ſtatim explicatur.

V. 20. ALTITUDINIS: ſcilicet reliqui decem cubiti (nam erant triginta, ut ſupra dictum eſt) erant ſecundum Hebræos veſtiti lapillis pretioſis. Latini dicunt, viginti cubitos intelligi eſſe altitudinis parietis dividentis Sancta ſanctorum a reliqua parte templi, fuiſſe enim reliquum ſpatium, ſcilicet decem cubitorum, vacuum. Quidam tamen putant oraculum ſolum habuiſſe viginti cubitorum altitudinem, reliquum vero templum triginta. Vide verſ. 20. huius cap. ALTARE, ſcilicet thymiamatis. CEDRO. LXX. *auro* Chald. *tabulis cedrinis*.

V. 22. ORACULI; id eſt, quod ante oſtium oraculi, ſcilicet ibi erat altare thymiamatis, non intra, ut quidam putant.

V. 24. SUMMITATE, id eſt extremitate.

V. 27. CONTINGEBANT, tegebantque arcam, & propitiatorium, & Cherubim a Moyſe facta, quæ in medio erant.

V. 29. ET TORNO. Id non eſt Hebr. nec Chald. nec in LXX. PROMINENTES DE PARIETE, ET EGREDIENTES. Hebr. Chald. & LXX. *Intrinſecus & extrinſecus*. Vide ſeq. Annot.

V. 30. INTRINSECUS ET EXTRINSECUS, id eſt in oraculo, & extra, ſcilicet in *Devir*, & *Hechal*.

V. 31. ANGULORUM QUINQUE, ſcilicet in modum columnæ quinquangulæ.

V. 32. OSTIA, id eſt fores, ſeu valvas: ſic ſup. & inf. ANAGLYPHA, id eſt cælaturas.

V. 34. DUPLEX, ſcilicet duarum partium coniunctarum, & flexibilium.

V. 35. QUADRO, id eſt perfecto.

V. 36. INTERIUS, ſcilicet ſacerdotum, in cuius medio templum erat, ſecundum quoſdam. Alii enim putant atria fuiſſe ante porticum templi, non circa templum. TRIBUS, ſcilicet diſtinctis variis coloribus, & artificio: vel potius tres dicit, quia cum altitudo parietis trium eſſet cubitorum, quiſque ordo unius erat cubiti. LIGNORUM, ſcilicet ſuper lapides, vel a parte muri interiori.

V. 37. QUARTO, ſcilicet regni ſui. ZIO, id eſt aprili. Vide ſup.

V. 38. BUL, id eſt octobri. SEPTEM, ſcilicet & menſibus ſex, qui hic tacentur.

ESTII.

Verſ. 2. DOMUS AUTEM QUAM AEDIFICABAT REX SALOMON DOMINO, HABEBAT SEXAGINTA CUBITOS IN LONGITUDINE, ET VIGINTI CUBITOS IN LATITUDINE, ET TRIGINTA CUBITOS IN ALTITUDINE. Pugnare cum hoc loco videtur quod II. Paralip. III. dicitur, templum hoc Salomonis fuiſſe altitudinis centum viginti cubitorum: tum etiam altitudo iſta triginta cubitorum nullo modo, ut videtur, fuiſſet ſpectabilis. Itaque quod hic dicitur de altitudine triginta cubitorum, intelligendum eſt, non de tota templi altitudine, pertingente videlicet uſque ad ſummum ſeu faſtigium templi, ſed de altitudine eius a pavimento uſque ad primum ſeu infimum tabulatum, ſeu ambulacrum, ſupra quod erat aliud tabulatum ſimiliter altitudinis triginta cubitorum, atque inde uſque ad ſummum ipſius templi altitudo adhuc erat ſexaginta cubitorum. Et ſic tota altitudo templi complectebatur centum viginti cubitos, quod II. Paralip. III. exprimitur.

V. 7. ET MALLEUS, ET SECURIS, ET OMNE FERRAMENTUM NON SUNT AUDITA IN DOMO CUM AE-

DIFICARETUR. Id intelligendum est tantum de instrumentis quæ pertinebant ad secanda, aut dolanda ligna, aut lapides, quæ fere ferrea sunt, non autem de instrumentis aliis necessariis ad coniunctionem & compositionem lignorum, trabium, & lapidum inter se: quale opus fieri potest sine magno & notabili sono instrumentorum. Itaque industria artificum, & prudentia Salomonis commendantur, quod ad tantum opus lapides & ligna tam exacte prius alibi aptarentur, ut in ipso loco tumpli sine ullo fere strepitu coniungerentur & compaginarentur.

Mystice significatur, quod electi in hac vita, quæ est præparatoria ad cælestem illam Dei domum, multis adversitatibus, velut quibusdam tunsionibus exerceantur, ut in futura vita, in cælesti templo, ab omni pressura & adversitate liberi, summa pace & quiete perfruantur. Hinc illud in hymno Ecclesiast: *Tunsionibus pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis*, &c. Et rursum in Apocal. cap. VII. & XXI. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & non erit amplius neque luctus, neque clamor.*

MARIANAE.

Vers. 1. QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO EGRESSIONIS. Severus Sulp. Hist. Lib. I. ait hunc numerum a librariis vitiatum, & fuisse annum 588. ubi legendus Car. Sigonius. IN ANNO QUARTO regni Salomonis. MENSE ZIO. Hic est mensis *Iiar*, quem vocat secundum, computando a mense Nisan. Vocatur *Zio* a splendore, quoniam tunc facies terræ & arborum reparatur. AEDIFICARI COEPIT. Heb. *AEdificavit*. Sic Sept. & Chald. sed *ædificavit* sumitur pro *ædificare cœpit*.

V. 2. TRIGINTA CUBITOS IN ALTITUDINE habebat templum. At II. Paralip. III. altitudo centum viginti cubitorum erat. Ego id referam ad porticum, quæ turris instar in eam altitudinem erat in fronte sublata. Aut ad primum tabulatum triginta cubitos intellige, aliis additis tabulatis, in eam altitudinem excreviisse.

V. 3. ANTE FACIEM TEMPLI. Ad frontem templi dicerem. Chald. *Ante domum porticus erat.*

V. 4. FENESTRAS OBLIQUAS fecit. Sept. *cancellatas, sceretas.* Chald. *apertas intrinsecus, extrinsecus clausas.* Hebræi e contrario *apertas extrinsecus, clausas intrinsecus.* Voces Hebr. *sekuphim*, & *atumim* notæ non sunt, fenestras forma aliqua significant eo tempore vulgo nota. Hispanis, *Rasgadas por de dentro, por de fuera estrechas como saeteras.*

V. 5. TABULATA PER GYRUM. Opus omni ex parte mœniana seu pergulæ cingebant. Hisp. *corredores*. ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. Sic Septuag. Hebr. *costas circum*, id est cancellos, seu loricam ad prohibendum casum.

V. 6. TRABES AUTEM POSUIT. Hebr. *Diminutiones dedit domui in circuitu extrinsecus, ut non apprehenderent in muris domus*, scilicet trabes; quasi dicat: Murus superius extenuabatur, ut podia tignis tabulatorum relinquerentur, neque esset opus parietes perforare. Sententiam Hieronymus posuit.

V. 7. DE LAPIDIBUS DOLATIS ATQUE PERFECTIS. Heb. *Lapides integri advectionis*; id est, ut advehebantur, sic ponebantur.

V. 8. OSTIUM LATERIS MEDII. Hebr. *ostium costæ mediæ*, id est ad mediam costam. Hoc est, ostium in medio latere erat, per quod ad cœnacula ascendebatur. IN PARTE ERAT DOMUS DEXTERAE. *Dextera* potius. Hebr. *ad latus domus dexterum*. Itaque ianua erat in latere dextero in eius medio. Porro *dexterum* Hebræis ad austrum est. Psalm. LXXXIX. vers. 13. *Aquilonem & mare*. Hebr. *Aquilonem & dexterum*: & quidem arcæ comparatione austrum ad dexteram est. COENACULUM. Hebr. non est *cœnaculum*, neque in Sept. sed, *Ascendebant ad medium, & de medio ad tertium*: & potius supplerem, tabulatum, nam de ea re agitur; sed id *cœnaculum* est.

V. 9. TEXIT QUOQUE DOMUM LAQUEARIBUS CEDRINIS. Ea est sententia. Hebr. tamen: *Texit domum testudinibus, & trabibus cedrinis*: ea sunt laquearia.

V. 10. TABULATUM SUPER OMNEM DOMUM. Hisp. *camaranchon*. ET OPERUIT DOMUM. Hebr. *Et apprehendit*; pro

pro, iunxit muros, texit: loquitur de ſupremo tecto totius operis.

V. 15. AEDIFICAVIT, pro texit. TABULATIS, ſeu tabulis. Hebr. *coſtis*, ſed *coſtæ* pro tabulis, ſicut mox cum ait *pavimentum tectum tabulis abiegnis*, eadem vox Hebr. eſt. Texit iis tabulis parietes intrinſecus.

V. 16. AEDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI TABULATA. Heb. *Et ædificavit viginti cubitos a lateribus templi tabulis cedrinis*; quaſi dicat: Ad viginti cubitos laterum templi (ſcilicet inferius incipiendo a capite) e tabulis cedrinis fecit divortium, quo ſcilicet diſtinguebatur oraculum a reliquo templo. Oraculum viginti cubitos longum & latum erat, & altum, quoquoverſus ſcilicet: ſic verſ. 20. dicitur. A PAVIMENTO USQUE AD SUPERIORA. Hebr. *a pavimento uſque ad muros*. Hoc eſt, tranſverſæ tabulæ quæ ponebantur, utrumque murum & latus contingebant. ET FECIT INTERIOREM DOMUM. Hebr. *Et ædificavit intra* (ſcilicet tabulas) *oraculum*, ut eſſet *in Sanctum ſanctorum*; vel dic appoſitive, *oraculum Sanctum ſanctorum*, ſublata *in* præpoſitione.

V. 17. PORRO QUADRAGINTA CUBITORUM. Hebr. *Et quadraginta cubiti fuit domus ipſum templum ad facies meas*: ſorte *ad facies eius*, ſcilicet oraculi, id eſt *ante oraculum*, ut Sept. & Chald. non iisdem verbis dixerunt. Vel, ut Hebræus, *ad facies meas*, id eſt intrinſecus: quod ad porticum referatur, non ad oraculum. Itaque ſententia eſt, templum continere quadraginta cubitos inferiores eius fabricæ. Totum ſanctuarium ſexaginta continebat; ſed dempto oraculo, quadraginta cubiti manebant.

V. 18. CEDRO OMNIS DOMUS INTRINSECUS VESTIEBATUR, HABENS TORNATURAS ET IUNCTURAS SUAS. Hebr. *Et cedrus ad domum interiorem* (id eſt *cedro domus veſtiebatur*, ut Hieronymus dixit) *cælatura cucurbitarum*, & *apertionibus florum*, id eſt florum apertorum: nimirum imagines cucurbitarum & florum erant cælatæ in tabulis.

V. 19. IN MEDIO DOMUS erat oraculum; id eſt, erat oraculum in remotiſſima parte, ut centrum ab ambiente linea maxime remotum eſt. Alioqui oraculum in extrema parte incipiendo a capite fabricæ erat.

V. 20. PORRO ORACULUM HABEBAT. Latina perſpicua, Hebraica non item. Quæ ſic verto: *Et ad facies* (ſcilicet *domus*, ut Chald. ſive e regione) *oraculum viginti cubitorum longitudo*. Relinquebantur decem cubiti altitudinis ſupra oraculum, e quibus cœnatio conſtabat, ad quam ingrediebantur ex pergulis. Memento templum habere altitudinis cubitos triginta, verſ. 2. AURO PURISSIMO. Hebr. *auro incluſo*: ſic Sept. ſed *incluſum* pro puro & bono ſumitur. Sic Chald. ſic Hebræus Schol. Eo auro operuit oraculum.

V. 21. DOMUM QUOQUE ANTE ORACULUM. Illud *ante oraculum*, Hebr. non eſt: ſic enim habet: *Et obduxit Salomon domum intrinſecus auro incluſo*. Sed quoniam de oraculo iam dixerat texiſſe auro, bene per domum reliquam templi fabricam, & ſanctuarium intelligamus. ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS. Hebr. *Et traduxit vectes*, ſeu *catenas auri ante oraculum*, & *obduxit illud auro*. Repetitio eius quod dixerat verſ. 20. Porro catenis aut vectibus oraculum claudebatur: idque ſignificant verba Hebraica paulo ſuperiora, *Traduxit vectes*, &c.

V. 25. OPUS UNUM; id eſt, forma una erat Cherubinis, id eſt *Kezeb*, Hebr.

V. 29. SCULPSIT VARIIS CAELATURIS totum templum. Hebr. *Circumcælavit apertionibus cælatararum* (id eſt cælaturis apertis, nimirum inciſis, non pictis) *Cherubim*, & *palmas*, & *apertiones florum* (id eſt flores apertos, ſeu inciſos opere interraſili.) Hiſpan. *de talla*. Eæ erant cælaturæ. ET TORNO. Hebr. id non eſt, nec Chald. neque in Sept.

V. 30. PAVIMENTUM. Chald. *fundamenta domus*. Magnum eſt viſum illi, auro ſternere domum, pedibus ſubiicere. Ita fundamenta ad aliquam menſuram auro incruſtanda putavit. INTRINSECUS ET EXTRINSECUS; id eſt, intra & extra oraculum; ſed intra templum tamen.

V. 32. ET ANAGLYPHA VALDE PROMINENTIA. *Anaglypha* aſperæ ſunt cælaturæ, quales inciſæ figuræ: alioqui Hebr. eſt, *Et apertiones florum*, ſcilicet flo-

flores inciſos, & eminentes. ET OPERUIT TAM CHERUBIM. Non agit de duobus Cherubim, ſed de multiplicibus Cherubim, qui erant in tabulis inciſi. Et ſane prius fuiſſe inciſos in tabulis oſtendit, & poſtquam ſunt facti, obducti ſunt auro.

V. 33. IN INTROITU TEMPLI. Agit de primo aditu totius fabricæ totius templi.

V. 34. UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT. Hebr. *Et duas portas e lignis abiegnis, duo latera* (id eſt utraque facies, interior, & exterior) *portæ unius circuli, & duæ ſculpturæ portæ ſecundæ circuli*. Itaque vult in utroque latere & facie utriuſque portæ geminos circulos inciſos. Quid vero intra circulos erat? quod verſ. proximo ſequitur, ſcilicet Cherubim, & palmæ.

V. 35. OPERE QUADRO AD REGULAM. Hebr. *Et induxit aurum vectum ſuper impreſſo*, id eſt *ſuper ſculpturam*, ut Sept. ſcilicet ad menſuram ipſius ſculpturæ.

V. 36. ATRIUM INTERIUS, ſcilicet in quo erant ſacerdotes: ſed non explicat, qua erat menſura; neque de atrio exteriori agit, ubi populus erat.

V. 38. MENSE BUL. Hic eſt alio nomine *Marcheuſan*. Vocatur autem *Bul* quaſi *mabul*, *abyſſus*, a pluviarum copia: reſpondet octobri. ANNIS SEPTEM, & menſibus inſuper ſex, quot ſunt a menſe ſecundo cum cœpta eſt fabrica, ad octavum cum eſt finita: ſed ii duo menſes prætermiſſi ſunt, non numerantur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO EGRESSIONIS FILIORUM ISRAEL DE TERRA AEGYPTI. Certiſſima epocha, ineluctabili verbi Dei veritate ſubnixa. Ridiculum, & impium, quod quidam eam conati ſunt eludere, aut intervertere: in ſubducenda ea per membra ſunt non modicæ difficultates, quas ſacris chronologis elucidandas relinquo. Hos annos quidam ita colligunt, in deſerto 40. Deuteron. I. 3. ſub Ioſue 17. ſub Iudicibus 299. Heli, Samuele, & Saule, 80. ſub Davide 40. quibus additi quatuor anni Salomonis, efficiunt 480. Alii aliter: nam res in pluribus eſt incerta. MENSE ZIO. Hebr. *Ziu*. Aiunt, alias dictum אייר *iiar*, reſpondereque magna ex parte noſtro aprili, atque a ſplendore viridi, & amœnitate, ex Chaldaica notione nomen habere, quod eo menſe campi frondibus arborum, & herbis iam vireſcere & ſplendeſcere incipiant. Sic inf. verſ. 37. IPSE EST MENSIS SECUNDUS, nimirum anni ſacri, & eccleſiaſtici, ex inſtituto Dei, Exodi XII. 2. Sic infra verſ. 38. AEDIFICARI COEPIT. Recte expreſſit Hebr. *Et ædificavit*; id eſt, ædificare cœpit. Sic Geneſ. cap. v. verſ. 32. cap. XI. verſ. 26. & inf. verſ. 37. prout exponitur II. Paral. III. 1.

V. 2. SEXAGINTA CUBITOS. Exponunt, Id eſt ſacros, & geometricos, in metiendis corporibus ſolidis receptos, nam ideo dicuntur primarii, ſive menſuræ primæ II. Paralip. III. verſ. 3. Hos plerique viginti quatuor digitos unumquemque continere volunt; alii viginti octo. Vide I. Samuel. XVII. verſ. 4. & Ioſue III. verſ. 4. & Numer. XXXV. verſ. 5.

V. 3. ET PORTICUS. אולם *ulam*, aiunt eſſe *porticum*, *veſtibulum*, nempe locum ante ianuas templorum, ſeu palatiorum, extructum & colligatum, cuius contignatio conſtructa ſit inſtar fornicis. Domum portæ appellant Hebræi. Alii volunt eſſe teſtudinem, ſeu fornicem, quam Itali vocant *Voltham*. Nonnulli ædificium deambulatorium, vulgo *Galeria*. Ab אלם *alam*, & איל *aial*, facile deduxerim quod ſit ædificium valide colligatum, robuſtum ac forte, quod cum quadam maieſtate, ac oſtentatione potentiæ promineat, ac proſtet. Quid Latinis dicatur *veſtibulum*, docebunt te Aulus Gellius Lib. XVI. cap. v. Macrobius Lib. VI. Saturnalior. cap. VIII. Servius in II. AEneidos ad verſum illum:

Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine Pyrrhus.

Et in VI. ad verſum:

Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus orci.

Notant quidam, hanc porticum dictam Ioan. x. 23. porticum Salomonis, quod ibi Rex Salomon ſoleret orare. ANTE TEMPLUM. De voce היכל *hechal* diſſeruimus in I. Samuel. I. 9. Ridicule hic quidam vertunt *ſtructuram*. VIGINTI CUBITORUM LONGITUDINIS, &c. Obſervant, duas tantum dimenſiones [illegible]

poni, longitudinis, & latitudinis; altitudinis vero describi II. Paralipom. III. 4. nempe centum viginti cubitorum: eratque porticus altior ipsa domo nonaginta cubitis. Nam frustra sunt qui altitudinem 120. cubitorum toti domui tribuunt.

V. 4. FENESTRAS OBLIQUAS. חלוני שקפים אטמים *challone schekuphim atumim*. Mirum quam varie reddunt. I. *Fenestras prospectu angustas*. II. *Fenestras apertas clausas*, vel *prospectuum clausorum*, seu *compressorum*; id est, latas intrinsecus, angustas extrinsecus; seu laxiores intrinsecus, quam extrinsecus: ut solent esse templorum nostrorum fenestræ: Hispanice vocant *saeteras*, *throneras*. III. *Fenestras prospectu patentes*, יפ *in arctum compressas*; id est, extrinsecus & foris latas, intus angustas. Ita fere doctores Hebræorum: quas ita volunt constructas præter morem aliarum fenestrarum, ad ostendendum quod domus non multo egeret lumine. IV. *Fenestras prospectum clausorum*, vel *prospectui accommodatas*, *clausas*; id est, e lato contractas utrimque usque ad mediam crassitiem muri: ea enim ratione commodius lux utrimque intromittitur: *clausas*, vitro, vel alia diaphana materia ad arcendas cæli iniurias. Sic interpretatur Rabbi Iehudah, scriptor antiquissimus, cuius sententiam nonnulli aliis præferunt: vel, ut alii exponunt, *Fenestras prospectuum clausorum*, seu *obturatorum*; id est, quæ prospectus habebant clausos, obturatos, vitro, vel alabastrite, seu speculari lapide, aut alia materia diaphana. V. *Fenestras prospectivas clausas*. Forsan innuit fecisse fenestras ad ornatum ædificii & perspectivæ tantum: non apertas ad excipiendum lumen, quo domus forsan non egeret ob loci religionem: sic sæpe videmus in egregiis fabricis eiusmodi clausas fenestras ad ornatum. VI. *Fenestras, lumina videlicet valvata*. VII. *Fenestras prospectuum clausas*, id est cancellatas, seu reticulatas, factas in modum retis instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus, & vermiculatis clauderentur. Explanatio est S. Hieronymi in Ezechiel. XLI. 16. Videntur fuisse similes his quas Hispanice *geloſias*, seu *clarabaias* appellamus.

V. 5. TABULATA. Vocem singularem יציע *iatziagh*, varie interpretantur: 1. *stratum*, *straturam*, *ambitum discurrentem*; 2. *substructionem*, *solum stratum* alicuius contignationis; 3. *latus*; 4. *deambulatorium*, *deambulacrum*; 5. *thalamum*; 6. *appendicem*. Hispanicus Interpres, *Un colgadizo*. Aiunt fuisse ædificium circum parietes templi exteriores constructum, quasi stratum, seu substructionem, vel ambitum cubiculorum seu camerarum in circuitu templi, ubi erant thalami, triclinia, lecti, dormitoria pro ministris templi. Aliqui exponunt, *Substructionem*; id est, solum stratum, cuiuscumque contignationis. Vide infra vers. 6. 10. IN PARIETIBUS DOMUS PER CIRCUITUM. Hebr. *Ad parietes domus per gyrum*. Quidam: *Ad muros ipsius domus circumquaque*, a parte nimirum exteriore domus. ET ORACULI. Hic primum occurrit vox דביר *debir*: notant esse partem templi interiorem, in qua reposita erat arca fœderis IHUH, & duo Cherubim super propitiatorio, alias dictam Sanctum sanctorum: erat intimus & sacratissimus totius templi locus. Reddunt *oraculum*, *adytum*, *oratorium*, *locutorium*: eo quod Deus ibi loquebatur & responsa dabat, ac consulentibus aperiebat voluntatem suam. Exterior autem templi pars dicebatur היכל *hechal*, quasi basilica, ubi erant candelabrum, altare, suffitus, mensa panum propositionis. ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. Vocem צלעות *tzelaghoth*, cum de ædificiis usurpatur, aiunt significare *substructiones*, sive trabes, aut tabulas substructionis, quæ in lateribus ædificii adhærent, quasi structuras laterales dicas, cellas, cubicula, thalamos, cameras, conclavia, exedras, laterales, seu ad latus templi extructas. Hebræi aiunt esse ligna seu trabes, quæ egrediuntur seu prominent e pariete, super quæ ponuntur capita trabium, quæ Italice appellantur *Leoni*. Alii *valvas*, vel *trabes* interpretantur, quæ sunt costæ domorum. Et sane vox omnia ista complectitur. Hebræi observant, in fabrica templi quatuor hæc nomina esse synonyma, יציע *iatziagh*, *straturam*, צלעות *tzelaghoth*, *costas*, seu *latera*, תא *tha*, *thalamum*, לשכה *liſchcah*, *cubiculum*: & fere pro una eademque re usurpari. Nonnulli reddunt hic: *Fecitque alas circumquaque*; id est, extantes muros alarum instar, ad alteram partem straturæ, seu substructionis sustinendam: hæ autem Latinis dicuntur alæ, ut Græcis πτέ-

πτερὰ, sive πτερώματα. Hispanice vocant *ſtribos del templo*, quæ ædificium a lateribus fulciunt & ſuſtinent.

V. 6. TRABES AUTEM POSUIT IN DOMO PER CIRCUITUM FORINSECUS. Quod *trabes* vertit, Hebr. מגרעות *migraghot*, exponunt *imminutiones, diminutiones, ſubſtractiones, contracturas, contractiones, deficientias, retractiones, derogationes, reſtrictiones, reſtricturas, reductiones*: unde reddunt: *Quia imminutiones dedit domui circumquaque foras.* Exponunt: Imminutiones, ſeu ſubſtractiones, quibus murus ædificii ſubtrahebatur introrſum, ita ut inferior pars muri uno cubito denſior eſſet, & promineret magis quam ſuperior, ut in eo quieſcerent capita trabium, & laquearia ſtraturarum, ſeu ſubſtructionum, aut appendicum. Has muri contractiones accurate Kimchius expoſuit his verbis: *Thalami*, ſeu cubicula, *erant ædificata in circuitu extra parietem domus ſanctuarii: & horum thalamorum quidam erant infimi, alii medii, alii ſupremi: & alter erat ſuper alterum. Inferior erat latitudinis quinque cubitorum, & e regione contignatio huius inferioris thalami ingrediebatur parietem templi cubito uno, & ſuper ipſum cubitum locabantur trabium capita inferioris thalami. Porro templi paries aſcendebat a thalamo inferiori & ſupra diminuto uno cubito, id eſt introrſus uno cubito abducto muro: nam denſitas parietis templi minuebatur per cubitum unum in thalamis. Itaque infimi thalami latitudo quinque cubitorum erat; medii vero ſex: & ſupremus thalamus ſeptem cubitorum erat in latitudine, eadem ratione. Et in ipſis diminutionibus, ſeu retracturis muri, ponebantur capita trabium, ne perforarent parietem ad ponendum, ſeu inferendum trabes: & hoc eſt quod dixit, Ne apprehenderent parietes domus.* Hactenus Kimchius. Rem ipſam tetigit. In eamdem ſententiam alii reddunt: *Nam contracturas indiderat domui circumquaque extrinſecus*; id eſt, quino quoque cubito aſſurgentis muri craſſitiem eius diminuerat cubito uno exrrinſecus, ut proiecturæ illæ muri eſſent cubilia trabibus cuiuſque ſubſtructionis, ſeu appendicis. Atqui his verbis reddit rationem cur ſubſtructiones illæ ſeu appendices circum templum conſtructæ eſſent inæqualis latitudinis, nempe ima quinque, mediana ſex, ſuprema ſeptem cubitorum, quod nimirum murus aſſurgens, ter introrſus retrahebatur cubito uno, & ita medianæ ſubſtructioni addebat cubitum unum latitudinis, ſupremæ vero duos. Noſter dixit: *Trabes autem poſuit*, &c. quod in illis proiecturis murorum collocarentur capita trabium ſubſtructionis. UT NON HAERERENT MURIS TEMPLI. Hebr. *Ad nequiquam obtinere, apprehendere in parietibus domus.* Exponunt: Subaudi, capita trabium; id eſt, ne trabes hærerent parietibus templi; hoc eſt, ne neceſſe eſſet fieri foramina in pariete templi, in quæ inderentur, & conderentur capita trabium, ſubſtructionis, ſeu appendicis. Alii eodem ſenſu: Id eſt, ut exemptiles eſſent ſine damno templi, & tantum proiecturis incumberent.

V. 7. DE LAPIDIBUS DOLATIS, ATQUE PERFECTIS. Nos verbatim expreſſimus Hebræa (*Lapis pacificus admotio.*) Alii ſic. I. *Lapide integro, perfecto, profectionis, advectionis, additionis*; id eſt, talibus lapidibus quales allati fuerant; quaſi dicat: Cum eſſent integri lapides, foramen nullum erat in quod capita trabium externæ ſubſtructionis inducerentur: alioqui integri non ſuiſſent. II. *Lapide perfecto translationis*; id eſt, qui e monte effodiebantur, & e lapidicina transferebantur ad ædificandum. Dolabantur enim lapides in lapidicinis, & parabantur, & ita dolati & parati advehebantur. III. *Lapide perfecto, advecto e monte.* IV. *Lapide integro ut fuerat advectus*; id eſt, prorſus affabre facto, antequam adveheretur, ut ſequentia explicant, & oſtenditur ſup. cap. v. verſ. 18. V. *Lapide integro motionis*; id eſt, qui non poſſet deferri humeris. Poſſis exponere: *Lapide integro, lapide admotionis*; id eſt, qui ut integer, perfectus, dolatus, & affabre factus advehebatur, ſtatim admovebatur ædificio, ſine ullo alio novo opere. Aliter ſumitur hic vox אבן שלמה *eben ſchelemah, lapis integer*, quam Deuter. XXVII. 6. ET MALLEUS. Hebr. pluraliter, *& mallei*; id eſt, inſtrumenta illa quæ ad tundendos, dolandos, & cælandos lapides adhiberi ſolent. SECURIS; id eſt, inſtrumenta illa quæ ad cædendo, dolanda, incidenda, cælanda ligna uſurpantur. Simile quid Plinius Lib. XXVI. cap. XV. *Cyzici & Beleuterion vocant ædificium amplum, ſine ferro*

veo clavo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine futuris, ac reponantur.

V. 8. OSTIUM LATERIS MEDII, &c. Hunc versum quidam ita ex Hebr. reddunt: *Porta ad alæ medianum erat in latere domus dextero: qua per cochleas ascendebant ad medianum, & a mediano ad tertiana cubicula.* Exponunt: Porta qua ascendebatur ad medianam contignationem, erat in latere meridiano domus. Notant autem ex illis verbis, *ad tertiana cubicula*, apparere, singulas contignationes distinctas fuisse in diversas cellas, seu cubicula: quod etiam clarius ostendi ex II. Reg. XI. 2. & I. Paralipomenon XXVIII. 12.

V. 9. TEXIT QUOQUE DOMUM. Exponunt, *Contignavit*. Alii, *Concameravit*. Nonnulli: *Intrinsecus tectum extruxit*. LAQUEARIBUS CEDRINIS. Hebr. *Canthis & ordinationibus in cedris*. Aliqui reddunt, *Trabibus incurvis, & tabulatis cedrinis*; id est, texit partem superiorem ædis, fecit tectum domus trabibus leviter incurvis & fornicatis; hoc est, instar fornicis incurvatis, vel arcuatis, quæ videbantur contra pondus insurgere: & tabulis cedrinis super trabes illas dispositis. Alii, *Tignis*, seu *trabibus excavatis*, aut *incisis*, vel *sculptis instar fossarum*, aut *cisternarum*. Vox גבים *gebim* convenit cum Hispanica, seu Arabica *algibes*, nam *al* est articulus. Volunt esse trabes, seu tabulas sculptas secundum dispositionem fovearum, aut cisternarum, quasi imbricatas. Aliqui *imbrices*, seu *canales* exponunt, quibus defluit aqua a concavitate. Quidam, *Caveis*, id est imbricibus excavatis per quos aqua defluit. Atque tunc intelligetur de tecto exteriori. *Et ordinibus in cedris*; id est, tabulis cedrinis ordinatis, dispositis, compactis, a parte interiori tecti. Nonnulli, *Dorsis, gibbis, & ordinationibus in cedris*. Alii, *Canthis*, seu *cantheriis, & coaxationibus*, seu *coassationibus*, vel *contabulationibus cedrinis*.

V. 10. ET OPERUIT DOMUM LIGNIS CEDRINIS. Hebr. *Et apprehendit domum in lignis cedrorum*. Quidam: *Et apprehendebat domum per trabes cedrinas*; id est, hærebat illi ædi thalamus, sive substructio exterior, seu appendix, per trabes cedrinas: nam capita earum erant collocata super retractiones, sive reductiones, quæ erant in muro templi. Alii eodem sensu: *Quam adiecit domui lignis cedrinis*; id est, imposuit projecturis muri domus. Vide sup. vers. 6.

V. 12. DOMUS HAEC, QUAM AEDIFICAS, &c. Hebr. *Domus ista, quam tu ædificas*. Quidam: *Hæc, quam tu ædificas, domus illa est*; subaudi, quam patri tuo fore promisi ut tu ædificares, II. Samuel. VII. vers. 13. Alii: *Domui huic, quam tu ædificas . . . . . firmabo sermonem meum*, &c. quasi dicat: Et domui, & tibi præstabo quod promisi. QUEM LOCUTUS SUM AD DAVID, II. Samuel. VII. vers. 14.

V. 15. ET AEDIFICAVIT PARIETES DOMUS INTRINSECUS, &c. Huius versus sensum Noster accurate ex Hebræo reddidit: nos verba expressimus (*Et ædificavit parietes domus de in domum in costis cedrorum de solo domus; usque ad parietes tecti speculabiles reddidit ligno, de domo; & speculabile reddidit solum domus in costis fraxinorum.*) Aliqui in hunc modum: *Et extruxit*, id est vestivit, *parietes ædis intus tabulis cedrinis; a pavimento ædis ad contignationem usque laquearem obduxit ligno intus: ipsum pavimentum obduxit intus lignis piceis*, vel *abiegnis*. Alii: *Contabulavit muros ipsius domus intrinsecus lateribus*, seu *tabulis cedrinis; a solo domus usque muros tegminis*, vel *ad tegmen murorum*: hypallage; id est, ad muri summam partem, cui incumbit tegmen, *obduxit ligno intrinsecus: obduxit etiam solum ipsum domus*, non adyti, sed prioris partis, ut apparet ex vers. 17. (Vide II. Paralip. III. vers. 5.) *tabulis abiegnis*. OPERUIT LIGNIS. Plerique reddunt, *Obduxit*. Verbum צפה *tzippah* proprie est *speculabiles fecit*: nimirum quod tabulæ cedrinæ essent terſæ, lævigatæ, politæ, quasi specula, in quibus se quis videre, & speculari posset.

V. 16. AEDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI TABULATA CEDRINA. Hebr. *Et ædificavit*, seu *contabulavit viginti cubitos a lateribus domus tabulis cedrinis*. Exponunt: Id est, contabulavit, vestivit, texit spatium longum viginti cubitos, septum scilicet, transversarium; hoc est, ex sexaginta cubitis longitudinis templi, viginti separavit a parte posteriore, seu extrema domus, quæ ver-

gebat ad occidentem, tabulis cedrinis,quæ pavimento uſque ad ſummitatem parietum, quibus tectum incumbebat, pertingebant. A PAVIMENTO USQUE AD SUPERIORA. Hebr. *Solo uſque ad parietes*. Quidam, *Solo uſque ad ipſos muros*. Explicant: Id eſt, ſolum totum a muro uno ad alterum, atque eo præſtabat hoc interius pavimentum illo altero exteriori, quod hoc tabulis cedrinis conſtratum erat, illud abiegnis, ſeu fraxineis. Alii, *Pavimento uſque ad parietes* tecti, ut verſu præcedente; id eſt, ad muri ſummam partem, cui incumbit tegmen. ET FECIT INTERIOREM DOMUM ORACULI IN SANCTUM SANCTORUM. Hebr. *Et ædificavit ei de domo ipſi locutorio, ſanctitati ſanctitatum*. Alii varie reddunt. I. *AEdificavit quoque ſibi in domo*, vel *interius*, ſeu *intus*, *oraculum in Sanctum ſanctorum*, ſive *ut eſſet ſanctitas ſanctitatum*. II. *Et ædificavit ei locutorio pro Sancto ſanctorum*; id eſt, ædificavit ei, ſpatio videlicet locutorio, illam ſtructuram pro Sancto ſanctorum. III. *Contabulavit*, inquam, *ipſi Deo adytum in Sancto ſanctorum*. IV. *AEdificavit*, *inquam*, *interius ad adytum Sancti ſanctorum*. Hebr. *Sanctitati ſanctitatum*, id eſt ſanctiſſimo & ſacratiſſimo ſancto, ſacroſanctiſſimo ſacrario. Vid. Exod. XXVI. 33.

V. 17. PRO FORIBUS ORACULI. Hebr. tantum eſt, *Ad facies*, *in conſpectu coram*, *in præſentia*, ſcilicet oraculi. Quidam: *Ipſa eſt templum oppoſtum oraculo*. Alii: *Nempe ipſum templum*, ſeu *ſanctum* exterius *per ſe*. Aliqui: *Illud templum anterius*. Nonnulli reddunt: *Ipſa templum interius*, vel *in interioribus*, reſpectu ſcilicet atriorum, & veſtibuli, non oraculi.

V. 18. INTRINSECUS. פנימה *penimah* proprie *anterius*; id eſt, in interiori parte templi, a facie externa & anteriori tabularum cedrinarum. Opportune monent, Hebræos id vocare *anterius*, quod Latini dicunt *interius*: nam introrſus pergentibus exteriora ſunt retro, & interiora ante. Seu quod Hebræis in domibus & ædificiis cameræ, & conclavia fuerunt ipſis in receſſu; non reſpexerunt foras in plateas & extra domos, ſed introrſum. HABENS TORNATURAS ET IUNCTURAS SUAS FABREFACTAS. Hebr. מקלעת פקעים *miklaghath pekaghim*. Priorem vocem *miklaghat* exponunt *incisura*, *ſculptura*, *ocellatio*: alii *rotulatio*, *rotuli*, *rotatio*, *rotunditas*, id eſt ſculptura in modum rotulæ: proprie *fundibulatio*, hoc eſt ſculptura, inciſura in modum fundæ facta. Vide Exodi XXVII. 9. Sic infra verſ. 29. 32. *Pekaghim* vero aiunt eſſe *folliculos figuræ oblongæ rotundæ*, *in modum colocynthis*, ſeu *ovi oblongi*. Ergo reddunt. I. *Depictæ inſtar cucurbitarum agreſtium*. II. *Sculptura colocynthidarum*, vel *rotulatio*, *rotula colocynthidarum*. III. *Sculptura inſtar fundæ*, *colocynthidarum*. Nonnulli: *Habens ſculpturam pomellorum*. IV. Quidam priorem partem verſus ita reddunt: *Et ad cedros domus intrinſecus erant inciſæ colocynthides*. V. Nec deſunt qui convertant, *Inciſura fungorum*: ſeu *erant inciſi fungi*. *PheKaghim fungos* ſignificare volunt. Forſan ſunt conſona voce, quos Valentine *alphicoſos* vocamus, genus cucumerum intortorum: nam *al* eſt articulus Arabicus: quæ forma ſculpturis non invenuſta. VI. *Porro aſſeres ipſi cedrini*, *qui erant intus in ædes*, *extrudebant nodos prominulos*. ET CAELATURAS EMINENTES. Hebr. *Et apertiones florum*. Quidam, *Et cælaturæ inſtar florum*. Aliqui, *Dimiſſi florum*, id eſt dimiſi flores, qui videbantur egredi. Alii, *Et aperti flores*, vel *& cælaturæ*, ſeu *inciſuræ florum patulæ*. Hiſpanice, *incidere* in ligno, aut in ære, vocamus *aperire*. Hiſpanicus Interpres, *Y de botones de flores*. Sic infra verſ. 29. 32. 35.

V. 20. PORRO ORACULUM HABEBAT, &c. Hebr. *Et ad facies oraculi*. Quidam: *Intrinſecus autem erat oraculum*. Alii: *Quod adytum per ſe habuit viginti cubitos*, &c. Nonnulli: *Quod autem ad anteriorem partem adyti*, *viginti cubitorum erat longitudo*, &c. ET VIGINTI CUBITOS ALTITUDINIS. Hebræi exiſtimant, *adytum*, ſive *debir*, eiuſdem altitudinis fuiſſe cum æde, nempe triginta cubitorum, ſupra verſ. hic autem intelligi de ea parte altitudinis, quæ obducta erat tantummodo auro: nam viginti cubiti erant tecti ſolo auro; alii decem erant (forſan inferiores, & arcæ propinquiores) tecti auro, & lapidibus pretioſis. Sed unde hoc ſciverunt? Plerique quadratum omnino a tribus dimenſionibus adytum faciunt, ut hic diſerte Scriptura ait. Viginti ergo cubitis erat altum, decem minus reliqua domo. AURO PURISSIMO. Hebr. *Auro clauſo*,

ſo, ſeu *incluſo*. Sic dictum volunt, quaſi igni traditum, & concluſum ad purgandum. Hiſpanice *acriſolado*, id eſt purgantiſſimum. Alii, quod ob bonitatem & præſtantiam ſoleat claudi. Hebræi comminiſcuntur dictum clauſum, quod cum ipſum venum exponeretur, reliqui auri officinæ, ut multo inferioris, clauderentur. Quidam, *Auro clauſo*, id eſt ligato, quale eſt aurum ex quo conficiuntur nummi. Hiſpanice *oro con liga*. Pro eo quod hic dicitur *auro clauſo*, II. Paralipom. III. 8. ponitur *auro bono*. Nonnulli hic reddunt, *Auro aſſervato*, nimirum a Davide in hunc finem: I. Paralipomen. XXVIII. 14. Sic infra verſ. 21. Vide II. Paralip. III. 6. SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO. Hebr. *Et obduxit altare cedro*. Quidam: *Altare autem operuit cedrinis tabulis*. Alii: *Et aram obduxit cedro*. Nonnulli: *Obduxit etiam altare cedrinum*, auro ſcilicet, & verſ. 22. Sed altare hic non eſt in regimine, niſi repetas: *Obduxit etiam altare, altare* inquam *cedri*, ſeu *cedrinum*. Hoc altare intelligendum tymiamatis, ſeu ſuffitus odorum, de quo infra verſ. 22.

V. 21. ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS. Mirum quam diverſe hunc locum ex Hebr. convertant. I. *Et transire fecit in catenis aureis oraculum, & texit illum auro*; id eſt, tranſire fecit in catenis aureis, ſubaudi vectes: nempe vice peſſuli & vectis, quod ſoleant occludere fores vectibus ac repagulis, occluſit fores oraculi catenis: *& rexit illum*, ſubaudi parietem; id eſt, ſeptum illud quod diſtinguebat oraculum a reliqua parte domus, auro interne, & externe obduxit. II. *Et occluſit catenis aureis oraculum: & texit illum auro*. III. *Et clauſit peſſulis aureis parietem qui erat ante oraculum: & texit illum auro*. IV. *Et traiecit vectes aureos ſuper facies parietum ipſius oraculi, & operuit totum auro*. V. *Et vectavit, vectes impoſuit, in catenis auri ad facies oraculi, & texit illum auro*. VI. *Et tranſire fecit, ſcilicet vectem, per clauſuras ante oraculum, auro obductum*. VII. *Et fecit tranſire in clauſuris aureis ante oraculum, quam obduxit auro*. VIII. *Et traduxit in repagula aurum, ante oraculum: & obduxit illum auro*. IX. Hebræi exponunt: *Et veſtavit, repagulavit*, id eſt traiecit tanquam vectes *catenas aureas*, Italice *catenacci*, illiſque clauſit oraculum. Erat autem paries ante oraculum, dividens inter oraculum & templum exterius, in loco in quo locabatur velum, cuius latitudo erat cubiti unius: & in ipſo pariete poſuit vectes aureos: & omnia, atque adeo parietem obduxit auro. Verbum עבר *ghibber* in Pihel, id eſt *tranſire fecit*, plerique Hebræorum exponunt, *Veſtavit, repagulavit*; id eſt, traiecit tanquam vectes, repagulo, vel peſſulo proclusit, ex uſu Chaldaico, & ex ſenſu vocis: nam quod Hebraice dicitur בריחים *berichim*, id eſt *vectes*, Exodi XXVI. verſ. 26. Chaldæus vertit עברין *ghabberin*: & ſignificatio eſt eadem: nam *berichim* proprie ſunt *tranſfugitoria, tranſcurſoria*; & *ghabberin tranſitoria, tranſiluſtoria*: quod vectes & repagula, ſeu tranſtilla, ab una extremitate in aliam tranſfugiant, & tranſeant. X. Quidam reddunt: *Et tranſiuſit*, vel *& fecit interiectum* parietem, *præter funes aureos ante adytum*, *quem ſimiliter obduxit auro*. Illud *præter funes aureos*, exponunt, Id eſt quibus pendebat velum ante parietem & portam ad Sanctum ſanctorum. Synecdoche. Quidam hunc interiectum parietem ligneum ex tabulis cedrinis auro utrimque obductum; alii lapideum, ſed cedro & auro obtectum, volunt: quod eſt veroſimilius. Nos hic verba reddidimus: *Et tranſire fecit in clauſuris auri ad facies locutorii, & obduxit eum auro*, nempe parietem tranſmiſſum, ſeu interiectum, ut omnes fere intelligunt. רתיקות *rattikoth* exponunt *clauſuras, clauſtra, vincula, ligamenta, catenas, funes, vectes, peſſulos, repagula*.

V. 22. SED ET TOTUM ALTARE ORACULI TEXIT AURO. Reddunt: *Similiter totum altare illud quod erat ad adytum, obduxit auro*; id eſt, quod erat e regione portæ adyti extrinſecus. Alii: *Sed & totam arcam, quæ erat pone adytum, obduxit auro*. Nonnulli: *Totumque altare quod erat ante oraculum, texit auro*; id eſt, quod erat ante oſtium oraculi: erat enim altare thymiamatis e regione oſtii oraculi in ipſo hechal, ſeu templo: oſtium autem oraculi erat in medio parietis, ſeu ſepti tranſverſarii. Vide Exodi XXX. verſ. 6.

V. 23. DE LIGNIS OLIVARUM. Hebr. *Ligna olei*, ſeu *oleoſa*. שמן *ſchemen* generale nomen eſt ad omnem pinguedinem, nec oleum tantum olivarum ſignificat:

ficat: unde hic quidam universe ligna oleosa, pinguia, resinosa accipiunt, Aliqui reddunt, *E lignis pineis*; sed fere omnes *ligna olivarum*, seu *oleagina* intelligunt: nam radices olearum aptissimæ sunt fabricandis statuis. Sic infra vers. 31. 32. 33.

V. 29. ET OMNES PARIETES TEMPLI. Hebr. *Et omnes muros ædis*. Quidam universe templum intelligunt, tam *debir*, quam *hechal*. Alii singulariter *debir* tantum, unde reddunt: *Omnes autem muros istius domus*, nempe intimæ, seu adyti, de qua hactenus locutus est a vers. 19. qui sensus videtur bonus: nam sculpatura parietum *hechal*, alia ab ea quæ hic describitur ipsius *debir*, notatur supra vers. 18. Sed præferendus prior, e II. Paralipom. III. 7. PER CIRCUITUM. בדד *mesab* potest esse nomen, *circuitu*, *circumquaque*, & potest esse participium Hiphil, *circumiens*, *circumgyrans*, *circumducens*, *circumvertens*. SCULPSIT. Verbum קלע *kalagh* proprie est *fundibulavit*, *circumrotavit*, *rotulavit*; seu *in modum fundarum*, aut *rotularum incidit*, *sculpsit*; *in rotulas*, seu *fundas sculpsit*, *incidit*. Sic vers. 32. QUASI PROMINENTES DE PARIETE, ET EGREDIENTES. Hebr. hunc sensum rectissime patiuntur, *anterius*, & *exterius*: alii, *intrinsecus*, & *extrinsecus*; id est, tam intus in adyto, quam extra in exteriori templo, seu *hechal*. Sic versu sequente. Nonnulli, *intrinsecus*, & *extrinsecus*; id est, *intrinsecus*, nempe omnes parietes intra adytum; & *extrinsecus*, scilicet parietem illum quo distinguebatur adytum a templo, in illa eius parte exteriore etiam quæ templum spectabat.

V. 30. INTRINSECUS ET EXTRINSECUS, vel *intus* & *extra*. Omnes exponunt: Tam in adyto, quam in *hechal*, seu templo: seu tam in Sancto sanctorum, quam in Sancto.

V. 31. POSTESQUE ANGULORUM QUINQUE. Hebr. *Postes quinta*. Plerique exponunt: *Et postes quinque laterum*, seu *pentagoni*: erant quasi columnæ quinquangulæ. Hispanicus Interpres, *Y los postes eran de cinco esquinas*. Alii referunt ad proportionem; id est, super liminaris ac postium ad valvas, seu fores, erat proportio subquintupla: nam quanto ampliores sunt valvæ, tanto crassiores esse debent postes, & superliminare; hoc est, superliminare, & postes erant quintuplo crassiores valvis & foribus. Nonnulli reddunt: *Superliminare cum postibus*, *quinta parietis*; id est, altitudine, & latitudine sua quatuor continebat cubitos, qui efficiunt quincuncem parietis: qui paries latitudine, & altitudine continebat viginti cubitos.

V. 33. POSTES DE LIGNIS OLIVARUM QUADRANGULATOS. Hebr. *Postes e lignis oleosis*, *de quarta*. Analogice exponunt, ut versu superiore; id est, postes tetragonos, quatuor laterum, quadrilateros, quadrangulatos, quadros, quadratos, Hispanice, *de quarto esquinas*; vel quadruplo crassiores quam ipsæ fores, seu valvæ. Quidam: *Postes e lignis oleosis*, *e quarta parietis*; id est, quinque cubitis latam, & totidem altam: nam hæc est proportio parietis: qui paries erat viginti cubitorum latitudinis.

V. 34. ET UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATUR. Nos hic Hebræa verbatim expressimus (*Et duæ coëlæ foris unius*, *devolutiones*; & *duæ fundæ foris secundæ*, *devolutiones*.) Alii varie: *Duo latera valvæ unius rotunda*, & *duo latera alterius valvæ rotunda*; id est, opere tornatili facta, nempe ex columnellis. II. *Duæ cœlaturæ valvæ unius*, *rotundæ*; & *duæ cælaturæ valvæ secundæ*, *rotundæ*. Duas costas appellari aiunt duo transversa distinctiva in superficie foriun, æquidistantia, inter quas ac summum & infimum ostii, aria spatia vacua intercipiuntur; quæ non quadrata, sed rotunda describuntur, in modum circulorum; seu sphærarum exculptæ: ut etiam hodie fieri videmus in Magnatum foribus, quamvis plerumque figura quadrata costarum. In tribus his orbibus, seu circulis erant variæ cælaturæ seu sculpturæ, ut mox dicitur; atque ita ornata erat utraque valva: & quæ in priori membro dicuntur costæ, in secundo membro vocantur cælaturæ; quod costæ rotundæ & celatæ communes essent utrique valvæ. III. *Duo latera valvæ unius* erant *annuli*, *circuli*, *epistylia*: & *duo tapetes votulis intexti ostii secundi*, *annuli*, *circuli*, *epistylia* erant. IV. *Duo latera volubilia unius ianuæ*: & *duo latera volubilia alterius ianuæ*. V. *Duæ costæ ostii unius volubiles*: & *duæ sculpturæ ostii secundæ rotundæ*. VI. *Duæ valvæ*

foribus unis verſatiles : ac duæ valvæ inciſæ foribus alteris verſatiles erant. Videntur hæc indicare utrumque valvam per medium tranſverſum latitudinis fuiſſe diſtectas; ut utraque valva duas partes haberet : ut fieri frequenter videmus in foribus Principum, ut, cum viſum eſſet, dimidia tantum forium pars vel ſuperne, vel inferne claudi & aperiri poſſet. Quidam hic *laterâ*, ſeu *coſtas rotundas*, ipſos cardines forium intelligunt ; ut hi in poſtibus extantes, & rotundi eſſent; bini utrimque ſuperus, & inferus. Tanta vetuſtas hæc obſcura reddit.

V. 35. OPERUITQUE OMNIA LAMINIS AUREIS OPERE QUADRO AD REGULAM. Nos ad verbum Hebræa transfudimus (*Et ſpeculabiles reddet auro rectificato ſuper charactérem* .) Varie alii. I. *Operuitque auro directo quæ erant ſculpta*. II. *Et veſtiet auro directo ſuper cavatum*; id eſt, direxit aurum ad penetrandum cavatas partes inciſuræ, ſeu ſculpturæ. III. *Et obduxit aurum directe ſuper imagine* , ſcilicet Cherubinorum , palmarum , & florum. IV. *Obduxitque auro in plano ſuper ſculptura* . V. *Texitque auro , quod attenuatum ponebatur ſuper ſculpturas*. VI. *Obduxitque antipagamenta auro iuſtificato* ; id eſt , tantum auri infudit , quantum opus erat : iuſto auro obduxit. Feſtus: *Antipagmenta, valvarum ornamenta, quæ antis appanguntur , id eſt affiguntur*. VII. *Texitque auro* , ſubaudi cælaturas illas , *directo*; id eſt, recte , apte, artificioſeque collocato , ſeu miro artificio poſito : *ſuper illud quod inſculptum erat*: nempe ut extarent, & apparerent etiam cælaturæ illæ poſt aurum inductum . VIII. *Et obduxit aurum iuſtificatum ſuper effigiationem* , ſeu *cælaturam* ; alii *pictúram*: vel *obduxit auro rectificato ſuper effigiatum*, five *ſculptum*; alii *ſuper impreſſum* . IX. *Quæ obduxit auro directo ad ipſum ſcalptum* : vel *auro adaptato ad earum ſcalpturam* . Hiſpanicus Interpres : *Y cubrio de oro mus iuſto , aiuſtado a la entalladura* , vel *a las entalladuras*. מחקה *mechukkeh*, vel participium paſſivum Pihel , ſeu nomen participiale , vel nomen ſubſtantivum eſſe volunt, & haud dubie Hebræis idem ſignificare quod Græcis *charácter* , id eſt impreſſam, ſeu expreſſam imaginem alicuius rei: unde reddunt , *Impreſſionem* , *expreſſionem* , *effigiationem* , *figurationem* , *imaginem impreſſam* , ſeu *expreſſam* , *figuram* ; *pictúram* , *ſcalpturam* , *ſculpturam* ; vel *impreſſum* , *expreſſum* , *effigiatum* , *figuratum* , *ſculptum* , &c. Hac voce uſum putant Paulum Hebræor. I. verſ. 3. quam Græcus Interpres *charácter* verterit : *Qui cum ſit refulgentia gloriæ, & charácter* , id eſt impreſſa , ſeu expreſſa imago , *ſubſtantiæ eius*.

V. 36. ATRIUM INTERIUS. Omnes intelligunt propinquius templo pro Sacerdotibus, quod appellabatur *atrium ſacerdotum*, II. Chronicor. IV. verſ. 9. ſic autem dici reſpectu atrii magni pro populo , de quo eodem loco Paralipom. quod erat exterius . ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI. Hebr. *Et ordine exſciſſarum cedrorum*. Quidam , *Et ordine ſectarum cedrorum* . Alii , *Et ordine de dolatarum cedrorum*. Nonnulli, *Et ordine trabium cedrinarum*. Qualiter autem hoc atrium extructum fuerit , Scriptura aperte non dicit , unde amplus coniecturis locus. Quidam intelligunt , atrium iſtud fuiſſe circumdatum ſepto, quod tribus ordinibus lapidum cælorum & politorum aſſurgeret , & ſuper tres ordines lapidum , unus ordo trabium cedrinarum vice coronamenti eſſet. Alii, hos tres ordines lapidum, & unum cedrorum , ad porticus , five columnationes circum atrium referunt . At de his certi quippiam ſtatuere non poſſumus.

V. 38. MENSE BUL. Notant , מרחשון *marcheſchevan* etiam Hebræis dici lingua peregrina , ab eructatione aquarum. Conveniunt reſpondere magna ex parte noſtro Octobri, ſed partem etiam in novembrem incidere. Varias etymologias ei adfingunt. I. a בול *bul*, Iſaiæ LXIV. 6. vel נבל *nabal*, eiuſdem ſignificatus *defluere* , *emarceſcere*; quod eo menſe terræ naſcentia marceſcant, & folia arborum defluant. II. a נבל *nabal* , *defluere* , ſeu מבול *diluvio* ; quod eo menſe aquæ defluant nubibus , & ſint eluviones imbrium . III. a יבל *iabal* , *adducere* , vel a יבול *iebul*, *proventu*; quod eo menſe adducantur, & colligantur fructus , & proventus agrorum ; vel quod illo menſe quaſi altero vere germina iterum terra producat . IPSE EST MENSIS OCTAVUS , nempe anni ſacri , & eccleſiaſtici , ex inſtituto Dei , Exod. I. Vide ſupra verſ. 3. IN OMNI OPERE SUO. Hebr. *Ad omnia verba ſua*. Quidam, *Cum omnibus rebus ſuis* vel *eius*.

Non-

Nonnulli ; *Cum omnibus utenſilibus ſuis* . ET IN UNIVERSIS UTENSILIBUS SUIS . Hebr. *Et ad omne iudicium eius* . Quidam, *Et cum omnibus his quæ ad eam pertinebant*. Alii, *Et ſecundum omnem diſpoſitionem, regulam, normam, modum, qualitatem, ſtatum, conditionem eius*. Nonnulli, *Et ſecundum omnem formam*, vel *exemplar eius*. Aliqui, *Et ſecundum omnem rationem eius* . Plerique Hebræa pluraliter legunt , *Et ſecundum omnia iudicia eius* , ſeu *diſpoſitiones, regulas, normas, rationes, eius*. ANNIS SEPTEM, integris, & amplius ſex menſibus ; qui tamen hic ſubticentur ad rotundationem numeri , ut alibi ſolet . Vide II. Samuel. v. 5. & Iudic. xx. 46.

MENOCHII.

Verſ. 1. ANNO QUARTO, regni ſcilicet Salomonis . MENSE ZIO, id eſt aprili. Chaldæus habet , *Splendoris florum*. MENSIS SECUNDUS, non regni Salomonis , ſed anni cuiuſque. Eſt autem menſis ſecundus habita ratione feſtorum, ſive anni ſacri, non autem ſecundo anni profani , qui ſeptembri fere inchoabatur.

V. 2. HABEBAT SEXAGINTA CUBITOS IN LONGITUDINE , &c. Sermo eſt de vacuo templi ſpatio ſecluſis parietibus : nam ſi geminum undique murum comprehendamus, longitudinem habuit centum cubitorum , latitudinem vero fere ſexaginta . TRIGINTA CUBITOS IN ALTITUDINE . Quod eodem modo de interiori templi conceptu intelligendum eſt : nam ſi craſſitiem murorum comprehendas, erat quinquaginta , ut Villalpando placet , Tom. II. Lib. V. cap. XIV.

V. 3. PORTICUS, &c. Pars hæc templi etiam veſtibulum dicitur. Symmachus etiam vocat propyleum ; quaſi dicat , quod ante portas ſancti , & Sancti ſanctorum, poſitum eſt . Sanctus Hieronymus hanc porticum ita deſcribi poſſe putat , Ezech. VIII. *Tectum atrium , quod inter templum & altare erat*.

V. 4. FECITQUE IN TEMPLO FENESTRAS OBLIQUAS ; Pars interior templi , quæ oraculum dicitur , ſive Sancta ſanctorum , feneſtris omnino caruit, nec lumen aliunde quam ex porta recipere poterat . Vide Villalp. in cap. XLI. Ezech. Lib. IV. cap. XXXIV. Pined. de reb. Salom. Lib. V. cap. v. num. 142. Salian. anno quinto Salom. num. 42. In reliquo vero templo feneſtræ erant , quas Scriptura *obliquas* vocat , quia exterius anguſtiores erant, interius vero latiores.

V. 5. AEDIFICAVIT SUPER PARIETEM TEMPLI TABULATA PER GYRUM . Nomine tabulatorum, cubiculorum ordines tabulatis diſtinctos intelligit : nam templum gemino pariete cingebatur, & inter parietes ſpatium erat latitudinis quinque cubitorum , in quo ſpatio cubicula erant intra utrumque parietem incluſa . Horum cubiculorum uſus erat, ut in illis reponeretur templi ſupellex , vel theſauri , in eaque ſe reciperent ſacerdotes , Ab inferioribus cubiculis ad ſuperiora per cochleam in craſſitie murorum fabricatam aſcendebatur : de qua vide infra num. 8. IN PARIETIBUS DOMUS. Dicitur *in parietibus*, quia ad utrumque parietem tabulatum pertinebat, illiſque hinc & inde innitebatur. FECIT LATERA IN CIRCUITU. Uterque templi paries, de quo diximus , ad maiorem fabricæ firmitatem, per certa intervalla , lateribus ſive coſtis (ſic enim in textu Hebraico appellantur, ut etiam a Septuag.) quas antas, ſive anteridas vocant Architecti, munivit. Hæc latera ſive coſtæ, latæ erant quatuor cubitos, & uno cubito extra murum eminebant . Ita aliqui . Verius tamen videtur hæc latera fuiſſe parva cubicula inter muros intercepta , de quibus numero præcedenti . Vide dicta Ezechiel. cap. XLI. num. 6.

V. 6. TABULATUM QUOD ERAT SUBTER, &c. Tres erant iſtarum cellarum ordines, & ſuperior ordo ſemper inferiore latior uno cubito : idque vel quia templi muri poſt decem cubitos ſemper reducuntur , & in reductionibus iſtis (quæ eminentiæ dicuntur Ezech. XLI. 6. ab aliis contractiones, ſive imminutiones murorum) cellæ ſuperædificatæ ſunt, ut vult Arias, & Theodoretus, & alii. TRABES AUTEM, &c. trabes quæ a muro ad murum pertinebant, quibus ſuperponebantur tabulæ , quæ cubiculorum pavimentum faciebant. FORINSECUS : poſuit forinſecus, id eſt ſuper reductiones murorum . UT NON HAERERENT MURIS TEMPLI, ſci-

ſcilicet per foramina, ut ſit, ſed niterentur ipſa prominentia parietis.

V. 7. MALLEUS, ET SECURIS, &c. In monte enim, ex quo excidebantur, ita concinnabantur, & poliebantur lapides ad normam ſibi ab architectis datam, nihil ut poſtea opus fuerit inſtrumentis in templo ad eos reliquæ fabricæ coaptandos.

V. 8. OSTIUM LATERIS MEDII, &c. Sententia eſt, templum præter portas tres, quæ erant in veſtibulo, habuiſſe etiam aliam ſecretiorem in latere medio, ſive in anteriori, de media quæ ERAT IN PARTE DEXTRA TEMPLI; hoc eſt, in ea parte quæ meridiem ſpectabat. Chaldæus, *Porta*, inquit, *appendicis inferioris aperta erat in latere domus dextero*, &c. IN MEDIUM COENACULUM, &c. ad medium tabulatum, & a medio ad tertium, quod ſummum erat.

V. 9. LAQUEARIBUS CEDRINIS: nam, ut infra dicitur num. 18. *omnia cedrinis tabulis veſtiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.*

V. 10. TABULATUM SUPER OMNEM DOMUM, tectum faſtigiatum, non planum, ut fieri ſolebant in Palæſtina. Ita vero factum ad maiorem loci religionem, ne liceret in tecto ambulare, & verſari, ut fiebat in tectis profanorum ædificiorum. Ita hunc locum explicat Villalpandus in cap. XLI. Ezechiel. verſ. 23. & Sanchez in hunc locum. Salianus tamen anno Salomonis quinto num. 81. vult hoc tabulatum fuiſſe peribolum, qui circa ſummum tectum erat ad prohibendum caſum, & præbendum commodum apricandi, ambulandi, aut orandi locum. Hic peribulus etiam dicebatur *pinnaculum templi*, Matth. IV. Cum Saliano ſentiunt Eucherius, Angelomus, Lyranus, Richardus, ab ipſo citati, & alii. OPERUIT DOMUM LIGNIS CEDRINIS: ſcilicet ſuprema tecti ſuperficies, ſeu planities cedrina erat.

V. 12. FIRMABO SERMONEM MEUM, &c. effectum dabo, implebo.

V. 15. ABIEGNIS, ex abiete.

V. 16. AEDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM: ſpatium ſcilicet viginti cubitorum ædificavit, & ornavit tabulis cedrinis, ut eſſet oraculum, ſive Sancta ſanctorum. POSTERIOREM PARTEM TEMPLI: nam Sancta ſanctorum erat interior, & extrema pars templi occidentem verſus.

V. 17. IPSUM TEMPLUM: ea pars templi quæ inter veſtibulum & Sancta ſanctorum intercipiebatur, eratque ante oſtium Sancti ſanctorum.

V. 18. ET CEDRO OMNIS DOMUS, &c. Hic locus apud Vatablum ita vertitur: *Porro aſſeres illi cedrini, qui erant intus in ædes, extrudebant nodos prominulos, floreſque apertos, omnia ex cedro erant, ut lapis nullus appareret.*

V. 16. IN MEDIO DOMUS, id eſt intra domum, ut ſtatim explicatur.

V. 20. ALTARE, thymiamatis, quod erat ante Sancta ſanctorum.

V. 21. OPERUIT AURO PURISSIMO. Ne quis tamen putaret inauraſſe tantum, addit, laminas aureas clavis aureis ad cedrinas tabulas fuiſſe confixas.

V. 22. ALTARE ORACULI, altare thymiamatis, quod dicitur altare oraculi, quia erat non intra ipſum oraculum, ſed ante.

V. 23. ET FECIT IN ORACULO DUOS CHERUBIM, &c. Non ſe mutuo aſpiciebant Cherubim, ſed facies habebant verſas ad domum exteriorem, ſive ad orientem, terga ad occidentem, & alas habebant quinque cubitorum, ſingulas extenſas verſus meridiem, & ſeptemtrionem; ita ut ala exterior unius tangeret parietem meridianum, altera alterius parietem ſeptemtrionalem, interiores vero alæ amborum ſeſe attingerent, tegentes arcam cum propitiatorio, & tegentes etiam duos Cherubim aureos, quos fecerat Moyſes, & ibi ſimiliter poſiti erant, ut ait Abulenſis quæſt. XVIII. in XXV. cap. Exodi. Hæc ex Ribera de Templo Lib. II. cap. VI. DECEM CUBITORUM ALTITUDINIS: quæ plane gigantæa magnitudo eſt, quæ tamen ad magnificentiam pertinebat, & ipſius Dei magnitudinem æſtimandam erigebat.

V. 24. A SUMMITATE ALAE UNIUS, &c. quod de duabus interioribus alis intelligе, quæ ſe ſummitatibus tangebant, ut explicatum eſt num. 23.

V. 25. OPUS UNUM, idem opus, & eodem modo factum.

V. 29. VARIIS CAELATURIS, ET TORNO, humili toreumate, quod Italice dicimus, *Di mezzo, o di baſſo rilievo*: hoc eſt

est enim quod hoc versículo subditur, QUASI PROMINENTES. CHEERUBIM ET PALMAS, alternatim positas. Effigies Cherubim ex Villalpando, & Saliano erat huiusmodi. Effigiem habebant unam totius corporis compositione erecta, non brutorum in morem in terram prona, & abiecta. Erant autem facies sive formæ unicuique quatuor, non autem capita, ut plerique putaverunt, id enim esset monstrum, idolo horribilius, & loco sancto indignissimum, sed unusquisque unico tantum capite, & vultu erat, sed erat tamen quaternis formis, seu figuris animalium insignitus, facies hominis videbatur in vultu, brachiis, manibus, cruribus, & corporis erecti habitu, facies leonis apparebat in cervicibus, armis, & pectore iubatis, facies aquilæ in alis, facies vituli in bifidis pedum ungulis. Apparebat ergo Cherub iuvenis alatus, leonino exuvio, quasi thorace vestitus, & ungulis vituli calceatus. Quaternis porro alis ornabantur, duabus volabant, & duabus tegebant inferiora corporis sui, PICTURAS, cælaturas.

V. 30. INTRINSECUS ET EXTRINSECUS, tam in templo interiori, quam exteriori.

V. 31. POSTESQUE ANGULORUM QUINQUE. Postis est latus ostii, sive arrectarium portæ, unde ostium pendet, quasi post ostium stans. Fortasse dicuntur postes hoc loco *angulorum quinque*, quia superliminare, sive, ut Vitruvius vocat, hyperthyrum, non erat planum, & iacens, sed acuminatum, & figuram Delta maiusculi referens. Favet huic interpretationi quod ex Hebræo verti potest, *super limínare*, & *postes quinque laterum*, ut est in bibliis Pagnini: nam אל *ail*, quod est in textu Hebraico, superliminare significat, ut etiam ex aliis docet Ribera de Templo Lib. II. cap. VIII. quamvis tam ipse quam alii Interpretes quos vidi, postes angulorum quinque velint fuisse in modum columnæ quinquangulæ.

V. 32. ANAGLYPHA sunt cælaturæ asperæ, & eminentes e plano, quales sunt flores, & plantarum, & animalium expressæ figuræ.

V. 33. POSTES QUADRAMGULATOS. Fuerunt ergo in portis maioribus valvæ geminæ, quarum limina, postes, & superliminare quadrangularem figuram referebant. Vide dicta num. 31.

V. 34. DUO OSTIA, magna, quæ totam portæ latitudinem clauderent. ALTRINSECUS, hinc, & inde. UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT: quia scilicet utræque duæ fores ostiola parva habebant, ut scilicet vastis illis foribus clausis, cum exigeret usus, sacerdotibus egredi, & ingredi liceret in templum. UTRUMQUE OSTIUM SE INVICEM TENENS APERIEBATUR. Vel sensus est, ostiola parva se tenuisse cum magnis foribus, cum scilicet tota panderetur porta, ut vult Sanchez: vel, quod malim, fores maiores se invicem tenuisse, & clausas mansisse, cum aperirentur ostiola. De foribus istis latius disputat Ribera de Templo Lib. I. cap. X.

V. 35. OPERE QUADRO AD REGULAM; id est, æqualiter undique quadræ, ut sine ullo haiatu copularentur.

V. 36. ATRIUM INTERIUS: atrium sacerdotem, sive leviticum, in quo erat altare holocaustorum: nam duo alia erant atria, quorum alterum Israelitis tantum pervium erat, alterum vero omnibus commune. Horum atriorum ichema habes apud Villalpandum Tom. II. in Ezech. & apud Sal. Tom. III. Annal. Salomon. anno quarto. TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, &c. id est, tribus tabulatis sive contignationibus, quibus totidem additæ erant deambulationes suffultæ columnis. Duo primi ordines ex lapide politi, tertius ex cedro, ea fortassis de causa ut levius esset pondus, ut coniicit Sanchez. Vide Villalpandum Tomo II. in Ezechiel. Lib. I. cap. IX. fuse de hoc disputantem.

V. 37. ANNO QUARTO. Vide dicta hoc cap. num. I. ANNO UNDECIMO, regni Salomonis. Septem ergo annis templi fabrica absoluta est. MENSE BUL; quasi dicat: Mense quo decidunt folia, vel quo pluviæ redundant, respondetque octobri nostro, & novembri. Chaldæus mensem congregatarum frugum vocat. Ita Serarius. Pagninus in thesauro dici putat a מבול *mabul*, id est *diluvio*, sive in undatione pluviarum, quæ illo mense decidunt. Alio nomine mensis hic dicitur *Marchesuan*.

T I-

TIRINI.

ACcuratam templi formam, ſi lubet, vide apud Ariam Montanum, Franciſcum Riberam, & Ioannem Baptiſtam Villalpandum, & alios Interpretes Ezechielis Prophetæ. Hic obiter ſolum indicatur, qua ex parte diverſum fuerit hoc Salomonis templum a tabernaculo Moyſis. Cum enim tabernaculum Moyſis non haberet in longitudine niſi triginta cubitos, in latitudine decem, in altitudine decem, templum Salomonis duplicatis omnibus longum erat ſexaginta *a* cubitos, latum viginti, *b* altum in Sancto ſanctorum etiam viginti; *c* in Sancto vero, ſeu in anteriore templo triginta *d*. Ad inſtar tabernaculi diſtinguebatur in duas partes, non ſolo velo *e*, ſed & muro ſolido, in quo duo oſtia maiora *f*, & in maioribus iſtis duo minora oſtiola, quibus ex anteriore templo (quod Sanctum, vel Sanctuarium vocabatur, eratque in longitudine quadraginta cubitorum) ingreſſus patebat in interius templum, quod erat Sanctum ſanctorum, ſeu oraculum *g*, & longum, & latum, & altum erat viginti cubitos, hoc eſt perfecte quadratum. Ante ingreſſum Sancti porticus *h* erat coextenſa fronti templi, profunda decem cubitos: hæc porticus inſtar turris attollebatur ad centum *i* viginti cubitos. Addit Ioſephus, *k* etiam reliquam templi ſtructuram, impoſitis variis aulis, aliiſque cubiculis, in eamdem centum viginti cubitorum altitudinem paulatim in arctum tendendo elatam fuiſſe. Totum templum ex marmore erat ſolido, iam ante in lapicidinis quadrato *l*, dolato, & ad menſuram debitam comparato: unde cum in loco templi componerentur lapides, nullus auditus eſt malleorum, ſecurium, ſerrarum, aut aliorum ferramentorum ſtrepitus. Hæc tamen marmora ab intus nulla ex parte *m* apparebant, ſed tabulis & laquearibus *m* cedrinis (& abiegnis *n* hinc inde) conveſtita erant undique etiam in fornice & pavimento *o*. Hæ tabulæ in parietibus & fornice non erant planæ, ſed variis cælaturis *p* extrorſum protuberantibus (quæ hic *anaglypha* vocantur) ornatæ, verb. grat. figuris Cherubinorum, palmarum *q*, & ſimilium rerum. Sed neque hæ tabulæ, aut celaturæ cedrinæ uſpiam patebant oculis: nam aureis ubique laminis *r* tegebantur, ita inflexis molliterque inductis, ut formas ſubiectarum cælaturarum ad vivum exprimerent. Et ne quid appareret toto templo non aureum, etiam aureis clavis *ſ* lamina affixit tabulis, quorum ſinguli appendebant ſiclos quinquaginta *t*. Quin & altare marmoreum ſeu menſam, cui arca, & Cherubini in oraculo inſiſtebant, veſtivit ſimili modo primum tabulis cedrinis *u*, deinde laminis aureis. Duobus Cherubinis a Moyſe iuxta arcam ex ſolido auro poſitis, adiunxit Salomon duos alios longe maiores Cherubinos ex ligno *x* olivarum, ſed laminis aureis undique tecto. Pondus vero auri, quod in ſola domo interiore, ſeu in Sancto ſanctorum, laminis aureis contegendo abſumpſit, erat 600. *y* talentorum. Unde coniecturam facere licet de domo anteriore duplo altera maiore, in qua etiam pro uno candelabro poſuit decem candelabra *z*, pro una menſa decem *aa* menſas propoſitionis panum, ut docet Ribera, & alii.

Nota. Licet hæc omnia ſic auxerit Salomon, nihil tamen contra divinum præſcriptum egit: nam ut olim Moyſes formam tabernaculi, ſic David huius templi ideam a Deo acceperat, I. Par. XXVIII. 19. *Omnia, inquit, venerunt ſcripta manu Domini ad me.* Et huic ideæ inſtitit Salomon. Porro de tabulatis tribus ſeu contignationibus circum latera templi, ubi exedra erant & gazophylacia, & paſtophoria, ſeu cubicula ſacerdotum pro cuſtodia templi excubantium, item receptacula vaſorum templi, & theſaurorum, & veſtium ſacrarum, quas illic induebant, exuebant, & reponebant ſacerdotes: de tribu atriis, ſub dio, uno ſacerdotum, in quo erat altare holocauſtorum decem cubitis *bb* altum, & luter ſive labrum æneum, in quo ſacerdotes & victimæ lavabantur; ſecundo laicorum mundorum; tertio immundorum & Gentilium: denique de palatiis plurimis vaſtiſſimiſque tria illa atria cingentibus, quæ tempore obſidionis per Titum, & Veſpaſianum binor capiebant Iudæorum diſſidentium exercitus; de infinito numero vaſorum & ſupellectilium templi; deque aliis eo ſpectantibus, quorum hic nulla iam mentio, vide quos ſupra dixi, Villalpandum, Riberam, & alios. Quamquam etiam ex iis

quæ de tabernaculo Mosaico dixi, & in Ezechiele de templo dicturus sum, plerique sat intelligi possint. Hoc solum hic adiungo, templum hoc a Salomone in monte Moria, qui & Sion dictus fuit, eodem loco constructum fuisse, in quo iam olim Isaac a parente iugulandus procubuit, Genes. XXII. & recens David in area Areuna sacrificium Deo ad pestem a populo divertendam obtulit, II. Paralip. III. vers. 1. Id figurabat, Christum, qui per templum designabatur, esse verum Isaacum, qui mortis suæ sacrificio nocentissimam animarum pestem, peccatum, a populo divertit. Ita venerabilis Beda, Angelomus, & alii.

(a) Vers. 2. hic. (b) vers. 2. (c) vers. 20. (d) vers. 2. (e) II. Paral. III. (f) vers. 31. & 32. hic. (g) vers. 19. & 20. (h) vers. 3. (i) II. Par. 12. vers. 4.

(k) Iosesph. Lib. VIII. Antiquit. cap. 11.

(l) vers. 7. hic. (m) vers. 6. & 28. (n) Ibid. (o) II. Par. 11. vers. 2. (p) vers. 15. hic. (q) vers. 22. & 29. & 32. (r) vers. 29. (s) vers. 20. 21. 22. (t) vers. 21. (u) II. Paral. cap. 111. vers. 9. (x) vers. 20. 22. & I. Paral. XXVIII. vers. 18. (y) vers. 23. & 28. hic. (z) II. Paral. III. vers. 8. (aa) III. Reg. VII. vers. 49. (bb) II. Paral. IV. vers. 8. & I. Par. XXVIII. vers. 16. (cc) Ezech. cap. XLII. vers. 13.

GORDONI.

Vers. 1. CHronologiam dat hic primus versiculus notans mensem ♈ *Ziu*, qui est secundus anni sacri, & qui nostro respondet aprili (ut dixi in opere Chronol. Qq. cap. XVII.) Annus porro est iste 480. ab Exodo usque ad mundi annum 2963. quando cœpit templum ædificari. Est ergo hic mensis secundus anni sacri, ut dicebam: sed quotus sit mensis quarti anni Salomonis, non explicat Scriptura, cum non constet quo mense regnare cœperit Salomon. Demum minus recte ab aliquo dictus est mensis secundus anni 480. Exodus incepit a Nisan. Ceterum quomodo in monte Moria ædificatum sit templum, & de tota eius topographia ac structura, vide Villalpandum, virum in hoc opere describendo accuratissimum; ex quo Salianus quæ præcipua sunt selegit, & ad singulos annos quibus duravit extructio perbelle reduxit. His tantum addo, certari satis an mons Moria, ac proinde templum ipsum (ut est locus in confinio duarum tribuum) fit in tribu Iuda vel Beniamin. Villalpandus vult funiculum dividentem sub Iosue transiisse per medium montem Moria, & sic neutri tribui partem deesse suam. Vide Genes. XXII. de sacrificio Abraham, & Adrichom. Ierusalem num. 59. Ibi etiam sacrificavit David, I. Reg. cap. ult. in fine.

V. 2. & 3. TRIGINTA CUBITOS, nempe ad primum usque tabulatum. Omnino vero erat 120. cubitorum, II. Paral. cap. III. De cubito dixi Exod. XXV. 10. ANTE FACIEM, ad frontem.

V. 4. FECIT QUE... FENESTRAS OBLIQUAS, altera parte arctiores; ac si diceres, intrinsecus latiores, seu laxiores; extrinsecus arctiores.

V. 5. TABULATA PER GYRUM; id est, pergulæ, seu mœniana cingebant opus. ORACULI, Sancti sanctorum. ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. Hebr. *coſtas*, certe ad prohibendum casum. Chald. *appendices*. Aliqui ex Hebr. dant thalamos, & deambulatoria.

V. 6. TRABES. Ut commode subsisterent appendices illæ per gyrum, seu pergulæ, habebant tigna sua sustentata a pariete domus, non quidem perforato, sed contracto aliquantulum in latitudine; ut pars non contracta tigna sustentaret immissa: sic enim non erat necesse perforare parietes.

V. 7. Lapides dolati, & perfecti adveh hebantur, & proinde malleus non audiebatur.

V. 8. OSTIUM LATERIS. Ad latus muri meridionalis templum habebat ostium per quod ascendebatur ad cœnacula; seu tabulato uno ad alterum, demum ad tertium: nam totidem erant.

V. 10. SUPER OMNEM. Ita fit in tectis planis. Hoc etiam supremum tabulatum sua habebat laquearia cedrina.

V. 19. IN MEDIO DOMUS ERAT ORACULUM; & tamen in remotissima parte, sicut centrum a circumferentia remotissimum. Mox oraculi, seu Sancti sanctorum dat mensuram.

V. 22. Altare auratum. Vide an novum, Sapien. IX. 8.

V. 25. OPUS UNUM. Erat opus formæ in duobus Cherubim.

V. 32. ANAGLYPHA .... PROMINENTIA sunt incisæ figuræ prominentes: asperas vocant celaturas.

V. 36.

V. 36. ATRIUM] INTERIUS, in quo erant sacerdotes. Aliqui putant hoc atrium fuisse circa templum, & templum fuisse in medio. Aliis placet atria fuisse ante porticum templi, non per gyrum. Ceterum hoc loco nihil dicitur de atrio populi.

V. 38. A mense secundo quo cœpit ædificari templum, usque ad hunc mensem octavum (qui octobri nostro respondet) fluxerunt anni septem, & aliquot menses. Scriptura tamen (ut alibi etiam contingit) tantum integros annos numerat hoc loco, qui sunt septem: alioqui inter quartum annum Salomonis & undecimum, sunt sex anni integri interiecti: accipe autem novem illos menses anni quarti quos tenuit ædificatio, & insuper decem menses quos dat annus undecimus; resultabit ex his mensibus annus unus, cum sex, vel septem mensibus: ubi adverto, mensem octavum quo finita est ædificatio, esse nobis octobrem, & proinde nostri anni mensem decimum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. PORTICUS vocatur etiam vestibulum; a Symmacho propylæum, ideſt ante portas.

V. 15. ABIEGNIS, ex abiete.

V. 22. ALTARE ORACULI, est thymiamatis, & ante oraculum. De Cherubim lege Riberam de Templo Lib. II. cap. VI.

V. 25. OPUS UNUM: opus eodem modo peractum, & forma.

V. 29. PICTURAS, cælaturas asperas & prominentes.

V. 31. POSTESQUE: fere dicuntur latera unde pendet ostium: hinc versu 33. ponit postes quadrangulatos. Facile enim fieri potuit, ut postes, limina, & superliminaria facerent formam quadrangulatam.

V. 35. OPERE QUADRO AD REGULAM; hoc est, æqualiter quadrato ex omni latere.

CAPUT VII.

Palatium Salomonis, domus saltus atque uxoris eius, varia & sumptuosissima templi supellex.

1. DOmum autem suam ædificavit Salomon (*a*) tredecim annis, & ad perfectum usque perduxit. 2. AEdificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis: & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas. 3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim. 4. contra se invicem positas, 5. & e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis: & alteram porticum in facie maioris porticus: & columnas, * & epistylia super columnas. 7. Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit: & texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. 8. Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis ((*b*) quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant: a fun-

damento usque ad summitatem parietum, * & extrinsecus usque ad atrium maius. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. 11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro. 12. Et atrium maius rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, & unius ordinis de dolata cedro: nec non & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus. 13. Misit quoque Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, 14. filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad Regem Salomonem, fecit omne opus eius. 15. Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam: (c) & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. 16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum: 17. & quasi in modum retis, & catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero. 18. Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiacula singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit & capitello secundo. 19. Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. 20. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. 21. Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin: similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen eius Booz. 22. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit: perfectumque est opus columnarum. 23. (d) Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius, * & resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: * duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. 25. * Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, & tres ad occidentem, & tres ad meridiem, & tres ad orientem, & mare super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant. 26. Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat: labiumque eius, quasi labium calicis, & folium repandi lilii: * duo millia batos capiebat. 27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis. 28. Et ipsum opus basium interrasile erat: & sculpturæ inter iuncturas. 29. Et inter coronulas & plectas, leones & boves & Cherubim, & in iuncturis similiter desuper: & subter leones & boves quasi lora ex ære dependentia. 30. Et quatuor rotæ per bases singulas, & axes ærei: & per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectantes. 31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant; & media intercolumnia, quadrata, non rotunda. 32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum & semis.

33. Ta-

33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: & axes earum, & radii, & canthi, & modioli, omnia fusilia. 34. Nam & humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles & coniuncti erant. 35.* In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed appositæ per circuitum viderentur. 37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, & mensura, sculpturaque consimili. 38. Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est decem bases, posuit. 39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem. 40. Fecit ergo Hiram lebetes, & scutras, & hamulas, & perfecit omne opus Regis Salomonis in templo Domini. 41. Columnas duas, & funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum. 42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum. 43. Et bases decem, & luteres decem super bases. 44. Et mare unum, & boves duodecim subter mare. 45. Et lebetes, & scutras, & hamulas: omnia vasa, quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant. 46. In campestri regione Iordanis fudit ea Rex in argillosa terra, inter Sochoth & Sarthan. 47. * Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, aureum: 49. & candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro: & quasi lilii flores, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos, 50. & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo, & cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant. 51. (*c*) Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

(*a*) Infr. IX. 10. (*b*) Sup. III. 3. (*c*) Ierem. III. 21. (*d*) II. Paralip. IV. 2. (*e*) II. Paralip. V. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. *Et epistylia super columnas*. Non addas *fecit*, sed subaudias e proximo.

V. 9. *Et extrinsecus usque ad atrium maius*. Pro *extrinsecus*, non est scribendum contrarium *intrinsecus*.

V. 23. *Et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum*. Non est mutandum singulare *cingebat* cum plurali cingebant.

V. 24. *Duo ordines sculpturarum ustriatarum erant fusiles*. Romani Patres recte censuerant legendum *striatarum*, quod est striis ornatarum, non *bistriatarum*, aut *ustriatarum*, præposita una syllaba: qua de re nos alias latius scripsimus.

V. 25. *Et stabat super duodecim boves*. Legendum est numero singulari *stabat*, scilicet mare, non plurali *stabant*.

V. 26. *Duo millia batos capiebat*. Non addas

das *& tria millia metretas*, quod II. Paralip. IV. 5. legitur, pro eo quod hic legitur *duo millia batos*. Lege, si placet, Notationes noſtras in hunc locum.

V. 35. *In ſummitate autem baſis erat quadam rotunditas dimidii cubiti*. Legendum eſt, *dimidii cubiti*, non adiiciendum, quod plerique, *unius & dimidii cubiti*.

V. 47. *Et poſuit Salomon omnia vaſa*. Non ſubiungas *in domo Domini*, quod quidam.

NOTATIONES.

Verſ. 24. *Duo ordines ſculpturarum hiſtriarum erant fuſiles. Hiſtriatarum, aut ſtriatarum* legunt plerique libri: quam, quia vox eſt ignota, multi corrupte ſcripſerunt. Quidam autem non *hiſtriatarum*, ſed *ſtriatarum* legendum putat: atque ita habet textus cum verſione, & notationibus Pagnini anno 1557. excuſus: ad cumdem modum legunt Biblia anno 1529. Coloniæ impreſſa, & Benedicti Biblia anno 1573. edita. Striatæ autem ſculpturæ ſunt quæ ſtriis exornatæ ſunt. Striæ ſunt quaſi canaliculæ, aut ſulci per lignum, aut æs, aut lapidem ducti. Hiſtriatas ſculpturas Rupertus exponit ſculpturas proſtantes, ſive prominentes, ad ſpectandum videlicet, inquit, * apo tou hiſtorin*, pro quo corrupte ſcriptum eſt *apetityſtorin* (ἀπὸ τοῦ ἱστορῆν) quod Græce videre, vel cognoſcere dicitur. Rabanus, Eucherius, Angelomus, Toſtatus, Carenſis, Magdalius, Richelius, & ordinariæ Gloſſæ Auctor, hiſtriatas ſculpturas vocari dicunt eas quibus aliquæ exprimuntur hiſtoriæ; ita ut ſit hiſtriatum per ſyncopen pro hiſtoriatum. Hinc duo manuſcriptorum noſtrorum habent *ſculpturam hiſtoriarum*: Hunnæi unum eſt, Plantini alterum. Verum ex cap. IV. poſterioris Paralipomenon videntur non hiſtoriarum, ſed boum ſculpturæ fuiſſe: *Similitudo quoque boum* (legimus ibi) *erat ſubter illud*. Id quod non ad duodecim illos boves, ſed ad ſculpturas iſtas ex Hebræo referendum videtur; quamquam Interpres noſter eo retuliſſe non videatur: ſubiunxit enim: *Et decem cubitis quadam extrinſecus celatura, quaſi duobus verſibus alvum maris circumibant. Boves autem erant fuſiles*. Ut ut autem ſe habeat illud, hoc tertii Regum loco *pro ſculpturarum hiſtoriatarum* Hebraice eſt מַקְעֵים יְצֻקִים.

Ita enim Hebraice ſententia iſta ſe habet: מַקְעִים׃ שְׁנֵי טוּרִים הַמֻּקָּעִים יְצֻקִים בְּיִצְקָתוֹ, quod Noſter *ſculpturas*, vel *ſcalpturas*, ut legunt antiqui multi codices, generali nomine reddidit: alii *cucurbitas* exponunt, & intelligunt tubercula cucurbitis ſimilia. Chaldæus interpretatus eſt figuras ovorum. In his boum formata fuiſſe capita, ex illo loco Paralipomenon colligunt, יְצֻקִים, id quod noſter Interpres *hiſtriatas*, aut *ſtriatas* vertiſſe videtur (nam מַקְעִים hoc ipſo verſit *ſculpturam* ſimpliciter interpretatus eſt) alii conſtanter *fuſas* vertunt: eſt enim paul a יָצַק, quod hoc ipſo capite & loco, etiam noſtro Interpreti *fundere* ſignificat. Fuſæ autem ſculpturæ, & ſtriatæ eſſe poſſunt, & hiſtriatæ: immo ſolent hiſtriatæ etiam eſſe ſtriatæ. Fere enim ſculptæ, aut fuſæ hiſtoriæ ſtriis concluduntur. Id quod ſequitur בְּיִצְקָתוֹ, quod ad verbum eſt *in fuſione illius*, Noſter interpretatus eſt *fuſiles erant* (videtur enim intellexiſſe *in fuſione ſua*, pronomine ſingulari pro plurali accepto) niſi forte *hiſtriatarum* addideris, atque id totum יְצֻקִים בְּיִצְקָתוֹ, *fuſarum in fuſione illius*, zeddideris *fuſiles erant*, ſicut II. Paralip. IV. 5. nam quod ibi Hebraice ſimiliter eſt, יְצֻקִים בְּמִצְקָתוֹ, reddidit, *erant fuſiles*. Hebraice igitur ea quam tractamus ex III. Reg. ſententia ad verbum ſe habet: *Duo ordines ſculpturarum* (vel *cucurbitarum*) *fuſarum in fuſione illius*; ſubaudi, maris. Senſus loci eſt: Sculpturæ quæ erant in circuitu maris, duo erant ordines ſive verſus: nec erat ſculptura ſculpta, aut appoſitia, ſed ſimul cum mari fuſa atque formata.

Sequitur in verſione vulgata 25. verſu: *Et ſtabat ſuper duodecim boves. Stabat* legendum eſt iuxta Hebræa, & Chaldæa, non *ſtabant*: nec unum dumtaxat Pariſienſium manuſcriptum *ſtabat* legit; verum etiam octo noſtra cum Rabano Mauro, Eucherio Lugdunenſi, & Alphonſo Abulenſi. Referitur autem ad mare (id quod Græci expreſſerunt: *Et duodecim boves ſub mari*: ſicut & noſter Interpres II. Paralip. IV. *Et idipſum mare ſuper duodecim boves impoſitum erat*. Eo enim modo illic Hebraice eſt, quod hoc tertii Regum loco:) nam duos illos ſculpturarum ordines quidam in ſuperiori maris parte, aut medio fuiſſe exiſtimant, non inferiori, ut ſuper boves ſtetiſſe videri poſſint.

V. 26. *Duo millia batos capiebat* (ſermo eſt de Salomonis æneo. mari) *& tria millia metretas*. Viginti ſex noſtrorum manuſcriptorum cum Epanorthote noſtro prætereunt coniunctionem *&*: duodecim cum eodem Epanorthote legunt *metreta*. Addo quod diſcutiendum ſuſcepi. Unum K. ſignatum indicat quibuſdam non legi *& tria millia metretas*. Alterum ex Lobienſi Abbatia ad marginem dumtaxat hæc adſcripta habet. Tertium O. notatum iſta omnino non legit. Sed & Regia Biblia tollunt. Hentenii quoque exemplar unum, & Pariſienſium duo confodiunt. Epanorthotes ad hæc ſe in quibuſdam non inveniſſe ſignificat. Denique Lyranus, Toſtatus, & Richelius, in libris correctis non haberi

beri, teſtatum faciunt. Sane nec Eucherius, Rabanus, atque Angelomus agnoſcunt: nec in Græco, Chaldæo, aut Hebræo leguntur. Et quidem in Græcis Aldi, ac Germanorum editionibus de maris capacitate nihil legitur; at in Hiſpanorum editione habetur *duo χιλιάδας χοεις ἑκατὸν, duo millia batorum* (ſic enim ibi vertitur) continebat; atque id tantum ut in Hebræo, & Chaldæo. Itaque Enarratores iam commemorati, Toſtatus præſertim, & Richelius, *Duo millia batorum capiebat*, legendum nobis exiſtimant; quæ ſequuntur, *Et tria millia metretas*, omittenda. Coniiciunt alicuius fuiſſe commentarium, qui quantum duo millia batorum continerent, exponere voluerit: nequaquam enim intelligendum eſt mare duo batorum milia accepiſſe, & præterea tria metretarum millia. Epanorthotes autem ab ipſo noſtro Interprete exponendi gratia adiecta putat. Sed ut Epanorthotes procul dubio fallitur, ita illorum coniectura non ſolide omnino fundata eſt. Non enim batus metretam ſeſquialteram continet, ita ut tantum capiant batorum duo, quantum metretarum tria millia: ſed metreta eadem eſt cum bato menſura. Id quod Roberti Cenalis, qui Libro de Menſuris & pond. accuratiſſime ſcripto, id teſtatum reliquit, auctoritate probare non neceſſe eſt: hoc ipſo loco ut in Paralipomenis, ſcriptum eſt, Noſtri, ac LXXII. Interpretum auctoritate manifeſte oſtenditur. Nam quod II. Paralip. IV. 5. Hebraice de maris capacitate legitur מסזק בתים שלשת אלפים יכיל, LXXII. tranſtuleruut *χωρᾶσαι μετρητὰς τρισχιλίους ἢ ἑξακισχιλίους*, Noſter reddidit: *Capiebatque menſura tria millia metretas*. Non enim *menſura* prætermitti debet (quamquam in non paucis impreſſis præſertim libris prætermittatur) quod & in manuſcriptis multis legitur (noſtra viginti ſex cum Toſtato, & Carenſi tractatoribus habent, & quidem duo, quarto caſu *menſuram*) & habet cui in Græco, atque Hebræo reſpondeat. Cum igitur Latinus, & Græci Interpretes in libro Paralip. tria millia batorum, quod Hebraice dicitur, reddiderint *tria millia metretarum*; metretam eamdem cum bato menſuram eſſe crediderunt. Non ergo cum vertiſſet in III. Reg. *duo millia batorum capiebat*, addidit, exponendi gratia, Latinus Interpres *tria millia metretas*: neque quiſquam alius doctus id fecerit. Porro ex illo loco Paralipomenon haud dubium eſt deſumptum eſſe: & aut ab arcanarum litterarum ſtudioſo, conferendi gratia, in margine adſcriptum, aut ab imperito, ſive quacumque alia, ſive exponendi cauſa, textui additum. Verumenimvero ſic unum ſolvimus nodum, ut ſortius nectamus alium. Nam quod in III. Reg. dicitur, mare accepiſſe duo millia batorum, & in poſteriori Paralipomenon tria millia metretarum; conciliant ſupra recenſiti Enarratores, quod batus metretam unam ac dimidiam contineat: itaque duo millia batorum tria millia ſint metretarum. Nunc autem cum oſtenditur batum, & metretam eiuſdem rationis menſuras eſſe, immo Hebraice utroque loco batum nominari; manet, creſcitque difficultas, quomodo illa Scripturæ loca conveniant. Reſpondetur autem, propoſitum fuiſſe auctori librorum Paralipomenon addere quæ in libris Regum prætermiſſa viderentur: quod igitur de maris capacitate in libris Regum minus dictum animadvertit, perfecte expreſſit: atque hunc, ut par erat, Ioſephus ſequutus mare trium millium batorum capax fuiſſe deſcribit. Caietanus in libris Regum eam aquæ quantitatem exprimi dicit quæ pro communi ſacerdotum uſu in mare mitti ſolita ſit; in Paralipomenis autem eam cuius mare capax fuerit, ſi quis illud ad ſummum opplere voluiſſet: ſolutio plauſibilior forte quam verior.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. DOMUM AUTEM SUAM AEDIFICAVIT, ſcilicet poſt ædificatum templum. Vide cap. IX.

V. 2. SALTUS LIBANI. Sic dicta quod Libanum referret amœnitate, vel quia ex cedris Libani: erat autem prope Ieruſalem. Chald. *Refrigerii Regum*. ET QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS. Hebr. Chald. & LXX. *Super quatuor ordines columnarum cedrinarum*. LIGNA QUIPPE, &c. Heb. *Et trabes cedrinæ erant ſuper columnas*. Chald. *Et coronæ cedrinæ erant ſuper columnas*.

V. 3. CAMERAM, id eſt ſuperiorem domus partem, ubi tres erant ordines columnarum.

V. 6. EPISTYLIA, id eſt capitella. Hebr. *trabes*.

V. 7.

V. 7. SOLII : ſcilicet ubi iudicabat in Ieruſalem.

V. 9. MAIUS: ſcilicet in quo populus orabat, & quo pars illa exterior reſpiciebat.

V. 10. DECEM, SIVE OCTO: ſcilicet alii decem erant, alii octo.

V. 11. SIMILITERQUE DE CEDRO; id eſt, itemque tabulæ cedrinæ. LXX. *Et cedri*. Chald. *Et obduxit tabulis cedrinis*.

V. 12. ROTUNDUM ; id eſt, in circuitu de atrio populi loquitur, ut ſup. vel domus ſuæ utrobique. INTERIORI, ſcilicet ſacerdotum ; quaſi dicat : Simile opus erat ex lapide & cedro. DOMUS, id eſt templi.

V. 15. UTRAMQUE; pro, unamquamque; quaſi dicat: Cuiuſque circumferentia erat duodecim cubitorum.

V. 17. VERSUUM, id eſt gyrorum, ſeu zonarum.

V. 18. ORDINES : iungi cum *malogranatorum*.

V. 19. QUATUOR CUBITORUM : ſcilicet ex quinque, quatuor habebant lilia, unum malogranata.

V. 20. ALIA. Quidam eadem intelligunt, de quibus ſupra. Alii diverſa: fuiſſe enim capitella tria in quaque columna. Vide IV. Reg. ult. ubi harum columnarum capitella quædam dicuntur fuiſſe altitudine cubitorum trium. SECUNDI, ſcilicet & primi; quaſi dicat, Utriuſque.

V. 21. IACHIN, id eſt *confirmat*, ſcilicet Deus; quaſi dicat : Servet domum hanc. SECUNDAM, ſcilicet ſiniſtram. BOOZ, id eſt *fortitudo*, ſeu *vigor* ; quaſi dicat, Vigeat ſemper.

V. 23. RESTICULA, ſcilicet in modum funis, Chald. *filum*.

V. 24. SCULPTURA. Chald. *figura ovorum*. DECEM CUBITIS : ſcilicet in unoquoque cubito decem erant ſculpturæ, adeoque trecentæ. Apparet ſculpturas per intervalla poſitas, ſcilicet decem locis in circuitu. STRIATARUM ; quaſi dicat, excavatarum. Chald. *figuræ ovorum fuſilium*.

V. 26. LUTERIS, id eſt conchæ, quam ſupra *Mare* vocavit. TRIUM UNCIARUM. Hebr. *Palmi*, ſcilicet quatuor digitorum. REPANDI, id eſt recurui.

V. 27. BASES, ſcilicet ſupponendas decem conchis.

V. 28. SCULPTURAE ; &c. Explicat quid dixerit *interraſile*. IUNCTURAS, ſcilicet tabularum æneearum quibus baſes conſtabant; quas iuncturas infra vocat *plectas*.

V. 30. PARTES, ſcilicet cuiuſque baſis. HUMERULI, id eſt fulcra, ſeu ſuſtentacula, ſcilicet luterum.

V. 31. LUTERIS, id eſt luterem excipiens. CAPITIS, ſcilicet baſis. Vide verſ. 35. UNIUS: dimidius enim, de quo inf. cælaturis tegebatur, ut ait Ioſephus. CUBITUM ET DIMIDIUM, ſcilicet altitudinis. Vide verſ. 35. COLUMNARUM. Videntur mihi baſes ſignificari.

V. 36. TABULATIS, id eſt ſpatiis.

V. 38. LUTERES, id eſt conchas, ſcilicet ad lavandum: λούω, *lavo*, inde λουτήρ.

V. 39. MARE AUTEM. Nota, quod ingredienti occurrebat prius mare, ex quo lavabantur ſacerdotes; deinde conchæ, ex quibus abluebantur victimæ.

V. 40. SCUTRAS, ET HAMULAS. Hebr. & Chald. *ſcopas & pelves*. LXX. *calefactoria, & phialas*. Eſt autem *ſcutra* vas rotundum, unde ſcutella dicta; *hamula* vero ſecundum quoſdam, vas ad vini libamina.

V. 41. COLUMNARUM DUOS. Heb. & Chald. *columnarum duarum*; ſed eodem recidit utrumque.

V. 47. PONDUS, ſcilicet exploratum.

V. 48. AUREUM, ſcilicet opertum aureis laminis : nam ex cedro erat altare id, ſcilicet thymiamatis. Quidam tamen putant, altare de quo hic agitur, aliud eſſe ab eo de quo ſup. cap. VI.

ESTII.

Verſ. 1. DOMUM AUTEM SUAM AEDIFICAVIT SALOMON TREDECIM ANNIS. Notandum, Salomonem domum Domini abſolviſſe annis ſeptem, ſuæ autem domus ædificationi impendiſſe annos tredecim, tum etiam quod prius domum Domini quam propriam ædificaverit, in quo duo ſunt ad morum inſtructionem pertinentia. Primum quod prius ædificaverit domum Domini quam domum propriam : alterum quod multo celerius abſolverit ædificationem templi quam domus regiæ. Quod poſterius non inde accidit, quod ſuam domum ſumptuoſius ædificaverit (cuius contrarium pa-

patet ex particulari utriusque descriptione,) sed quia & ipsius Regis, & totius populi maxima erat devotio, & ardens studium circa ædificationem domus Dei. Accedebat etiam quod plurima necessaria iam ante per Davidem fuerant præparata, ut habetur I. Paralip. XXII. 28. & 29. Huiusmodi itaque exemplo excitanda est quorumdam Christianorum socordia, qui in propriis ædificiis sumptuosi, ad publica Ecclesiæ opera parcissime conferunt: quibus & illud dici potest: *Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam:* Aggæi II.

V. 21. CUMQUE STATUISSET COLUMNAM DEXTERAM, VOCAVIT EAM NOMINE IACHIN, ET SECUNDAM .... BOOZ. Nomina ista non leviter indita sunt his columnis. *Iachin* enim significat *confirmet*; quasi dicat: Utinam confirmet & conservet Dominus domum istam. *Booz* vero significat fortitudinem & vigorem; quasi dicat: Utinam sit in ea domo vigor perpetuus, utinam perpetuo stabilis permaneat. Secundum litteram tamen hæc significatio non est sortita suum effectum, quia postea per Chaldæos, seu Babylonios columnæ illæ simul cum templo destructæ sunt. Sed prophetice referendum est ad eam domum, de qua canit Ecclesia: *Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata super firmam petram.* Quæ domus non est aliud quam Ecclesia Dei vivi, *columna & firmamentum veritatis.*

V. 29. ET INTER CORONULAS ET PLECTAS, LEONES ET BOVES ET CHERUBIM. Iosephus reprehendit hoc factum Salomonis; sed male, quia divinitus fuerat ordinatum. Itaque cum licuerit Salomoni facere imagines istas, etiam Cherubim, sub specie adolescentum alatorum, non obstante præcepto illo Exodi cap. XX. *Non facies tibi sculptile*, &c. atque adeo constituere imagines has in ipso templo (videlicet quia ponebantur non ad adorationem, sed ad ornatum:) multo magis Christianis id licet, qui ex abundantiori gratia sibi collata, minus proclives sunt ad idololatriam, quam Iudæi.

MARIANAE.

Vers. 2. AEDIFICAVIT QUOQUE DOMUM SALTUS LIBANI. Chald. *Domum refrigerii Regum*: nimirum per æstatem ibi auram temperatam captabant. Vicina Ierosolymæ erat hæc domus; sed vocatur *Saltus Libani*, quod Libanum amœnitate referret: centum cubitorum erat. ET QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS, scilicet ædificavit. Hebr. *Super quatuor ordines columnarum cedrinarum.* Porro illud *super* sumo pro *iuxta*, aut pro *præter*; quasi dicat: Præter columnas, ea erat mensura domus, quæ hic ponitur. LIGNA QUIPPE CEDRINA EXCIDERAT IN COLUMNAS. Hebr. *Et trabes cedrinæ super columnas*, scilicet iacentes, non erectæ. Verum in quem usum eæ columnæ? fortassis porticibus circumdatum impluvium erat omni ex parte. Sic quatuor ordines columnarum intelligo. An plura tabulata? omnino, uti iam explicabitur.

V. 3. ET TABULATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM. Heb. *Et tecturn cedri desuper super costas* (trabes vocat *costas*) *quæ super columnas quadraginta quinque, quindecim ordo* (pro, quilque ordo habebat quindecim columnas.) Hinc patet fuisse tres ordines: nimirum quatuor ordines erant columnarum, id est ad quatuor latera fabricæ, & rursus tres, si altitudinem respicias: tres contignationes habuit fabrica, pergulas totidem, per quas in cubicula ibatur. Columnæ quinque erant in singulis trium laterum impluvii, in quarto latere quatuor. Sic omnes unius ordinis & contignationis columnæ quindecim erant.

V. 3. CONTRA SE INVICEM POSITAS. Hebr. *Et fenestrarum tres ordines* (scilicet iuxta contignationes) *& fenestra ad fenestram* (id est, se mutuo respiciebant, inter se respondebant) *tribus vicibus*, id est in tribus ordinibus. Hebræus, *Tribus parietibus:* quo indicat, fenestras in tribus partibus fuisse tantum, quartam vero partem non habuisse cubicula, nec fenestras. Verum id divinare est, neque certa ratione constitui potest.

V. 5. ET SUPER COLUMNAS QUA-

DRANCULATA LIGNA. Hebr. *Et omnes portas, & postes quadrangulas* (id est quadrata forma) *fenestras* (pro, cum fenestra) in porta qualibet fenestella erat, ad videndum scilicet qui pulsarent: quod fit in monasteriis: *& fenestra ad fenestram tribus vicibus*, significat has fenestellas quæ in portis erant, atque adeo portas se mutuo respicere, & inter se respondere.

V. 6. ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAIORIS PORTICUS. Hebr. *Et porticus e regione ipsarum, & columnæ, & trabes e regione ipsarum*, scilicet columnarum, aut portarum, & fenestrarum, de quibus proxime. Itaque porticus hæc non erat coniuncta domui saltus, neque eius columnis, sed e regione posita, & aliis columnis imposita. Texit lignis cedrinis hanc porticum.

V. 7. A PAVIMENTO USQUE AD SUMMITATEM. Sic Sept. at Hebr. *A pavimento usque ad pavimentum*: sic Chald. sed bene posterius *pavimentum* sumitur pro tecto & summitate. Hæc porticus solii non erat in saltu, sed intra urbem: sic puto.

V. 8. ET DOMUNCULA IN QUA SEDEBATUR AD IUDICANDUM, erat in ea porticu. Hebr. *Et domus sua, in qua manebat, atrium aliud* (scilicet erat) *intra porticum secundum opus hoc* (id est simili artificio facta) *fuit*. DOMUM QUOQUE FECIT FILIAE PHARAONIS in porticu hac. Quibus verbis significat, eam porticum domui filiæ Pharaonis coniunctam fuisse, sed & ibi esse exedras ubi ipse maneret: & videtur loqui de porticu iudicii aut solii.

V. 9. OMNIA. De omnibus operibus loquitur, & sigillatim ad templum recurrit. LAPIDIBUS PRETIOSIS, optimis scilicet. QUI AD NORMAM QUANDAM ATQUE MENSURAM. Hebr. *Secundum mensuras dolati lapidis* (quæ mensura ea esset, non explicatur) *serrati serra intra & extra* (id est omni ex parte) *& a fundamento usque ad palmares*: scilicet lapides, qui palmi mensura e pariete prominent ad excipiendas trabes, *mutulos* vocant. ET EXTRINSECUS USQUE AD ATRIUM MAIUS: nimirum quod populo serviebat.

V. 11. SIMILITERQUE DE CEDRO. Hebr. *Et cedrus*; id est, cedro tegebantur, scilicet lapides illi pretiosi & optimi. Chald. *Obduxit tabulis cedrinis*.

V. 12. ET ATRIUM MAIUS. Hic erat populus. ROTUNDUM. Quadrata forma erat, ut & templum; & Hebr. *circuitu* significat circumquaque ambire templum. ET IN ATRIO DOMUS DOMINI, id est templi: significat tum atrium interius sacerdotum, tum porticum templi ex tribus ordinibus lapidum fuisse, & e trabibus cedrinis. Attulit Salomon Hiram artificem.

V. 14. PATRE TYRIO. Mater fuit de tribu Dan, ut in Paralip. Lib. II. cap. 11. vers. 14. quomodo ergo hic dicitur de tribu Nephthali? Sed nimirum pater fuit de ea tribu. *Tyrius* tamen vocatur, quoniam Tyri peregrinatus est. Sic Hieronymus in Tradit. sic Hebræus. Porro illud, DE TRIBU NEPHTHALI, non ad matrem, sed ad filium referri debet. Hebr. *Ipse de tribu Nephthali*. Fecit duas columnas æreas.

V. 15. ET LINEA DUODECIM CUBITORUM. *Linea* pro *filo*, ut est Hebr. AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE. Hebr. *fecundam*. Verum idem de prima iudicium. Quod si duodecim cubitorum erat ambitus, diameter quatuor continebat. Chald. *Et filum duodecim cubitorum ambiebat illam*, scilicet primam: & sic fecit columnæ fecundæ. Sic etiam Sept. ut videatur aliquid modo deesse in Hebræo, si attente inspiciatur.

V. 16. DUO QUOQUE CAPITELLA. Sic Sept. Hebr. *Duo coronamenta*, seu *coronas*, ut Chald.

V. 17. ET QUASI IN MODUM RETIS, ET CATENARUM. Hebr. *Retiacula opere retis, funes opere catenarum coronamentis*. Itaque epistyliis erant addita retia & catenæ, vel superadditæ, vel ex ipso ære expressæ. VERSUUM. Id non est in Hebr. & videtur sententiam perturbare. Ac solum dicitur septena retiacula, & catenas fuisse in epistylio quoque.

V. 18. ET DUOS ORDINES PER CIRCUITUM RETIACULORUM. Hebr. *Et fecit columnas, & duos ordines in circuitu super retiaculum unius ad cooperiendum epistylia, quæ super caput malogranatorum, & sic fecit epistylio secundo*. Constructio inversa, & *malogranatorum* iungitur cum *duos ordines*: etenim duo ordines

nes malogranatorum positi sunt super retiaculo. Sic quidem Tigurina constituit in Bibliis Vatabli, idque melius vers. 42.

V. 19. LILII. Hebr. *Susan*: quam vocem Hebræus ait *rosam* significare, aliis esse *florem sex foliorum*, scilicet lilium. Hispanice *açucena*, quod *susan* dici videtur, sicut & *sosanna* a senario foliorum numero: nam Heb. *sis* est idem quod *sex*.

V. 20. ET RURSUM ALIA CAPITELLA. Hebr. *Et capitella, quæ super caput columnarum*. Itaque non de aliis capitellis loquitur, ut Noster indicat, sed de primis. DESUPER IUXTA MENSURAM. Hebr. *Etiam desuper* (&) *e regione ventris* (id est medii) *quæ & trans retiaculum*. MALOGRANATORUM AUTEM DUCENTI ORDINES. Sic Sept. & Chald. Ego Hebr. sic verto: *Et malogranata ducenta* (per) *ordines*. Itaque significat, in epistylio & corpore, seu scapo columnæ trans retiaculum esse ducenta malogranata ordine distincta. Ea an addita essent, an ex ipso ære expressa, non explicat. Aut dic, fuisse ducentos ordines, ut Hieronymus ponit, in singulis bina malogranata, ut sint quadringenta, quod dicitur II. Paralip. IV. 13.

V. 22. ET SUPER CAPITA COLUMNARUM OPUS IN MODUM LILII. Hæc sunt ipsa capitella ad lilii formam expressa, de quibus vers. 19. itaque repetitio est. Mox agit de mari æneo, & eius mensura.

V. 23. RESTICULA. Hebr. קו *Kau*, *regula*, *linea*, *filum*. Porro si diameter erat decem cubitorum, ut hic dicitur; consequens erat ut ambitus esset triginta.

V. 24. ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUIBAT. Latina, & Græca difficilia: Hebraica sic: *Et cucurbitæ*, seu *cucumeres silvestres* (Chald. *ova*. Pagn. *sphærulæ*) *sub labio eius in circuitu, circumdantes illud* (scilicet mare) *decem, in cubito* (scilicet in quolibet cubito decem erant, sive cucumeres, sive sphærulæ) *circumdantes mare in circuitu: duo ordines cucumerum fusi in conflatione ipsius*. Quo indicatur, hoc ornamentum non superadditum, sed conflatum una cum mari. Porro STRIATARUM, quod est in Vulgata, id est excavatarum sculpturarum.

V. 26. LUTERIS. Ab abluendo sic dicitur, & quod *mare* vocarat, nunc vocatur *luter*. TRIUM UNCIARUM ERAT grossitudo. Hebr. *palmus*: sic in Vulgat. II. Paralip. IV. 5. sed tres unciæ pedis, id est tres pollices, efficiunt quatuor digitos, id est palmum. ET FOLIUM REPANDI LILII. Hebr. *Flos lilii*; id est, ut flos lilii erat labium luteris. Capiebat DUO MILLIA BATOS. *Batus* & *ephi* eadem mensura, Ezech. XLVI. 11. nimirum tres modios, sextarios Romanos 48. Hebraicos 72. At in Paral. dicitur capere tria millia batos: sed minores bati ii erant tertia parte. Basium opus, quibus luter impositum erat,

V. 28. INTERRASILE ERAT, id est sculptum, sive incisum. Hebr. *Et hoc opus basis, clausura ipsis* (id est labia, seu coronæ) *& clausuræ inter gradus*. Ita bases, quæ conchas sustinerent, scilicet gradus habebant superiori parte angustiores gradibus inferioribus; labia, seu coronæ circumadiectæ erant.

V. 29. ET INTER CORONULAS ET PLECTAS. Hebr. *Et super clausuras, quæ inter gradus* (erant) *leones, bos, & Cherubim* (scilicet ea sigilla erant in clausuris, seu limbis expressa) *& super gradus basis superne* (id est superior gradus pars basis erat pedibus substrata, eoque nulla figura distincta) *& subtus leones & bos* (pro boves) *copulationes*, id est copulati, *opere extenso*, id est copulata inter se, quantum opus extendebatur, scilicet per totum. Itaque in fronte graduum, quam vocat partem inferiorem, ea ornamenta erant, non autem ubi pedes ponebantur.

V. 30. ET AXES AEREI, id est tabulæ (Hebr. מרבי *farnei*:) nam hæ omnes voces *asseres*, *asses*, & *axes* etiam *tabulas* significant: Festus Pompeius. ET PER QUATUOR PARTES QUASI HUMERULI. Hebr. *Et quatuor angulis humeri ipsis* (id est ansæ) *subter luterem*, seu *concham*, *humeri fusi e transitu viri* (pro, e latere cuiusque) *copulationes* (pro copulati, coniuncti,) *ansæ*, quas *humeros* vocat, *copulatæ erant*, id est inhærentes ipsi luteri.

V. 31. OS QUOQUE LUTERIS. *Luter* & *concha* idem; sed Hebr. *Et os eius*, scilicet *luteris*, ut Hieronymus dixit, quia affixum est masculinum, *intra coronamentum* (habebant luteres coronamenta, sci-

licet opercula) & *superius cubitale*. *Et os eius* (affixum femininum eſt, ſic ad baſes refero) *rotundum opere baſis*, *cubitus & dimidium* (vocat os baſis ſupremam partem, cui luter inſidebat, & fortaſſe cavum erat, ut luterem acciperet) & *ſuperos eius* (baſis, quia affixum, ſeu pronomen femininum) *cælaturæ*, & *clauſuræ earum quadratæ*, *non rotundæ*. Itaque baſis cavum rotundum erat, ſed ornamenta exterius quadrata.

V. 32. QUATUOR QUOQUE ROTAE, QUAE PER QUATUOR ANGULOS. Hebr. *Et quatuor rotæ ſub clauſuris*, & *manus rotarum in baſi*, id eſt ſub baſi: *manus* autem vocat axes, quibus rotæ volvebantur: ſic Hebræus. Itaque rotæ hærebant clauſuris, id eſt ornamentis & limbis baſium; axes autem ſub baſibus erant, ſcilicet currus adinſtar, ut ferrentur quo opus eſſet.

V. 33. ET AXES EARUM. Hebr. *manus earum*; ſed *manus* pro axibus. ET MODIOLI. Sic vocantur ligna quibus infixi ſunt radii cubo.

V. 35. IN SUMMITATE AUTEM BASIS. Hebr. *Et in capite baſis dimidii cubitus altitudo* (ſcilicet baſis is poſtremus gradus dimidii cubiti erat) *rotundo ambitu*, & *ſuper caput baſis manus eius*, & *clauſuræ eius ex ea*, ſcilicet ſufiles, ut ipſa baſis, & cum ea ſuſæ. Et per *manus*, anſas videtur hic intelligere.

V. 36. SCULPSIT QUOQUE. Hebr. *Et aperuit*; ſed *aperire* ſumitur pro *ſculpere*: ſic Chald. IN TABULATIS ILLIS QUAE ERANT EX AERE. Hebr. *in tabulis*, id eſt in planitie quaque, in ſpatiis planis. ET IN ANGULIS. Hebr. *Manuum eius*, & *ſuper clauſuras eius*. Per *manus* anſas intelligo, quas ſculptas ait. QUASI IN SIMILITUDINEM HOMINIS STANTIS. Vox מעין *mahar* hoc loco poſita nota non eſt. Plerique *nuditatem* explicant, ut ſit ſenſus, *luxta nuditatem viri*, id eſt ad vivum: ſic nudi homines pinguntur. Aut *viri* ſumatur pro cuiuſque; & ſit ſenſus: *Sculpſit leones*, & *alia iuxta nuditatem cuiuſque*, id eſt perfectionem. UT NON CAELATA, SED APPOSITA. Hebr. *Et copulatione in circuitu*, id eſt coniuncta ſine interſtitio. Mare poſuit

V. 39. CONTRA ORIENTEM AD MERIDIEM. Hebr. *Ad orientem contra meridiem*; id eſt ad orientem, meridiem verſus. Aditus templi ad ortum erat. Poſuit ergo mare in ipſo aditu, ſed verſus meridiem. Ita ingredienti prius occurrebat mare, ubi lavabant ſacerdotes; deinde conchæ, ubi hoſtiæ abluebantur.

V. 40. LEBETES, id eſt luteres, ſeu conchas, de quibus diximus. SCUTRAS, id eſt ſcutellas: Hebr. *ſcopas*: ſic Chald. HAMULAS. De hac voce Onuphr. de Vocibus obſcurioribus. Plerique *pelves* ponunt; Sept. *phialas*: ſed *hamula* proprie urceolus eſt, quales quibus aqua, & vinum ſertur ad ſacrificium, qui urceoli ſic vulgo ab Italis vocantur *Hamule*.

V. 41. ET FUNICULOS CAPITELLORUM. Hebr. *Et vaſa rotunda capitellorum*: ſic Chald. ſcilicet ipſamet capitella vaſa rotunda vocat. DUOS FUNICULOS. Hebr. *Duo vaſa capitellorum*, *quæ ſuper capita columnarum*, ſcilicet erant.

V. 42. ET MALOGRANATA QUADRINGENTA: & rurſus: DUOS VERSUS MALOGRANATORUM. Non ergo erant ducenti ordines malogranatorum, ut verſ. 20. dici videtur; ſed ducenta in quaque columna malogranata, eaque in duos ordines diſtributa. Porro vox *verſus* hic poſita, *ordines* ſignificat.

V. 45. DE AURICHALCO. Pro *ære terſo*, ſeu *puro*, ut eſt Hebr. Noſter *aurichalcum* poſuit. De *ſcutris*, & *hamulis*, quæ hic repetit, verſ. 40. dictum eſt.

V. 46. IN ARGILLOSA TERRA. Hebr. *In pinguedine*, ſeu *denſitate terræ*, id eſt *terra pingui*: ſic Sept. fudit ea vaſa Rex.

V. 47. NON ERAT PONDUS AERIS: ſcilicet non erat notum & exploratum: aut hyperbolica locutio. Erat copia æris innumera. Fecit Salomon

V. 48. ALTARE AUREUM. E cedro quidem erat, ſed auro tectum.

V. 50. ET HYDRIAS: alii *ſcyphos*. ET FUSCINULAS. Hebr. *inſtrumenta muſica*, ut pſalteria, & alia. Sed quorſum hic muſica inſtrumenta? MORTARIOLA: alii *cochlearia*. Hebr. *caphoth*. ET CARDINES: *gonces* intelligit: quidam vocem *bapotboth* aiunt ſignificare *claves*: ſic Hebræus. Interpretes tamen conſtanter *cardines* ponunt. Omnia erant ex auro. Intulit in templum,

V. 51.

V. 51. QUAE SANCTIFICAVERAT DAVID, id eſt præparaverat, deſtinaverat. Hebr. *Sanctitates David patris ſui*; ſic Chald. Sept. *Sancta David*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. TREDECIM ANNIS. Notant, haud mirum videri debere, ſi plus temporis in eam impenderit, quam in domum Dei, ſupra cap. VI. 38. quia neque materiam paratam invenit, neque tot operas, neque tantam diligentiam & alacritatem adhibuit.

V. 2. AEDIFICAVIT QUOQUE, ſcilicet poſt viginti annos, de quibus infra cap. IX. verſ. 10. nempe poſt ſeptem conſtructionis templi, ſupra cap. VI. verſ. 38. & poſt alios tredecim ædificationis domus ſuæ, de quibus verſ. 1. & poſt captam etiam Chamatham civitatem regiam Libani, II. Paralipom. VIII. 3. DOMUM SALTUS LIBANI. Aiunt, vocatam domum ſaltus Libani, non quod in monte Libano fuerit ſita; ſed quia locus ille amœnitate & pulchritudine certare poterat cum Libano; vel quod locus ille ob copiam materiæ cedrinæ, ſaltus Libani dici poſſet; ſed prope Ieruſalem non erant cedri: vel quod denſitate & opacitate arborum Libanum referret. Putant non procul a Ieruſalem fuiſſe: quam ob æſtum, & animi refrigerandi, ac recreandi cauſa a Salomone conſtructam, Chaldæus Interpres affirmat. Alii in ipſo monte Libano conſtituunt, poſt captam a Salomone urbem Chamatham Libani regiam, eo loco ædificatam, ut paulo antea notabamus. CENTUM CUBITORUM LONGITUDINIS, &c. Hic aliqui cubitos, non ipſos ſacros & maiores accipiunt, ſed communes & minores, quales adhibebantur in rebus non ſacris: alioqui maior fuiſſe domus iſta, domo Dei. Vide ſupra cap. VI. verſ. 3. ET QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS. Hebr. *Super quatuor ordines columnarum cedrinarum*. Notant hanc fuiſſe infimam domus contignationem. LIGNA QUIPPE CEDRINA EXCIDERAT IN COLUMNAS. Hebr. *Et exciſſæ cedri ſuper columnas*. Aliqui: *Erantque cedrinæ trabes dedolatæ ſuper columnas*. Quidam: *Et trabes cedrinas impoſitas columnis*. Aiunt, hoc fuiſſe ſolum medianæ contignationis e trabibus cedrinis: cui impoſitæ quadraginta quinque columnæ, de quibus verſ. 3. efficiebant medianam contignationem.

V. 3. ET TABULATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM, &c. Hunc verſum Hebr. ſubobſcurum, nos ex verbo traduximus (*Et tecta in cedro de ſupra, ſuper coſtas quæ ſuper ſtatuas quadraginta & quinque decem ordo.*) Alii ſic. I. *Et tecta erat tabulis cedrinis ſurſum, ſuper trabes, quæ erant ſuper columnas quadraginta & quinque, quindecim per ordines ſingulos*. Exponunt: Id eſt, ſuper columnas erant collocatæ trabes; ſuper trabes tigna; ſuper tigna autem erant tabulæ cedrinæ. In infima parte domus erant quatuor ordines columnarum, ut poſſent ſuſtinere pondus; in ſuperiori vero tres tantum ordines ubi arctabatur ædificium. Trabes autem totius ædificii erant diſpoſitæ ſecundum latitudinem, non ſecundum longitudinem, ita ut ipſam tranſverſam longitudinem interſecarent, ſuper trinos ordines columnarum collocatæ. Interſtitia autem, ſeu ſpatia inter columnas, non vacua, ſed plena, & iuncta tabulis cedrinis erant, ut abſoluta eſſet contignatio. Quare videtur tota domus lignea fuiſſe, ut ex lignis cedrinis tota fabricata: unde non immerito dicta ſit *Domus ſaltus*, ſeu *ſilvæ Libani*, & a loco, & a materia, quaſi tota ſilveſtris, ex ſilva duntaxat conſtans. II. *Contabulatumque fecit cedrinum ſuperne ad illas tabulas quæ fuerunt poſitæ ſuper columnas quadraginta quinque: nam unuſquiſque ordo habuit quindecim*. III. *Et tectum cedrinum*, id eſt tertia, & ſumma contignatio, *ſuperne, ſupra latera*, ſeu *coſtas*, vel *contabulationes*, quibus mediana contignatio circumſepta erat: *quod erat ſupra columnas quadraginta quinque, quindenas ordine*. Unde conſtat fuiſſe tres ordines columnarum ſuſtinentes tectum cedrinum, & continentes coſtas, ſeu contabulationes, & latera ædificii, ſeu contignationis.

V. 4. Hunc verſum Hebraicis verbis expreſſimus (*Et proſpectus, tres ordines.*) Quidam ſic: *Et reſpectionum, proſpectuum*, ſeu *feneſtrarum, tres ordines*. Tres erant contignationes, ſecundum altitudinem, ima, mediana, ſuprema: in unaquaque contignatione erat unus ordo feneſtrarum; & ita erant tres ordines feneſtrarum, infi-

simus, medius, supremus: & *fenestra ad fenestram*; hoc est, & fenestra directe respondebat fenestræ, ita quod supremæ contignationis quælibet fenestra perpendiculariter sita erat supra quamlibet fenestram medianæ contignationis; & similiter fenestræ medianæ contignationis perpendiculariter imminebant fenestris imæ contignationis: *tribus vicibus*; hoc est, cum essent tres ordines fenestrarum, in unaquaque scilicet contignatione, unus ordo; hic unus ordo in unaquaque contignatione, tribus vicibus multiplicabatur, seu triplicabatur: nimirum in infima contignatione, verbi gratia, erant triginta fenestræ in tres ordines dispositæ, ut quisque ordo decem contineret: videlicet in prima parte longitudinis domus, decem; in media parte aliæ decem; & in postrema parte aliæ decem, æquali seriæ: qua ratione ille unus ordo æqualiter in longitudinem domus ductus, tribus vicibus repetebatur, per tres decades fenestrarum, qualibet decade interstitio singulari ab alia separata. Et eodem modo in mediana, & suprema contignatione, ordo fenestrarum, in tres decades triplicabatur. Notant hinc resultasse pulchram symmetriam, & aspectum ædificii. Alii reddunt: *Lumina deinde erant triplici ordine, ut fenestra fenestræ esset iuncta, idque tribus parietibus*. Sensus fortassis fuerit, fuisse tres ordines fenestrarum, unum in quaque contignatione æquali rectitudine ductum, in tribus parietibus; scilicet in unoquoque pariete trium contignationum. Nonnulli: *Fenestræ quoque erant in triplici ordine, & erat fenestra e regione fenestræ triplicata*. Forsan innuit, in unaquaque contignatione fuisse unum ordinem fenestrarum; & quemque ordinem continuisse aliquos ordines fenestrarum, quorum quilibet tres fenestras habuerit, perpendiculariter respondentes fenestris superioribus, vel inferioribus. Hispanice: *Estavan de tres en tres en correspondencia unas de otras*: Nec desunt qui reddant: *Et fenestrarum erant tres ordines, fenestraque erat contra fenestram, tribus vicibus*; id est, in utroque latere tres erant fenestrarum ordines, sibi ex opposito respondentes. Aliqui: *Et prospectuum tres ordines*; id est, in singulis contignationibus singuli fenestrarum ordines ad prospiciendum: *quorum aspectus ad aspectum* dirigebatur; id est, inter se parallelogrammæ, & convenienter in singulis contignationibus superiores inferioribus ad perpendiculum respondebant: *tribus vicibus*, seu *triplici serie*; id est, æque in longitudinis latera duo, atque in altitudinem fenestræ habebant convenientem responsum. Sunt hæc plane obscura, & difficilia intellectu.

V. 5. Hunc versum verbatim ex Hebr. reddidimus (*Et omnes ianuæ & postes quadrati prospectus*: & *e regione visio ad visionem, tres ictus*.) Alii diversimode. I. *Et omnia ostia, & postes quadrata erant, una cum fenestra*(pro *fenestris*;)*e regione autem fenestræ erat contra fenestram, tribus vicibus*; id est, omnia superliminaria, & postes portarum, quadrata erant, id est quadratæ figuræ, sive quatuor laterum, & non erant rotunda: *una cum fenestris*; id est, una cum lignis fenestrarum, quæ ambiebant fenestras, quæ quoque erant quadrata: & ipsæ fenestræ sibi invicem respondebant triplici ordine: nam in singulis lateribus erant terni ordines fenestrarum, quæ respondebant alterius lateris fenestris, ut iam vers. 4. annotatum est. II. *Et omnes portæ, & postes quadrati aspectus*: & *e regione aspectus ad aspectum, tribus vicibus*; id est, omnes domus portæ quadratæ formæ erant, & super quodlibet pavimentum cuiusque contignationis erat suus ordo portarum, & e regione secundum lineam longitudinis una porta directe contra aliam respiciebat: quod ex architectonica fieri solet. Nulla hic fenestrarum mentio. III. *Et omnia ostia, & postes quadrata erant*; & *sic fenestella quæ erat supra portam*: & *fenestra erat contra fenestram tripliciter*. IV. *Ostia vero cum postibus*, & *superliminari in quadrangulari erant forma*: *habueruntque fenestram e regione fenestræ triplicatam*. V. *Omnia foramina fenestrarum, postesque quadrata erant, fenestraque fenestræ vicinæ iuncta, tribus parietibus*. VI. *Et omnes portas cum postibus quadratas unius aspectus*, seu *iugamento*: & *directuram aspectus ad aspectum triplici serie*; id est, ita ut duorum laterum fenestræ, & portæ ex diametro singulæ ad singulas dirigerentur in singulis contignationibus.

V. 6. ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT. Explicant, Id est constantem ex multis columnis, & tecto illis impositō. QUINQUAGINTA CUBITORUM

RUM LONGITUDINIS: ut eius nimirum longitudo protenderetur in latitudinem domus, quæ erat quinquaginta cubitorum longitudinis, supra vers. 2. ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAIORIS PORTICUS: ET COLUMNAS, ET EPISTYLIA SUPER COLUMNAS. Videtur mihi optime expressisse sensum Hebræorum, quæ habent: *Et porticus*, scilicet alia, *super facies earum*; hoc est, ante priores illas columnas interioris porticus: *& columnæ & trabes*, huius exterioris porticus, *super facies earum*; id est, ante columpas illas interioris atrii. Alii diverse reddunt, & exprimunt. I. *Eratque ea porticus ante faciem illarum, columnæque & trabes ante faciem illarum*; subaudi, columnarum domus; quasi dicat: Hæc porticus constabat columnis & trabibus, quæ quidem columnæ & trabes, hoc est columnæ cum tecto, erant in conspectu columnarum domus saltus; hoc est, porticus illa obiecta erat domui illi quæ tot habebat columnas, supra vers. 2. quæ erat domus saltus Libani. II. *Et porticus super facies earum*; hoc est, in anteriori, seu orientali parte domus columnarum: *& columnæ & trabes super facies earum*; id est, non solum atrium ante faciem domus, sed & columnæ & trabes colligantes columnas, erant ante domum. Notant hanc porticum etiam, ut domum, totam fuisse ligneam ex cedro. III. *Et porticus erat ante columnas, & columnæ aliæ, & trabes ante eas*. IV. *Eratque vestibulum illud stans super faciem illarum, & aliarum columnarum: nam erat lignum crassum positum in superficie illarum*. Hoc, inquiunt, lignum imcumbebat columnis domus, & partim sustinebat porticum. V. *Ita ut porticus esset secundum aspectum illarum, id est columnæ, & columen secundum aspectum illarum*, subaudi portarum, de quibus vers. 5. IV. *Et porticus erat ante ipsas, columnæque, & trabes crassæ ante eas*.

V. 7. PORTICUM QUOQUE SOLII, IN QUA TRIBUNAL EST, FECIT. Hebr. *Et porticum solii, qua iudicabit ibi, porticum iudicii fecit*. Quidam: *Et porticum fecit solii, ubi ius diceret, nempe porticum iudicii*. Alii: *Item porticum tribunalis, ubi iudicabat, porticum iudicii fecit*. Exponunt: Nimirum in Ierusalem ante domum suam, ubi forum constituit. Erat autem coniunctum huic fano atrium exterius pro populo ad forum accedente, ut colligitur ex versu sequente. A PAVIMENTO USQUE AD SUMMITATEM. Hebr. *A pavimento usque ad pavimentum*. Exponunt: Id est, ab imo unius parietis usque ad imum alterius parietis; quasi dicat: Omnes parietes cum tabulato fuerunt tecti tabulis cedrinis. Alii: A pavimento imo usque ad pavimentum superius, id est tectum ipsius porticus, eo quod tectum illud pavimentum esset superioris contignationis: nam supra porticum videtur fuisse alia contignatio; quasi dicat: Parietes omnes ab imo usque ad summum cruſtati erant cedrinis lignis. Multo rectius alii: *Ab hac soli usque ad illam soli extremitatem*, sive *a soli parte una usque ad alteram*; id est, totum omnino porticus pavimentum obtectum erat cedro.

V. 8. ET DOMUNCULA IN QUA SEDEBATUR AD IUDICANDUM, ERAT IN MEDIA PORTICU, SIMILI OPERE. Varie Hebr. reddunt. I. *Et domui suæ in qua manebat, atrium aliud intra porticum secundum opus istud erat*; id est, quod atrium erat in penitiore loco quam porticus, nempe ad quod ibatur per porticum: & factum erat simili opere, quo facta erat porticus solii. Dicit autem aliud seu alterum atrium, ad discrimen porticus: nam inter porticum & domum regiam erat atrium. II. *Domus vero eius, in qua habitabat, aliud atrium habuit a domo ad porticum, simili opere*. III. *Domus autem eius, in qua ipse manebat, & quæ erat in atrio alio extra vestibuli domum, facta est simili opere*. IV. *Postea domui suæ, ubi habitabat, atrium alterum*, ab exteriore illo atrio quod II. Reg. cap. xx. vers. 4. appellatur medianum; *interius ista porticu*; id est, inter ipsam porticum & domum regiam: *opere huic simile erat*. Et proculdubio intelligit ipsam porticum tribunalis iudicii, de qua ante vers. 7. DOMUM QUOQUE FECIT FILIAE PHARAONIS, Intelligunt vicinam quidem domui suæ, sed extra arcem Davidis, ut dicitur II. Paralipom. VIII. vers. 2. Vide supra cap. III. vers. 1. Cur autem extra civitatem Davidis construxerit eidomum, eodem loco Paralipom. ostenditur.

V. 9. OMNIA LAPIDIBUS PRETIOSIS. Hebr. *Omnia ista lapides pretiosi*. Qui-

Quidam: *Omnia ista erant e lapidibus pretiosis*; id est, quæ hoc & superiore capite commemorantur ædificia. *E lapidibus pretiosis*, seu *raris*: sic deinceps ut supra cap. v. vers. 17. & hic infra vers. 10. & 11. id est, non gemmis, sed optimis, & commendatissimis. QUI AD NORMAM QUAMDAM ATQUE MENSURAM TAM INTRINSECUS QUAM EXTRINSECUS SERRATI ERANT. Heb. *Secundum dimensiones vulsionis*, seu *detensionis* : vel *secundum dimensionis vulsio*, vel *detonso*; id est, erant excisi, dolati, politi iuxta dimensionem fabricæ convenientes: *serrati sera intrinsecus & extrinsecus*. Varie interpretantur. I. *Secundum mensuras lapidum dolatorum, serratorum serra intrinsecus & extrinsecus*; id est, de lapidibus qui habebant lapidum excisorum, & quadratorum magnitudinem. Quam autem magnitudinem haberent hi lapides, incertum est; tametsi ex sequenti versu magnitudo lapidum fundamentorum colligatur. *Serratorum intrinsecus & extrinsecus*; id est, qui excisi, serrati, & dolati erant, non solum ab interna parte ædificii, sed etiam ab externa. II. *Ex lapidibus pretiosis, magnæ quantitatis, politis, tractis serra intrinsecus & extrinsecus*. III. *Secundum mensuras dolati, complanati planula intrinsecus & extrinsecus*. IV. *Et erant lapides ad certam mensuram quadrati, & per ferram secti, intus & extra*. V. *Et ad normam veluti expolitis*, seu *quadratis, serraque sectis tam intus quam foris*. VI. *Secundum dimensiones unius cæsi lapidis, sectis serra intrinsecus & extrinsecus*; id est, structura isodomo, seu æquali. De structura isodomo vide Plinium Lib. XXXVI. cap. XXII. & Vitruvium Lib. II. cap. VIII. Sic infra vers. 11. A FUNDAMENTO USQUE AD SUMMITATEM PARIETUM. Hebr. *A fundamento usque ad palmos*, seu *usque ad mensuras quatuor digitorum*. Quidam, *Usque ad lapides mensuræ quatuor digitorum*; id est, usque ad lapides quibus incumbunt, sive superponuntur trabes, quod promineant extra murum circiter quatuor digitos. Alii, *A fundamento usque ad suggrundia*, seu *imbricamenta*; hoc est, partem tecti prominentem, quæ stillicidium arcet, ne quid parieti nocumenti fiat. Nonnulli, *A fundamento usque ad pamas*. Vocat autem circumferentiam supremam cui laquearia inniituntur, hoc nomine, habentem latitudinem palmæ manus. Aliqui eodem sensu, *A fundamento usque ad palmas*, seu *præcinctiones*; id est, summi muri proiecturas, sive loricationes, quibus incumbit tectum: quod fere palmares soleant esse eiusmodi proiecturæ. USQUE AD ATRIUM MAIUS. Hebr. *Usque ad atrium magnum*. Exponunt, Id est domus regiæ, ubi populus conveniebat.

V. 12. IN ATRIO DOMUS DOMINI INTERIORI, id est sacerdotum. Vide supra cap. VI. vers. 36.

V. 13. HIRAM. Hic II. Paralipom. cap. IV. vers. 11. vocatur *Churam*. Significat *nobilem*, *illustrem*, *clarum*, *candidatum*.

V. 14. MULIERIS VIDUAE DE TRIBU NAPHATHALI; id est, ut quidam exponunt, paterno genere hæc mulier vidua erat de tribu Naphthali; etiamsi mater eius esset ex filiabus Dan, ut dicitur II. Paralipom. 11. vers. 14. PATRE TYRIO. Aliqui exponunt, Incola Tyri, genere tamen Israelita. Alii, Tyri natum, & genere Tyrium volunt. ARTIFICEM AERARIUM. Synecdoche, nam aliarum etiam materiarum peritissimus artifex erat, ut ostenditur II. Paralipom. 11. vers. 14.

V. 15. DECEM ET OCTO CUBITORUM. II. Paralipom. III. vers. 15. dicuntur habuisse triginta quinque cubitos. Varie conciliant. I. Unaquæque habebat octodecim cubitos, ut hic dicitur; & duæ simul triginta sex cubitos: sed dimidium cubiti in unaquaque sub capitello abscondebatur, & sic duarum resultabant triginta quinque cubiti, ut dicitur in Paralipomenis. II. Stipes seu caulis, aut scapus cuiusque columnæ octodecim cubitorum erat, ut hic dicitur; at adiecta altitudine basis, capitelli, & coronæ, triginta quinque cubitos unaquæque continebat, ut in Paralipomenis dicitur. III. Octodecim cubitorum sacrorum, id est triginta sex communium: quamobrem in Chronicis triginta cubiti tribuuntur cuique columnæ, quia de communibus ibi sermo est: excipitur autem basis, quæ unius cubiti communis altitudine erat, quæ effiti trigesimum sextum cubitum. ET LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE. Hebr. *Et filum duodecim cubitorum circumibat*

mibat columnam ſecundam. Intelligunt omnes, etiam primam: unde quidam reddunt: *Quam filum duodecim cubitorum cingebat, ut columnam ſecundam*. Alii: *Et utramque columnam ambiebat circulus duodecim cubitorum*. Notant deſcribi hic craſſitudinem utriuſque columnæ. Filum ſeu peripheria ambiens, erat duodecim cubitorum, unde diameter craſſitiei columnæ erat quatuor cubitorum, quia diameter duodecim cubitorum in gyro efficit quatuor cubitos: eſt enim a peripheria ad diametrum proportio tripla; hoc eſt, peripheria continet ter menſuram diametri, & ſeptimam eius partem: itaque diametrus cuiuſque columnæ quaternum cubitorum ſeptima minus erat, ſi adamuſſim reſpexeris; ſed Scriptura rotundo numero utitur. Vide in Ierem. LII. 21.

V. 16. DUO .... CAPITELLA. כותרות *cotharoth* exponunt *cincturas*, *circulos*, *coronas*, *coronamenta*, *epiſtylia*. Aliqui exponunt: *Et duo coronamenta*, id eſt epiſtylia, quorum partes erant ternæ, capitulum, abacus, & corona. QUINQUE CUBITORUM ALTITUDINIS CAPITELLUM UNUM; id eſt, quodque coronamentum ſive epiſtylium quinque cubitis altum erat, ſi tres iſtas partes comprehendas, capitulum, abacum, & coronam: nam capitulum unius cubiti erat, abacus unius, corona trium; ideo infra verſ. 19. coronæ cum abaco quatuor cubiti tribuuntur; at II. Regum XXV. verſ. 20. coronæ ſoli tres cubiti.

V. 17. ET QUASI IN MODUM RETIS. Hebr. *Intricationes*, *perplexitates*; vel *intricata*, *perplexa*; *factura intricationis*, ſeu *perplexitatis*. Varie alii reddunt. I. *Retiacula*, ſeu *reticula opere retiaculi*, ſeu *retis*, id eſt cancellos factos opere reticulato. II. *Fecit inſuper cancellos opere reticulato*. III. *Encarpi*, ſeu *encarpa opere plexo*; id eſt, totum capitellum ex florum, frondium, ac fructuum implexu coronatio incurſantium conſtabat, quaternis ordinibus, qui ternis faſciis redimiti erant, ut mox oſtenditur. *Encarpa* Viruvio ſunt implexus florum, frondiumque, ac fructuum zophoro, Italice *fregio*, inſculptarum. Hiſpanicus Interpres, *Ybizo unas trenças a manera de red*. ET CATENARUM SIBI INVICEM MIRO OPERE CONTEXTARUM. גדלים מעשה שרשרות *ghedilim maghaſeh ſcharſcheroth*. Vim vocis *ghedilim* expoſuimus in Deut. XXII. verſ. 12. Varie hunc locum reddunt: 1. *appendices opere catenarum*; 2. *cohærentia opere catenarum*; 3. *funiculos ſimiles catenis*; 4. *funes factos opere catenarum*; 5. *reticula contexta in modum catenarum*; 6. *zonas opere concatenato*; 7. *faſciæ opere concatenato*. Hiſpanicus Interpres, *Unas cintas a manera de cadenas*. Aiunt fuiſſe facturam funiculatam ex multis funiculis conſtantem. Ego rationem vocis ex collatione locorum Deuteronom. XXII. 12. & Numeror. XV. 38. expendens, exiſtimo fuiſſe *filamenta*, quæ conſona Hiſpanica voce *ghedellas*, vel *ghedeias* appellamus; vel alio nomine *deshilados*, *franias*, *borlas*, *fluecos*, ut ornatus eiuſmodi ex ære fuſus coronamentis ipſis capitellorum ineſſet. SEPTENA VERSUUM RETIACULA IN CAPITELLO ALTERO. Hebr. *Septem coronæ uni*. Quidam: *Septem coronamenta uni erant*, comprehenſis encarporum, ac faſciarum, ſeu filamentorum ordinibus.

V. 18. ET PERFECIT COLUMNAS; &c. Hunc verſum nos totidem verbis ex Hebr. convertimus (*Et fecit ſtatuas & duos ordines circuitu ſuper intricationem unam ad cooperire cincturas quæ ſuper caput malogranatis: & ſic fecit cincturæ ſecundæ*.) Diverſimode alii. I. *Fecit ergo columnas, & duos ordines in circuitu*; ſubaudi, malogranatorum, de quibus mox: *in reticulo uno, ut tegerent capitella quæ erant ſuper caput*, id eſt quæ erant impoſita ſummitatibus columnarum, *malogranatis*; id eſt, duobus illis ordinibus malogranatorum tegeretur pars media capitellorum, nempe tertius ille cubitus: *& ſic fecit capitello ſecundo*. II. *Cumque feciſſet columnas, addidit operi reticulate alterius columnæ duos ordines malorum punicorum, quæ ambirent, & tegerent epiſtylia, quæ erant in ſummo columnarum: ſimili ratione epiſtylio alterius columnæ*. III. *Fecit itaque columnas, & duos ordines per circuitum in opere uno perplexo, ad operiendum capita, quæ erant in ſummitate malorum Punicorum: & ſic quoque fecit pro capite ſecundo*. IV. *Quæ aptavit ad ipſas columnas, deinde duos ordines circumquaque ſuper encarpum unum, ad tegendum coronas, quæ imponendæ erant ſummitati malogranatorum*, id eſt abaci malogranatis cincti, quæ artifices guttas

vocant : *ut etiam fecit coronæ alteri*. Ego ſic intelligo , unicuique duarum columnarum coronamento , ſeu epiſtylio , quod quinque cubitorum altitudinis erat, ſeptem fuiſſe ordines encarporum , & filamentorum cingentes ipſum epiſtylium: & ſuper unumquemque iſtorum ordinum fuiſſe duos ordines malogranatorum , quæ artifices guttas vocant , cingentes quoque ipſum epiſtylium.

V. 19. CAPITELLA AUTEM, &c. Hunc verſum nos ordine verborum ex Hebræo transfudimus (*Et cincturæ , quæ ſuper caput ſtatuarum , factura lilii in porticu : quatuor cubiti* .) Alii : *Capitella autem illa quæ erant ſuper caput columnarum*; id eſt , quæ ſuperpoſita erant ſummitatibus columnarum : *erat opus lilii in porticu*; id eſt , opere liliorum erant facta, tali quale viſitur in porticibus ſeu veſtibulis domorum elegantioribus: *quatuor cubitis* ; id eſt, per quatuor cubitos reliquos, duos inferiores ſcilicet , & duos ſuperiores: nam medium erat ſparſum malogranatis; quaſi dicat : Ex quinque cubitis , quatuor erant operti liliis : & hoc forſan erat opus encarporum, & filamentorum . II. *Et coronæ , quæ ſuper caput columnarum , opus liliis in porticum: quatuor brachiorum*. Notant hoc verſu deſcribi infimum coronæ, ut verſu ſequenti ſupremum : medium vero illius ornamentum , ſeu corpus deſcriptum ſupra verſ. 17. & 18. *Ex imo itaque* , inquiunt , *coronæ* egrediebantur in atrium, ſeu porticum, lilia quatuor cubitorum, circumcirca: ita quod lilia extendebantur non ſuper columnam, nec ſuper coronam, ſed ſuper ſpatium aeris in atrio ſeu porticu : & unumquodque lilium habebat quatuor cubitos, quamvis non directo occuparet ſpatium quatuor cubitorum : flexa enim, & repanda ſunt liliorum folia . III. *Epiſtylia quæ erant in cono columnarum , opus habebant florulentum , quale fuit in porticu , quatuor cubitis*. IV. *Capita autem quæ erant in faſtigio columnarum , tegebat roſarum perplexitate ſurſum verſum palatium , per quatuor cubitos*. V. *Ita ut coronæ quæ erant ſuper capitulum columnarum opere liliaceo collocandarum in porticu , quatuor cubitorum eſſent* , ſcilicet cum ſuis abacis . Vide ſupra verſ. 15. Hiſpanicus Interpres : *Los capiteles que eſtavan pueſtos ſobre las columnas , eſtavan obrados de flores , como los que ſe vian en el portal*, ſcilicet *del templo , por quatro codos*.

V. 20. ET RURSUM ALIA CAPITELLA, &c. Hunc verſum obſcurum & difficilem, verbo tenus nos ex Hebr. convertimus (*Et cincturæ ſuper duas ſtatuas etiam de ſupra ad coniunctionem ventris qui ad trans intricationem*, & *malogranata ducenta ordines circuitu ſuper cincturam ſecundam* .) Alii pluriſariam . I. *Et coronæ ſuper duas columnas etiam deſuper , e regione ventris , quod trans retiaculum* , & *malogranatorum ducentorum ordines in circuitu ſuper coronam ſecundam*. Senſum eſſe aiunt, coronas epiſtyliorum ſupra in ſummitate coni , qui erat ſupra retiacula omnia , id eſt ſupra ſeptimum ac ſummum retiaculum, e regione ventris coronæ , habuiſſe opus liliì : & inſuper ducenta malogranata quatuordecim ordinibus diſpoſita , & inſerta : nam erant ſeptem zonæ ſeu retiacula ; & ſeptem aliæ appendices zonarum, in modum catenarum , nempe una ſub qualibet zona : & in opere reticulato zonarum , & catenarum erant malogranata immiſſa, opere fuſili. Deſcribunt enim coronas columnarum ſuper epiſtylia, in modum mitrarum epiſcopalium , quæ ab imo ad apicem acuminatum, circumcinguntur ſeptem zonis opere reticulato fuſis , & ſub unaquaque zona ſubiecta catena ambiens coronam , tamquam appendix: & in medio tam operis reticulati zonarum , quam catenarum, malogranata diſpoſita , quatuordecim ordinibus , quot nimirum erant zonæ, & his ſubiectæ catenæ: & in ſupremo apice ſeu cono coronæ opus lilii ſuſum . Videre licet eiuſmodi coronarum figuram apud Caietanum . II. *Et capitella ſuper duas columnas etiam deſuper e regione loci medii qui erat trans retiaculum : malogranatorum autem ducenti erant ordines per circuitum ſuper capitellum ſecundum*. III. *Similiter ſub capitibus in illis duabus columnis deorſum , e regione ventris* , & *contra opus reticulatum , fuit caput aliud*: & *erant mala Punica ducenta per ordines duos in circuitu ſuper caput illud ſecundum*. In voce *deſuper* , vel *deſupra*, illud *de* privative accipiunt , & *deorſum* interpretantur. IV. *Et ipſa capitella quæ erant ſuper duas columnas , etiam deſuper e regione ventris capitelli , qui venter eſt ultra reticulum , habebant malogranata: nam malogranata ducenta*

ta erant in ordinibus duobus per circuitum in capitello ſecundo; quaſi dicat: Non ſolum lilia, ſed etiam malogranata erant in capitellis. Deſcribit autem quid eſſet in cubito quinto omiſſo. Præterea, quoniam ſuperius non explicaverat ubi eſſent malogranata, hic explicat. Ventrem capitelli vocat partem laxiorem, quæ magis prominet in pila. Cum *ſecundum capitellum* dicit, intelligit & primum; ac ſi dicat, In primo ſimiliter & ſecundo, ſeu in utroque capitello. V. *Habuerunt* (ע *epiſtylia*, *quæ erant ſuper duas columnas*, *deſuper e regione ventris*, *citra opus reticulatum*, *ordines ducentorum malorum Punicorum*, *idque per ambitum utriuſque epiſtylii*. VI. *Coronæ autem impoſitæ duabus illis columnis*, *etiam ſurſum verſus ſitæ erant e regione ventris*, ſeu *proiecturæ*, *quæ erat in latere encarpi*: (ע *malogranata ducenta binis ordinibus circumquaque*, *etiam ad coronamentum alterum*; id eſt, coronarum ſcapi ab ima parte ſua, uſque ad eam qua expanduntur flores, ad perpendiculum reſpondebant parti illi encarpi, quæ maxime prominebat. Hiſpanicus Interpres: *Los capiteles que eſtavan ſobre las dos columnas*, *tenian tambien dozientas granadas en dos ordénes al rededor en cada capitel*, *enciña del vientre del capitel*, *el qual vientre eſtava delante del en redado*. Sunt hæc plane obſcura: nec varietas translationum turbat, ſed potius ex collatione lucem infert.

V. 21. IACHIN. Exponunt, *Confirmet*; quaſi dicat: Utinam confirmet ac ſtabiliat Deus hanc domum, faciat eam perpetuam ac ſtabilem, ſartam tectam conſervet. BOOZ. Hebr. בועז *Boghaz*; id eſt, *In eo robur*. Notant dictionem ſignificare fortitudinem & vigorem; ac ſi diceret: Utinam ſit in ea domo vigor perpetuo: ſitque in ea fortitudo; hoc eſt, ſtabilis ſit ac permanens. Eodem tendit utriuſque columnæ nomen. Quidam obſervant, hæc duo nomina columnis prophetice indita fuiſſe, ut prædicaret Solomoh columen & robur pluſquam alienum in regno Dei, id eſt Eccleſia, eſſe. Equidem *Iachin* futurum eſt Hiphil verbi כון *cun*, id eſt *apparabit*, *ſtabiliet*, *inſtruet*, *ordinabit*, *conſtituet*, *ratificabit*. Sed pro more Hebraico ſolent eiuſmodi futura in propria nomina abire; quaſi dicat *apparatus*, *ſtabilimentum*, *columen*: *ghaz* vero eſt *obſirmatio*, *regnum*, *imperium obſirmatum potentia*, & *opibus*. Ad has duas columnas putant, haud dubie alluſiſſe Paulum I. Timoth. III. verſ. 15. ubi *Eccleſiam* vocat *columnam* & *firmamentum veritatis*: & quod *veritatis* addit, velle data opera diſtinguere columnas Eccleſiæ Chriſti a columnis veteris teſtamenti, quæ fuerunt tantum umbra, non veritas.

V. 22. OPUS IN MODUM LILII: ut ſupra verſ. 19.

V. 23. A LABIO USQUE AD LABIUM. Hebr. *De labio eius uſque ad labium eius*. Quidam: *A labri parte una eius uſque ad alteram*, id eſt ex diametro. ET RESTICULA. קוה *kaoh*, *linea*, *funiculus*, *filum*. Hiſpanice *un cordon*, ſeu *faia*.

V. 24. DECEM CUBITIS AMBIENS MARE. Hebr. *Decem in cubito circumdantes mare circumquaque*; id eſt, decem colocynthides, ſeu fungi erant in unoquoque cubito: & cum cubiti ambitus eſſent triginta, e verſ. 23. colocynthides per totum ambitum erant trecenta. Perperam alii intelligunt cælaturas imæ partis maris verſus baſim, decem cubitos ambitu continuiſſe.

V. 26. QUASI LABIUM CALICIS, ET FOLIUM REPANDI LILII; id eſt, erat repandum ut ſunt calices & lilia. Quidam reddunt: *Et flos ſtlii*; ſubaudi, erat in eo; id eſt, maris illius labium ſparſum erat floribus lilii. DUO MILLIA BATOS. Conſentiunt tam Hebræi quam noſtri, *bath* eſſe menſuram liquidorum, & eiuſdem omnino eſſe capacitatis cum ephah menſura aridorum, de qua diſſeruimus in Exod. XVI. 36. nimirum tantum capiſſe liquidorum, quantum ephah aridorum, nempe tria ſata, ſeu quantum humoris contineri poteſt 432. putaminibus ovorum. Itaque capiebat mare 864000. ova gallinacea. CAPIEBAT. Futurum יכיל *iachil* ex Hiphil, proprie *poterit*, *ſuſtinebit*, *ſuſtentabit*; id eſt, capere poterat. Alii, *Univerſitabit*, *calculabit*; id eſt, continebat univerſe. Sic infra verſ. 38. Verum eſt in ſpeciem diſcrepantia: nam hic duo mille batos; at II. Paralipom. IV. 5. ter mille bathos capiſſe ſcribitur. Conciliant: Numerus duum millium batorum ordinarie infundebatur ex inſtituto Regis: nam aliqui totum mare uſque ad ſummitatem labri poterat capere ter mille bathos.

V. 27. BASES AENEAS. Exponunt trusatiles, sive ambulatorias, sedes nimirum labrorum, de quibus infra vers. 38.

V. 28. INTERRASILE ERAT. De voce מסגרת *misgereth*, quæ hic pluraliter ponitur, differuimus in Exodi XXV. 25. Varie hic vertunt. I. *Clausuræ ipsis*; id est, erant clausæ undique quatuor tabulis æneis a quatuor lateribus, & quinta tabula ænea superiore, quæ erat tamquam ſtratum basis, cui imponebatur concha seu labrum. II. *Circumferentiæ ipsis*. III. *Clausuræ*, seu *cinctuæ ipsis*; id est, latæ fasciæ, quibus insculptæ erant imagines, de quibus versu sequente: IV. *Abaci ei*: quid sit abacus in ædificiis, docebit te Vitruvius. V. *Zophori erant eis*. Vitruvius: *Zophorus veluti pictus balteus, in quo metopa, & figuræ insculpuntur*: Italice *fregio*. Hispanicus Interpres. *Tenian unas cintas*. Sic mox. ET SCULPTURAE INTER IUNCTURAS. Mirum quam varie reddant vocem שלבים *schelabbim*, quam Noſter reddit *iunctura* reddidit. I. *Et clausuræ inter excavaturas*; id est, eoniungebantur, & claudebantur tabulæ basis inter se quibusdam excavaturis. II. *Et clausuræ inter vectes, qui erant ut scalarum gradus*. III. *Et cincturæ erant inter scalas*, vel *climactera*, seu *gradus*, vel *prominentias*; id est, singulæ cincturæ erant inter prominentias duas, imam scilicet, & summam. Prominentias vocat, quæ spondis lectorum veteri forma ſtructorum erant ſimiles; quæ sic dicebantur Hebræis, quod essent instar graduum. IV. *Abacos habuerunt intra limbos conclusos*. V. *Erantque zophori inter scalas*, seu *denticulatos toros*. VI. *Et clausuræ*, seu *circumferentiæ inter transmissuras*; id est, inter laminas transmissas in extremitatibus. Nemo melius Noſtro, *Inter iuncturas*, id est commissuras, incastraturas. Vide Exodi XXVI. vers. 17. Hispanicus Interpres: *Y las cintas estavan entre molduras*. Sic vers. sequente.

V. 29. ET INTER IUNCTURAS SIMILITER DESUPER, &c. Noſter vocem כן *cen* pro *sic*, *ita*, *similiter*, accepit: alii pro *bas*: unde varie reddunt. I. *Et super vectes basis desuper*. II. *Et super prominentias erat basis desuper*, id est ultra prominentias imam & summam; id est, in summitate, sive summa parte magnæ basis, erat alia parvula basis, sive columnella quædam vice basis. Prominentias vocat quas Galli *les bords*, לש *moleures*; Hiſpani *molduras*. III. *Et supra limbos pes erat superne*. IV. *Et super scalas*, seu *denticulatos toros fulcrum, superne*; id est, arca, sive superficies ſtatuminata, qua sultum nitebatur labrum seu concha. ET SUBTER LEONES, ET BOVES: adde etiam & Cherubinos, e paulo ante. Synecdoche. QUASI LORA EX AERE DEPENDENTIA. Pluriſariam Hebr. reddunt. I. *copulationes operi extenſionis*. II. *additamanta quædam opere extenſo*; id est, adiectitia quædam facta opere extenſo; hoc est, quæ non fuerunt facta cum funderetur basis ipſa. Erant enim tubercula quædam adiectitia, quæ erant vice basium, quibus scilicet videbantur incumbere animalia illa, ut poni solent sub ſtatuis & imaginibus. III. *additamenta opere extenuato tenui, duſtili*, vel *bracteato*. IV. *adiectiones opere ducto*; id est, fasciæ in venuſto opere implexo, & continente appositas. לית *liioth*, aiunt esse *copulationes*, *adiunctiones*, *additamenta*, *corollaria*, *appendices*, quæ ornamenti causa adduntur. Sic versu sequente, & vers. 36. Proprie *adiunctiones*, seu *adiectiones facturæ descensus*; id est, quæ pendebant, & descendebant. Possis reddere *adiectiones opere prædominante*, id est opere præstantiſſimo, & artificioſiſſimo.

V. 30. ET AXES AEREI. מרכים *ferarim* plerique *tabulas*, seu *asseres*, interpretantur: exponuntque: Et tabulæ æreæ, quibus scilicet latera basis quadratæ tegebantur, quæ adiacebant scalis, seu denticulatis toris, aut prominentiis. Alii: Et tabulæ æreæ, quæ instratæ erant axibus, ut sibi impoſitas bases sustinerent. Vox magis significat *axes*. Unde dicti sunt principes & satrapæ *ferarim*, quod sint veluti axes populi. Vide Iosue XIII. 3. ET PER QUATUOR PARTES QUASI HUMERULI SUBTER LUTEREM FUSILES. Varie hunc locum ex Hebr. interpretantur. I. *Et quatuor anguli eius, humeri ipsis sub concha, humeri fusi*; id est, quatuor anguli supremæ tabulæ æneæ quadratæ, quæ erat quasi ſtratum conchæ, sic erant dispositi, quod humeros habebant sub concha; hoc est, ex quolibet angulo prodibat æreus humerus introrsum versus ad sustentandam conchæm, quibus

bus humeris imponebatur, & ſuſtinebatur concha. II. *Et in quatuor angulis eius*, ſubaudi baſis, *humeruli erant*, id eſt fulcra, ſuſtentacula, columnellæ: *& ſubter conchàm humeruli fuſi erant*. III. *Et in quatuor angulis eius erant ſuſtentacula, quaſi humeri: ſubter labrum ipſum erant ſuſtentacula ipſa fuſa*. IV. *Et tabulæ æreæ, quibus erant ſcapulæ in quaternis impagibus ſuis*; id eſt, extremæ tabulæ in formam humerorum e quatuor angulis aſſurgentes, ne inter trudendum vacillaret labrum: ſubter labrum quodque ſcapulæ illæ erant fuſæ. Vocem מכנות *phaghamoth*, quam Noſter hic *partes* vertit, elucidavimus in xv. Exodi, verſ. 12. Alii *angulos*, vel *pedes*, aut *baſes* reddunt: proprie *pedaturas*, *pedamenta*, id eſt fulcra, ſeu ſuſtentacula, vel percuſſuras, ictus, ſignificat, hoc eſt angulos ubi incurrunt, & ſe percutiunt tabulæ ipſæ baſis. Alii *impages* convertunt. CONTRA SE INVICEM RESPECTANTES. Hebr. ex verbo, *De trans virum adiunctionum*. Varie reddunt: 1. *a latere cuiuſque copulationum*: 2. *ex latere ſingulorum additamentorum*, id eſt in fundo, ac ima parte ipſius conchæ: 3. *quiſque e regione alterius pone additamentum*: 4. *unumquodque e regione additamenti*: 5. *e regione adiectionum cuiuſque labri*; id eſt, e regione ornamentorum quæ ad collum labri ſub proiecturis eius erant, dimidio cubito infra ſummitatem labri. Vide infra verſ. 35.

V. 31. OS QUOQUE LUTERIS INTRINSECUS, &c. Nos hunc verſum ex Hebraico verbatim expreſſimus (*Et os eius de domo cincturæ, & de ſupra in cubito, & os eius rotundum factura baſis cubitus & medietas cubiti: & etiam ſuper os eius fundibulationes & clauſuræ earum quadratæ, non rotundæ.*) Ingens plane eius obſcuritas: multifariam alii & reddunt, & elucidant. I. *Et os eius*; id eſt, vaſculum quoddam æreum, & cavum, quod erat ſupra baſim ipſam magnam, habens pro fundo ſummam tabulam baſis, quod os baſis dicitur, quia erat tamquam baſis os ad excipiendum conchæ fundum: *intra coronam*; hoc eſt, intra ſummitatem continuam quatuor illorum humerorum, de quibus verſu præcedente, qui in modum coronæ in ſupremis extremitatibus coniungebantur, erat: *& ſuperius in cubito*; id eſt, illud vaſculum quod ſuperius ſupra extremitates humerorum erat, unius cubiti altitudinem habebat: *& os eius rotundum*; id eſt, ipſum rotundum erat: *opere baſis*; hoc eſt, eodem opere quo baſis factum, nempe opere fuſorio, non ductili, aut malleatorio: *cubiti & dimidii cubiti*: nempe diameter oris, ſeu vaſculi iſtius ſeſquicubitalis erat: *& etiam ſuper os, cælaturæ*, opere ſimiliter fuſili factæ: *& clauſuræ earum quadratæ*, ſeu *quadrangulæ, non rotundæ*, quod ſupra verſ. 28. non fuerat explicatum. II. *Os vero eius*; id eſt, orificium ipſius magnæ baſis quadratæ: *intra capitellum erat*; id eſt, intra baſim ipſam parvam in qua excipiebatur concha: *& ſuperne in cubito* (*os autem eius erat rotundum*) *opere baſis*, id eſt factum ad ſimilitudinem baſis: *cubitus & dimidium cubiti*; id eſt, columnella illa, ſeu baſis, aut capitellum, habebat ſeſquicubitum latitudinis: *& etiam ſuper os ipſum*, vel *ipſius*; hoc eſt, iuxta orificium ipſius capitelli: *erant cælaturæ, cum cincturis ſuis*, vel *& cincturæ earum*, nempe omnium baſium: *quadratæ, non rotundæ*; id eſt, zonæ latæ, non rotundæ. III. *Porro eminentia illius vergebat ad rotunditatem labri, quæ ſurſum per unum cubitum erigebatur: eratque ſummitas eius rotunda, opere conveniente, habens ſcilicet cubitum & dimidium: & in hac ſummitate eius erant cælaturæ, quarum clauſuræ erant in quadrum diſpoſitæ, & non in rotundum*. IV. *Os autem eius intra coronamentum & ſupra, cubitum habebat: oſque eius rotundum erat, ut opus pedis, habens ſeſquicubitum: & ſupra os eius erant extantes noduli, quorum abaci quadratæ erant, non rotundi*. V. *Deinde illius labri os*: id eſt, æqualis cavitas ſub proiectura: *ab interiore parte ambitus coronarii*; id eſt, circuli, in quem indebatur ex labro ſeſquicubitus, videlicet ima labri pars: *ſurſum verſus extabat uno cubito*, nimirum ab area ambitus coronarii uſque ad ſummas ſcapulas, de quibus verſu ſuperiore: *cuius ambitus os*; id eſt, æqualis caviras ſub area, in quam indebatur labri dimidia magnitudo: rotundum erat, opere ſulcri, id eſt iuſto, ad proportionem labri, quod rotundum erat, accommodato; ut ſulcimento eſſet ei undequaque: *ſeſquicubitale*, nimirum pro mentura imi labri, quod recipiebat: *circa cuius os*; id eſt, in

area

area illa quadrata baſeos, cuius medium ambitus coronarius occupabat: *ſimiliter inerant cæſuræ, & zophori earum*; id eſt, eas cæſuras, ſeu eclaturas circumcludentes ab extremis areæ quadratæ partibus: *quadrati non rotundi*. VI. Hiſpanicus Interpres: *Su boca* (id eſt, *el oio de la fuente, o baçin, que era el aſſiento*) *entrava en el capitel* (hoc eſt, *en un peçon de cobdo y medio de alto, que ſalia de la baſa para arriba*) *un cobdo para arriba*: *y ſu boca era redonda de la hechura de la baſa* (id eſt, *del beçon dicho*) *de cobdo y medio. Avia tambien ſobre la boca entalladuras* (id eſt, *en el medio cobdo del peçon, que quedava fuera aſſentada la fuente, o baçin que tragava el un cobdo*) *con ſus cintas, las quales eran quadradas, no redondas*. Verum in Hebraicis notandum illud, *Et os eius de intra cinCturam*, ſeu *coronamentum*, pronomen *eius* non apte referri ad baſim, nam pronomen eſt maſculeum, & baſis femineum; ſed ad concham, ſeu luterem, qui Hebr. eſt maſculeum. Rurſus cum dicitur, *Et os eius rotundum*; & cum additur, *Et etiam ſuper os eius fundibulationes*, &c. utrobique pronomen *eius* eſſe femineum, nec recte cohærere cum concha, ſeu labro, quod eſt maſculeum, ſed cum cinctura, ſeu coronamento, quod eſt femineum.

V. 32. COHAERE BANT SIBI SUBTER BASIM. Hebr. *Et manus rotarum in baſi*. Quidam: *Et axes rotarum in baſi ipſa*, quaſi dicat: Non ſupponebantur baſi, ſed erant intra ipſam baſim. Alii: *Et axes rotarum affixi erant baſi*. Nonnulli: *Et loca rotarum in baſi*. ידות *iadoth* plurale, *manus*, ſemper uſurpatur metaphorice; unde hic *manubria*, *cardines*, ſeu *axes* exponunt, quibus ceu manibus apprehenduntur, & moventur rotæ. Notant, cuilibet rotæ proprium axem fuiſſe in interiori parte æneæ tabulæ infixum, qui immitebatur per foramen rotæ: nec opus erat longo axe communi utrique rotæ; ſed appoſita rota axi in tabula extanti, retinebatur rota ne ex axe elaberetur, cuneo vel clavo æreo immiſſo in extremam partem axis, quæ extra rotellam perforatam exibat. Inſixus autem erat tabulæ æneæ axis æneus, per fuſionem, non per impactionem, aut affixionem.

V. 33. ET RADII. גבים *gabbim* proprie *excelſitates*, *ſublimitates*, *gibbi*, *dorſa*, *eminentiæ*, *fornices*: hic varie reddunt. I. *& canthi earum*. II. *& apſides earum*. III. *& modioli earum*. Modiolum aiunt eſſe rotæ medium, cui ut centro infixi ſunt radii. At quantum differt modiolus a cantho, ſeu apſide rotæ? IV. *& corpora earum*, ſeu *dorſa*. Ego prætulerim *modiolos*, a forma gibboſa & dorſuata, quam habent. Hiſpanice vocant *maças*, ſeu *cubos*. ET CANTHI. חשקים *chiſchſchukim* fere *circumferentias*, *circulos*, *canthos* interpretantur: ſic dictos, quod circumvolventes complectantur rotas: proprie *complexiones*, *complicationes*. Quidam reddunt, *Et rotellæ earum*. ET MODIOLI. חשורים *chiſchſchurim*, omnes interpretantur *colligantias*, *colligationes*, *radios*, quibus rota colligatur, & compingitur.

V. 34. HUMERULI ILLI: de quibus ſupra verſ. 30. EX IPSA BASI FUSILES, ET CONIUNCTI ERANT. Hebr. *De baſi ſcapulæ*, ſeu *humeri eius*; id eſt, fulcra ſeu ſuſtentacula ipſius conchæ in baſi, erant non adiectitia & impacta, ſed ex eadem maſſa ærea baſis fuſa una cum baſi.

V. 35. IN SUMMITATE AUTEM BASIS ERAT QUAEDAM ROTUNDITAS DIMIDII CUBITI, ITA FABREFACTA, UT LUTER DESUPER POSSET IMPONI. Nos Hebræa ex verbo reddidimus (*Et in capite baſis medietas cubiti ſurrectura rotunda circuitu.*) Alii ſic. I. *Et ſupra machinam altitudo erat dimidii cubiti rotunda circumquaque*. II. *In ſummitate autem baſis iſtius* magnæ & quadratæ, *erat dimidium cubiti in altitudine, rotundum per circuitum*; id eſt, in baſi illa quadrata erat columnella quædam, ſeu baſis rotunda, cuius altitudo non excedebat dimidium cubitum, ſuperinpoſita ipſi baſi magnæ quadratæ. Quidam intelligunt, ſuper ſummitatem ſcapularum, ſeu humerorum baſis, & ſuper os baſis, de quibus verſ. 30. & 31. extitiſſe aliam altitudinem rotundam dimidii cubiti. III. *Ita ut in ſummo ipſius baſis*, id eſt ſupra baſim, & ſcapulas eius, *dimidii cubiti altitudo extaret*, ſummi labri videlicet, ut dictum eſt ſupra verſ. 30. *circumquaque*. HABENS CAELATURAS SUAS, VARIASQUE SCULPTURAS EX SEMETIPSA. Hebræa nos expreſſimus (*Et ſuper caput baſis*,

ſis , manus eius , & clauſuræ eius de ex ea.) Alii diverſimode . I. *Et in ſummitate illius baſis erant prominentiæ eius , & cinctura eius ex ipſa;* id eſt, & iuxta ſummitatem illius parvæ baſis, ſeu columnellæ ſuperpoſitæ magnæ baſi, erant prominentiæ eius & cinctura eius ex ipſa baſi opere fuſili productæ ; non adiectitiæ , ut paulo ante verſ. 34. II. *Et in ſummo machinæ , limbi eius, & abaci eius ex ipſa .* III. *Nam in ſummio baſis , manus illius* , id eſt ſcapularum ſummitates, quibus veluti manibus fulciebatur labrum : forte etiam manibus fuerunt ſimiles ſequenti verſu : *ut zophori illius ex ipſa erant .* IV. *Et in ſummitate illius baſis procedebant tam gradus , quam clauſuræ ex ipſa baſi.* V. *Et ſuper ſummitatem baſis loca eius , & clauſuræ eius ex ipſa;* id eſt, loca quibus excipiebatur fundum conchæ , quæ claudebant fundum conchæ, id eſt iuſte & apte ei adæquabantur , & commenſurabantur , eodem opere fuſorio ex ipſa baſi erant , una cum ipſa fuſa.

V. 36. SCULPSIT QUOQUE IN TABULATIS ILLIS, QUAE ERANT EX AERE; ET IN ANGULIS. Nos Hebræa totidem verbis reddidimus (*Et aperuit ſuper tabulas manus eius .*) Alii aliis modis . I. *Et cælavit ſuper tabulas loca earum .* II. *Et aperuit ſuper tabulas manuum eius* , vel *cardinum eius .* III. *Et fecit cælaturas in tabulis prominentiarum eius* ; ſubaudi , parvæ baſis , ſeu columnellæ . IV. *Sculpſerat enim in tabulis gradus .* V. *Sculpſerat enim ſuper tabulas limbos .* VI. *Inſculpſit autem tabulis illius* , ſcilicet efficientibus ſummam aream*: manibus illius* , id eſt extanti ſcapularum parti , quæ forte formam manum haberet . Vide ſupra verſ. 35. Synecdoche . *Et in angulis .* Hebr. *Et ſuper clauſuras eius .* Alii , *Et in cincturis eius* , nimirum parvæ baſis rotundæ , ſeu columnellæ. Aliqui , *Et ſuper abacos eius .* Nonnulli , *Et zophoris illius* , nimirum areæ , de quibus ſupra verſ. 31. QUASI IN SIMILITUDINEM HOMINIS STANTIS, UT NON CAELATA, SED APPOSITA PER CIRCUITUM VIDERENTUR. Hanc partem varie ex Hebr. convertunt , & explanant. I. *ſicut applicationem cuiuſque , & copulationes in circuitu* ; id eſt, in diverſitate tabularum, cælaturæ fuſæ adamuſſim ſibi correſpondebant , applicabantur , & copulabantur , ut abſque ulla deformitate pulcherrimum opus efficerent : nimirum dimidius leo , vel pars leonis unius tabulæ ita exacte coniungebatur cum altera parte leonis alterius tabulæ, ut perfectam leonis effigiem redderet : & ſic de Cherubis, & palmis. II. *ex latere uniuſcuiuſque & lora per circuitum.* III. *ſecundum effoſſuram viri, & copulationum circumquaque .* IV. *ex latere eiuſque additamentorum per circuitum .* V. *ſecundum nuditatem viri, & copulationum circumquaque .* VI. *ſecundum ſpatium uniuſcuiuſque , & corollaria circuitu .* VII. *quemadmodum in abaco quolibet , & additamento circumquaque.* VIII. *unumquodque e regione alterius , quod per circuitum additum erat.* IX. *ſecundum coniunctionem* , ſeu *in coniunctione uniuſcuiuſque lororum* memoratorum *per circuitum* ; id eſt , prout unum alteri adhærebat , & coniunctum erat . X. *ſecundum coniunctionem , adhæſionem , viri* ; id eſt, quemadmodum vir ſuæ coniungitur uxori ore ad os ; vel cum uxorem amplectitur brachiis , &c. XI. *ſecundum effoſſuram cuiuſque , & adiectionibus circumquaque* conveniebat . מגע *maghar* aiunt eſſe *denudationem , nuditatem , effuſionem , evacuationem , effoſſuram* , & uſurpari pro *ſpatio nudo & vacuo alicuius rei.* Alii volunt eſſe *cælaturam* , quod cælando , & exſculpendo res antea tecta denudetur & retegatur: unde hic vertunt, *ſecundum nuditatem viri* ; id eſt , *ſecundum ſpatium nudum & vacuum cuiuſque* , vel *ſecundum adhæſionem cuiuſque* , vel *ſecundum cælaturam cuiuſque* , nempe ex Cherubis , leonibus, palmis. De voce לויח *liioth* vide ſupra verſ. 29.

V. 38. QUADRAGINTA BATOS. Vide ſupra verſ. 26.

V. 39. CONTRA ORIENTEM. Hebr. *ad orientem* ; id eſt , ad ingreſſum domus qui reſpiciebat orientem. AD MERIDIEM. Hebr. *e regione meridiei* ; id eſt, in latere dextro domus , ut paulo antea dixerat : nam hoc exegeticum eſt. Obſervant, neque in mari laviſſe ſeſe ſacerdotes, neque in conchis lavari ſolita ſacrificia ; ſed ſacerdos, aqua, quæ per ſalientes hauriebatur ex mari , abluiſſe manus, & pedes ; ſacrificia autem lavari ſolita frigida hauſta ex conchis per ſalientes . Vide Joſephum VIII. Antiquit. cap. III.

V. 41. FUNICULOS CAPITELLORUM.

RUM. גלות הבותרות *gulloth baccotharoth*, diverſe reddunt: 1. *vaſa, rotunda coronarum*; 2. *orbes coronarios*; 3. *epiſtylia rotunda coronamentorum*, de quibus ſupra verſ. 19. & 20. Nec deſunt qui *bina hemiſphæria*, ſeu *dimidiatos globos capitellorum*. Ex verbo, *convolutiones cinctuarum*. Sic verſ. ſequente. ET RETIACULA DUO. Hebr. *Et intricationes, perplexitates, duas*. Quidam, *Et reticula*, ſeu *retiacula, duo*: vel *& duas reticulationes*. Nonnulli, *Et encarpos duos*: de quibus vide ſupra verſ. 17. 18. 20. ſic verſ. ſequente.

V. 45. OMNIA VASA QUAE FECIT HIRAM. Hebræi notant hic geminam lectionem: *Et omnia vaſa iſta quæ fecit Hiram*: vel, *Et omnia vaſa tentorii*, ſeu *tabernaculi, quæ fecit Hiram*; id eſt, quæ inſtar vaſorum tabernaculi teſtimonii fecit Hiram. Chaldæus: *Et omnia vaſa iſta ſecundum opus vaſorum tabernaculi, quæ fecit Moſes, ſic fecit Hiram*, &c. Varia lectio eſt: האהל *haebel*, pro האלה *haeleh*, id eſt *iſta*, & הוהל *haobel*, *tentorii*. DE AURICHALCO ERANT. Vide notas in Hezræ VIII. verſ. 27.

V. 46. IN ARGILLOSA TERRA. Heb. *In denſitate telluris*; id eſt, in terra denſa, glutinoſa, argilloſa, apta ut ea fierent typi, & moduli, in quibus funderentur vaſa metallica. SOCHOTH urbs fuit trans Iordanem, in tribu Gad: de qua vide Geneſ. XXXIII. verſ. 17. & Joſue XIII. verſ. 27. SARTHAN. Hebr. *Tzarthan*, oppidum in tribu Ephraim cis Iordanem: de quo egimus in Joſue III. verſ. 16. & ſupra cap. IV. 12.

V. 47. ET POSUIT SALOMON OMNIA VASA, &c. Varie hunc verſum ex Hebræo transferunt. I. *Et omiſit Salomo omnia vaſa: propter multitudinem nimiam non eſt exploratum pondus æris*; id eſt, neglexit diſquirere rationem ponderis æris, nimirum quanti ponderis eſſent vaſa illa, quod plurima valde eſſent. II. *Et reliquit, dimiſit*, ponderare, *Salomon omnia vaſa, quod vehementer multa eſſent, nec æris pondus inveſtigari potuerit*. III. *Et omiſit Selomoh pendere omnia vaſa iſta præ multitudine quam plurima: non perveſtigatum, diſquiſitum eſt æris eorum pondus*. Hiſpanicus Interpres: *Y dexò Salomon todos los vaſos fin inquirir el peſo del metal, por la grande multitud.*

V. 48. ALTARE AUREUM, nimirum altare thymiamatis, ſeu ſuffitus cedrinum, obductum auro: de quo ſupra cap. VI. verſ. 20. & 22. ET MENSAM. Nonnulli *menſam* ſylleptice accipiunt pro toto inſtrumento menſali, ut exponitur II. Paralip. IV. verſ. 8.

V. 49. ET QUASI LILII FLORES. Hebr. tantum ſingulariter, *Et florem*, pro *& flores*. Plerique intelligunt lilia, de quibus ſupra verſ. 19. 22. Alii lychnuchorum ornamenta, & inſtrumenta.

V. 50. ET FUSCINULAS. מזמרות *mezammeroth*, varie exponunt. Quidam aiunt eſſe inſtrumenta quibus fiunt inciſiones, ac verti poſſe *emunctoria, forcipes*, quibus ellychnia igne uſta præſcinduntur. Aliqui *falces putatorias* reddunt, ad amputanda exuſta capita ellychniorum. Plerique *pſalteria, inſtrumenta muſica, modulatoria*. Sic II. Reg. XII. 13. & XXV. 14. ET CARDINES. Quidam reddunt, *Etiam cardines feminas*, id eſt metas cavas, ſive ferramenta ianuis affixa, circa quæ cardines volvuntur.

V. 51. QUAE SANCTIFICAVERAT DAVID PATER SUUS. Hebr. *Sanctificatates, conſecrationes*, ſeu *res conſecratas, & dedicatas a Davide patre ſuo*: partim factas, partim infectas, quæ ex opere ſuperfuerant.

MENOCHII.

Verſ. 1. DOMUM AUTEM SUAM, &c. Unicum erat palatium, cuius partes erant tam quæ a Rege quam quæ a Regina habitabatur, & inluper tertia pars ſaltus Libani, quæ utriuſque recreationi ſerviebat. Erat autem regia hæc in montis Sion orientali colle.

V. 2. DOMUM SALTUS LIBANI. Ita appellata eſt, vel quod ad eam Sionis partem vergeret quæ nemoroſa eſſet ad inſtar Libani, ut vult Abulenſis; vel quod ut Libanus cedris, ita ipſe cedrinis columnis frequentibus quodammodo conſita eſſet, ut putat Theodoretus quæſt. XXIV. vel quod ex ea Libanus propici poſſet, æſtatiſque tempore auras, & frigora e monte illo exciperet, ut Arias exiſtimat. Omnes hæ rationes veræ eſſe poſſunt, & ſimul coniungi. CENTUM CUBITORUM, &c. Fatetur Salianus, Salomonis anno 12. num. 6.

num. 6. ſe in harum domorum ſtructura, delineatione, & menſuris non invenire quod ſatisfaciat, ideoque eam prætermittit, quod facit etiam Sanchez in hoc caput eadem excuſatione præmiſſa. Idem faciemus & nos. Videri tamen poſſunt Villalpandus Tom. II. Paralip. II. Lib. v. cap. verſ. 10. & ſeqq. & Pineda de rebus Salomonis Lib. V. cap. VII.

V. 8. DOMUNCULA, &c. Fuit hæc domuncula forma quadrata, longa, & lata triginta cubitos, ut ait Ioſephus Lib. VIII. cap. 11.

V. 9. LAPIDIBUS PRETIOSIS, variis, & magni pretii, peregrinis, & ex longinquo advectis; porphyreticis verbi gratia, pariis, & aliis huiuſmodi. Ex hiſce verbis eorum opinio refellitur, qui totam hanc domum ligneam fuiſſe exiſtimant.

V. 13. HIRAM DE TYRO, &c. Eſt Hebræorum traditio apud S. Hieronymum, Hirami patrem dici Tyrium, quia Hiram magiſtrum habuit Tyrium, revera autem patrem eius fuiſſe Hebræum de tribu Nephthali.

V. 14. DE TRIBU NEPHTHALI. Videtur hoc pugnare cum eo quod legimus II. Paralip. cap. 11. num. 14. ubi Hiram dicitur *filius mulieris de filiabus Dan*. Sed dicendum eſt, Dan non accipi pro tribu, ſed pro civitate huius nominis, quæ erat in tribu Nephthali, apud fontem Iordanis. Vide Adrichomium in tribu Nephthali num. 37.

V. 15. DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS. At II. Paralip. III. 15. legimus ante fores templi duas columnas poſitas, quæ triginta quinque cubitos haberent altitudinis. Reſpondendum eſt, id non de ſingulis, ſed de utraque intelligendum eſſe. Nam, ut placet Villalpando, & Saliano, unaquæque columna cum baſi ſua fuit ſeptemdecim cubitorum cum dimidio, ſecluſa plintho, quæ abſolvit decimum octavum. Secludendi autem plinthum hanc rationem afferunt, quod reliqua columna cum baſi ſua cava eſſet, quam propterea congruum fuit ſuper ſolidam plinthum inniti, propterea que ſeorſim fundi. Itaque liber Paralipomenon utriuſque columnæ altitudinem dixit triginta quinque cubitorum, ſecluſa utraque plintho, & capitellis, quæ ſeorſim ſuſa erant; hoc vero libro Regum datur octodecim cubiti ſingulis columnis, ſolida illa plintho, quæ eſt ima pars baſis, comprehenſa. LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE: ut ſcilicet ambitus cuiuſque eſſet ſex cubitorum, diameter vero duorum. Nota, *τὸ utramque* in Hebræo eſſe השני *haſceni*, quæ vox verti poteſt *ſecundum*, *ambo*, *utrumque*. Quo poſito explicari poteſt locus Ieremiæ, qui textui huic noſtro videtur adverſari: ait enim Prophetа cap. III. num. 21. de iſtis columnis verba faciens: *Funiculus duodecim cubitorum circuibat eam*: ex quo conſtare videtur uniuſcuiuſque columnæ ſeorſim ambitum fuiſſe duodecim cubitorum. Sed dicendum eſt, *τὸ eam* referri a Ieremia ad vocem שני *ſceni*, quæ hoc cap. VII. habetur, & eodem modo quo שני *ſceni* liceret interpretari, ut ſcilicet utramque ſignificet.

V. 16. QUINQUE CUBITORUM: ſi accipias non ſolum capitellum, ſed totam trabeationem. Eſt autem trabeatio, illud omne ornamentum quod columnis imponitur. Italice dicimus *architrave*, *fregio*, *e cornice*. Cum vero dicit alibi Scriptura capitellum fuiſſe trium cubitorum, ſciungit coronitem, Italice dicimus *la cornice*; cum vero dicit fuiſſe quatuor cubitorum, omittit epiſtylium, id eſt trabem capitellis ſuperimpoſitam. Italice dicimus *architrave*.

V. 17. QUASI IN MODUM RETIS ET CATENARUM, &c. Retiacula hæc ponit Villalpandus Tom. II. Lib. V. cap. v. in coronicis parte inferiori, & latiori, quæ terram verſus pendet. SEPTENA VERSUUM RETIACULA; id eſt, unumquodque retiaculum ſeptem, & ſeptem habebat quaſi lineas, aut virgas, aut faſcias inter ſe cancellatas, & inter cancellaturas erant malogranata. Vide figuram apud Villalpandum loco citato. DUOS ORDINES RETIACULORUM. In quolibet ex quatuor lateribus coronicis erant duo ordines retiaculorum. Itaque in quolibet capitello erant octo ordines. Vide eamdem figuram apud Villalpandum.

V. 18. UT TEGERENT CAPITELLA, QUAE ERANT SUPER SUMMITATEM MALOGRANATORUM. Fortaſſe ſenſus eſt: Ut tegerent eam partem capitelli, ex qua malogranata pendebant.

Vel ut ex parte tegerent malogranata cancellaturis inserta.

V. 19. QUASI OPERE LILII: lilii foliis adhibitis, & in modum operis corinthii conformatis, & compositis. Schema habes apud Villalpandum Lib. V. cap. v. Tom. II. IN PORTICU QUATUOR CUBITORUM, id est similia capitellis: paraſtadum veſtibuli, quæ capitella alta erant quatuor cubitis. Ita explicat Villalp. Tom. II. Lib. V. cap. XXIII. Paraſtades ab Italis vocantur *Pilaſtri*.

V. 20. ET RURSUM ALIA CAPITELLA, &c. Hæc est coronix, quæ dicitur fuisse iuxta menſuram columnæ, proportio exigit. CONTRA RETIACULA. Septuaginta habent, *Trans retiaculum*: Vatablus, *Ultra reticulum*. MALOGRANATORUM AUTEM DUCENTI ORDINES, &c. Sententia esse videtur: Malogranata omnia variis ordinibus diſpoſita erant, ducenta in capitello ſecundo uniuſcuiuſque columnæ. Vocat autem hoc loco capitellum ſecundum ipſum coronamentum. Ita Villalpandus Tom. II. Lib. V. cap. XXII. Coronamentum architecti appellant totam coronidem.

V. 21. IN PORTICU TEMPLI, in veſtibulo templi, de quo ſupra cap. VI. num. 3. Villalpandus in primo veſtigio porticus ſeu veſtibuli ponit ab utroque latere portæ aulæ ſanctæ. Utraque columna nomen habuit a fortitudine: nam *Iachin* dicitur quod firmiter fundata eſſet, nam verbum Hebraicum כון *cun* eſt *firmiter ſtabilire*; *Booz* autem ſignificat *in ipſo fortitudo*.

V. 23. FECIT QUOQUE Hiram, ſcilicet architectus ærarius, de quo ſupra. DECEM CUBITORUM A LABIO USQUE AD LABIUM. Hæc eſt diameter, ſeu linea per tranſverſum dimetiens. RESTICULA, id eſt funiculus. TRIGINTA CUBITORUM: intelligendum eſt fere, quia diameter ad circumferentiam ſe habet ut ſeptem ad viginti duo, non ad viginti unum; ſed Scriptura minutias negligit.

V. 24. DECEM CUBITIS AMBIENS MARE. Quomodo decem cubitis ambiebat mare, quod triginta cubitos in circuitu colligebat? Expoſitionem ſuggerit Lib. II. Paralip. cap. IV. num. 3. *Decem cubitis*, inquit, *quædam extrinſecus cælaturæ, quaſi duobus verſibus alvum maris circuibant*. Significat, ex quo loco iſtius vaſis ambitus, quod ſemper anguſtius erat verſus fundum, ad decem cubitos redactum erat, ex eodem cælaturas ornamenti cauſa adhibitas. STRIATARUM. Striæ architectis ſunt canaliculi illi, ſive ſulci, quos in columnis aliquibus videmus, quas propterea ſtriatas vocant. Ut autem in ſtriatis columnis tertia pars altitudinis, quæ proxima eſt baſi, ſtrias habet, ſed non excavatas, reliquum autem longitudinis veras habet ſtrias, ita hæc ima pars maris, unde tertia pars ambitus eius incipiebat bipartito diviſa, quaſi duos ordines ſtriarum habuit, quales Villalpandus expreſſit.

V. 25. SUPER DUODECIM BOVES. Boves hi ænei ſolidi fuiſſe videntur, ut tanto ferendo ponderi maris ſcilicet æreï, & aquarum infuſarum pares eſſe poſſent. POSTERIORA, boum ſcilicet qui frontibus ad mare accedentes reſpiciebant.

V. 26. TRIUM UNCIARUM ERAT. Tres unciæ quatuor digitos faciunt, nam uncia eſt duodecima pedis pars, pes autem habet ſexdecim digitos, & tres unciæ ſunt quarta pedis pars, id eſt quatuor digiti, quæ menſura Græce dicitur παλαιστὴ, Latine *palmus*. Inde II. Paralip. IV. 5. dicitur craſſitudo vaſis huius fuiſſe palmi unius. QUASI LABIUM CALICIS. Intellige repandum, & modice flexum in exteriorem partem. DUO MILLIA BATOS CAPIEBAT. II. Paralip. IV. 5. dicitur: *Capiebat tria millia metretas*. In textu Hebræo utrobique eſt eadem vox בת *bat*. Ribera Lib. II. de Templo cap. XVI. cenſet mare æneum trium millium batorum, ſive metretarum capax fuiſſe, ſed tantum duo millia infundi ſolita, atque ita facile conciliantur textus, ut hoc capite de aquarum modo, qui adhiberi ſolebat, ſermo ſit; in Paralipomenis vero de aquis, quas explere ad ſummum uſque volenti, capere mare illud potuiſſet. Cui explicationi favet Paralipomenon textus, ubi ex Hebræo ad verbum habetur: *Fortificare facienti, capiebat batos tres mille*; quaſi dicatur: Si quis impleat vas quantum eſt, & uſque ad ſummum. Hæc explicatio eſt etiam Serarii. Salianus anno 6. Salomonis num. 69. Villalpandum, & alios quos citat ſecutus, ait duo fuiſſe genera batorum: alterum maius, quorum duo

duo millia caperet mare; alterum minus, quod cum proprio careret, nomine Græco metretam dixit Interpres, aitque fuiſſe inter utrumque proportionem ſeſquialteram, ut duo maiores, tres minores æquarent. Itaque hoc loco de maioribus batis, in Paralipomenis vero de minoribus eſſe ſermonem.

V. 27. FECIT DECEM BASES AENEAS, quibus imponerentur luteres, ſive conchæ, de quibus infra.

V. 28. INTERRASILE. Illud dicitur *interraſile*, quod per intervalla raditur, & exſculpitur. Opus interraſile vocatur *clauſum*, quod in eo ſculpturis intermedia ſpatia claudantur. SCULPTURAE. Eſt idem opus quod appellavit interraſile. INTER IUNCTURAS. Iuncturæ ſunt extremitates quibus tabulæ æneæ, ex quibus baſis conſtabat, iungebantur inter ſe.

V. 29. CORONULAS. Villalpandus nomine coronulæ peribolum intellexit, & in ſuo ſchemate depinxit, Tom. II. Lib. V. cap. XXXIX. Ribera vero de Templo Lib. II. cap. XVIII. coronulas, ſculpturas, & opus interraſile idem eſſe putat. PLECTAS. Ribera loco citato putat *plectas* eſſe iuncturas tabularum. Si coronulæ ſunt opus interraſile, dici poteſt plectas ſignificare ipſas coronulas floribus, aut ramuſculis implicatas, hoc enim πλεκτὸν eſt apud Græcos. QUASI. Sub baſi inter rotas erant quaſi lora ex ære dependentia, id eſt capita leonis, tauri, hominis, aquilæ, in ſingulis lateribus ſingula, quales ſunt metopæ in zophoris doricis, quibus capitibus utrimque quaſi mutuli additi erant, ut a medio capite ad extremum mutulum, ſive modiolum ſertum cum fructibus, foliiſque quoddam lorum dependeret. Ita Salianus anno Salomonis 6. num. 72.

V. 30. PER QUATUOR PARTES QUASI HUMERULI. In plano tabulato baſis ſub concha ſive lutere erant ſculpti leones, boves, & Cherubim, id eſt capita ſingulorum cum alis, quæ quaſi humeris concham ipſam ſuſtinerent. Vide apud Villalpandum figuram loco citato.

V. 31. OS LUTERIS. *Os luteris* vocatur id quod in ſuprema tabula baſis factum erat, ut exciperet ipſum luterem imponendum. Apud Villalpandum tamen non video quomodo quod hic dicitur expreſſum ſit. IN CAPITIS SUMMITATE, in altiore parte baſis. Quæ hic breviter dicuntur, plenius explicantur num. 35. ſequenti. QUOD FORINSECUS APPAREBAT, &c. Cum luter altitudinis haberet cubitum & dimidium, dimidius cubitus in ea cavitate includebatur, & latebat, & cubitus unus eminebat a ſinu, & extabat. PARITERQUE; id eſt, totum ſimul, & quod videbatur, & quod non videbatur. IN ANGULIS COLUMNARUM, angulis baſium, qui dicuntur anguli columnarum, quia ſub angulis ante erant; id eſt, quadratæ columnæ aliqua ſui parte extantes, ut in ſæpius memorato ſchemate Villalpandus exprimit. MEDIA INTER COLUMNIA QUADRATA, &c. Pars baſis quæ intercipiebatur inter columnas dictas, quadrata erat.

V. 32. COHAEREBANT SIBI: ſibi apte reſpondebant.

V. 33. CANTHI, ET MODIOLI. Modiolus eſt pars illa rotæ ex qua exiſtunt radii. Canthus eſt modioli extrema pars, ex qua axis eminet.

V. 35. EX SEMETIPSA; id eſt, non addititias, ſed ſimul cum ipſa fuſas.

V. 36. NON CAELATA, SED APPOSITA. Adeo eminentes erant, & extantes figuræ.

V. 37. FUSURA UNA, eodem artificio, eadem figura, menſura, &c.

V. 38. DECEM LUTERES AENEOS, &c. id eſt, decem labra fuſilia, ſive decem conchas. Facta ſunt hæc vaſa ad miniſterium ſacerdotum, & ablutionem victimarum, unde etiam nomen habent: nam λούω Græcis eſt *lavo*, *abluo*, & *luter* vas ad lotionem inſtitutum. ERATQUE QUATUOR CUBITORUM, ſcilicet per diametrum.

V. 39. AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI. Non erant luteres in templo, ſed in atrio ſacerdotali: ad dexteram tamen, atque ſiniſtram partem templi dicuntur conſtituti, quia dextera illius, vel ſiniſtra latera reſpiciunt. CONTRA ORIENTEM AD MERIDIEM: in ea parte atrii quæ orientem ſpectat, ad auſtrale tabernaculi latus.

V. 40. LEBETES, vaſa quibus victimarum carnes coquebantur, ut ollæ, chytropodes, &c. SCUTRAS. Genus vaſis profundi, & circularis, unde ſcutella diminutivum

tivum nomen derivatur. HAMULAS. Hamula, five amula, vas eſt ad ferendam, & fundendam aquam, urceus, aut urceolus.

V. 41. FUNICULOS CAPITELLORUM. *Funiculos* appellat faſcias illas de quibus ſupra diximus num. 17. Chaldæus vertit *vaſa rotunda columnarum*. Dixit *vaſa*, comparatione malogranatorum quæ continebant. Vide Villalpandum Tom. II. Lib. V. cap. XXI.

V. 42. MALOGRANATA QUADRINGENTA IN DUOBUS RETIACULIS, hoc eſt in retiaculis duorum capitellorum. DUOS VERSUS MALOGRANATORUM IN RETIACULIS SINGULIS; quaſi dicat, Bina retiacula in ſingulis coronamentis. Vide Villalpandum loco citato cap. XXII. AD OPERIENDOS FUNICULOS, &c. ut inſererentur cancellaturis funiculorum, ſive retiaculorum: cum enim aliquantulum malogranata prominerent, retiaculi faſcias quadantenus operiebant.

V. 45. DE AURICHALCO. Genus quoddam æris eſt aurichalcum colore aurum referens. Italice appellamus *ottone*.

V. 46. IN ARGILLOSA TERRA: argilla enim quæ maxime, & præ metallis omnibus igni reſiſtit, fuſioni aptiſſima eſt. INTER SOCOTH ET SARTHAN. Hæc duo loca ſita erant in tribu Gad trans Iordanem, ut videre eſt apud Adrichomium in deſcriptione tribus Gad, num. 43. & 44. Sarthan II. Paralip. IV. *Saredata* dicitur.

V. 47. ET POSUIT SALOMON OMNIA VASA, &c. ſuis ſcilicet locis, in atrio, vel in templo. In Hebræo hic verſiculus ita ſe habet, ut vertit Pagninus: *Et noluit ut ponderaretur Salomon omnia vaſa, propter multitudinem nimiam non eſt exploratum pondus æris.*

V. 48. QUAE ERANT IN DOMO DOMINI; id eſt, ad uſum domus Domini. ALTARE AUREUM. Altare thymiamatis dicitur fuiſſe aureum, quia aureis laminis erat obductum, interius enim erat ex cedro.

V. 49. CANDELABRA AUREA, &c. In tabernaculo Moſis unum tantum fuit candelabrum; at Salomon ad eius ſimilitudinem decem efformavit candelabra. De figura candelabri ſupra dictum eſt, ſcilicet Exodi XXV. num. 31. QUASI LILII FLORES, &c. Licet hic liliorum tantum audiatur nomen, exiſtimandum tamen eſt habuiſſe calamos, & ſcyphos, & ſphærulas, quæ ex candelabri ſtipite, ſive haſtili, ut olim in Moſaico, procederent. Ita facta fuiſſe candelabra patet ex II. Paral. IV. 7. ubi legimus: *Fecit autem & candelabra aurea decem ſecundum ſpeciem, qua iuſſa erant fieri*, nempe Moyſi.

V. 50. FORCIPES, HYDRIAS, FUSCINULAS, PHIALAS. ET MORTARIOLA. Quid hæ voces Latinæ ſignificent, apertum eſt: quia tamen non ita conſtat de Hebraicarum vocum ſignificatione, ideo Interpretes alii alio abeunt: *vel Fuſcinulas*, Pagninus, & Varablus verterunt *pſalteria*; *phialas* vero dixerunt *pelves*; *mortariola* autem *cochlearia*.

V. 51. ARGENTUM, ET AURUM, infectum quod ſupererat, nec fuerat in vaſa formatum.

TIRINI.

Verſ. 2. DOMUM SALTUS LIBANI. Chaldæus vertit *domum refrigerii Regum*. Erat domus ſuburbana & ſilveſtris, cincta arboribus & viridariis, & amœnitate ſua referens Libanum. Sic Tempe, ſeu Heſperidum horti dicuntur loca etiam alia, quæ mira florum aromatumque ſuavitas, & aura ſalubris perflat. Sic Euripi vocantur omnes aquarum ſinuoſi decurſus. Sic Academia, locus Athenis litteris, & litteratis illuſtrior, nomen dedit & villæ Ciceronis, ubi de rebus Philoſophicis frequens diſputatio: & tot aliis per orbem locis, in quibus doctorum virorum publici conventus. Ad eumdem modum *ſaltus Libani*, quia ceteris præluſtrior ac celebrior, nomen ſuum ſuburbano Salomonis attribuit. Ita Cajetanus, Abulenſis, Procopius, & alii, quorum nonnulli addunt, Salomonem iſtic ſuum armamentarium conſtituiſſe, quod colligitur ex cap. X. verſ. 17. collato cum cap. XIV. verſ. 28.

V. 13. HIRAM. Hic erat alter Beſeleel, de quo Exodi XXXI. quem, quod in ære conflando, cudendo, formandoque princeps ac magiſter eſſet, tam Salomon, quam Hiram Rex Tyri patrem ſuum vocitare ſolebant, ut patet Lib. II. Paral. cap. II.

cap. II. verſ. 13. & cap. IV. verſ. 16. Erat hic natus matre de tribu Dan, ut dicitur Lib. II. Paralip. cap. II. verſ. 14. & patre de tribu Nephthali, ut hic (& in Hebræo expreſſius) dicitur: qui tamen Tyrius vocabatur, ob diuturnam iſtic habitationem, & artis ſuæ exercitium. Ita ſanctus Hieronymus ex traditione Hebræorum, & Ioannes Mariana.

V. 15. FINXIT DUAS COLUMNAS AEREAS, DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS. Numerus perfectus pro imperfecto: nam ſingulæ tantum erant ſeptemdecim cubitorum cum medio, ut conſtat ex II. Paralipom. III. 15. ubi hæ columnæ ſimul ambæ dicuntur habuiſſe triginta quinque cubitos altitudinis. Ita Vatablus, Abulenſis, Ribera, Mariana, & Sanctius. LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE. Hic *linea* ponitur non pro faſcia vel ſpira, quæ fuerit columnarum ornamentum, ſed pro menſura, quæ ut totam columnæ peripheriam ſeu circumferentiam amplecteretur, neceſſe erat haberet duodecim cubitos longitudinis: ut explicat Joſephus *a*, dum ait ſingularum ambitum, ſeu circumferentiam fuiſſe duodecim cubitorum. Unde etiam colligitur quanta fuerit columnarum craſſities, nempe quatuor circiter cubitorum, quæ eſt tertia pars duodecim cubitorum: diameter enim fere tertia pars eſt circuli. Ierem. LII. dicuntur hæ columnæ intrinſecus concavæ fuiſſe, & ſpiſſitudinem ſeu groſſitiem habuiſſe quatuor digitorum. Columnis capitella impoſuit operis ſane elegantiſſimi, quod nos Ionicum vocamus; & ſingulis appendit binos ordines malogranatorum, in quorum ſingulis erant malogranata triginta ſex, ut expreſſe habet Ieremias, ſupra verſ. 23. licet hoc loco numerus perfectus pro imperfecto ponatur, & in ſingulis ordinibus dicantur fuiſſe centum malogranata. Porro formam horum capitellorum graphice deſcribit, & iconibus exprimit Villalpandus *b*, uti & alia huius capitis.

V. 21. Has DUAS COLUMNAS STATUIT IN PORTICU, ſeu veſtibulo TEMPLI. Eam quæ a dextris erat, VOCAVIT IACHIN, id eſt firmiter directam, ſeu ſtabiliram; quæ a ſiniſtris, BOOZ, id eſt *in eo fortitudo*. Quaſi dicat: Hæc duo maxime exopto, atque a Deo depoſco, tum templo, tum mihi, meiſque ſucceſſoribus, tum populo univerſo.

V. 26. GROSSITUDO, ſeu ſpiſſitudo, LUTERIS, id eſt lavatorii (quod verſ. 23. propter ingentem capacitatem vocarat mare æneum) ERAT TRIUM UNCIARUM. II. Paralipom. IV. 5. dicitur vaſtitas eius habuiſſe menſuram palmi, nempe minoris ſeu contracti, qui conſtat quatuor digitis. Porro tres unciæ, ſeu quarta pars pedis, erant quatuor digiti, ſeu palmus. Ergo craſſities huius maris ænei eadem erat cum craſſitie columnarum ſupradictarum. Reliqua huius capitis ad architectonicam ſpectantia, vide Exodi XXXVIII. & Ezech. XL. & ſeqq. capp. & apud Villalpandum. DUO MILLIA BATOS CAPIEBAT. At in Lib. Paralipomen. ſupra dicitur: *Capiebat tria millia metretas*: quæ eadem eſt menſura cum *bato*. Nimirum erant illi bati vulgares, tertia parte minores batis ſacris. Ita Mariana. Niſi malis dicere cum Emanuel Sa, ſolere infundi ſolum bis mille batos, licet capere poſſet tria millia.

V. 28. INTERRASILE vocatur opus quod ita ſculptum eſt ut aliquid in eo ſit planum & raſum, & deinde reliquæ cælatæ rerum formæ emineant; verbi gratia, lilia, palmæ, aliaque emblemata.

V. 29. CORONULAE ſunt illæ quaſi faſciæ & limbi, qui abacos concludunt & continent: quæ *plectæ* tum vocantur cum variis aut intexuntur floribus, aut lineis & loris laqueantur. Latini *plexas* dicunt, ſeu nexas coronas, aut ſutiles ſeu nexiles flores. De quibus Lib. I. Machabæor. IV. 57. *Ornaverunt faciem templi coronis aureis & ſcutulis*.

V. 40. FECIT QUOQUE SCUTRAS. Scutra genus eſt vaſis profundi, & circularis, unde ſcutella diminutiva forma derivatur. Differt autem ſcutra a lebete, quod ſcutra latior ſit quam profundior, lebes non item; ut videre eſt in noſtris ollis, chytrapodibus, &c. HAMULA, vel, ut alii, *amula*, vas eſt ad ferendam aquam, vel vinum, cuius erat uſus in ſacrificiis. Latini *urceolos* vocant: quales ſunt quibus in ſacrificio Miſſæ aquam, & vinum ſubminiſtramus. II. Paralipom. IV. verſ. 16. adduntur etiam *phialæ & creagræ*. Phiala vas erat latum & amplum, ad excipiendum victimarum ſanguinem. Creagra uncinus

cinus eſt ſeu tridens, quo (ut nomen Græcum indicat) ex olla ſeu lebete carnes extrahuntur.

V. 45. OMNIA VASA QUAE FECIT HIRAM.... DE AURICHALCO ERANT. Liber Paralip. loco citato dicit, *ex ære mundiſſimo* facta omnia. Et ita etiam hic eſt in Hebræo. Erat ſpecies æris nobilioris, quale poſtea Corinthium fuit, admixtione argenti, ſorſan & auri, notiſſimum. De hoc legimus II. Reg. VIII. Regem Davidem *de Bete & de Beroth civitatibus Adarezer* tuliſſe *æs multum nimis* : de quo fecit Salomon omnia vaſa ærea in templo, & mare æneum, & columnas, & altare. Quod ſi Joſepho *c* fides habenda, genus illud æris maiori erat in pretio, quam vulgare aurum. Et favet quod I. Eſdræ VIII. 27. dicitur, *Vaſa æris* fuiſſe *pulchra ut aurum*.

(*a*) Joſeph. Lib. VIII. Antiq. cap. 12.
(*b*) Villalp. Lib. II. in Ezech.
(*c*) Joſeph. Lib. VII. Antiq. cap. VIII.

CORDONI.

Verſ. 1. EXpleto undecimo anno Salomonis, mox ſpatio tredecim annorum ædificat domum regiam: quibus exactis ſic vigintiquatuor annis, ſupererunt adhuc Salomoni ſexdecim anni.

V. 3. Camera videtur eſſe ſuprema pars domus, in qua tres erant ordines columnarum.

V. 13. MISIT SALOMON, & vocavit ad ſe Hiram artificem inſignem in ære conflando, & formando; qui verſ. 15. finxit duas columnas cavas æreas, unam vocavit *Iachim* (*firmitatem*) alteram *Booz*(*robur*) quas Jeremias cap. LII. verſ. 21. deſcribit, & ait ablatas a Chaldæo. Ambitum columnæ, duodecim cubitorum ſcribit Joſephus Lib. VIII. cap. 11. quod etiam hic ſignificatur verſ. 15. ac proinde diameter erat quatuor cubitorum. At Lib. II. Paralip. cap. III. verſ. 14. dicuntur columnæ habere altitudinem 35. cubitorum: aliter hic verſ. 15. tantum ſunt 18. cubiti, ut etiam apud Jerem. Reſpondent Villalpandus, Caietanus, & Abulenſis in Lib. Paralipom. comprehendi baſes, capitella, & lilia; ac ſic creſcere altitudinem. Non moror.

V. 17. SEPTENA VERSUUM RETICULA. *Versuum* non eſt in Hebræo. Mariana putat hinc perturbari ſenſum: de hoc iudicent alii. Senſus certe clarus: Septem retiacula in capitello. Verſus deſignant ordines & converſiones circulorum ambientium recurſu capitella: & magis hoc explicat verſ. 42.

V. 23. FECIT... MARE FUSILE. Vas ingens ex ære conflatum, aptum ſacrificiis, mare æneum eſt. Quomodo vero factum dicatur ex ſpeculis mulierum, dixi Exod. XXXVIII. verſ. 8. RESTICULA. Hebr. קו *kau*, funiculus ambiens, ſeu filum menſorium: erat 30. cubitorum in circuitu.

Superſunt reliquo capite voces tantum obſcuriores. Sic verſ. 24. SCULPTURAE STRIATAE, hoc eſt excavatae. Item verſ. 26. LUTER (ab abluendo) TRIUM UNCIARUM, hoc eſt palmi unius: ſic tres unciæ pedis, ſeu tres pollices, efficiunt quatuor digitos, ſeu palmum unum. FOLIUM REPANDI LILII; hoc eſt, labium luteris erat ut flos lilii ſe modice incurvantis. BATOS, & ephi, menſura eadem. Ezechiel. XLVI. verſ. 11. Porro ex verſ. 28. OPUS BASIUM INTERRASILE ERAT, hoc eſt ſculptum, & inciſum; ſed variegatum, ſeu habens aliquid planum, & aliquid eminens. *Iunctura* ſunt limbi quibus variæ rerum effigies claudebantur. Ex verſ. 29. *Coronulæ* ſunt plectæ ex variis contextæ floribus. LORA, retinacula iumentorum. Item verſ. 31. OS QUOQUE LUTERIS. Luter & concha idem. Ceterum hunc verſum reponit, & explicat verſ. 35. Itaque in capitis ſeu baſis ſummitate erat os & cavitas excipiens impoſitum luterem: & cubito uno extabat luter; medio vero cubito includebatur in illa cavitate. Item verſ. 40. SCUTRAS poſuit, hoc eſt ſcutellas. HAMULAS aliqui phialas interpretantur. Verſ. 41. *Funiculi* vero duo *capitellorum* (LXX. τὰ φοντὰ, *vertibilia*) putantur deſignare ipſa funiculis circumdata, & rotunda vaſa, ſuper capita columnarum; ſed de hoc, iudicium aliis libenter relinquo. Tandem verſ. 42. DUO VERSUS, ordines ſunt malogranatorum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. SALTUS LIBANI. Erat domus hæc

hæc regia in orientali parte montis Sion: & appellata eſt *Saltus Libani*, vel quod ad Libanum proſpectaret, indeque auram exciperet; vel quod ad eam Sionis partem urgeret, quæ inſtar Libani erat nemoroſa. CENTUM CUBITORUM. Non eſt facile inire rationem ut omnia cohæreant in hac ſtructura. Vide tamen Villalpandum Tom. II. pag. 2. lin. 5. cap. x.

V. 14. DE TRIBU NEPHTALI. Obſtat locus II. Paralipom. 11. 14. ubi ponitur de filiabus Dan. Reſpondeo: Dan non accipi pro tribu, ſed pro civitate huius nominis, quæ erat in tribu Nephtalim ad fontem Iordanis.

V. 15. De hac vaſorum forma & ſtructura, qui plura deſiderat, legat Villalpandum Tom. II. Lib. V.

CAPUT VIII.

Templum introducta in ipſum arca dedicatur, nebula illud implente. Salomon poſt longam orationem populo benedicit: numerus boum & ovium immolatarum hac celebri feſtivitate.

1. TUnc (*a*) congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſrael, ad Regem Salomonem in Ieruſalem: ut deferrent arcam fœderis Domini, de civitate David, id eſt de Sion. 2. Convenitque ad Regem Salomonem univerſus Iſrael * in menſe Ethanim, in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. 3. Veneruntque cuncti ſenes de Iſrael, & tulerunt arcam ſacerdotes, 4. & portaverunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea ſacerdotes & levitæ. 5. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oves & boves abſque æſtimatione & numero. 6. Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum ſanctorum, ſubter alas Cherubim. 7. Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam & vectes eius deſuper. 8. Cumque eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinſecus, qui & fuerunt ibi uſque in præſentem diem. 9. In arca autem non erat aliud, (*b*) niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſrael, cum egrederentur de terra AEgypti. 10. Factum eſt autem, cum exiſſent ſacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, 11. & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. 12. Tunc ait Salomon: (*c*) Dominus dixit ut habitaret in nebula. 13. AEdificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum. 14. Convertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael: omnis enim eccleſia Iſrael ſtabat. 15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſuo ad David patrem meum, † & in manibus eius perfecit, dicens: 16. A die qua eduxi populum meum Iſrael de AEgypto, non elegi civitatem de univerſis tribubus Iſrael, ut ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi: ſed elegi David ut eſſet ſuper populum meum Iſrael. 17. (*d*) Voluitque David pater meus ædi-

ædificare domum nomini Domini Dei Iſrael: 18. & ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans. 19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo. 20. Confirmavit Dominus ſermonem ſuum, quem locutus eſt: ſteti que pro David patre meo, & ſedi ſuper thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus: & ædificavi domum nomini Domini Dei Iſrael. 21. Et conſtitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini eſt, quod percuſſit cum patribus noſtris, quando egreſſi ſunt de terra AEgypti. 22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conſpectu eccleſiæ Iſrael, & expandit manus ſuas in cælum, 23. & ait: Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui Deus in cælo deſuper, & ſuper terram deorſum: qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſervis tuis, * qui ambulabant coram te in toto corde ſuo. 24. Qui cuſtodiſti ſervo tuo David patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perfeciſti, ut hæc dies probat. 25. Nunc igitur Domine Deus Iſrael, conſerva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, dicens: (*e*) Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſrael: ita tamen ſi cuſtodierint filii tui viam ſuam, ut ambulent coram me ſicut tu ambulaſti in conſpectu meo. 26. Et nunc Domine Deus Iſrael firmentur verba tua, quæ locutus es ſervo tuo David patri meo. 27. Ergone putandum eſt quod vere Deus habitet ſuper terram? ſi enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? 28. Sed reſpice ad orationem ſervi tui, & ad preces eius, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem, quam ſervus tuus orat coram te hodie: 29. ut ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die: ſuper domum, de qua dixiſti: (*f*) Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus. 30. Ut exaudias deprecationem ſervi tui & populi tui Iſrael, quodcumque oraverint in loco iſto; & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cum exaudieris, propitius eris. 31. Si peccaverit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur aſtrictus; & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, 32. tu exaudies in cælo: & facies, & iudicabis ſervos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput eius, iuſtificanſque iuſtum, & retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam. 33. Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo, venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac; 34. exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum. 35. Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & a peccatis ſuis converſi fuerint propter afflictionem ſuam: 36. exaudi eos in cælo, & dimitte peccata ſervorum tuorum, & populi tui Iſrael: & oſtende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluviam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem. 37. Fames ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obſidens, omnis plaga, univerſa infirmitas, 38. * cuncta devotatio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Iſrael: ſi quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, 39. tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des uni-

unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) 40. ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 41. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum 42. extentum, ubique) cum venerit ergo, & oraverit in hoc loco, 43. tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, & probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificavi nomini tuo, 45. & exaudies in cælo orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum. 46. Quod si peccaverint tibi ((g) non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, 47. & egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, & conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus: 48. & reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: & oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & civitatis quam elegisti, & templi quod ædificavi nomini tuo: 49. exaudies in cælo, in firmamento solii tui, orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum: 50. & propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te: & dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. 51. Populus enim tuus est, & hereditas tua, quos eduxisti de terra AEgypti, de medio fornacis ferreæ. 52. Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, & populi tui Israel, & exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. 53. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de AEgypto, Domine Deus. 54. Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum. 55. Stetit ergo, & benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens: 56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo, ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen servum suum. 57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proiiciens. 58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis eius, & custodiamus mandata eius, & cæremonias eius, & iudicia quæcumque mandavit patribus nostris. 59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat iudicium servo suo, & populo suo Israel per singulos dies: 60.* ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est ultra absque eo. 61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius, sicut & hodie. 62. Igitur Rex, & omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino. 63. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas im-

molavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia: & dedicaverunt templum Domini Rex & filii Iſrael. 64. In die illa ſanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum. 65. Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtivitatem celebrem, & omnis Iſrael cum eo, multitudo magna ab introitu Emath, uſque ad rivum AEgypti, coram Domino Deo noſtro, ſeptem diebus, & ſeptem diebus, id eſt quatuordecim diebus. 66. Et in die octavâ dimiſit populos: qui benedicentes Regi, profecti ſunt in tabernacula ſua lætantes, & alacri corde ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David ſervo ſuo, & Iſrael populo ſuo.

(a) II. Paralip. v. 2. (b) Exod. xxxiv. 27. Hebr. ix. 4. (c) II. Paralip. vi. 1. (d) II. Reg. viii. 5. (e) II. Reg. viii. 12. (f) Deuter. xii. 11. (g) II. Paralip. vi, 36. I. Ioan. i. 8. Eccleſ. viii. 21.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. *In menſe Ethanim.* Non ſcribas, præpoſita littera *B*, *Bethanim*, pro *Ethanim*.

V. 23. *Qui ambulabant coram te in corde ſuo.* In aliis libris eſt præſens *ambulant*, pro præterito imperfecto *ambulabant*.

V. 28. *Cunctia devotatio, & imprecatio.* Spurium eſt, quod quidam ſcribunt r liquida, *devoratio*, quod eſt conſumptio, pro r muta *devotatio*, quod eſt votum, ſive oratio.

V. 60. *Ut ſciant omnes populi terra.* Non mutes *ut* coniunctionem cauſativam cum copulativa &.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 15. *Et in manibus eius perfecit.* Quidam libri habent *& in manu ſua perfecit*, vel *manibus ſuis perfecit*, quod videtur eſſe congruentius, quia de manibus Dei ſermo eſt, ut conſtat infra verſ. 24.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. ETHANIM, id eſt ſeptembri: ſic dicitur ob fruges quibus vita fortificatur: *ethanim* enim *fortes*: dicitur & alibi *Tiſri*. Chald. *quem veteres vocabant menſem primum*. Nota, quod etſi templum nondum erat omnino perfectum, ut dictum eſt ſup. cap. VI. voluiſſe Salomonem dedicare ſeptimo menſe, quod in eo ob feſta præcipua ſoleret populus ad templum confluere.

V. 4. PORTAVERUNT, ſcilicet in Sancta ſanctorum. TABERNACULUM, ſcilicet quod Moyſes fecerat, ut ait Joſeph. VIII. Antiq. ego tamen non video cur non poſſit intelligi illud quod fecerat David, de quo I. Paralip. 15. SACERDOTES: hi arcam. LEVITAE: hi reliqua vaſa.

V. 7. PROTEGEBANT, id eſt tegebant.

V. 8. ULTRA; quaſi dicat: Præter extrema nihil eorum apparebat: ſcilicet erant immiſſi per minora arcæ latera, ſeu ſecundum latitudinem, adeoque recti tendebantur in frontem oraculi.

V. 9. ALIUD, ſcilicet ex tota lege. Vide II. Paralipom. v. & Hebr. IX.

V. 10. SANCTUARIO, id eſt Sancto ſanctorum.

V. 12. DIXIT, ſcilicet Levit. XVI.

V. 13. FIRMISSIMUM, id eſt ſtabile, ſcilicet non amplius mutandum, ut ſolebat. Hebr. Chald. & LXX. *paratum*. SEMPITERNUM, id eſt tempus longiſſimum.

V. 14.

V. 14. BENEDIXIT; id eſt, bene precatus eſt.

V. 15. MANIBUS EIUS. Alii, *Manu ſua*. Chald. *Voluntate ſua*.

V. 16. ELEGI, ſcilicet uſque ad hoc tempus. ESSET NOMEN, id eſt invocaretur, ſeu diceretur de nomine meo, ſcilicet domus Dei. Sic infra.

V. 22. STETIT: ſcilicet compoſuit ſe in atrio populi flexis genibus. Vide infra. ALTARE, ſcilicet holocauſti.

V. 24. MANIBUS, id eſt opera, ſeu potentia. Vide ſupra verſ. 14.

V. 25. CORAM ME, ſcilicet facientes quæ iubeo.

V. 27. SUPER TERRAM? quaſi dicat, Tam parvo huius templi loco? CAELI CAELORUM; quaſi dicat, Supremi cæli.

V. 28. HYMNUM, id eſt laudem. Alii, *Clamorem*, *præconium*, *votum*.

V. 29. OCULI TUI; quaſi dicat, Providentia ſingularis, & favor. ERIT NOMEN MEUM, id eſt colar, & invocabor.

V. 31. SI PECCAVERIT, &c. Hebr. Chald. & in LXX. ſenſus eſt: Cum quis proximo aliquid debuerit, ob quod ab illo cogatur iurare, & ad iurandum venerit ad locum iſtum, &c. IURAMENTUM, ſcilicet faciendum.

V. 32. IUSTIFICANS; id eſt, oſtendens eſſe iuſtum, vel abſolvens iuſtam cauſam habentem.

V. 33. PECCATURUS EST. Hebr. & Chald. *Peccaverit*. AGENTES POENITENTIAM. Hebr. Chald. & LXX. *Converſi ad te*. CONFITENTES, &c. id eſt te laudantes, ſeu tibi gratias agentes. VENERINT, ſcilicet qui domi relicti fuerant, aliis in bellum profectis: vel *venerint*, ſcilicet corde huc converſi, vel poſt fugam reverſi.

V. 35. POENITENTIAM EGERINT. Hebr. Chald. & LXX. *Confeſſi fuerint*.

V. 36. ET POPULI; pro, id eſt populi.

V. 37. CORRUPTUS AER. Alii, *Ariditas*, vel *ventus urens*. LXX. *Incendium*. Chal. ut Noſter. AERUGO, vitium eſt ſpicarum. RUBIGO. Hebr. & Chald. *Bruchus*.

V. 38. DEVOTATIO, ET IMPRECATIO, id eſt votum, & oratio. IN DOMO, id eſt ad domum, ſcilicet converſus.

V. 39. REPROPITIABERIS. Hebr. & Chald. *Parces*. Sic & infra.

V. 42. IN HOC LOCO, ſcilicet in atrio alienigenarum converſus huc: erat enim poſt atrium populi, ſcilicet fidelis, aliud atrium infidelium.

V. 43. TIMERE. Hebr. Chald. & LXX. *Et timeant te*.

V. 44. CONTRA, id eſt verſus. Sic infra.

V. 45. FACIES IUDICIUM; id eſt, ulciſceris iniurias. Sic infra.

V. 47. EGERINT POENITENTIAM IN CORDE SUO. Hebr. & Chald. *Redierint ad cor ſuum*. LXX. *Converterint corda ſua*.

V. 48. CONTRA VIAM; pro, converſi ad viam.

V. 56. CECIDIT; id eſt, fuit irritus. BONIS, ſcilicet ſermonibus; quaſi dicat, Promiſſionibus.

V. 57. PROIICIENS. Hebr. *Deſerens*. Chald. *Elongans*. LXX. *Avertens*,

V. 58, ET CUSTODIAMUS; pro, id eſt cuſtodiamus. CAERIMONIAS. Heb. *ſtatuta*.

V. 59. APPROPINQUANTES, id eſt grati, ſeu impetrantes. FACIAT IUDICIUM; id eſt, in cauſis faveat.

V. 60. ULTRA, id eſt alius.

V. 61. NOSTRUM. Sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *veſtrum*: iuxta quam lectionem legendum etiam, *Ambulctis*, & *cuſtodiatis*. CUM DOMINO, id eſt coram Domino, vel iuxta voluntatem Domini.

V. 64. SANCTIFICAVIT; id eſt, curavit ſanctificandum per Pontificem, ut poſſent tot hoſtiæ immolari. MEDIUM, ſcilicet pavimentum. ANTE DOMUM, ſcilicet inter templum & altare holocauſtorum. AEREUM. Erat quidem lapideum, ſed ære veſtitum.

V. 65. EMATH, quæ poſtea *Antiochia* dicta ſecundum quoſdam. RIVUM, ſcilicet Rhinocoluram. Vide Gen. XV. QUATUORDECIM, ſcilicet ſeptem ob dedicationem, & ſeptem ob feſtum tabernaculorum.

V. 66. OCTAVA, ſcilicet poſt ſeptem dies poſteriores profecti, ſcilicet die ſequenti, quæ erat viceſimus tertius menſis: nam feſtum tabernaculorum incipiebat decimoquinto. Quidam tamen intel-

RIS SANCTUARIUM. Hebr. *Et videbantur capita vetlium ex ſanctuario*, id eſt ſanctuario. NON APPAREBANT ULTRA EXTRINSECUS. Hebr. *Et videbantur exterius*, id eſt extracti, & ſeparati ab arca: id enim in lege vetitum erat.

V. 9. NON ERAT ALIUD, ſcilicet ex tota lege, præter duas tabulas. Alioqui urna, manna, & virga in arca erant; aut certe hæc prope arcam erant, non intra.

V. 15. ET IN MANIBUS EIUS. Heb. *manu ſua*. *Manus* pro opere; quaſi dicat: Quod ore dixit, opere implevit Deus. Sic verſ. 24. ubi eadem ſententia repetitur.

V. 19. DE RENIBUS TUIS. Hebr. *De lumbis tuis qui egredietur, ædificabit mihi domum.*

V. 27. CAPERE NON POSSUNT. Hebr. *Suſtinere*. Sic Chald. Sept. *Non ſufficiunt tibi cæli*: non te capiunt.

V. 29. OCULI TUI, id eſt providentia. SUPER DOMUM, DE QUA DIXISTI: ERIT NOMEN MEUM IBI; id eſt, ibi volo nominari, & invocari; locum orationis eſſe conſtituo. Hinc intelliges quid ſit, quod ſæpe repetitur, *Ædificare domum nomini Domini*. Ex eò collige, Deum eo loco ſuſus orationes exaudire magis quam locis aliis. Aut alio modo: *Erit nomen meum ibi*: quia vocabitur nomine meo, hoc eſt *domus Dei*, ut domus privata, Petri, aut Pauli dicitur. Sic illud Iſai. IV. 1. *Tantummodo invocetur ſuper nos nomen tuum*; id eſt, vocemur uxores tuæ. Qui peccaverit,

V. 31. ET VENERIT PROPTER IURAMENTUM CORAM ALTARI, ſcilicet ad confirmandum iuramentum, illud fecerint coram altari in domo hac.

V. 32. TU EXAUDIES IN CAELO. Hebr. *Exaudies cælo*, pro *in cælo*, ſeu de cælo. Elias in Thisbi in radice שמים affert cabaliſtas qui dicant, cælum eſſe unum e nominibus Dei, ut perinde ſit ac ſi diceret: *Tu exaudies cælum*, id eſt Deus.

V. 33. SI FUGERIT POPULUS TUUS, cum cæſus fuerit. Hebr. Chald. & Sept. *Cum corruerit*. QUIA PECCATURUS EST TIBI. Hebr. *Quia peccabunt tibi*, id eſt in te. Fieri non poteſt quin aliquando contingat, ut ſunt homines. CONFITENTES NOMINI TUO; id eſt, te laudantes venerint ad hoc templum.

V. 35. POENITENTIAM EGERINT. Hebr. *Confeſſi fuerint*: ſic Sept. & Chaldæus. Si fuerit peſtis, aut

V. 37. CORRUPTUS AER. Pagn. *Ariditas*. RUBIGO. Pagn. *Bruchus*. Voces Hebr. *ſidaphon & ierakon, plagam frugum & frugum* ſignificant. Sic Hebræus.

V. 38. CUNCTA DEVOTATIO. Heb. *Oratio*. QUAE ACCIDERIT. Hebr. *quæ fuerit*. OMNI HOMINI DE POPULO TUO ISRAEL. Hebr. *omni homini*, לכל *omni populo tuo Iſrael*. Sed poſteriusoppoſitive ſumatur, ut ſit explicatio eius quod dixerat, *omni homini*. SI QUIS COGNOVERIT PLAGAM CORDIS SUI. Heb. *Qui cognoverit vir* (quiſque) *plagam cordis ſui*, id eſt malum quod patitur, aut fecit.

V. 42. ORAVERIT IN HOC LOCO: qui fuerit de terra longinqua. Erat atrium infidelium inter alia atria, in quod alienigenæ admittebantur, ſeu atrium gentium.

V. 43. IN FIRMAMENTO HABITACULI TUI. Pro voce מכון *mechon* verſ. 39. poſuit *locum*, hic *firmamentum*; ſed proprie ſignificat *locum firmum*. Sept. utrobique, *de parato habitaculo tuo*. Chald. *de loco domus maieſtatis tuæ*: exaudies ſcilicet.

V. 45. ET FACIES IUDICIUM EORUM; id eſt, facies quod ipſi iudicant, & petunt contra hoſtes ſuos: vindicabis eos.

V. 47. ET EGERINT POENITENTIAM IN CORDE SUO, ſcilicet qui captivi fuerint. Hebr. *Et redierint ad cor ſuum*: ſic Chald. ſcilicet in loco captivitatis. Et oraverint

V. 48. CONTRA VIAM; pro, converſi ad viam terræ ſanctæ. Ii quos eduxiſti

V. 51. DE MEDIO FORNACIS FERREAE. Vox Hebr. כור *cur* eſt *fornax*, non promiſcue, ſed vas ubi metalla liquantur, & purgantur. Hiſpan. *Criſol*. Sic vocat oppreſſiones AEgyptiacas, quibus quaſi igne ſunt probati Iſraelitæ. Mactavit Salomon hoſtias

V. 63. OVIUM. Chald. *pecudum*, idque vox צאן *zon* ſignificat proprie. ET DEDICAVERUNT. *Dedicare* eſt uti incipere aliqua re, ſed cum aliqua ſolemnitate. Sic Hebræus. Itaque non templum ſolum dedicari dicitur, ſed domus, ſed vinea.

V. 64.

V. 64. SANCTIFICAVIT REX MEDIUM ATRII. Hebræus vocem sanctificandi sumit in eadem significatione dedicandi. Ergo *sanctificavit*; id est, cœpit ibi offerre sancta. MEDIUM ATRII; id est, interiora sanctificavit: nam ibi oblatæ sunt hostiæ: vel pavimentum ipsum, quoniam tam multas hostias non capiebat altare, ut statim dicitur. ALTARE AEREUM, scilicet ære vestitum, non capiebat tam multas hostias, ideo atrium est sanctificatum.

V. 65. MULTITUDO MAGNA interfuit dedicationi. AB INTROITU EMATH. Ea est Antiochia, terminus septemtrionalis eius provinciæ. USQUE AD RIVUM AEGYPTI: terminus ad austrum, alio nomine *Rhinocorura*, Gen. xv. vers. 18. SEPTEM DIEBUS, ET SEPTEM DIEBUS fecit Salomon festum. Septem ob dedicationem, septem ob festum tabernaculorum.

V. 66. IN DIE OCTAVA, scilicet vigesimatertia mensis septimi. II. Paralip. VII. vers. 10. plura. Profecti ergo sunt vigesimatertia, sed vigesima secunda, id est octava, ex quo venerant, sunt dimissi. BENEDICENTES REGI. *Benedicere* hic est *laudare*, aut *valedicere*.

MALVENDAE.

Vers. 1. DE CIVITATE DAVID. Vide II. Samuel. v. 9.

V. 2. IN MENSE ETHANIM. Alio nomine ab Hebræis dicitur תשרי *Tischri*: partim in septembrem, partim in octobrem incidit. De notione nominis אתנים *ethanim* varie differunt. I. *In mense fortium*: quia in eo posita fuerunt fortissima mundi, id est fundamenta terræ, montes scilicet, & elementa, quibus orbis continetur. Quidam Hebræorum septembri mundum creatum putarunt: quod & plerique nostrorum sequuntur. II. *In mense fortium*: quod in eum mensem inciderent crebra & magna festa tabernaculorum, expiationis, dedicationis templi. III. *In mense fortitudinum*, seu *virium*: quod videlicet eo mense omnia ad maturitatem & summum incrementum perveniunt. IV. *In mense robustum*, ac *virium*: quia tunc colliguntur frumenta, vinum, ac ceteræ fruges, quibus confirmatur ac roboratur vita humana. V. *In mense fortium*, seu *robustorum*: quod eo tempore incipiant procellæ, & inclementiæ cæli excitari, ad quas perferendas fortitudine ac robore opus sit. VI. *In mense fortium*, seu *robustorum*: quod eo mense dignoscantur fortes ac robusti, qui ægritudinibus & morbis autumni, qui tum grassari incipiunt, resistant. VII. *In mense potentum*: quia scilicet fortes & potentes Israelis eo mense tulerunt arcam in templum, ubi validæ ac efficaces quoque factæ sunt preces, & multa sacrificia immolata coram potenti arca fœderis Dei: ut ex præsenti occasione in sempiternam rei memoriam hoc nomine mensis ille deinceps donaretur. VIII. *In mense horridorum*, aggerum, id est septembri, quo cellectis totius anni proventibus, agri inculti horrescunt. Sic Deuteronom. XXI. 4. Nos verbo propius reddemus, *In mense duritierum*, vel *duritiarum*: quod tunc fructus naturalem duritiem, & maturitatem indipiscantur, & corpora, ac res omnes frigore indurescere & consolidari incipiant, quæ æstatis calore dissolvebantur. IN SOLEMNI DIE. Quidam putant fuisse festum expiationis, quod decima die mensis septimi, seu ethanim agitabatur, Levit. XXIII. 27. Alii volunt fuisse festivitatem tabernaculorum, quæ in quintam decimam diem eiusdem mensis incidebat, Levit. XXIII. 34. & XXXIX. ut colligitur e vers. 65. infra. Vide II. Paralipom. VII. 9. IPSE EST MENSIS SEPTIMUS, anni sacri & ecclesiastici ex institutione divina, Exodi XII. 2. nam anni civilis & sæcularis primus erat. Vide Notas in eum Exodi locum.

V. 3. ET TULERUNT ARCAM SACERDOTES, Levitici ordinis, ideo Levitæ dicuntur II. Paralipom. V. 5. Erant enim omnes sacerdotes Levitæ, id est Levitici generis & tribus: non tamen omnes Levitæ erant sacerdotes. Vide Notas in II. Paralipom. v. vers. 4.

V. 4. ET PORTAVERUNT ARCAM DOMINI, nimirum ex Tziion, civitate Davidis, supra vers. 1. ET TABERNACULUM FOEDERIS, nimirum illud quod Moses construxerat, ut annotat Iosephus, tulerunt ex Gabaone, ubi tunc erat, I. Paralipom. XVI. vers. 39. & cap. XXI. vers. 29. & II. Paralipom. I. vers. 3. & 6. Alii, illud quod arcæ tetenderat David

in

in monte Tzion, II. Samuel. VI. verſ. 17. Sed hoc non invenitur dictum *Tentorium conventus*, ut illud Moſaicum. Forte utrumque religionis cauſa in templum illatum, ut ibi tanquam res ſacræ aſſervarentur. ET FEREBANT EA SACERDOTES ET LEVITAE. Exponunt, Id eſt quiſque pro munere & functione ſua, Numeror. IV. nam etſi eo loco nihil de ſacerdotibus legitur; tamen certum eſt, aucto ſacerdotum numero, portandi arcam munus illis impoſitum fuiſſe Deuteronom. XXXI. verſ. 9. Ergo ſacerdotes portabant arcam ipſam; levitæ vero reliqua vaſa, & inſtrumenta tabernaculi. Vide Levit. IV. verſ. 15. Quidam aiunt, levitas portare arcam uſque ad fores ipſius templi, inde vero uſque intro adytum intuliſſe ſacerdotes.

V. 5. QUAE CONVENERAT AD EUM, GRADIEBATUR CUM ILLO. Hebr. *Convenientes ſuper eum, ad eum.* Quidam: *Quæ convenerat ad eum, erat cum eo*: vel *erat iuxta, apud, ipſum*. Alii: *Convenientes ad eum, ſecum erant*. Nonnulli: *Qui ad eum convenerant, cum eo erant*. Aliqui: *Qui convenerant ad eum, cum ipſo euntes coram arca*, &c.

V. 8. CUMQUE EMINERENT VECTES. Hebr. *Et prolongaverunt vectes*; ſubaudiunt, in partem anteriorem verſus introitum oraculi. Non totos extraxerunt, ſed partem dumtaxat eorum. Vectes in extremitatibus arcæ per tranſverſam latitudinem, non per longitudinem, immiſſi erant. FORIS SANCTUARIUM ANTE ORACULUM. Hebr. *De ſanctitate in conſpectu adyti*. Quidam: *E ſanctitate*, ſeu *e ſanctuario*, id eſt e templo, *coram oraculo*, vel *in facie oraculi*; id eſt, in parte quæ erat in fronte, hoc eſt in introitu oraculi. Alii, *E ſancto*, id eſt ex arca ſancta, ut diſerte exponitur II. Paralipom. V. 8. *verſus partem anteriorem ipſius adyti*: ut veluti repagula hinc inde eſſent ſacerdoti adytum ingredienti. QUI ET FUERUNT IBI USQUE IN PRAESENTEM DIEM; id eſt, ita ſemper manſerunt, etiam conſiſtente arca, ut mandatum fuerat Exod. XXV. 15.

V. 9. IN ARCA AUTEM NON ERAT ALIUD, NISI DUAE TABULAE LAPIDEAE, QUAS POSUERAT IN EA MOSES. Pugnare videtur hic locus cum altero Pauli Hebræor. IX. 4. *Aurcum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam undique auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron germinata, & tabulæ teſtamenti*. Peripicue Paulus in arca, præter tabulas lapideas, urnam mannæ, & virgam Aaronis ponit: quod hic negatur. Ampliſſimus Explanatoribus campus variarum conciliationum: veriſimiliores reponemus. I. Ex lege, ſeu ex libro legis, nihil aliud fuiſſe in arca, niſi geminas tabulas: quod non excludit urnam, & virgam. II. Initio quidem propter anguſtiam tabernaculi Moſaici, incluſas tunc intra arcam ſimul cum tabulis, urnam, & virgam; ſed poſtea ædificato auguſtiſſimo templo, extractas inde virgam, & urnam, & alio loco repoſitas. III. Tremellius, & Iunius ita exponunt: *Nihil erat in arca præter duas tabulas lapideas, &c. id eſt intra arcam ſub operculo: nam urna in qua erat man, & virga Aharonis coram teſtimonio quidem, ſed extra arcam fuiſſe loquuntur, Exodi XVI. 33. & XXXIV. & Numeror. XVII. 10. Nec pugnat, quod ad Hebr. IX. 4. legitur: nam relativum, In qua, non ad arcæ nomen proximum, ſed ad nomen ſcenæ, id eſt tabernaculi, referendum eſt, etiam ſi remotius ſit, ut in Parallelis noſtris ſuſius oſtendimus*. Hanc interpretationem nonnulli pluribus exemplis laudant, & illuſtrant. Sed alii non probant: nam ſic promptius immutato ſermone dixiſſet Paulus: *Aurcum habens thuribulum, & arcam teſtamenti, & urnam auream, & virgam Aaron*, ad hoc quia proxime ſequitur, *Superque eam erant Cherubim*, nempe ſuper arcam: unde illud *in qua*, ad eamdem arcam referendum videtur. IV. Exiſtimant aliqui, Paulum Hebraice ad Hebræos ſcribentem, uſum forte præpoſitione בע *ghal, ſuper, iuxta, circa*; vel אל *el, ad, apud*; vel את *eth, ad, cum*; id eſt, *iuxta, circa, quam*; vel *cum qua, urna aurea, & virga Aaron*. Ad hæc Hebraicum *beth*, & Latinum *in* ſumi plerumque in Scriptura pro *cum*, vel *iuxta, prope*, notius eſt quam ut exemplis egeat: *Cum qua*, vel *prope quam, urna aurea, & virga*, &c. ut urna, & virga fuerint in oraculo, non intra arcam; ſed cum arca, vel iuxta, aut prope arcam: tabulæ autem intra arcam, ſuo operculo, ſeu propitiatorio. Ceterum durum videtur, quod una &

ea-

tulationem, gloriationem, acclamationem, exclamationem, vociferationem, ovationem, exultationem, præconium, laudem, cantum, cantionem, precationem. Hic pro precatione cum exclamatione, & ovatione, seu exultatione acceperim.

V. 19. UT SINT OCULI TUI APERTI. Humanitus dictum, ut alias passim; id est, ut invigiles, attendas, cures, &c. ERIT NOMEN MEUM IBI; id est, illic colar, cognoscar, & gloria mea ibi celebrabitur. Vide in Deuteron. XII. 5.

V. 30. QUODCUMQUE ORAVERINT IN LOCO ISTO. Hebr. *Qui interpellabunt ad locum istum.* Quidam: *Qua orabunt versus locum hunc*; id est, horsum conversi, quasi respiciens ad promissionem tuæ præsentiæ in hoc loco. Exemplum in Daniel. cap. VI. vers. 10. Alii: *Cum oraverint in loco isto.*

V. 31. SI PECCAVERIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, &c. Hunc versum nos ad verbum ex Hebr. transtulimus (*Quod errabit vir sodali suo, & levabit in eo adiurationem, ad adiurare eum, & veniet adiuratio faciebus altaris tui in domo ista.*) Varie alii. I. *Si peccaverit vir in proximum suum, & elevabit in ipso iuramentum ad faciendum iurare eum*; id est, & deferet hunc honorem iuramento, ut remittat totam causam iuramento præstando ab offendente, ita ut faciat iurare ipsum offendentem: *& venerit iuramentum, coram altari tuo in domo ista*; hoc est, ita ut iuramentum præstetur coram altari templi. II. *Cum peccaverit vir in proximum suum*; id est, si aliquis depositum neget: *& detulerit in eum iuramentum*; id est, & iudex sententia sua statuerit illum iuraturum, vel exegerit ab eo iusiurandum, ita ut cogat eum iurare: *& venerit iuramentum*, id est vir iuramenti, seu is qui per sententiam iudicis debet iurare, *ante altare tuum in domo hac.* Alludi videtur ad legem Levitici VI. 2. & sequentib. III. *Si errabit vir sodali suo, & assumet contra te adiurationem, & adiuret eum: & venerit adiuratio coram altari tuo in domo hac.* IV. *Si peccaverit homo in proximum suum, & intervenerit iuramentum, cogetque is illum iurare: & venerit propter iuramenntum coram altari tuo in domum istam.* Agi putant de eo qui, abnegato depositо quod receperit, cogitur a iudicibus iurare. V. *Cum peccaverit quispiam adversus proximum suum, susceperitque super se iuramentum, quo se se obstringit, venerit* (vir) *iuramenti coram ara tua in hac domo.* VI. *Cum peccaverit ullus in proximum suum, qui detulerit ei iuramentum execrationis, execratione adiurando eum* (*nam veniet execratio ante altare tuum in domum hanc:*) *tunc tu audito e cælis*, &c. synecdoche; quasi dicat: In causis omnibus dubiis, quæ hominis inquisitione perveltigari non possunt, ut eæ sunt in quibus lex ad iurisiurandi religionem remittit, ut Exodi XXII. 8. & 11. & Numer. V. 15. & sequentibus, & alibi: tu, qui omnia nosti, iustum iudicem te declara. Vox אלה *alah* proprie significat *iuramentum execratorium*, seu *imprecatorium*. Vide Levitici V. 1. Illud, *Et veniet adiuratio ante altare*; id est, cum iuramentum concipiendum erit coram altari.

V. 32. TU EXAUDIES; subaudi, orationem eius qui iustam causam habuerit. ET FACIES, ET IUDICABIS SERVOS TUOS; id est, facies ut agnoscatur ab omnibus qui in culpa fuerit. Puto esse Hebraismum, *Facies, & iudicabis*; hoc est, certissime facies iudicium servis tuis. Quidam: *Et conficiens iudicato servos tuos.* REDDENS VIAM SUAM SUPER CAPUT EIUS; id est, reddendo illi iuxta malum eius: ut prava eius actio recidat ei in caput, vel ut suum scelus capite luat.

V. 33. ET CONFITENTES NOMINI TUO. Hebr. *Et confessi fuerint nomen tuum:* id est, gloriam & laudem dederint nomini tuo, agnoscentes scelera sua. Quidam. *Et celebrabunt nomen tuum*, sibi reatum; tibi vero iustitiam ac gloriam tribuentes, Potes vertere: *Et confitebuntur ad nomen tuum*; id est, confitebuntur peccatum suum, ad laudem & gloriam tuam. Vide Iosue VII. 19. Sic infra vers. 35.

V. 35. PROPTER AFFLICTIONEM SUAM. Hebr. *Quia affliges eos.* Quidam. *Quando afflixeris eos.* Aliqui: *Cum responderis eis*, sive *cum exaudieris eos.* Alii, *Cum allocutus fueris eos*; subaudi, per prophetas; id est, postquam conversi fuerint ad vocem prophetarum per quos argueris eos. Nonnulli: *Quia testatus fueris contra eos*, nimirum immissa ficcitate: ut factum est II. Samuel. XI.

V. 36. ET OSTENDE EIUS VIAM BONAM, Hebr. *Quia iacies eos ad viam bo-*

bonum. Vide similem locutionem I. Samuel. XII. vers. 23. Hispanice, *Hablaréis eis a buen camino*. Alii: *Cum docueris eos viam bonam*.

V. 37. VEL RUBIGO. בלחן *chasil*, *absumptorem*, *depastorem*, *vastatorem*: pleriique reddunt. Noster interdum *bruchum*, interdum *robiginem*. Hispanicus Interpres hic *pulgon*. *Bruchum* communiter exponunt. PORTAS OBSIDENS. Hebr. *In terra portarum suarum*, id est urbium suarum: synecdoche: vel regionis, aut ditionis suæ; quod inhibitiones olim in portis exercerentur.

V. 38. ET EXPANDERIT MANUS SUAS; id est, precatus fuerit. Synecdoche a signo.

V. 39. UT DES UNICUIQUE SECUNDUM OMNES VIAS SUAS, SICUT VIDERIS COR EIUS. Hebr. *Et dabis viro secundum omnes vias eius, quod cognoveris cor eius*. Quidam: *Cuius cognoscis cor eius*. Alii: *Quandoquidem tu cor eius nosti*. Nonnulli: *Ut des unicuique secundum omnes vias eius, quas cognoscere apud animum eius*.

V. 40. UT TIMEANT TE: vel *ut revereantur te*, scilicet ambulando in viis tuis, II. Paralipom. VI. vers. 31.

V. 43. ET FACIES OMNIA PRO QUIBUS INVOCAVERIT TE ALIENIGENA. Hebr. *Et facies secundum omne, quod vocabit ad te nothus*. Quidam: *Ut facias omnino prout clamaverit ad te extraneus ipse*.

V. 44. PER VIAM, QUOCUMQUE MISERIS EOS. Hebr. *In via qua mittes eos*; id est, in expeditione iusta, & a te imperata, CONTRA VIAM CIVITATIS, QUAM ELEGISTI. Hebr. *Via civitatis hujus quam elegisti*; id est, versus civitatem hanc. Sic infra vers. 48.

V. 45. ET FACIES IUDICIUM EORUM. Quidam reddunt: *Diceisque eis ius*; id est, ulcisceris iniurias eorum. Alii: *Ut peragas causam eorum*. Sic vers. 49. & 59.

V. 51. DE MEDIO FORNACIS FERREAE. Vide Deuteronom. IV. 20.

V. 53. SICUT LOCUTUS ES PER MOYSEN. Vide Exodi XIX. 5. & 6.

V. 55. ET BENEDIXIT OMNI ECCLESIAE ISRAEL. Quidam reddunt: *Et benedixit* Deo *ad, apud, omnem congregationem*, vel *cum omni congregatione Israelis*. Vide supra vers. 14.

V. 56. IUXTA OMNIA QUAE LOCUTUS EST. Quidam reddunt: *Propter ut locutus fuerat*. Deuteronom. XII. vers. 10. NON CECIDIT NE UNUS QUIDEM SERMO. &c. Quidam reddunt: *Non excidit res ulla ex omnibus bonis promissionis eius*, id est promissionibus. Vide Iosue XXIII. 14.

V. 57. SIT DOMINUS DEUS NOSTER NOBISCUM, &c. Notant esse precationem Salomonis coram dimittentis.

V. 59. UT FACIAT IUDICIUM SERVO SUO, ET POPULO SUO ISRAEL. Exponunt: Ut det mihi servo suo, & populo suo Israeli, quæ erunt nobis necessaria, & quibus indigemus. Alii: *Ut peragat causam servi sui*, id est Regis nostri Christi æterni Filii Dei, ut I. Paralipom. XVII. 19. PER SINGULOS DIES. Hebr. *Verbum diei in die suo*. Quidam, *Rem diei in die suo*. Alii, *Singulis diebus iuxta rationem suam*; id est, pro dierum ratione, ut singula fiant suo tempore. Alii, *Cuiusque temporis tempore suo*.

V. 60. ET NON EST ULTRA ABSQUE EO. Hebr. *Et non adhuc*. Quidam, *Nec est ultra eum*. Alii, *Nominem esse amplius*. Nonnulli, *Et non alius*.

V. 61. SICUT ET HODIE. Hebr. *Secundum diem hanc*, vel *sicut die ista*, seu *sicut hodierno die*; subaudi, facitis: sic etiam in posterum.

V. 62. MACTAVITQUE SALOMON. &c. id est una cum populo, ut explicat finis versus.

V. 64. MEDIUM ATRII, QUOD ERAT, &c. Quidam reddunt, *Interiam partem atrii, quæ erat ante domum Iehovæ*, id est atrium interius, sive sacerdotum: hypallage. Notant, factum fuisse id opera sacerdotum, quasi extensionem quamdam altaris holocaustorum; quod altare illud continuabatur solo atrii. QUONIAM ALTARE AEREUM, &c. nempe quod fecerat Salomon II. Paralipom. VII. vers. 7. de cuius forma II. Paralipom. IV. vers. 1.

V. 65. FESTIVITATEM CELEBREM. Intelligunt festum tabernaculorum. Vide supra vers. 2. AB INTROITU EMATH. Vide Numeror. XIII. vers. 22. & cap. XXXIV. vers. 8. USQUE AD RIVUM AEGYPTI. Alii reddunt, *Usque ad torrentem*, seu *vallem AEgypti*. Vide Numeror. XXXIV. 5. SEPTEM DIE-

DIEBUS, ET SEPTEM DIEBUS, ID EST QUATUORDECIM DIEBUS. Exponunt: Septem diebus primis pro dedicatione templi: tot enim diebus duravit dedicatio: & ſeptem aliis diebus pro feſto tabernaculorum. Intra ſeptem dies feſtivitatis dedicationis templi, evenerat dies expiationum; in quo, ita permittente Iehova, & cum eis diſpenſante, ut veriſimile eſt, comederunt etiam ex hoſtiis pacificis. Alii dicunt, eos immoliſſe quidem in die expiationis, ſed non comediſſe uſque ad veſperam & diem ſequentem. Nam die expiationis ieiunium erat, Levitic. XXIII. verſ. 27. & 29. & 32.

V. 66. ET IN DIE OCTAVA DIMISIT POPULOS. Exponunt, Sub finem diei octavi feſti tabernaculorum: nam dies prævaleſcentiæ, ſeu interdicti fuit dies octavus, in quo non dimittebatur populus. Vide Levit. XXIII. 36. & II. Paralipom. VII. 9. Ergo dimiſit eos ſub finem diei octavi, quo finiebatur collecta; hoc eſt, pro concione fecit eis abeundi poteſtatem, ut poſtridie proficiſcerentur, qui fuit vigeſimus tertius menſis ſeptimi, ſeu Ethanim, ut indicatur II. Paralipom. VII. verſ. 10. DAVID SERVO SUO; ſubaudi, & Salomoni, ut exponitur II. Paralipom. VII. 10. Synecdoche.

MENOCHII.

Verſ. 2. IN MENSE ETHANIM, qui eſt anni menſis ſeptimus. IN SOLEMNI DIE. Non eſt intelligendus dies ſolemnis tabernaculorum, qui hoc menſe celebrabatur, & cadebat in decimum quintum diem menſis; ſed dies huius dedicationis, qui ab eo tempore factus eſt ſolemnis. Ita Salian. anno II. Salom. num. 10. & Vatablus & Torniellus, quos citat.

V. 4. TABERNACULUM FOEDERIS. Hoc tabernaculum Abulenſis, & Villalpandus, Ioſephum ſecuti, tabernaculum a Moſe conſtructum eſſe putant; Salianus, & Sa de tabernaculo a Davide facto interpretantur. FEREBANT EA SACERDOTES, ET LEVITAE. Arcam ferebant ſacerdotes; tabernaculum, & vaſa ſanctuarii levitæ.

V. 5. IMMOLABANT OVES, ET BOVES. Suppeditabant ſacerdotibus ad immolandum.

V. 7. EXPANDEBANT ALAS, &c. De ſitu Cherubinorum, & aliis eorum expanſis, vide ſupra cap. VI. num. 23. ET VECTES EIUS DESUPER; id eſt, Cherubim expandebant alas ſuper arcam, & ſuper vectes arcæ.

V. 8. CUMQUE EMINERENT VECTES, &c. II. Paralipom. v. 9. hoc ipſum clarius dicitur. *Vectium autem, inquit, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: ſi vero quis paululum fuiſſet extrinſecus, eos videre non poterat.* Sententia ergo eſt, vectes eminuiſſe ex arca, & ſummitates eorum videri potuiſſe ab iis qui ad aditum Sancti ſanctorum ſtabant, utrinque, ut arbitror, ex lateribus veli ante oraculum oppanſi, quod ſi quis paululum receſſiſſet, illos iam videre non poterat. Sunt qui putent ex arca vectes extractos fuiſſe, non omnino (neque enim extrahi poterant ita ut non eſſent cum arca coniuncti) ſed paululum verſus oraculi portam productos fuiſſe: quibus favet textus Hebraicus, qui ex verſione Pagnini ſic ſe habet: *Et elongare fecerunt vectes*: & Septuaginta, qui habent: *Et eminere faciebant ſanctificata.*

V. 9. IN ARCA AUTEM NON ERAT ALIUD, &c. Idem etiam repetitur II. Paralip. cap. v. num. 10. Eſt vero difficultas propter verba Divi Pauli, qui ad Hebr. cap. IX. num. 4. ait in arca fuiſſe etiam urnam auream habentem manna, & virgam Aaron. Cornel. a Lapide, & Salian. *τὸ in arca*, interpretantur *ad arcam, iuxta arcam*; ſic dicimur habere galerum in capite, & calceos in pedibus; quo modo etiam dicimus Chriſtum paſſum fuiſſe in Ieruſalem, id eſt iuxta Ieruſalem. Theophylactus in eum locum D. Pauli, & alii, exiſtimant antiquioribus ſæculis non fuiſſe virgam Aaron in arca, nec urnam mannæ, ſed poſtea fuiſſe utraque in arca concluſa, ut quantum fieri poſſet ſubducerentur periculo, nec gentilium in templum, & locum ſacrum irrumpentium, ita facile præda fierent.

V. 10. NEBULA IMPLEVIT DOMUM DEI, totam nempe aulam ſanctam, & veſtibulum, immo & atrium ſacerdotum, ut ait Abulenſis quæſt. VI. illic enim maximum eorum miniſterium verſabatur circa ſacrificia.

V. 11. IMPLEVERAT ENIM GLORIA

RIA DOMINI, &c. Id Salomon agnovit indicium esse divinæ præsentiæ, & signum acceptantis domum sibi destinatam, & dedicatam.

V. 12. DIXIT DOMINUS UT HABITARET IN NEBULA. Alludit Salomon ad Levit. XVI. 2. ubi Dominus dixit se in nube appariturum super oraculum.

V. 13. AEDIFICANS AEDIFICAVI, &c. Videtur Salomon constituere quamdam antithesim inter nebulam tenebrosam & domum auro, gemmisque radiantem, nebulam levem, & volatilem, & domum perpetuo duraturam.

V. 14. CONVERTITQUE REX FACIEM SUAM, &c. Erat Rex in loco eminenti, quem vulgatus Interpres II. Paral. VI. 13. vocat *basim æneam*. Erat ea basis *in medio basilicæ*, ut ibidem dicitur, hoc est, ut quibusdam placet in atrio interiori, sive Levitico, nam hoc cap. VIII. num. 22. dicitur Salomon stetisse ante altare Domini. Verius tamen est basim illam sive suggestum fuisse in atrio Israelitarum in arca orientali: atrium enim illud basilicæ nomine significatur, ut placet Saliano Salomonis anno 11. num. 29. Ex hoc autem loco undique a populo Rex videri poterat, & ipse recta ad altare holocaustorum erat obversus. Se ergo Rex, ut hic dicitur, convertit, quia prius versus altare aspiciebat.

V. 15. IN MANIBUS EIUS: potentia sua divina perficit.

V. 16. A DIE QUA EDUXI POPULUM, &c. Vide II. Reg. v. 7. & ibi notata. ELEGI DAVID, &c. Intellige de electione quæ ad posteros propagaretur: quod Sauli non contigit.

V. 27. ERGONE PUTANDUM EST? &c. Affectus est admirantis, non vox dubitantis de divina præsentia. HABITET SUPER TERRAM; quasi dicat, Tam angusto huius templi loco. CAELI CAELORUM, supremum cælum.

V. 29. OCULI TUI, providentiæ, & favoris tui.

V. 30. ET CUM EXAUDIERIS, PROPITIUS ERIS; id est, & exaudies, & parces, ut est in Hebræo.

V. 31. SI PECCAVERIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, &c. In Hebræo est: *Cum peccaverit aliquis in proximum suum, & exegerit ab eo iuramentum ut faciat iurare eum, & venerit iuramentum ante altare tuum in domo hac:* In II. vero Paral. VI. 22. clarius adhuc habetur hoc modo: *Si peccaverit quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista, tu audies de cælo, & facies indicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, ut ulciscaris iustum.*

V. 33. QUIA PECCATURUS EST TIBI. Agnoscit Salomon beneficiarum cladium causam esse peccata, & olim Dominus in Levit. cap. XXVI. 17. minatus fuerat: *Quod si non audieritis me... ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemini his, qui oderunt vos: fugietis nemine persequente*, &c.

V. 34. REDUCES EOS IN TERRAM, &c. scilicet a captivitatibus quibus essent abducti.

V. 36. OSTENDE EIS VIAM BONAM, &c. temporale beneficium imbrium, alio maiore beneficio spirituali cumulans.

V. 37. CORRUPTUS AER. Alii vertunt *ariditas*, vel *ventus urens*: Septuaginta *incendium*. AERUGO est vitium spicarum. RUBIGO. Hebr. & Chald. *Bruchus*.

V. 38. DEVOTIO ET IMPRECATIO. In Hebræo est, *Oratio & deprecatio*. Sensus nostræ Vulgatæ est, ut Deus avertat omnes malas imprecationes, & hostium vota Israelitis mala optantium. PLAGAM CORDIS SUI. Septuaginta, *Tactum cordis sui*, flagella scilicet quibus eos feris, ut hoc tactu eorum corda resipiscant.

V. 42. IN LOCO HOC, scilicet in atrio alienigenarum conversus huc: erat enim post atrium Israelitarum, populi scilicet fidelis, aliud atrium infidelium.

V. 43. NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER DOMUM HANC: quod scilicet domus hæc in peculiari tua sit tutela, & ex hoc loco orantes audias.

V. 44. CONTRA VIAM CIVITATIS, id est conversi ad civitatem. FACIES IUDICIUM EORUM; pro, illis iudicabis, sententiam feres, illos ab hostium violentia vindicabis.

V. 49. IN FIRMAMENTO SOLII TUI: de loco in quo firmam, & stabilem habes sedem. Pagninus vertit, *De loco residentiæ tuæ*.

V. 52.

V. 50. DABIS MISERICORDIAM, &c. quasi dicat : Mollies corda eorum, qui eos captivos habuerint.

V. 51. DE MEDIO FORNACIS FERREAE: sic appellatur dura servitus AEgypti etiam Deuter. IV. 20. Vide ibi dicta.

V. 56. REQUIEM POPULO TUO, pacem scilicet ab hostibus, & quietam habitationem in terra olim promissa, & postea tradita. CECIDIT, irritum fuit. BONIS, promissis.

V. 58. MANDATA EIUS, &c. omnes eius leges, morales, cæremoniales, iudiciales.

V. 59. APPROPINQUANTES, id est grati, seu impetrantes. FACIAT IUDICIUM: in causis saveat.

V. 60. NON EST ULTRA ABSQUE EO; id est, non est alius Deus præter illum.

V. 61. SICUT ET HODIE : ut nunc servamus.

V. 63. MACTAVITQUE SALOMON HOSTIAS, &c. Hæc sacrificia non eodem die inchoata sunt, & perfecta, sed septem dierum spatio, quibus duravit hæc dedicatio. Porro victimarum numerum computanti, & in septem partes pro dierum numero divideti constabit singulis diebus sacrificia boum fuisse tria millia, centum, & quadraginta duo, & sex præterea. Ovium autem septemdecim millia, centum, & quadraginta duo, & aliquid amplius. HOSTIAS PACIFICAS. Sacrificiorum quædam fuerunt holocausta, quædam hostiæ pacificæ in gratiarum actionem, quarum bona pars sacerdotibus, & populo servabatur.

V. 64. SANCTIFICAVIT REX MEDIUM ATRII, &c. Tot enim Salomon sacrificia immolavit, ut altaris loco ipsum pavimentum, quod in atrio sacerdotum erat, sumendum, & consecrandum fuerit in usum altaris. Salianus existimat, mediam tantum partem atrii sanctificatam ut vicem altaris impleret, hoc est eam partem quæ erat media inter altare, & porticum templi. Sanctificavit autem per Pontificem, non per seipsum.

V. 65. AB INTROITU EMATH. Emath pars quædam est in monte Libani, quæ ad aquilonem spectat, & nunc dicitur Antiochia Syriæ. AD RIVUM AEGYPTI, qui dicitur Rhinocolura, qui terram promissionis versus meridiem definit. QUATUORDECIM DIEBUS : scilicet septem ob dedicationem, & septem ob festum tabernaculorum.

V. 66. OCTAVO. Scilicet post septem dies posteriores profecti sunt, die nimirum sequenti, quæ erat vigesima tertia mensis, nam festum tabernaculorum decima quinta incipiebat. Vid. II. Paral. VII. 10.

TIRINI.

Vers. 2. CONVENITQUE.... UNIVERSUS ISRAEL IN MENSE ETHANIM, id est *fortium*, quia mense septembri (qui respondet magna ex parte illi septimo mensi Hebræorum) fructus sunt fortes, seu maturi. Solebat is mensis esse primus totius anni, ut habet hic Chaldæus ; sed ex quo mensis Nisan in æquinoctio verno, egredientibus ex AEgypto Hebræis, iussus est esse primus, factus est *Ethanim* mensis septimus: & post captivitatem Babylonicam dictus est *Tisri*. Hic mensis, quia propter plurium solemnitatum concursum celebris admodum erat Hebræis, ut dixi Levitic. XVI. & XXIII. idcirco a Salomone delectus est dedicationi templi sui. Cumque cogerentur omnes e masculino sexu Hebræi decima quinta die mensis huius septimi *a* ad festum tabernaculorum toto octiduo celebrandum convenire in Gabaon *b*, ubi tum temporis erat tabernaculum fœderis a Moyse constructum in deserto Sinai, usus hac occasione Salomon, iussit, loco Gabaon, convenirent omnes in Ierusalem, sed octiduo ante festum scenopegiæ : se enim decrevisse, tam tabernaculum quam arcam transferre in templum recens a se constructum, ut istic in stabili ac fixa sede æternum manerent. Ad hanc solemnem translationem, & novi templi inauguration em, octava die mensis septimi adessent omnes, colligitur ex ultimis duobus versibus huius capitis, ubi dicitur populus totis quatuordecim diebus hæsisse Ierosolymæ: & die demum octava scenopegiæ, qui erat vigesimus secundus mensis septimi, facta collecta (de qua vide Lev. XXIII. vers. 36.) remissum populum ad propria: quod sequenti die, nempe vigesima tertia contigisse affirmat Liber II. Para-

Paralip. cap. VII. verſ. 10. Iam vero a viginti duobus diebus tolle quatuordecim, deprehendes, octavo die illius menſis populum convenisse, & templum dedicasse.

V. 3. TULERUNT ARCAM DOMINI, ex domo & civitate David *c*, quæ & Sion dicebatur, ET TABERNACULUM FOEDERIS, nempe Moſaicum, quod hucuſque fuerat in Gabaon, & iam decenter convolutum, religioſe aſſervari iuſſum in templo Salomonis, loco aliquo penitiore, ubi reliqui ſacri theſauri recondebantur, ad latera ſanctuarii, ut dixi cap. VI. Hic vero aſſervatum fuit donec a Ieremia inde ſublatum eſt permiſſu Chaldæorum, ut dixi II. Reg. XXI. verſ. 7.

V. 12. DOMINUS DIXIT UT HABITARET IN NEBULA. II. Paral. VI. verſ. 1. *in caligine*. Id dixiſſe Dominum collegit Salomon ex Levit. XVI. verſ. 2. *In nube apparebo ſuper oraculum*. Idem didicit ex cap. XL. Exod. verſ. 32. ubi dicitur: *Poſtquam omnia* circa tabernaculum a Moyſe *perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonii*. Unde prudenter collegit Salomon, iam quoque, cum perfecto templo ſimilis nubes appareret, illam divinæ præſentiæ, favoriſque ſingularis ſignum eſſe certiſſimum. Reliqua huius capitis vide II. Paralip. V.

V. 31. SI PECCAVERIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, ſi in ius vocatus, negaverit ſe peccaſſe, ſuique purgandi cauſa, HABUERIT IURAMENTUM; id eſt, iuramento (de more) depulerit a ſe ſuſpicionem ſceleris, tu Deus reum detege, inſontem abſolve. Ita enim hæc eadem explicantur II. Paralip. VI. verſ. 22.

V. 54. SURREXIT Salomon DE CONSPECTU ALTARIS DOMINI. Eodem loco Paralip. verſ. 13. dicitur, Salomon feciſſe baſim æneam in medio baſilicæ, ſeu porticus, quæ erat circum atrium Iſraelitarum. Eratque hæc baſis haud procul ab introitu atrii ſacerdotalis. Stetitque, oravitque ſuper eam, nam iſtic erat locus Regis, & principum, ut ex Ezechielis XLVI. verſ. 12. colligitur. In Libro Paralip. II. cap. VII. verſ. 1. additur: *Cum compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & devoravit holocauſta, & victimas.* Quod idem repetitur II. Machab. II. 10. Quo ſigno teſtabatur palam Deus, placere ſibi iſta ſacrificia, & ſacrificantes. Uti teſtatus etiam fuit in Abelo *d*, Moyſe *e*, Gedeone *f*, Elia, & Nehemia *g*.

(*a*) Deuter. XVI. verſ. 16. & Levit. XXIII. verſ. 34.
(*b*) II. Paral. I. verſ. 3.
(*c*) II. Paral. V. verſ. 2.
(*d*) Geneſ. IV. verſ. 4.
(*e*) Levit. IX. verſ. 24.
(*f*) Iudic. VI. verſ. 21.
(*g*) III. Reg. XVIII. verſ. 38.
(*h*) II. Mach. I. verſ. 22.

GORDONI.

Verſ. 1. DEdicatio hæc templi peracta eſt excurrente anno duodecimo Salomonis.

V. 2. MENSE ETHANIM, IN SOLEMNI DIE. Hæc ſolemnitas dici deſignat tunc occurriſſe feſtum tabernaculorum, de quo dixi Levit. XXIII. verſ. 34. Menſis hic nobis eſt ſeptember. Vide Chron. Qq. cap. XVII. num. 10. Aliter Tiſri. Illata etiam inſtrumenta templi, & ipſum tabernaculum: an tamen Davidicum, an vero Moſaicum, quod erat in Gabaon, certatur.

V. 7. Illatos exiſtimant multi non tantum duos Cherubinos quos fecit Salomon, ſed etiam duos Moſaicos: hoc verius eſt. De verticibus, ſeu perticis, vide Exod. XXV. verſ. 13.

V. 8. Hic locus utcumque obſcurus, clare proponitur II. Paralip. V. 9. Adde quod habent LXX. de his vectibus in loco obſcuro viſis, aut non viſis ab his qui aſtabant oſtio, vel longius aberant.

V. 9. NISI DUAE TABULAE. Quomodo ergo ad Hebr. IX. 3. Paulus includit virgam Aaronis, & manna? Caietanus ob hanc antitheſim, excluſit illam epiſtolam a libris canonicis; ſed male certe. Facilius dicimus, cum expreſſis verbis Pauli, in arca etiam fuiſſe virgam, & urnam cum manna. Ita Auguſt. quæſt. CV. in Exodum, OEcumen. Theophyl. & alii. Et quidem ita uſque ad templum res ſe habuit. At vero dato iam ampliori & ſecuriore loco templi, ſolæ tabulæ relictæ ſunt in arca, & aliis intra tabernaculum datus conveniens locus, ut hic indicatur: nec tamen ullibi prohibitum eſt ne virga ſit in arca. Vide Num. XVII. verſ. 10.

V. 27. CAELI CAELORUM TE CAPERE NON POSSUNT. Hinc colligunt

Deum

Deum esse in locis imaginariis: est etiam in rebus, & non circumscribitur.

V. 31. ET VENERIT PROPTER IURAMENTUM, &c. Sensus est: Cum aliquis proximo debetur, ob quod cogitur iurare; & venerit huc ad iurandum, tu exaudies Domine.

V. 38. CUNCTA DEVOTATIO. Septuaginta προσευχὴ. Hebr. *oratio.*

V. 51. DE MEDIO FORNACIS FERREAE. Apud Septuag. χωνευτηρίου. Immo Hebr. כור *chur* fornacem significat, aut etiam vas in quo liquescit metallum. Hac metaphora designat oppressiones AEgyptiacas.

V. 54. SANCTIFICAVIT: scilicet dum coepit ibi offerre hostias.

V. 55. BENEDIXIT OMNI ECCLESIAE. *Benedicere* duo designare potest, scilicet laudare, & bene precari: alterum nunc tandem praestat.

V. 65. AB INTROITU EMATH USQUE AD RIVUM AEGYPTI, &c. Emath pars est in monte Libani, & nunc est Antiochia Syriae. Fluvius iste est rivus AEgypti Rhinocorura. Sunt duo extrema terrae loca versus septemtrionem & meridiem. In die octavo dimisit populum. De occurrente solemnitate dixi vers. 2.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. Levitae ferebant tabernaculum; sacerdotes vero arcam.

V. 11. IMPLEVERAT, &c. Salomoni signum erat praesentis Dei. Vide Levitic. XVI. 2.

CAPUT IX.

Dominus Salomoni secundo apparens, iubet sua servare praecepta, addita comminatione nisi servata fuerint. Salomon plures aedificat civitates, gentes sibi facit tributarias, & classe in Ophir missa plurimum auri recipit.

1. FActum est autem cum perfecisset Salomon aedificium domus Domini, & aedificium Regis, & omne quod optaverat & voluerat facere, 2. apparuit ei Dominus secundo, (*a*) sicut apparuerat ei in Gabaon. 3. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam aedificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. 4. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in aequitate: & feceris omnia quae praecepi tibi, & legitima mea & iudicia mea servaveris, 5. (*b*) ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. 6. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & caerimonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, & adoraveritis eos: 7. auferam Israel de superficie terrae, quam dedi eis: & templum, quod sanctificavi nomini meo, proiiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis. 8. Et domus haec erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: (*c*) Quare fecit Dominus sic terrae huic, & domui huic? 9. Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eo.

eorum de terra AEgypti, & secuti sunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. 10. (*d*) Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est domum Domini, & domum Regis, 11. (Hiram Rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna, & aurum iuxta omne quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in Terra Galilææ. 12. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, 13. & ait: Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas terram Chabul, usque in diem hanc. 14. Misit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri. 15. Hæc est summa expensarum, quam obtulit Rex Salomon ad ædificandam domum Domini & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem, & Heser, & Mageddo, & Gazer. 16. Pharao Rex AEgypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. 17. AEdificavit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem, 18. & Balaath, & Palmiram in terra solitudinis. 19. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & erant absque muro, munivit, & civitates curruum & civitates equitum, & quod. cumque ei placuit ut ædificaret in Ierusalem, & in Libano, & in omni terra potestatis suæ. 20. Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Hevæis, & Iebusæis, qui non sunt de filiis Israel: 21. horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare: fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc. 22. De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum. 23. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subiectum populum, & statutis operibus imperabant. 24. (*e*) Filia autem Pharaonis adscendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello. 25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacifica victimas, super altare quod ædificaverat Domino: & adolebat thymiama coram Domino: perfectumque est templum. 26. Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ailath in littore Maris rubri, in terra Idumææ. 27. Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos & gnaros maris, cum servis Salomonis. 28. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem.

(*a*) II. Par. VII. cap. XI. Sup. III. 5. (*b*) II. Reg. VII. 12. & 16. (*c*) Deut. XXIX. 24. Ier. XXII. 8. (*d*) II. Par. VIII. 1. (*e*) II. Par. VIII. 11.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 3. NOMEN MEUM, id est nominis mei cultum, & invocationem.

V. 4. SIMPLICITATE. Hebr. *perfectione*, Chald. *veritate*. LXX. *sanctitate*. AEQUITATE. Hebr. Chald. & LXX. *rectitudine*. LEGITIMA. Hebr. *statuta*, seu *decreta*.

V. 5. DE GENERE TUO. Hebr. Chald. & LXX. *tibi*.

V. 6. CAEREMONIAS. Hebr. *statuta*.

V. 7. PROVERBIUM, Hebr. & Chald. *parabolam*. LXX. *exterminationem*, seu *perditionem*.

V. 8.

V. 8. ERIT IN EXEMPLUM. Sic etiam LXX. at Chald. *Diructur*. Hebr. ſubintelligitur aliquid ſimile.

V. 10. POSTQUAM. Hebr. Chald. & LXX. *quibus*.

V. 11. OPUS HABUERAT. Sic etiam Chald. at Hebr. & LXX. *voluerat*.

V. 13. CHABUL, id eſt *lutoſam*, ſeu *arenoſam*, ſcilicet ſterilem.

V. 14. MISIT, pro miſerat, ſcilicet antequam acciperet urbes illas.

V. 15. SUMMA EXPENSARUM. Hebr. *Res tributi*: coniungendum autem quod hic dicitur, cum *univerſum populum*, &c. quaſi dicat: Ab eo populo exegit tributum ad ædificia. MELLO. Locus erat, ſecundum quoſdam, ad conſultandum de rebus publicis conſtructus. Vide ſup. Lib. II. cap. v. num. 9.

V. 16. ASCENDIT, pro aſcenderat. IN DOTEM. Hebr. *pro munere*. Chald. *dono*.

V. 18. PALMIRAM. Hebr. Chald. & LXX. *Tadmon*.

V. 19. VICOS. Hebr. Chald. & LXX. *civitates*. ET ERANT ABSQUE MURO. Heb. & Chald. *theſaurorum*. LXX. *munitas munivit*. Id additum ab Interprete. CURRUM; id eſt, ubi falcati currus aſſervabantur. EQUITUM; id eſt, ubi equites præſidiarii alebantur. LIBANO, vel monte, vel loco, ubi domus ſaltus Libani, de qua ſupra.

V. 21. TRIBUTARIOS, ſcilicet ad ſolvendum expenſas, de quibus ſup. vel laborandum in ædificiis.

V. 22. SERVIRE. Hebr. Chald. & LXX. *ſervum*; quaſi dicat: Nullum voluit facere opera ſervilia. EQUORUM. Heb. & Chald. *equitum*.

V. 23. OPERA, ſcilicet cum ædificabatur. PRAEPOSITI, ſcilicet præcipui: nam minus principales multo plures.

V. 28. OPHIR. Hodie dicitur *Peru*: vel eſt Angola, unde Luſitanis multum auri. Hieron. epiſt. CXL. locum putat eſſe in India. Quidam Malacam credunt: alii inſulam prope Malacam, quæ hodie *Zametra* vocatur.

ESTII.

Verſ. 6. & 7. SI AUTEM AVERSIONE AVERSI FUERITIS VOS ET FILII VESTRI ..... AUFERAM ISRAEL DE SUPERFICIE TERRAE ... ET TEMPLUM PROIICIAM ... A CONSPECTU MEO. Hic locus oſtendit quod omnia exteriora quæ ad cultum divinum deputata ſunt, ſive ſit templum materiale, ſive vaſa argentea & aurea, aliaque Eccleſiæ ornamenta, Deo non ſint accepta niſi propter cultum interiorem miniſtrorum ac plebis. Cultus autem interior conſiſtit in actibus fidei, ſpei, & caritatis: de quo Auguſtinus in Enchiridio, *Fide*, inquit, *ſpe, & caritate colitur Deus. Ubi iſta deſunt, quidquid exterius agitur in ſacrificiis, pſalmis, hymnis, & orationibus, inutile eſt, & inimicis geſticulationibus ſimile, magiſque talibus ad iram provocatur Deus, quam commovetur ad miſericordiam*.

V. 28. QUI CUM VENISSENT IN OPHIR, SUMPTUM INDE AURUM, &c. Quidam neoterici Ophir eſſe putant inſulam in occidentali India ſitam, & ante annos fere centum a Chriſtophoro Columbo repertam, quæ vocatur Hiſpaniola. Sed nihil habet veriſimile illa opinio, immo ex Scriptura refellitur. Nam, ut habemus Gen. cap. x. & I. Paralipom. I. Ophir filius fuit Iectan, a quo nomen accepit Ophir regio, Iudæis ad orientem ſita (ut quidam volunt, ad flumen Gangem) quæ eadem, ut refert Ioſephus Lib. VIII. Antiq. cap. VI. etiam aurea terra nuncupata eſt, ob auri illic provenientis, abundantiam. Hinc dictum aurum obrizum Iob cap. XXVIII. & Iſaiæ cap. XIII. quaſi Ophirizum. Eſt enim iis locis Hebraice Ophir. Vide etiam locum Ieremiæ cap. x. & Daniel. x. ubi aurum *ophaz* in Hebræo legitur. Videtur enim Ophaz idem eſſe quod Ophir.

Sunt etiam hodie qui putant Ophaz fuiſſe eam regionem Africæ, quæ Luſitanis vulgo dicitur Sophala, quaſi Ophala, vel Ophaza, ex qua præſtantiſſimum aurum in Luſitaniam devehitur. Vide Hieronymum epiſt. CLX. quæ eſt ad Principiam, ubi ſeptem apud Hebræos auri vocabula reperiri ſcribit, & inter alia, unde dicatur aurum obrizum exponit. Habet interim & Plinius Lib. XXXIII. cap. III. aliam quamdam etymologiam obrizi, & aliam rurſus Iſidorus Lib. XVI. Etymol. cap. XVII. ſed non videntur rem attigiſſe.

MARIANAE.

Vers. 2. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO, SICUT APPARUERAT EI IN GABAON, ſcilicet in ſomniis. Et vide, Deum non apparere dum ædificiorum tumultus ſtetit, & viguit.

V. 3. SANCTIFICAVI DOMUM.... UT PONEREM NOMEN MEUM IBI. De hoc, cap. ſuperiori verſ. 39.

V. 5. NON AUFERETUR VIR DE GENERE TUO. Hebr. *Non auferetur tibi vir*: ſic Sept. & Chald. tum Gotth. ſic habent. Si colueritis alios deos, auferam Iſrael

V. 7. DE SUPERFICIE TERRAE. Hebr. *Deſuper facibus terræ*; ſed vox *facies* redundat, & perinde eſt ac ſi diceret, *Deſuper terra, de terra*: ſic Sept. *Auferam Iſrael a terra.*

V. 8. ET DOMUS HAEC ERIT IN EXEMPLUM. Hebr. *Et domus hæc erit exceſſa*. Sept. *Et domus hæc alta erit in exemplum*. Chald. *Et domus hæc, quæ fuit exceſſa, erit dirnta*. Hebræus: *Et domus hæc erit exceſſa*, id eſt in cumulum rudesum magnum. Aut conſtructione inverſa, & defectiva: *Et domus hæc exceſſa* (ſcilicet modo) *erit* (ſcilicet exciſa aut in opprobrium.) Id ſignificat vox *exemplum*, quam Noſter, & Sept. poſuerunt. Quare id fiet? Quia deos alienos

V. 9. SECUTI SUNT. Hebr. *Apprehenderunt deos alienos*: ideo Deus eos punit.

V. 10. POSTQUAM AEDIFICAVERAT. Hebr. Græc. & Chald. *Et factum eſt poſt viginti annos, in quibus ædificavit duas domus*; id eſt, id tempus conſumpſit annorum viginti in ea ſtructura.

V. 11. ET AURUM IUXTA OMNE QUOD OPUS HABUERAT, ſcilicet Hiram dedit Salomoni. Hebr. *Iuxta omnem voluntatem eius*, ſcilicet Salomonis. Sept. *in omni voluntate eius*. Chald. *In omni neceſſitate eius*. IN TERRA GALILAEAE. Duplex Galilæa: quæ prope Geneſareth; & Galilæa Gentium, Matth. IV. verſ. 15. Tyro vicina. In hac dedit Salomon tredecim urbes Hiram Regi, atque in tribu Nephthalim: Hieronymus. Hiram ait: Dediſti mihi

V. 13. TERRAM CHABUL, id eſt lutoſam, qua velut compedibus pedes impediuntur: nam *chebel* ſignificat *compedes*: ſic Kimhi.

V. 15. HAEC EST SUMMA EXPENSARUM. Hebr. *Hæc eſt res tributi*, id eſt ratio tributi quod Chananæis impoſuit Salomon, ut mox dicetur. *Hæc eſt ratio*, id eſt cauſa, ſcilicet ut ædificaret quæ commemorat. QUAM OBTULIT REX SALOMON. Hebr. *Quod aſcendere fecit Rex Salomon*, id eſt exegit. ET MELLO. Locus vicinus, aut potius intra Ieruſalem; quem Salomon extruxit, a plenitudine dictum, ob frequentiam populi ibi convenientem, forte baſilica ad commercia comparata. Pharao dedit Gazer

V. 16. IN DOTEM FILIAE SUAE, Hebr. *donum filiæ ſuæ*; ſed *dos* etiam *donum* eſt. Itaque Pharao Gazer dedit Salomoni, quam Chananæis abſtulit.

V. 18. PALMIRAM. Hebr. *Thamor*: ſic Sept. & Chald. *Thadmor*, & ſic legit Maſſoreth. ſed Hieronymus poſuit *Palmiram*, Ioſephus Lib. VIII. vocat *Thadamoram*, aitque a Græcis vocari *Palmiram*. Hinc Odenatus Palmirenus Zenobiæ vir. Erat Euphrati vicina ea urbs. Hanc Salomon ædificavit.

V. 19. ET OMNES VICOS, QUI AD SE PERTINEBANT, ET ERANT ABSQUE MURO. Hebr. *Et omnes civitates thеſaurorum, quæ erant Salomoni*, ſcilicet extruxit, aut munivit Salomon.

V. 21. FECIT SALOMON TRIBUTARIOS Amorrhæos. Hebr. *Aſcendere fecit eos* (id eſt adegit) *ad tributum ſervientis*. Tributa ipſa quædam ſervitus ſunt. Sic addit:

V. 22. DE FILIIS ISRAEL NON CONSTITUIT SALOMON SERVIRE QUEMQUAM, id eſt tributum ſolvere. SED ERANT VIRI BELLATORES. Hebr. *Viri belli*: & vide milites a tributis fuiſſe immunes. Non tributa, ſed virtutem, & viros indici, proximum libertati: Tacit. Lib. XXI.

V. 26. CLASSEM QUOQUE. Hebr. *navem*, ſcilicet magnam, ut ait Hebræus ſignificare *oni*. Chald. & Sept. *novem*; ſed ſumere potes *navem* pro naves, & claſſem. IN ASIONGABER. Hæc eſt civitas Heroum, nunc *Suez*, rubri maris portus: non ergo ibant in Hiſpaniolam inſulam toto orbe diſcretam. Qui cum veniſſent

V. 28.

V. 28. OPHIR, quidam *Peru* eſſe credunt, de quo II. Paral. III. verſ. 6. Alii *Auream Cherſoneſum*, quæ hodie *Malaca* creditur, aut prope eam. TALENTORUM. Hebræus ait quodvis talentum trecentorum ſiclorum fuiſſe. הככר טלעים מאות שלשה חיות: *talentum fuit trecenti ſicli*: non ergo æquale Moyſis talentis, ſed decima eius præciſe: quod Ioſephus ſecutus videtur, cum pro centum millibus auri talentis, & mille millibus argenti, quæ David in theſauris reliquit, I. Paral. XXII. verſ. 14. ipſe Lib. VII. Antiq. cap. XI. ſuppoſuit decem millia talenta auri, argenti centum millia, nimirum ad Moſaica talenta, & tempora reſpiciens, cum decuplo maiora talenta erant. Furor, profecto furor, Davidis talenta Moyſacis exæquare.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET OMNE QUOD OPTAVERAT. Hebr. *Et omne deſiderium ſuum*. חשק *cheſchek*, aiunt eſſe *promptitudinem*, *propenſionem*, *animi facilitatem*, *voluntatem*, *deſiderium*, *voluptatem*, *concupiſcentiam*. Vide vim verbi Gen. XXXIV. verſ. 8. Poſſis reddere, *Et omnem complexionem Salomonis*; id eſt, quidquid animo complexus fuerat Salomon. Quidam vertunt: *Idque pro toto deſiderio Salomonis*, *quo delectatus fuerat faciendo*. Sic infra verſ. 19.

V. 2. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO, &c. Aliqui per pluſquam perfectum vertunt: *Apparuerat enim Iehova Salomoni ſecundo*, &c. voluntque eſſe hyperbaton uſque ad verſ. 10. excluſive, parentheſi interiectum, quo oſtenditur, qua re fretus ædificaverit ſibi quoque domos, & templum Dei, atque baſilicas tam accurate ornaverit: nimirum promiſſione præſentiæ divinæ in templo, & ſtabilitatis regni in poſteris. SECUNDO; id eſt, proxima nocte a dedicatione templi, ut antea proxima nocte a ſacrificiis apparuerat ei in Gabaon, ſupra cap. III. verſ. 5.

V. 5. NON AUFERETUR VIR DE GENERE TUO, &c. Hebr. *Non exſcindetur tibi vir*, &c. Vide ſupra cap. II. verſ. 4. & cap. VIII. verſ. 25.

V. 7. IN PROVERBIUM, ET IN FABULAM. Hebr. *In parabolam*, & *in diſterium*. Vide hanc locutionem expoſitam Deuteron. XXVIII. verſ. 37.

V. 8. ET DOMUS HAEC ERIT IN EXEMPLUM. Hebr. *Et domus iſta erit excelſa*, *altiſſima*. Quidam: *Et domus iſta*, *quæ erat altiſſima*; ſubaudi, etiam ipſa erit in parabolam & diſterium. Alii: *Atque domus iſta*, *quæ futura eſt altiſſima*; id eſt, quæ ad tempus futura eſt in ſummo honore; ſubaudi, tandem deſtruetur, aut evaneſcet, ſeu tolletur de medio. Aliqui: *Et domus iſta ut ut fuerit excelſa*. Nonnulli: *Et domus iſta erit excelſitas*, *aſcenſio*, *elevatio*, *ſublatio*; id eſt, erit in deſolationem, id eſt auferetur, tolletur de medio. STUPEBIT, ſeu *obſtupeſcet*. Hebr. *Afflabit*, vel afflabitur, ſeu *ſtupende deſolabitur*, ſtupens, attonitus manebit præ admiratione: vel *afflabit*, id eſt abominabitur, exhorreſcet tantam vaſtitatem. Quidam a נשם *naſcham*, *anhelabit*, *anhelitum emittet*; id eſt, ex dolore ſuſpiria trahet. ET SIBILABIT, ludibrio & deriſione, ut apparet ex verſu ſequente; quod Latine dicitur exſibilabit.

V. 10. EXPLETIS AUTEM ANNIS VIGINTI. Notant, hunc verſum cohærere cum fine verſus primi: nam cetera huc uſque interiecta fuiſſe per hyperbaton: unde reddunt: *Fuit*, *inquam*, *exactis viginti annis*: nimirum ſeptem extructi templi, ſupra cap. VI. 38. & tredecim extructæ domus ſuæ, ſupra cap. VII. 1. id eſt vigeſimo quarto regni eius.

V. 11. (HIRAM REGE TYRI PRAEBENTE SALOMONI LIGNA CEDRINA, ET ABIEGNA, ET AURUM, IUXTA OMNE QUOD OPUS HABUERAT) TUNC DEDIT SALOMON, &c. Recte hæc incluſa ſunt parentheſi. *Tunc*, id eſt expletis illis viginti annis quibus Salomon templum, & domum ſuam abſolvit. Quidam reddunt: *Quia Chiram Rex Tyri donaverat Salomonem lignis cedrinis*, & *lignis abiegnis*, *ac auro pro toto deſiderio eius*: *ut tunc daret Rex Salomoh Chiramo*, &c. hoc eſt, Fuit, inquam, exactis viginti annis quibus ædificavit Salomoh, &c. quia Chiram Rex Tyri donaverat, &c. ut tunc daret Rex Salomoh Chiramo, &c. *Præbente Salomoni Ligna cedrina* &c. Hebr. *Levavit Salomonem in lignis cedrorum*, &c. Quidam: *Extulit Salomonem in lignis*, &c. Alii: *Ornaverat*, *cu-*

mulaverat, *Salomonem ligni*, &c. Nonnulli: *Donaverat Salomoni ligna*, vel *donaverat Salomonem ligni*, &c. Aliqui: *Attulit ad Salomonem ligna*, &c. ET AURUM: cuius numerus explicatur infra vers. 14. IUXTA OMNE QUOD OPUS HABUERAT. Hebr. *Ad omne beneplacitum eius*. Quidam, *Ad omnem voluntatem eius*; id est, tantam vim auri dedit, quantam voluit. Alii, *Pro toto desiderio eius*. Nonnulli, *Et quidquid ille desiderabat*. IN TERRA GALILAEAE. Hebr. *Galil*. De *Galil*, seu *Galilæa*, vide Comment. in Iosue xx. 7. Aliqui hic pro appellativo capiunt, redduntque, *In regione limitis*: hypallage, pro *ad regionis limitem*; id est, Aseri conterminam versus septemtrionem, sed extra possessionem a Deo lege definitam, ex qua non licebat quidquam, ne in usum quidem fructum (ut hic faciebat Selemoh) exteris possidendam dare: nam Chabulem minime ad Aserem pertinuisse, cum ex hoc loco ostenditur, tum ex ipso civitatum Aseris numero, qui habetur Iosue XIX. a vers. 24. usque ad 30. denique ex II. Paralip. VIII. vers. 2. ubi Selomoh Israelitarum colonias eo deduxisse legitur. Haud carent quidem ista probabilitate: verum S. Hieronymus libello de Locis Hebraicis, & plerique alii, has viginti urbes in sorte tribus Naphthali, & in Galilæa gentium, seu superiore, extitisse, diserte affirmant. Iosephus: *Præterea Galilææ oppida numero viginti, non procul a Tyro dissita, ei donavit*. Et plane non videntur extra possessionem a Deo Israelitis definitam fuisse, cum ea ad Tyrum usque pertinuerit, immo usque ad Sidonem, & ipsum Libanum, Iosue XIX. vers. 28. & 29. & alicqui constet e Iosue XIX. vers. 27. Chabulem ad terminos Aseris pertinuisse. Plerique in usum fructum datas tantum volunt, seu iure precario: alii oppigneratas pro ingenti pecunia, quam Salomon ab Hiramo mutuo acceperat, percipiente tamen interim dum pecunia redderetur, Hiramo fructus ex iis.

V. 13. ET APPELAVIT EAS TERRAM CHABUL. Iosephus: *Quæ cum ille perlustrata satis considerasset, & non valde probasset, renuntiari iussit Salomoni, sibi non esse opus eis oppidis: & ex eo terra Chabelon est appellata, voce, Phœnicum lingua, id quod displicet, significante*; quasi dicas *displicentiam*. Quidam notant, *chabul* lingua Phœnicia *vilitatem* significare, ut congruentiam habeat cum voce transposita חלב *chelcb*, *cane*. Nonnulli *carcerem* reddunt; quod eæ urbes ob sterilitatem, & asperitatem carceribus, & exiliis essent idoneæ. Plerique Hebræorum *compedem*, seu *compeditam* exponunt: eo quod pedes immersos veluti compes ob multum lutum detineret: aut quod esset arenosa, sterilis, & infructuosa, ac pedes multa arena convolveret, & implicaret, lutosam, argillaceam, tenacem, ulliginosam: seu sterilem, & infrugiferam intelligunt. Nec desunt qui *clausam* reddant, id est prope desertam, & habitatoribus vacuam. Quidam ob viciniam vocis גבול *ghebul*, *terram*, seu *regionem termini*, interpretantur; quod esset in termino & confinio Tyriorum, & Israelitarum. Nec desunt qui putent dictam postea *Decapolim*, seu *Decapolitanam regionem*, de qua Plinius Lib. V. cap. XVIII. vel eam de qua Brocardus ex Iacobo Vitriacensi. Sed utrumque aperte falsum. Quidam reddunt: *Ideo vocat eas quisque, terræ Chabul civitates*. Has postea Hiramum Salomoni amice restituisse, vel tunc ut primum eas visit, eique displicuerunt, reddidisse, manifesto ostenditur II. Paralip. VIII. vers. 2.

V. 14. CENTUM VIGINTI TALENTA AURI. Aiunt esse septingenta viginti millia aureorum coronatorum. Sed fi talentum Hebraicum pendebat ter mille siclos, ut communiter existimant; 120. talenta efficiebant trecenta sexaginta millia siclorum, id est aureorum Hispanicorum millionem, & quadringenta quadraginta millia: nam siclus aureus semunciam, id est quatuor aureos Hispanicos, continet. Vide Exodi XXXVIII. 26.

V. 15. HAEC EST SUMMA EXPENSARUM, QUAM OBTULIT REX SALOMON AD AEDIFICANDAM, &c. Hebr. *Et istud verbum tributi, quod ascendere fecit Rex Selomoh ad ædificandam*, &c. Varie alii. I. *Et hæc est ratio tributi, propter quam exegit Rex Selomoh, ad ædificandum*; id est, hæc est causa ob quam Rex Selomoh, nempe ut ædificaret, &c. quasi dicat: Hac via consecutus est Selomoh pecuniam reliquam, quam impendit in domum Domini, &c. Pertinet hoc ad vers. 20. & sequentes infra. II. *Hæc porro causa est*

eſt delectus, quem indixerat Rex Scelomoh, ut ædificaret, &c. de quo delectu vide ſup. cap. v. verſ. 13. Ergo hic tributum non reale, ſed perſonale accipiunt. ET MELLO. De Millo diximus in Iudic. IX. 6. & in II. Samuel. v. 9. Aiunt, hic locum fuiſſe in Ieruſalem, in quem populus Iſraeliticus conveniebat, cum de rebus ad publicam utilitatem pertinentibus erat conſultandum, a verbo מלא *male*, *implevit*, quod locus populo repleretur. Volunt fuiſſe locum ſine tecto & ædificio. Alii interpretantur, *Et munitionem ipſam*, videlicet Tziionis, quam David inchoavit, ipſe vero abſolvit. Nonnulli volunt, Salomonem aggeſta terra æquaſſe, & impleſſe ædificiis voraginem illam inter arcem Tziionis & urbem, quod David non fecerat: atque ibi, vel non procul conſtruxiſſe domum filiæ Pharaonis uxori ſuæ: & hunc eſſe Millo, quem Salomon hic dicitur ædificaſſe. Vide II. Samuel. v. 9. & infra verſ. 24. & cap. XI. verſ. 27. Mirum quod ſcribit S. Hieronymus in Iſaiæ XXXVIII. ad verſ. 8. *Cum Salomon idcirco Deum inter cetera offendiſſe dicatur, quod in ſublime ædificaverit Mello: unde atrium templi, deambulans in turre palatii deſpicere ſolitus ſit*. ET HESER. Hebr. *Chatzor*. De qua vide Ioſue XIX. verſ. 36. & cap. XI. verſ. 1. Erat in tribu Nephthali. ET MAGEDDO. Hebr. *Meghiddo*. Erat in tribu Menaſeh, Ioſue XVII. verſ. 11. eam deſcripſimus in Ioſ. XII. verſ. 21. ET GAZER. De Ghezer vide in Ioſue X. verſ. 33. cap. XVI. verſ. 3. cap. XXI. verſ. 21. Erat in tribu Ephraim.

V. 16. PHARAO REX AEGYPTI ASCENDIT, &c. Conſer hunc verſum cum Ioſ. XVI. verſ. 10.

V. 17. ET BETHORON INFERIOREM. Synecdoche. Bethchoron ſuperiorem, & inferiorem, ut diſerte explicatur II. Paralip. VIII. verſ. 5. De utroque Bethchoron vide Ioſue X. Erant in tribu Ephraim, Ioſue XXI. verſ. 22.

V. 18. ET BAALATH. Hebr. *Baghalath*, in tribu Dan, Ioſue XIX. verſ. 44. ET PALMIRAM. Heb. תמר *Thamor*. Altera lectio תדמור *Thadmor*, quæ firmatur ex II. Paralip. VIII. 4. *Thamor*. Heb. *Palma* eſt. Aliqui exiſtimant eſſe *Thamaran* Ptolemæi Lib. V. cap. XVI. in deſerto Iudææ, non procul ab Engaddi. Fortaſſe fuit civitas Palmarum, cuius mentio eſt Deuteron. XXXIV. verſ. 3. Iudic. cap. I. verſ. 16. & cap. III. verſ. 13. Sed Noſter, & plerique alii Palmiram interpretati ſunt. Ioſephus: *Ingreſſus deinde Salomon in deſertum quod eſt ſuper Syriam, eiuſque regionis potitus, urbem ibi maximam condidit, duorum dierum itinere a ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate vero uniùs; ad magnam autem Babylonem inde ſex dierum via protendebatur. Quare autem a reliquis cultæ Syriæ partibus hæc urbs tam procul habitetur, cauſa eſt hæc: quod mediterranea per deſertum petentibus, ibi demum fontes ac putei reperiuntur. Hac igitur urbe extructa, & mœnibus validiſſimis cincta, Thadamoram eam appellavit, quo nomine etiam nunc a Syris vocitatur: Græci Palmyram vocant*. S. Hieronymus in 48. Ezechiel. ad verſ. 19. *Thamar, quæ urbs in ſolitudine eſt, quam & Salomon miris operibus extruxit, & hodie Palmyra nuncupatur, Hebræoque ſermone Thamor dicitur, quæ lingua noſtra Palmam ſonat*. Palmiram deſcribit late Plinius Lib. V. cap. XXV. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. eius plurima mentio apud Flavium Vopiſcum in Aureliano; & Trebellium Pollionem in Triginta Tyrannis, in Odenato, & Zenobia, qui in ea regnarunt, & Romana arma exercuerunt. IN TERRA SOLITUDINIS. Hebr. *In deſerto, in terra*. Quidam exponunt: *In deſerto quod erat iuxta terram ſanctam*. Alii: *In deſerto*, ut referatur ad Palmiram, quæ fuit in deſerto, uti etiam Ioſephus, Plinius, & S. Hieronymus affirmant: *in illa terra*; hoc eſt, quæ omnia oppida in ipſo Salomonis regno, & intra fines a Deo deſignatos erant.

V. 19. ET IN LIBANO. Vide ſupra cap. VII. verſ. 2. & ſequentibus.

V. 21. HORUM FILIOS, QUI REMANSERANT IN TERRA. Vide Comment. in Ioſue IX. verſ. 19. QUOS.... NON POTUERANT FILII ISRAEL EXTERMINARE. Iuſto Dei iudicio: quia cum mandatum haberent, & poſſent, neglexerant. Vide Iudic. II. 21. 22. 23. FECIT SALOMON TRIBUTARIOS. Hebr. *Deſcendere fecit eos Selomoh in tributum ſervitutis*. Quidam: *His Salomon tributum ac ſervitutem imperavit*. Alii: *Adegit eos Selomoh in tributum ſervile. Eos*, id eſt dedititios; ſive ultro ſe of-

offerrent; sive pacem oblatam acciperent, ex lege Deuteron. xx. vers. 10. *Tributum servile*; id est, præter pecuniarum tributum, servitutem etiam personalem ab eis exigebat. USQUE AD DIEM HANC. Quidam exponunt. Id est in perpetuum: nam etiam post captivitatem nomen retinuerunt servorum Salomonis, Esræ II. vers. 55. 58. & Nehemiæ VII. vers. 57. 60. Vide de hac locutione Iosue cap. IV. vers. 9.

V. 22. ET MINISTRI EIUS. Hebr. *Et servi eius*, ingenua nimirum servitute, seu famulatu, & liberalibus officiis.

V. 23. ERANT AUTEM PRINCIPES SUPER OMNIA OPERA SALOMONIS PRAEPOSITI. Varie ex Hebræo convertunt. I. *Isti sunt principes præfectorum, qui erant super opus ipsi Selemoh*. II. *Ex his erant principes curatorum, qui præfecti erant operi, pro Selomone*. QUINGENTI QUINQUAGINTA. II. Paralip. VIII. vers. 10. dicuntur *ducenti quinquaginta*. Varie conciliant. I. Hic numerari principes præfectorum populo operario, sive in opificio occupato; in Paralipomenis vero recenseri principes præfectorum populi simpliciter. II. Hic numerari omnes principes præfectorum 550. ibi præcipuos tantum 250. III. Hebræi aiunt, præfectorum operum tres ordines fuisse: infimum, qui constabat ter millenis & trecentis, de quibus supra cap. v. 16. hic autem ordo qui erat numerosissimus, constabat proselytis: medium, qui continebat trecentos, etiam proselytos: & supremum, in quo numerabantur ducenti & quinquaginta, qui erant Israelitæ. Comprehendit ergo numerus hic descriptus medium & supremum ordinem: nam si trecentis addas ducentos quinquaginta, constitues quingentos quinquaginta. Ita conciliatur locus II. Paralip. VIII. vers. 10. cum hoc loco. Etiam in Paralip. numerantur 550. præfecti: nam II. Paralip. II. vers. 18. recensentur tria millia & sexcenti præfecti: de quo numero deducendi sunt trecenti, qui pertinent ad medium ordinem, & addendi 250. ex supremo ordine: & ita exurget numerus præfectorum operum trium millium quingentorum quinquaginta. IV. *Quingenti*: quorum ducenti quinquaginta, de quibus II. Paralip. VIII. 10. alternis curatione sua fungebantur; quinquaginta, alternis decurionum officium agentes, ab illis opus exigentes. Vide supra cap. v. 16. annotata.

V. 24. IN DOMUM SUAM, QUAM AEDIFICAVERAT EI SALOMON. Vide supra cap. VII. vers. 8. TUNC AEDIFICAVIT MELLO, de quo supra vers. 15. Videtur domus filiæ Pharaonis in ipso Milo, aut non longe fuisse.

V. 25. TRIBUS VICIBUS, &c. Id explicatur II. Paralip. VIII. vers. 13. ET ADOLEBAT THYMIAMA CORAM DOMINO. Hebr. *Et suffiendo super illud quod erat coram Iehovah*. Quidam: *Et suffitum adoleri curabat in eo quod erat coram Iehova*, id est in thymiaterio, sive altari thymiamatis. Est autem synecdoche, pro eo quod est, cultum Dei exercebat ex lege, ut explicatur II. Paralip. VIII. 12. & sequentibus.

V. 26. IN ASIONGABER, QUAE EST IUXTA AILATH. Hebr. *In Hetzion-Ghaber, ad Eloth*. Quidam: *Hetzione-Gheberi, quæ est prope Elothas*. De *Hetzion-Gheber*, & de *Eloth*, vide Numeror. XXXIII. vers. 35. Videntur hæc duo loca nomen accepisse a copia materiæ fabricandis navibus aptæ: nam *hetzion-gheber, lignum-prævalidum*; *eloth* vero *quercus, filices, abnos*, licet interpretari; ut recte in his locis classis fabricari potuerit, ut hic dicitur.

V. 28. IN OPHIR. Vide in Genes. X. vers. 29. Iosephus: *Quin & classem Rex in Ægyptio sinu ædificavit, in quodam loco ad mare rubrum, qui nominatur Asiongaber: hæc nunc Berenice vocatur, non procul ab Elana urbe, quæ regio tunc in Hebræorum ditione censebatur. Et in hac quoque classe munificentia Iromi Regis amici fuit usus: viros enim gubernatores, & nauticæ rei peritos ei misit, quotquot voluit: qui navigantes cum regiis procuratoribus in regionem Indiæ, olim Sophiram (pro Ophiram) nunc Auream terram, aurum illi afferrent*. Ceterum de Ophir vide amplissimam tractationem in Antichristo nostro, Lib. IV. a cap. XXIX. usque ad XXXVII. Erat *Aurea Chersonesus*. QUADRINGENTORUM VIGINTI TALENTORUM, id est, ut quidam volunt, vicies, quinquies centena, viginti millia aureorum. Sed cum talentum Hebraicum continuerit tria millia siclorum, & siclus quatuor aureos Hispani-

nicos; duplo maior ſumma reſultat: nempe 420. talenta efficiunt unum millionem & ducenta ſexaginta millia ſiclorum, hoc eſt quinque milliones & quadraginta millia aureorum Hiſpanicorum. Vide ſupra cap. VIII. 14. Ingens plane opulentia! At in II. Paralipom. VIII. verſ. 18. eſt acceſſio triginta talentorum: nam referuntur detuliſſe quadringenta quinquaginta talenta auri. Conciliant: quadringenta viginti talenta ad Regem a lata; triginta reliqua in uſum claſſis abſumpta. Maiores opes a multis retro iam annis, claſſibus Hiſpanicis devehuntur quotannis ex Novo Orbe occiduo: nam ſingulis annis inde in Hiſpaniam inferuntur decem aut duodecim milliones, interdum tredecim; & quando minus, novem.

MENOCHII.

Verſ. 1. A EDIFICIUM REGIS: de quo cap. VII. ſtatim initio. OMNE QUOD OPTAVERAT, ET VOLUERAT FACERE, circa utramque domum, Domini ſcilicet, & ſuam: dicitur enim II. Par. VII. 11. *Omnia quæ diſpoſuerat in corde ſuo ut faceret in domo Domini, & in domo ſua.*

V. 2. APPARUIT EI DOMINUS, &c. de nocte ſcilicet, & in ſomnis apparuit degenti Ieroſolymis.

V. 3. DIXITQUE DOMINUS AD EUM. Hæc Domini oratio ad Salomonem, eſt reſponſio ad poſtulationem a Rege in templi dedicatione tredecim annis ante factam: quibus ſcilicet tredecim annis domum ſuam, poſt abſolutum, & dedicatum templum, ædificavit III. Reg. LXXI. Videtur tamdiu dilata, ut quo recentior erat tam ſeria, & ſevera monitio, & luctuoſæ depravationi propinquior, hoc etiam potentior eſſet ad hominem in officio continendum. Alioqui minime neceſſaria erat hæc reſponſio, quæ manifeſto ſigno divinæ præſentiæ, & miraculo miſſi divinitus ignis II. Paral. VII. 1. ſatis aperte facta eſt. SANCTIFICAVI, &c. quaſi dicat: Mihi confecraví templum ante excitatum, per viſibilem in nube apparitionem, qua illius quaſi poſſeſſionem accepi, & quidem in ſempiternum, quod intelligendum eſt conditione ſervata, quæ ſtatim ſubditur.

V. 4. IN SIMPLICITATE CORDIS, corde puro, recto, & ſincero. In Hebræo eſt, *Perfectione*. Chaldæus habet, *Veritate*. Septuaginta, *Sanctitate*. AEQUITATE, rectitudine. LEGITIMA, leges, ſtatuta, cæremonias.

V. 6. SI AUTEM AVERSIONE, &c. Hæc comminatio totidem pene verbis olim a Moyſe prænuntiata fuerat Deut. XXIX. 24. & cum minæ fere iam in rem verſæ eſſent, iterata fuit a Ieremia Propheta cap. XXII. verſ. 8.

V. 7. IN PROVERBIUM: ut ſcilicet quaſi proverbiali formula dicatur, Iudæorum mala, Iudæorum infortunia. FABULAM: ut ſcilicet omnes de tuis malis loquantur, tuæ ærumnæ in omnium ore verſentur.

V. 8. DOMUS HAEC ERIT IN EXEMPLUM, divinæ ſcilicet vindictæ.

V. 11. DEDIT SALOMON HIRAM VIGINTI OPPIDA, &c. ad aliquot annorum uſum fructum, ut vult Abulenſis quæſt. VIII. ut ſcilicet inde tributa colligeret, donec pro lignis cedrinis, & abiegnis, & centum viginti talentis auri, &c. illi eſſet ſatis factum. IN TERRA GALILAEAE, Galilææ ſcilicet gentium, ſive ſuperioris, quæ Tyriis, Sidoniis, & univerſæ Phœniciæ vicina erat. Inferior vero Galilæa propinqua erat mari Geneſareth, quod etiam ab ea mare Galilææ dicebatur. Galilæa gentium, ſive ſuperior, occidentalior erat, inferior autem orientalior.

V. 12. NON PLACUERUNT EI: propterea quod ex oppidis non opulentis, neque fertili ſolo, ſed paluſtri, & uliginoſo (ut quidam interpretantur terram Chabul) vel arenoſo, & infertili, ut alii, aut denique vili, & contemptibili ſperatam utilitatem intra annos pactos ſe colligere poſſe non crederet.

V. 13. TERRAM CHABUL, id eſt, idiomate Phœnicum, ut ait Ioſephus, *Non placens*; alii tamen aliter interpretantur, ut dixi.

V. 14. MISIT, id eſt miſerat, multo ſcilicet ante. Ita Vatablus, Sa, & Salianus. CENTUM VIGINTI TALENTA AURI. Vide notata cap. ſeq. num. 10.

V. 15. HAEC EST SUMMA, non pecuniarum, ſed operum, & ædificiorum; ut ſenſus ſit: Hæc eſt enumeratio, hic ca-

catalogus operum in quibus Rex multum pecuniarum expendit. Moxque recensentur templum, domus regia, &c. Quod vero dicitur, *Obtulit*, sive, ut in Hebræo est, *Ascendere fecit*, idem videtur esse quod *attulit*, vel *erogavit*. Ita hunc locum explicat Sanchez. Vatablus vertit: *Et hæc est ratio tributi propter quam exegit Rex Salomon ad ædificandum domum Domini*, &c. Itaque exprimitur causa cur populo tributum imposuerit Salomon. MELLO. *Mello* vallis erat sive vorago inter montem Sion, in quo erat arx David, & montem Moria, in quo extructum est templum. Ut ergo commode a regia ad templum transiri posset, magno labore, & expensis Salomon hos duos montes ponte iunxit: quod ut fieret, magnæ excitandæ fuerunt substructiones & pilæ. Ita Sal. Salomonis anno 12. num. 2. & 4. Alias expositiones ædificationis Mello vide apud Pinedam Lib. V. cap. XI. HESER: Hebraice *Hasor*: fuit in tribu Nephthali; & illius mentio fit non semel in Libro Iosue, & Libro Iudicum. MAGEDDO. Urbs sita in tribu Manasse cis Iordanem, Philisthæis contermina. GAZER. Urbs in tribu Ephraim, eademque Levitica, & urbs refugii a Iosue constituta.

V. 16. CEPIT GAZER, quam non possidebat Salomon, sed Chananæi, & Philisthæi occupabant, ut patet ex hoc loco, & ex I. Par. XX. 4.

V. 17. BETHORON INFERIOREM, cui additur II. Par. VIII. 5. Bethoron superior. Bethoron inferior erat in tribu Beniamin, ut constat ex Iosue XVIII. 13. & XIV. Bethoron superior in tribu Ephraim, ut patet ex Iosue XVI. 5.

V. 18. BAALATH. Hæc urbs ab Adrichomio ponitur in tribu Dan. PALMIRAM. Iosephus Lib. VIII. cap. II. ponit eam in deserto quod est super Syriam, & ait bidui itinere a superiore Syria distare, ab Euphrate vero unius diei. Addit eam urbem ibi extructam, quod mediterranea per desertum petentibus, ibi demum fontes, ac putei reperirentur. De hac eadem Palmira vide Plin. Lib, V. cap. XXV.

V. 19. CIVITATES CURRUUM, ET CIVITATES EQUITUM. Quænam essent urbes quadrigarum, & equitum, ex proprio nomine, aut loco non constat, sed ex officio: destinatæ enim erant nutriendis Salomonis equis, tam qui curribus, quam qui equitibus serviebant: nam, ut dicitur II. Par. IX. 25. habuit Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum, equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, & ubi erat Rex in Ierusalem. IN IERUSALEM, ET IN LIBANO. D. Hieronymus ex Hebræorum traditione Libanum templum interpretatur, quod in eo multa essent ligna Libani. Hanc explicationem sequitur Glossa, Hugo, & Pineda. Alii, ut Vatablus, & Sa, de domo Saltus Libani agi putant, non de monte Libano. Salianus anno Salomonis 25. num. 6. cum Abulensi interpretatur de fabrica aliqua in terra Emath ad radices Libani, quod colligi videtur II. Paralip. VIII. 3. ubi dicitur: *Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam, & ædificavit Palmiram in deserto.*

V. 23. PRÆPOSITI QUINGENTI QUINQUAGINTA. Multo plures habuit Salomon cum ædificatio templi ferveret, ut supra vidimus cap. V. num. 16.

V. 24. ASCENDIT DE CIVITATE DAVID, &c Causa propter quam Salomon Pharaonis filiæ proprias ædes attribuit, putat Salianus, anno Salom. XXV. nu. 5. fuisse religionem: quia scilicet magis decens erat, licet non omnino necessarium, ut mulier quæ gentilibus parentibus orta erat, licet proselyta, & Regis esset filia, seorsim ageret. Plurimum enim Hebræis alienigenas, qui ad populum fidelem non pertinerent, aversabantur.

V. 25. OFFEREBAT QUOQUE SALOMON, &c. Videtur significari Salomonem sacrificiorum aliquot fundationem, ut appellant, instituisse sumptibus suis, quod clarius apparet ex II. Paralip. VIII. 12. ubi legimus: *Tunc obtulit Salomon holocausta Domino, super altare Domini, quod extruxerat ante porticum*, id est pretium holocaustorum, sive victimarum: nam sequitur: *Ut per singulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moysis in sabbatis, & in calendis, & in festis diebus per annum, id est in solemnitate azymorum, hebdomadarum, & tabernaculorum.* Dedit ergo Salomon sumptus ordinarios in sacrificia paschæ, pentecostes, & scenopegiæ, & præterea in singulos dies sabbati, & calendarum.

AD-

ADOLEBAT THYMIAMA, ſuis expenſis per ſacerdotes.

V. 26. CLASSEM QUOQUE FECIT... IN ASIONGABER. *Aſiongaber* portus eſt in ora maris rubri in Idumæorum ditione: quod diſcimus ex hoc loco, & ex II. Par. VIII. 17.

V. 28. IN OPHIR, quæ eſt provincia, vel potius inſula in India orientali. De Ophir variæ ſunt ſententiæ, & quæſtiones, quas vide apud Pinedam de rebus Salomonis Lib. IV. cap. III. uſque ad 17. Salianus anno Salomonis IV. num. 42. cum iis ſentit qui aiunt, Ophir eſſe inſulam Taprobanam, quæ etiam Sumatra dicitur.

TIRINI.

Verſ. 13. APPELLAVIT EAS TERRAM CHABUL, quod Phœnicum, id eſt Tyriorum, & Sidoniorum lingua ſignificat *vile*, inquit Ioſephus: Hebraice ſignificat *compedes*, inquit Mariana; quod ager civitatum illarum nimiis arenis, vel nimio luto ſuo, quaſi compedibus detinere viatores. Ita ex Rabbinis Lyranus. Hæc viginti oppida conceſſerat Salomon Regi Tyrio pro viginti annorum operis & impenſis. Conceſſerat, inquam, non quo ad dominium (quia ex funiculo Iſraelitico, utpote hereditate Domini Dei, non poterat quippiam perpetua dominii translatione abalienari, Levit. XXV. 23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos advenæ & coloni mei eſtis: unde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur*;) ſed ſolum quo ad uſumfructum: ut nempe fructus illius regionis tamdiu perciperet, quo ad impenſas factas recuperaſſet. Et erant hæc oppida in ea regione Galilææ quæ Tyro vicina eſt, quæque exinde *Galilææ gentium* appellata eſt Iſaiæ IX. 1. Verum cum Hiram per otium ea oppida contemplatus eſſet, neque talia putaret, ex quibus niſi longo tempore, & gravi moleſtia ſumptus factos recuperare poſſet; noluit ea admittere *a*, ſed aliam prompto ære ſolutionem depoposcit. Ita Ioſephus. Et Salomon, ut animo erat generoſo, præſtit extemplo quod petebatur. *Summa* vero *expenſarum*, ut hic dicitur, quam Hiram repetebat, & quam Salomon ei promptam obtulit, erant centum viginti talenta auri *b*, quæ ſubciſivis temporibus ante miſit, ſeu miſerat Hiram ad Regem Salomonem, ad ædificandam domum Domini, domum regiam, & alia ædificia.

V. 19. MUNIVIT validis muris OMNES VICOS, non quotquot in Iudæa erant (quia fruſtraneum hoc & immenſi operis eſſet) ſed quotquot in finibus erant, & contermini hoſtibus: item CIVITATES CURRUUM ET EQUITUM; id eſt, in quibus currus, & equites fovebantur, novis mœnibus ſepſit, ut non ſolum ornamento Iſraeli, ſed & præſidio ac munimento eſſent adverſus hoſtium incurſiones.

V. 24. TUNC ÆDIFICAVIT MELLO. Erat hæc *d* publica Ieroſolymis area, & par profundior vallis latiſſimæ Mellonti Sion ſubiecta, quæ quod frequenti hominum multitudine incoleretur, dicta fuit *Mello*, quæ vox *multitudinem* indicat. Hanc aream Salomon, ut uxoris ſuæ, filiæ Pharaonis, commodo deliciiſque ſubſerviret, publico ereptam, & ædificiis variis conſtructam vicino uxoris palatio adiecit. Quæ populo, & in primis Ieroboamo, murmuris primum, dein & rebellionis occaſio fuit, ut infra cap. XI. verſ. 26. videbimus.

V. 25. OFFEREBAT SALOMON TRIBUS VICIBUS PER ANNOS SINGULOS HOLOCAUSTA, &c. Puta in paſchate, pentecoſte, & ſcenopegia, ut explicatur II. Paralip. VIII. verſ. 13. non quod aliis diebus nihil offerret (nam ibid. dicitur obtuliſſe Salomonem templo quæ neceſſaria erant, ut per ſingulos dies holocauſtum offerretur;) ſed quod illis tribus primariis feſtis maiori ſolemnitate & pompa hoſtias Rege dignas offerret. De claſſe Hiram, & de Ophir, vide II. Paralipomenon. VIII.

(*a*) Ioſeph. Lib. VIII. Antiquit. cap. II.
(*b*) Colligitur ex I. Paral. cap. VIII. verſ. 2.
(*c*) Vide Prolegom. de Ponderibus.
(*d*) Sophon. I. verſ. II.

GORDONI.

Verſ. 1. QUI rectius ſentiunt, Salianus, & Torniellus, hanc apparitionem referunt ad annum Salomonis vigeſimus tertium vel vigeſimum quartum, ut facile colliget lector ex anno inchoati templi, ſeptem extructionis annis,

& tredecim annis ædificiorum regiorum. Adde hic verſ. 20. ubi notantur viginti anni poſt hæc completa.

V. 11. & 13. Expletis viginti annis, quibus Hiram adfuit Salomoni, dantur ei urbes viginti, quas contempſit ut exiguam mercedem. Vocavit TERRAM CHABUL, id eſt *Iutoſam*. Phœnicum lingua, abiectum aliquid deſignare dicitur. Erant in Galilæa, gentium dicta, quod eſſet in confinio gentium. Vide II. Paral. VIII. 1.

V. 14. MISIT QUOQUE HIRAM, &c. Multa ſane contulit Hiram, qui præter alia, de quibus ſupra, etiam hanc ingentem auri vim miſit ad Salomonem; ut mirum non ſit eum contempſiſſe urbes a Salomone datas. Hæc miſſa erant ante complectum opus regium.

Verſ. 15. HAEC EST SUMMA EXPENSARUM: hæc eſt materia, & cauſa expenſarum quas fecit Salomon: fuit nempe exſtructio horum quæ hic recenſentur. דבר *dabar*, Noſter *ſummam* vertit; ſed rationem & cauſam etiam ſignificat: πραγματεία τῆς προσομιᾶς, ex LXX. MELLO, ut ſupra II. Reg. v. 9.

V. 18. PALMIRAM. Inter ea quæ tot ſumptibus inſtauravit, & extruxit Salomon, eſt Palmira, Septuag. *Thamor*. Ioſeph. Lib. VIII. ait Palmiram vocari a Græcis. Euphrati vicina eſt, & Odenati, ac Zenobiæ imperio nobilis.

V. 26. CLASSEM QUOQUE FECIT. Mirum eſt aliquos per Ophir intellexiſſe vel Hiſpaniam, vel Peruanam provinciam: præſertim cum claſſis hæc fuerit in mari rubro; ut notiſſimum erit agnoſcenti topographiam, & ſtatum illorum temporum. Ophir ſane in oriente eſt, & orientis regio vel inſula, nec forte multum diſtans a mari rubro: nam in plaga illa reperiuntur quæ hic recenſentur, aurum, ebur, aromata, gemmæ, & ſimilia: ac vix niſi poſtremis ſæculis detecta Peruana provincia eſt, & innotuit navigandi per tam diſtantes orbis partes peritia.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO. De hac apparitione conſtat eveniſſe tredecim annis poſt dedicationem templi, & petitionem Salomonis tunc factam; quaſi nunc (ut aliqui interpretantur) reſpondeat Deus in ſomno iſto, ad illam petitionem. Vide ſimilia propoſita a Moſe Deut. XXIX. verſ. 24.

V. 15. SUMMA. Cauſa, inquit, expenſarum fuit ædificatio templi, palatii, Mello, &c. HESER eſt in tribu Nephtalim. MAGEDDO, urbs in tribu Manaſſe cis Iordanem. GAZER in tribu Ephraim, urbs Levitica ſub Ioſue. Alia mox recenſet quæ ædificavit. Interim ex verſ. 16. conſtat Gazer fuiſſe in poteſtate Chananæorum, antequam eam expugnaret Rex AEgypti.

V. 17. BETHORON inferior eſt in tribu Beniamin.

V. 18. BAALATH IN TRIBU DAN. De Palmira dixi.

V. 19. IN LIBANO, hoc eſt circa domum regiam, quæ vocata eſt *Saltus Libani*, cap. VII. verſ. 2.

C A-

CAPUT X.

Venit Regina Saba ad Regem Salomonem: quæ eius mirata ſapientiam, magnificentiam & gubernationem, datis acceptiſque amplis muneribus, diſceſſit: Salomon multum tributum ac aurum aliunde accipit; vaſa & ſcuta, magnificumque thronum conſtruit: multam ac pretioſam habet ſupellectilem in vaſis, curribus & equis, in abundantia argenti ac cedrorum.

1. SEd (*a*) & Regina Saba, auditâ fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. 2. Et ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei univerſa quæ habebat in corde ſuo. 3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ propoſuerat: non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere, & non reſponderet ei. 4. Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, 5. & cibos menſæ eius, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra ſpiritum: 6. dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea, 7. ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior eſt ſapientia & opera tua, quam rumor quem audivi. 8. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. 9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem, ut faceres iudicium & iuſtitiam. 10. Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas: non ſunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni: (11. Sed & (*b*) claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit de Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretioſas. 12. Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & citharas lyraſque cantoribus: non ſunt allata huiuſcemodi ligna thyina, neque viſa uſque in præſentem diem.) 13. Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit & petivit ab eo: exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reverſa eſt, & abiit in terram ſuam cum ſervis ſuis. 14. Erat autem pondus auri, * quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri: 15. excepto eo, quod afferebant viri qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, univerſique ſcruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ, duceſque terræ. 16. Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius. 17. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant: poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani. 18. Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtivit eum auro

fulvo nimis, 19. qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas. 20. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde: non eſt factum tale opus in univerſis regnis. 21. Sed & omnia vaſa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea: & univerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo: non erat argentum, nec alicuius pretii putabatur in diebus Salomonis, 22. quia claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pavos. 23. Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ, divitiis, & ſapientia. 24. Et univerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, ut audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. 25. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes & arma bellica, aromata quoque, & equos & mulos, per annos ſingulos. 26. Congregavitque Salomon currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per civitates munitas, & cum Rege in Ieruſalem. 27. Fecitque ut tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quaſi ſycomoros quæ naſcuntur in campeſtribus. 28. Et educebantur equi Salomoni de AEgypto, & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant. 29. Egrediebatur autem quadriga ex AEgypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum & Syriæ equos venumdabant.

(a) II. Paralip. IX. 1. Matth. XII. 42. Luc. XI. 31. (b) II. Paralip. IX. 10. (c) I. Paralip. I. 24.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 14. *Quod afferebatur Salomoni.* Non ſcribas *offerebatur* pro *afferebatur*, vocalem inquam quartam pro prima.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SABA per ש *ſcin*, ſcilicet ea quæ in Arabiæ: nam quæ in AEthiopia, per ס *ſamech*. Vide Pſalm. LXXI. ubi pro *Arabum* & *Saba*, Heb. שבא וסבא *Sceba* & *Seba*. IN NOMINE DOMINI, id eſt de iis quæ faciebat Domini ope. TENTARE, id eſt facere periculum eius ſapientiæ. AENIGMATIBUS, id eſt difficilibus quæſtionibus.

V. 2. INFINITUM. Hebr. Chald. & LXX. *multum*,

V. 5. ET HOLOCAUSTA, &c. ſic etiam Chald. & LXX. Quidam vertunt Hebræa ſic: *Et aſcenſum, quo aſcendebat in domum Domini.* NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM; id eſt, erat diu extra ſe præ ſtupore.

V. 9. IUDICIUM ET IUSTITIAM, id eſt iudicium iuſtum.

V. 11. THYINA. Quidam *coralia* vertunt, alii *habenum*, alii *lignum Braſilicum*. Chald. *coraliorum*.

V. 12. FULCRA, ſcilicet graduum quibus aſcendebatur.

V. 15. VIRI QUI SUPER VECTIGALIA ERANT, ET NEGOTIATORES. Hebr. *Mercatores aromatarii*. Chald. *Artifices, & mercatores*. Septuaginta, *Tributarii, & mercatores*. UNIVERSIQUE SCRUTA VENDENTES; quaſi dicat, *merciaria* (ut vulgo dicitur) ſeu aromata, reſque ſimiles; quamquam Heb. Chald. & LXX.

& LXX. non aliud habent, quam quod proxime diximus ſup. ad verſ. 15. TERRAE, ſcilicet Iſraelitæ.

V. 16. SCUTA. LXX. *lanceas*. AURI SICLOS. II. Paralip. IX. *aureos* vertit: aut ergo hic *ſicli auri*, pro *aureis* poſiti, aut illic *aurei*, pro *auri ſiclis*. Quidam utrobique *aureis* vertunt, alii *minas*. IN LAMINAS SCUTI UNIUS. Hebr. & Chald. *in ſingula ſcuta*.

V. 17. PELTAS. Genus eſt ſcuti. TRECENTAE. Hebr. Chald. & LXX. *tres*. MINAE: alii *libræ*, ſed idem eſt: eſt autem quibuſdam *libra*, ſeu *mina auri*, centum aurei.

V. 18. FULVO, ſcilicet ſplendenti, ſeu puro. LXX. *probato*: Chald. *bono*: alii *obryzo*.

V. 19. MANUS, id eſt fulcra, ſcilicet quibus ſedens ſolet brachiis niti. Chald. *ſuſtentacula*. STABANT, ſcilicet fulcra dicta ſuſtinentes.

V. 21. ARGENTUM, ſcilicet in uſu, ſeu miniſterio, nempe ex eo vaſa non ſiebant ad Regis uſum, cap. XII. verſ. 22. NEC. LXX. *quia non*.

V. 22. CLASSIS. Hebr. & LXX. *Navis Tharſis*. Chald. *Navis Africana*. IBAT IN THARSIS, id eſt mare, vel inſulam aliquam, aut locum eo nomine. Quidam putant Sophalam eſſe, unde Luſitanis aurum plurimum. Hebr. *Veniebat navis Tharſis*. Chald. *Veniebat navis Africana*. LXX. *Veniebat navis ex Tharſis*.

V. 26. MUNITAS. Hebr. Chald. & LXX. *curruum*. ET CUM REGE. Chald. *Præter eos qui erant cum Rege*.

V. 28. DE COA. Alii *telam byſſinam* vertunt.

V. 29. ARGENTI, ſcilicet empta. ET EQUUS; pro, nam equus. VENUMDABANT: Hebr. Chald. & LXX. *obtinebant*, ſcilicet opera mercatorum Salomonis, quibus Rex Pharao permittebat ex AEgypto, equos educere.

ESTII.

Verſ. 1. SED ET REGINA SABA. Saba civitas vel regio erat in Arabia feliciſſima, nomine accepto a Saba filio Regma, filii Chus, filii Cham, vel, ut alii volunt, a Saba filio Iectan, filii Heber, de quibus Geneſ. cap. X. Sed veriſimilius eſt, ſic dictam regionem a Saba filio Regma, & fratre Dadan, ſeu Dedan. Nam Ezech. cap. XXXVIII. ſimul iunguntur Saba & Dedan. Vide etiam Pſalm. LXXI. Nec repugnat quod Matth. cap. XII. & Lucæ cap. XI. Regina hæc vocatur Regina Auſtri, & quod venerit a finibus terræ, quaſi ab extremo orbe. Nam Arabia felix reſpectu Iudææ etiam quodammodo auſtralis eſt. Et quod ad alterum attinet, more Scripturæ ſacræ, omnes regiones procul ſitæ, præſertim quæ mari terminantur, dicuntur fines terræ. Talem autem eſſe Arabiam felicem patet ex chartis geographicis. Falluntur igitur qui Reginam hanc veniſſe putant ex AEthiopia, quæ ſub AEquinoctiali in Africa ſita eſt, cuius populi ætiam hodie Chriſtiani ſunt. Non enim ibi Saba ulla ſita eſt, cuius vel Scriptura ſacra, vel alii ſcriptores meminerunt. AUDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI, VENIT TENTARE EUM IN AENIGMATIBUS. Quod dicitur, *In nomine Domini*, ita a nonnullis accipitur, quaſi ſignificetur Reginam Saba fuiſſe veri Dei cultricem, & verum Deum agnoverit, etiam priuſquam ad Salomonem veniret, & ab eo inſtrueretur; ut ſenſus ſit: *Venit in nomine Domini*, id eſt profitens nomen & religionem unius veri Dei. Sed hic ſenſus nonnihil contortus eſt. Alii ſic exponunt, & probabilius: Regina Saba, poſteaquam audiſſet famam Salomonis ex nomine Domini, venit ut tentaret eum; quaſi dicat: Cum audiſſet famam eorum quæ faciebat Salomon in nomine Domini, ſeu ex ea ſapientia quam acceperat ab uno vero Deo, & non auxilio plurium dæmonum, venit eum tentare in ænigmatibus. Atque iſtud etiam facit contra eos, qui fabulantur Salomonem uſum fuiſſe opera dæmonum, quos coniuraverat.

Per ænigmata autem non intelliguntur ea quæ vulgo ænigmata dicuntur, id eſt quæ verbo tenus tantum intricata & obſcura ſunt, ſed quæcunque acutæ & obſcuræ quæſtiones, nimirum de rebus obſcuris, & intellectu difficilibus, ſive quæ ad mores & regnorum adminiſtrationem conducunt. Et quia omnes illas dilucide ſolviſſe legitur Salomon, hinc mirifice eius ſapientia commendatur.

Myſtice ſignificatur per hanc Reginam po-

populus gentilis, qui audita fama veri Salomonis Christi, venit ad eum, & omnium perplexitatum quas passus est, de ultimo fine, & beatitudine hominis, de immortalitate animæ, de natura Dei, solutionem ab eo accepit. Contulit etiam ipsa gentilitas vicissim suas scientias naturales ad utilitatem Ecclesiæ Christi.

MARIANAE.

Vers. 1. REGINA SABA, AUDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI, scilicet eorum quæ faciebat in nomine Domini, non idolorum ope. Sept. *Audivit nomen Salomonis, & nomen Domini*. Porro Regina Saba ab AEthiopibus *Maqueda* vocatur: sic Damianus Goes in Confess. AEthiopica: a Iosepho Lib. VIII. cap. VI. *Nicaula*. Per *w* scribitur *Saba*, est alia per D. Ubi utraque, magna quæstio est, neque facile expeditur. De hac re Georg. Ven. problem. CCCCLXXXIIII. Sed versimilius est *Saba* per *w* esse in Africa, unde AEthiopes constanter affirmant venisse hanc Reginam, & palatii eius ibi vestigia monstrant; *Saba* per D esse in Arabia felici, unde Sabæi molles dicti.

V. 2. CUM COMITATU, ET DIVITIIS. Hebr. *cum potestate gravi*. Hebræus, id est cum multa substantia: & sane dives sæpe *gravis* Hebr. vocatur, propter impedimenta quæ secum defert.

V. 5. ET ORDINES MINISTRANTIUM videns; Hebr. *assistentium*; Septuag. *cathedram servorum*; Chald. *discubitum*: scilicet mirabatur ea Regina. Verus est sermo quem audivi

V. 7. SUPER SERMONIBUS TUIS, aut *rebus tuis*. Utrumque vox Hebr. significat. MAIOR EST SAPIENTIA ET OPERA TUA. Hebr. *Maior est sapientia & bonum*, pro *bona*, ut Sept. id est, felicitas tua maior est quam fama. Posuit te Regem, eo

V. 9. QUOD DILEXERIT DOMINUS ISRAEL. Boni Reges pro meritis populi, sicut e contrario mali. UT FACERES IUDICIUM ET IUSTITIAM. *Iustitia* pro misericordia sumi potest. Classis attulit

V. 11. LIGNA THYINA. Hebr. *ligna almugbim*. Chald. *coralia* putat, quod plerique sequuntur. Sed coralium non est lignum, neque ex eo fieri poterant citharæ & lyræ. Quidam ex Hebræis *brestium* ait fuisse, nescio unde; alii *hebanum*. Ex iis fecit

V. 12. FULCRA DOMUS DOMINI, scilicet ligna quæ ex utraque parte graduum quasi lorica ponuntur. LYRASQUE. Hebr. *nablos*, scilicet qui utre inflantur: *nebel* est *uter*. Dedit Salomon Reginæ

V. 13. MUNERE REGIO. Hebr. *iuxta manum Salomonis*; id est, dedit Reginæ dona, ut eo dignum erat, scilicet magna. Ex auro, quod annuum offerebatur Salomoni,

V. 16. FECIT...DUCENTA SCUTA DE AURO PURISSIMO. Chald. *auri boni*. Hebr. *de auro extenso*, scilicet in laminas. SEXCENTOS AURI SICLOS, scilicet in quolibet scuto. Hebr. *sexcentos auri*, id est *aureos*: sic Sept. & Chald. sed bene suppleri potest *siclos*. II. Paralipom. XIX. 15. Hieronymus ipse *aureos* vertit.

V. 17. TRECENTAS PELTAS EX AURO PROBATO. Hebr. *extenso*. TRECENTAE MINAE AURI. Hebr. *tres minæ*: sic Chald. & Sept. Et vere quis posset trecentas minas portare, sive mina pendat sexaginta siclos, ut Ezech. ait cap. XLV. vers. 12. sive, ut Rabbini, centum drachmas. *Zuzin* ipsi drachmas vocant.

V. 18. AURO FULVO NIMIS vestivit thronum, id est splendenti. Vox Heb. *mupaz* non est nota. Sept. *probato*. Chald. *bono*. Pagn. *rotundo*. Hebræus *fusili*. An *muphaz* idem est quod *ex uphaz* פָּזוּף, id est *ex Ophir*, ut Ierem. X. 9.

V. 19. SUMMITAS THRONI ROTUNDA ERAT. De corona throno superposita poterat explicari, nisi adderet, IN PARTE POSTERIORI. Ergo a tergo aut tabula erat semicirculi forma, aut globus aliquis. DUAE MANUS, id est duo repagula, & quasi loricæ.

V. 21. UNIVERSA SUPELLEX. Heb. *omnia vasa, de auro*. NON ERAT ARGENTUM, in omnibus illis vasis scilicet.

V. 22. CLASSIS...IBAT IN THARSIS. Ubi Tharsis esset non satis constat, neque explicatur ex quo portu ea classis solveret: longinquam fuisse declarat, quod tribus annis fiebat ea navigatio. Sed & nondum magnetis usu invento, non se committebant mari, tantum legebant littora,

tora ; ea moræ cauſa maioris . Peritiores putant eſſe Carthaginem, nam Tunetum vicina urbs etiam Arabice *Tharſis* vocabatur . Verum ex II. Paralip. xx. 36. ut irent in Tharſis, claſſis fit in Aſiongaber : Sic Zophala in dorſo Africæ ultra Bonæ ſpei Promontorium eam laudem ſibi arrogat, ut ſit Tharſis . Indigenæ id accepiſſe a maioribus aiunt . Abundat auro hodie etiam. De quo in noſtris Hiſp. Annal. Lib. XXVI. cap. xx. Deferebant ſinguli munera

V. 25. PER ANNOS SINGULOS. Nempe tributi nomine munera ea afferebantur. Currus diſpoſuit

V. 26. PER CIVITATES MUNITAS. Hebr. *per civitates currus*, id eſt *curruum*: ſic Sept. & Chald. id eſt, ubi currus collocabantur.

V. 28. DE COA. Sic Septuag. Verum Hebr. vox *miku eh*, pro qua Noſter vertit *de Coa*, non eſt nota omnibus . Chald. putat ſignificare *congregationem*, hac ſententia: *Et congregatio mercatorum Regis accipiebant congregationem pretio*: ſcilicet mercatores qui gregatim ibant propter deſerta, multos equos ab AEgyptiis a mercatoribus , & eorum congregatione pretio emebant . Alii putant *filum*, ſeu *telas* ſignificare . Itaque equi , & telæ lineæ afferebantur. Mercatores Regis accipiebant pretio eas telas ſeu fila . De equis quo modo emerentur nihil dicit.

V. 29. EGREDIEBATUR QUADRIGA, id eſt emebatur eo pretio. SEXCENTIS SICLIS ARGENTI. Hebr. *ſexcentis argenteis*, ſic Chald. & Sept. EQUOS VENUMDABANT . Hebr. *In manu eorum exire faciebant*; id eſt , per manus eorum mercatorum , atque illo pretio equos accipiebant Reges illi Syriæ: non poterant habere equos, niſi per mercatores Regis. Omne commercium AEgypti ad ſe averterat Salomon: magnum ex eo vectigal.

MALVENDAE.

Verſ. 1. REGINA AUTEM SABA . De regione Seba, unde hæc Regina venerit, de nomine eius proprio, de his quæ ad Salomonem attulerit, ample diſſeruimus Lib. VI. de Antichriſto, cap. XXVII. & cap. XXVIII. ut nihil opus ſit ea huc tranſcribere. Sibyliam fuiſſe tradunt. AElianus Lib. XII. Variæ Hiſtor. cap. XXXV. *In Sibyllis numerant Cumanam, & Iudæam*. Pauſanias in Phocicis, num. 328. *In fatidicarum feminarum numero conſcripſerunt . Hebræi , qui ſupra Paleſtinam ſunt , gentilem ſuam Sabbam nomine , quam Beroſo patre , matre Erymanthe genitam tradunt . Hanc alii Babyloniam, alii AEgyptiam alii Sibyllam vocant*. Ethnici Scriptores rerum Hebraicarum ignari , facile hallucinati ſunt, Sabam eam a patria appellantes , & Iudæam facientes , cum fuerit AEthiopica. Cedrenus pag. 77. Annal. *Regina Sabæ , quæ a Græcis Sibylla dicta fuit*. AUDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI. Hebr. *Audiens famam Salomonis nomini Iehovah*. Quidam: *Audiens famam Selomonis*, id eſt eorum quæ Selomoh faciebat, *in nomine Iehovæ*, non in nomine idolorum. Alii: Cum audiſſet ex fama ſapientiam Selomonis, non naturalem , & ſtudio humano partam, qualis eſt ſapientia philoſophorum , magorum, & eiuſmodi hominum , ſed a Deo ei divinitus datam. Nonnulli reddunt: *Audiens famam Selomonis ex nomine Domini*; id eſt, quantum faverat ei Deus, & quantis eum beneficiis ornaret. Aliqui: *Audiens famam Salomonis ad nomen* , vel *& nominis Iehovæ*. Nec deſunt qui exponant, *In nomine Iehoveh*; id eſt, in toto apparatu templi, & cultu divino. VENIT TENTARE EUM IN AENIGMATIBUS. Cedrenus pag. 78. Annal. *Poſtquam coram cum Salomone eſt , quæ voluit , locuta , iſque ei omnia ſermone compoſito & elegantiſſima interpretatione diſſolvit , denuo eum ſic tentavit . Formoſos pueros , & formoſas puellas eodem veſtitu & ornatu ſtructos coram eo conſtituit , petiitque ut inter ſexum interno ſceret (nam & ipſa Sibylla ob ingenii promptitudinem , ſapientiamque , & rerum multarum peritiam magni erat nominis .) Rex omnes lavare faciem iuſſit , itaque diſcrimen ſexus deprehendit , cum mares fortiter atque valide facies tergerent , femellæ teneriter , & timide*. Eadem habet Glycas in Annalib. Sed unde habuerunt id Græculi ? Fides ſit penes illos.

V. 2. MULTO CUM COMITATU : Hebr. *In ſtremitate gravi* , vel *in virtute multa* . Varie reddunt : 1. *cum fortitudine gravi valde* ; hoc eſt , cum armato comitatu, non qualicunque, ſed valde gravi , qualis decebat Reginam peregrinitatem : 2. *cum exercitu numeroſo admodum*, id eſt comitatu , & ſatellitio regio: 3. *cum copiis*, *fa-*

facultatibus, opibus numeroſis valde. Sic ſumitur vox חיל *chaiil* Geneſ. XXXIV. 29. & Numeror. XXXI. 9.

V. 3. ET DOCUIT EAM SALOMON OMNIA VERBA QUAE PROPOSUERAT. Hebr. *Et enuntiavit, indicavit, ei Selomoh omnia verba eius*; id eſt, ſolvit illi omnes quæſtiones, & ænigmata quæ poſuerat.

V. 5. ET HABITACULA SERVORUM. Hebr. *Et manſionem, ſeſſionem, habitationem, ſervorum eius*. Quidam, *Et ſeſſionem ſervorum eius*, id eſt accubitum, vel ſedes, nimirum ordinem convivarum, quo ordine ſederent. Alii, *Et conceſſum ſervorum eius*, id eſt multitudinem procerum qui ſub eo erant ſuis ordinibus. Aliqui cum Noſtro ad habitationem referunt. Hiſpanicus Interpres, *El aſſento, o orden de todo ſu ſervicio*. ET ORDINES MINISTRANTIUM. Hebr. *Et ſtationem miniſtrorum eius*. Quidam, *Et aſſiſtentiam miniſtrorum eius*; id eſt, quo ordine, geſtu, & habitu aſtarent Regi. Aliqui, *Et ſtatum miniſtrorum eius*. Hiſpanice, *El eſtado*, id eſt honores, dignitates. ET HOLOCAUSTA QUAE OFFEREBAT IN DOMO DOMINI. Hebr. *Et aſcenſionem eius, quam aſcendere faciet in domo Domini*. Fere omnes de holocauſtis interpretantur. Quidam reddunt, *Et aſcenſum eius, quo aſcendebat in domum Iehovæ*. De quo infra verſ. 12. Aliqui, *Et gradus eius, quibus aſcendebat*, &c. Nonnulli Hebræorum, *Et altanam*, ſeu *cœnaculum eius, quo aſcendebat*, &c. Hiſpanice dicimus *tribuna*. Vide in II. Paralipom. IX. verſ. 4. NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM. Hebr. *Et non erat in ea amplius ſpiritus*, præ ſtupore, quo pene exanimabatur: fere deſtituebatur animo: præ admiratione manebat attonita, & patiebatur eccſtaſim, ſeu mentis exceſſum.

V. 7. MAIOR EST SAPIENTIA, ET OPERA TUA, QUAM RUMOR QUEM AUDIVI. Hebr. *Addidiſti ſapientiam & bonitatem ad auditionem quam audivi*. Aliqui: *Superas ſapientia & bonitate famam illam quam audiveram*. Alii: *Adeo excellis ſapientia & elegantia ultra famam quam audiveram*.

V. 8. BEATI VIRI TUI. אשרי *aſchre, beatitudines virorum tuorum*, &c. Vide Deuteronon. XXXIII. verſ. 29. id eſt beatiſſimi plane, multis modis felices viri tui. Pluralis numerus ſignificatum auget. Vel, *O quam proſpere ac præclare agitur cum viris tuis*, &c. ſic ſtatim. QUI STANT CORAM TE SEMPER, id eſt miniſtrantes tibi ordinarie: ut Deuteron. X. 8.

V. 9. CUI COMPLACUISTI. Hebr. *Qui bene complacuit ſibi in te*. Quidam: *Cui complacitum eſt in te*. Aliqui: *Qui te amore proſecutus eſt*. Aliqui: *Qui te favore complexus eſt*. Nonnulli: *Qui delectatus eſt te*. UT FACERES IUDICIUM, ET IUSTITIAM. Vide de hac locutione Geneſ. XVIII. verſ. 19.

V. 10. CENTUM VIGINTI TALENTA AURI. Quidam volunt eſſe ſeptingenta viginti millia aureorum Hiſpanicorum; ſed revera duplo maior ſumma fuit, nempe decies centena millia, & quadringenta quadraginta millia aureorum Hiſpanicorum. Vide ſupra cap. IX. verſ. 14.

V. 11. LIGNA THYINA. Hebr. *Ligna*, ſeu *arbores*, אלמגים *almugim*: qua etiam ratione vocantur verſ. ſequente; at II. Paralipom. IX. 10. & 11. transpoſitis litteris dicuntur אלגמים *algummim*. Quam vocem diverſimode reddunt: aliqui *coralium*: quidam *ebenum*, alii *braſilium*: nonnulli *iuncos indicos*: nemo melius Noſtro, *ligna thyina*: de quibus vide Theophraſtum Lib. V. Hiſtoriæ plantarum, cap. v. Plinium Lib. XIII. cap. XV. & XVI. Verum de *almuggim*, & lignis thyinis, fuſe diſſeruimus in Antichriſto Lib. IV. cap. XXXIII.

V. 12. FULCRA. מסעד *miſgbad*, ſingulare, aiunt eſſe *fulcrum*, *ſuſtentaculum*. Notant poſitum ſingulare pro plurali, *fulcra, ſuſtentacula*; & ſignificare ſuſtentacula illa quæ ſolent eſſe ex utraque parte aſcenſus cuiuſpiam. Hiſpanicus Interpres, *varandas*, ſeu *paſſamanos* exponit. Quidam hic vertunt: *Et paraverat Rex ex illis lignis thyinis fulcrum*, ſeu *repagulum ad domum Iehovæ*: ſynecdoche: id eſt, aſcenſum repagulis utrimque munitum quo a domo regis, ad domum Dei ibatur: ſic enim accipiendum eſſe oſtenditur I. Paralipom. XXVI. 16. & 18. & II. Paralipom. IX. 11. Pro *miſgbad*, quod hic ponitur, in II. Paralipom. IX. 11. ſcribitur plurale מסלות *meſilloth*, *viæ ſtratæ*: de qua voce ibidem dicemus. Vide II. Reg. XII. verſ. 10.

V. 13.

V. 13. OMNIA QUAE VOLUIT, ET PETIVIT AB EO. Varie Hebr. reddunt. I. *Omnem voluntatem ſuam, quam petivit*; id eſt, quidquid habuit in votis petere. II. *Quodcumque pro voto ſuo expetiſſet*, כל *quidquid poſtulaſſet*. III. *Pro toto deſiderio ejus, quidquid petivit*. EXCEPTIS IIS QUAE ULTRO OBTULERAT EI MUNERE REGIO. Hebr. *Præter ea quæ dederat ei ſecundum manum Regis Selomoh*. Quidam: *Præter ea quæ dedit illi manu regia Selomoh*. Alii: *Præterquam, quod donavit ei Selomoh pro regia munificentia ac liberalitate*. Nonnulli: *Præter id quod reddidit*, id eſt reppendit: quo ſenſu accipitur idem verbum II. Paralipom. VIII. 2. nam apud Hebræos ſimplicia verba habent ſignificationem compoſitorum, quibus illi carent: *ei pro facultate Regis Selomonis*. Significat, Regem Salomonem pro acceptis a Regina, reddidiſſe, ſeu reppendiſſe ei munera ampliſſima, ac digna, nedum quavis regia magnificentia, ſed ipſius Selomonis, emphatice, qui omnium Regum fuit munificentiſſimus. Quidam, *Sicut manu regis Selomonis*; id eſt, ſicut decebat manum talis Regis, qualis erat Selomoh.

V. 14. SEXCENTORUM SEGAGINTA SEX TALENTORUM AURI. Qui Hebraico talento tribuunt tria millia ſiclorum, & ſiclum vulgarem didrachmum faciunt; aiunt hanc ſummam continere tricies centies mille, nongenties nonagies ſexies mille aureorum. Nos qui probabilius cenſemus ſiclum tetradrachmum fuiſſe, & ſemunciam continere, duplo maiorem ſummam concipimus, nempe ſeptuagies centies mille, nongenties nonagies bis mille aureorum Hiſpanicorum; id eſt, ſeptem milliones, & nongenta nonaginta duo millia aureorum Hiſpanicorum. In auro ſolo ingens ſumma erat: maiores tamen opes advehuntur quotannis in Hiſpanias, ſed non in auro ſolo, ſed etiam in rebus aliis magni pretii.

V. 15. EXCEPTO EO QUOD AFFERE BANT VIRI QUI SUPER VECTIGALIA ERANT. Hebr. *Præter vires indagantium*, vel *indagationum, exporationum*. תרים *tarim* proprie ſunt *indagantes, indagatores, inveſtigatores, exploratores, ſcrutatores*, inde *mercatores, negotiatores*, ſic dicti quod terras perluſtrent, & explorent, & omnia ſcrutentur. Nonnulli Hebræorum volunt eſſe mercatores minores, quod multum ſcrutentur, & explorent quæ emunt, & quæ vendunt. Alii potius aiunt eſſe mercatores maiores, qui ſcilicet procul diſſitas regiones perluſtrantes, rariſſima quæque conquirunt, & undequaque perveſtigant. Quod eſt rectius. Quidam hic reddunt: *Præter id quod obveniebat ab hominibus exploratorum*, ſeu *a publicanis negotiatorum*; id eſt, iis qui publica Regis vectigalia exteris mercatoribus imperata redimebant: qui mercatores dicuntur exploratores: ſolet enim illud genus hominum in ſpeculis eſſe, ut occaſionem aucupetur comparandarum, aut diſtrahendarum mercium. ET NEGOTIATORES, UNIVERSIQUE SCRUTA VENDENTES. Heb. *Et negotiationem, mercaturam, nundinationem*, רכלים *rochelim*. Alii, *Et mercaturæ*, in genitivo. *Rochelim*, Hebræorum nonnulli aiunt eſſe mercatores maiorum mercium: alii minorum, unde *aromatopolas, aromatarios*, ſeu *mercatores aromatum* exponunt, Gallice *groſſiers, eſpiciers*: proprie *delatores mercium, inſtitores*, nuditatores, mercatores, negotiatores: Noſter Canticor. III. 6. *pigmentarium* dixit; hic *ſcruta vendentes*: quid autem ſint ſcruta, docuimus Lib. XI. de Antichriſto, cap. III. Videntur hic pro minoribus mercibus univerſe poni. ET OMNES REGES ARABIAE. ערב *ghereb*, cum ſex punctis, id eſt *omnes Reges mixtionis*, ſeu *mixturæ*: pro quo II. Paralipom. IX. 14. ſcribitur, *Omnes Reges* ערב *Gharab*, id eſt *Arabiæ*. Quo ſignificari notant, Reges mixturæ eſſe Reges Arabum non perinde celebrium; ut ſunt multi Arabum populi hinc inde aliis populis admixti, quales ſunt Arabes intra Nilum & mare rubrum Schenobitæ, Troglodytæ, & alii. Verum *Ghereb* cum ſex punctis volunt Arabiam quoque ſignificare deſertam a mixtura, coloris gentis lucidi cum ſubfuſco, vel a permixtione aliorum populorum, vel quod deſerta ſit. Quidam exponunt, *Et omnibus Regibus Arabiæ*, ſcilicet finitimis, tam ab oriente, quam a meridie. Alii, *Et omnes Reges deſerti*. Nec deſunt qui, *Et omnes Reges veſperæ*, ſeu *occidentis*. DUCESQUE TERRAE. פחות *pachoth*, & ſingulare פחה *phechach*. Notant, ut ex omnibus Scripturæ locis conſicere licebit, deinde etiam ex terminatione nominis, vocem eſſe peregrinam,

communem Syris, Aſſyriis, Perſis, & Chaldæis, & valere idem, quod *dux*, *princeps*, *præfectus*, *provincialis*, *præfectus provinciæ ſubmonarcha provincialis, uti appellant*, *præſes*. Alii conſentiente voce exponunt, *Pinguis*, *craſſus*, *dives*, *procer*: ut ſolent principes, ac proceperes laute ac ſplendide vivere. *Satrapas* vertit Noſter I. Paralipom. IX. 14.

V. 16. EX AURO PURISSIMO. שהוש *ſchachut*, exponunt, *ex auro ductile*, *tractile*, *expanſo*, *malleato*, *diductile*, quod præ bonitate molle eſt & ſequax, ac diduci poteſt etiam in fila, & neri poteſt. Plinius huic loco lucem infert, cum de auro Lib. XXXIII. cap. III. inquit: *Superque omnia netur*, *ac texitur lanæ modo*, & *fine lana*. *Tunica aurea triumphaſſe Tarquinium Priſcum Verrius tradit*. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis*, *edente eo navalis prælii ſpectaculum*, *aſſidentem ei*, *indutam paludamento*, *auro textili*, *ſine alia materie*. Notant, Salomonem cum ita abundaret auro, ducentos eos clypeos ex auro confeciſſe. Aiunt fuiſſe ſcuta maiora. Vide I. Samuel. XVII. verſ. 7. Hiſpanicus, *Paveſes*. SEXCENTOS AURI SICLOS DEDIT IN LAMINAS SCUTI UNIUS. Hebr. *Sexcentos*, vel *ſexcenta*, *aurum*, vel *auri*, ſubaudi ſiclos, vel minas, *aſcendere fecit ſuper ſcutum unum*. Plerique cum Noſtro, ſexcentos ſiclos aureos exponunt. Nonnulli ſiclos communes & vulgares accipunt, id eſt didrachmos, qui efficiunt aureos nummos paulo minus mille, vel libras quaſi decem auri. Verum cum nobis probabilius ſit, ſiclum tetradrachmum fuiſſe, & ſemunciam continuiſſe, ſexcenti ſicli aurei conficiunt duo mille & quadringentos aureos Hiſpanico. Quidam hic צנה *tzinah*, non *ſcutum*, ſed *haſtam* interpretantur; & *minam* ſubaudiunt e verſu ſequente; ac reddunt: *Singulæ haſtæ habebant ſexcentas* minas *auri*: quod plane eſt ingens, ac ſupra fidem. Siquidem aiunt minam ſacram antiquam continuiſſe quinquaginta ſiclos ſacros, ſeu ſemuncias noſtrates: centum ſiclos vulgares: minam vero Ezechielis XLV. 12. ſexaginta ſiclos, ſeu ſemuncias; ſacras centum viginti vulgares: nempe quamlibet minam pendiſſe ducentos, vel ducentos quadraginta aureos Hiſpanicos: ſicque quælibet haſta habuiſſet ponderis decem & octo mille, & ſexcentas uncias auri, ſeu centum quadraginta quatuor mille, & ſexcentos aureos Hiſpanicos. Immane, & incredibile pondus ac pretium! Sed quod mire convenit cum verſu ſequenti, ut a Noſtro exponitur.

V. 17. ET TRECENTAS PELTAS. מגנים *maghinnim* notant hic eſſe *ſcuta minora*. Hiſpanicus *rodelas*. TRECENTAEQUE MINAE AUREAE UNAM PELTAM VESTIEBANT. Hebr. *Tres minas lauri aſcendere fecit ſuper clypeum*, vel *ſcutum unum*. De מנה *maneh*, ſeu mina Hebraica innumeri differuere, quorum dicta non tranſcribo. Ezechiel. XLV. verſ. 12. diſerte dicit minam ſexaginta ſiclos, ſeu ſemuncias, id eſt, triginta uncias, ſeu duas libras & ſemis noſtrates continuiſſe. Quod & Joſephus XIV. Antiquitat. cap. XIII. luculenter expreſſit: *Mina autem apud nos conſtat duabus libris cum dimidia*. Verum eſt ingens difficultas, quod Noſter trecentas: Hebræa vero, quibus accinunt Chaldæi, & Græci Interpretes, tres minas auri inducias in ſingula ſcuta referunt. Quidam conciliant, ut Noſter minas acceperit pro ſiclis, ut conveniat cum loco Paralipom. II. cap. IX. verſ. 16. Hebraici contextus nullam rationem habentes: ut ſcilicet ſcuta maiora ſingula ſexcentos ſiclos auri, verſu præcedente; minora vero ſingula trecentos. Sed futiliſſime & imperitiſſime faciunt, cum Hebraici fontis nullam rationem habent. Alii minam hic pro pondo indefinite capiunt, redduntque, & *tria pondo auri*; id eſt, continentia ſingula ſiclos centenos, id eſt trecentos ſiclos, ut exponitur II. Paralipom. IX. verſ. 16. Vide I. Machabæor. XIV. verſ. 24. Ego exiſtimo hic Hebraice ad vocem שלשת *ſchelooſcheth*, addendam, vel ſubaudiendam vocem מאות *metoth*, e II. Paralipom. IX. verſ. 16. & hanc eclipſin inde ſupplendam, reddendumque hic, *trescentas minas*, ut quodlibet ſcutum e minoribus habuerit trecentas minas auri; ut ſingula ſcuta maiora habuerunt ſexcentas minas auri, ſupra verſ. 16. atqui ut hic exprimitur vox minæ, ita proculdubio ſubaudiendam ex iuſta & recta analogia, præcedenti verſu, & II. Paralipom. IX. verſ. 16. ut ſane nonnulli ſubaudiunt: & quod Noſter ſuperiore verſu dixit, *ſexcentos ſiclos auri*, per eclipſim ſit intelligendum ſexcentas mi-

minas iuſtorum ſiclorum auri. Itaque unumquodque e trecentis ſcutis minoribus continebat novem mille & trecentas uncias auri; hoc eſt, ſeptuaginta duo mille, & trecentos aureos Hiſpanicos, nimirum dimidio minus quam ducenta ſingula ſcuta maiora, verſu præcedente. POSUITQUE EAS REX. Hebr. *Et dedit eos*, ſeu *ea Rex*: nimirum tam ducenta ſcuta maiora, quam trecenta minora, ſeu clypeos omnes illos quingentos. IN DOMO SALTUS LIBANI: de qua ſupra cap. VII. verſ. 1. & ſequentibus. Clypeos olim decoris, & magnificentiæ ergo dedicari ſolitos, notant. Plinius Lib. XXXV. cap. III. *Clypeos in ſacro vel publico privatim dicare, primus inſtituit, ut reperio, Appius Claudius, qui Conſul cum Servilio fuit anno Urbis* CCLIX. Cornelius Tacitus Annali II. de honoribus Germanici: *Cum conferetur clypeus auro & magnitudine inſignis, inter auctores eloquentiæ, aſſeruit Tiberius ſolitum paremque cæteris dicaturum*. Svetonins in Caligula, cap. XVI. *Inter reliquos honores decretus eſt ei clypeus aureus, quem quotannis certa die collegia ſacerdotum in Capitolium ferrent; ſenatu proſequente, nobilibuſque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius cancentibus*. Philo de Legatione ad Caium: *Pilatus erat procurator Iudææ: hic non tam in gratiam Tiberii, quam in odium populi, auratos clypeos dedicavit intra ſanctam urbem in Herodis regia, nulla inſignes imagine, nec habentes quidquam vetitum: tantum titulus continebat nomen dedicantis, & eius, cui dedicabantur*. Suetonius in Domitiano, cap. XXIII. *Scalas etiam inferri, clypeoſque & imagines eius coram detrahi, & ibidem ſolo affigi iuberet*. Iulius Capitolinus in Antonino Pio: *Ceteribus honoribus refutatis: clypeum Hadriano magnificentiſſimum poſuit, ſacerdotes inſtituit*. Tremellius Pollio in Claudio: *Illi clypeus aureus, vel ut Grammatici loquuntur, clypeum aureum, Senatus tatius iudicio, in curia collocatum eſt*. Erant ii clypei interdum cum imaginibus, & interdum ſine illis: de quibus vide Lupſium, & Dorleomſium in II. Annalem Taciti, & Salmanſium in Claudium Pollionis.

V. 18. THRONUM DE EBORE GRANDEM. Hebr. *ſolium dentis grande*; id eſt, eboris, qui eſt dens elephanti: unde dens ſimpliciter pro dente elephantis, id eſt ebore: de quo vide mira apud Plinium Lib. VIII. cap. III. & X. & Iulium Scaligerum exercitat. CCIV. AURO FULVO NIMIS. Hebr. *auro* מופז *muphaz*: aiunt eſſe participium paſſivum Hiphil, vel Hophal verbi פזז *phazaz*, *auro, conſolidato, roborato, ſolidiſſimo, depurgantiſſimo, optimo, depuratiſſimo*, quod ſcilicet optime excoctum eſt, & expurgatum: nam tale aurum eſt ſolidius. Quidam, *auro topaziato*, conſona voce; id eſt, topaziis ornato, vel lucido & fulgente inſtar topazii. Pro eo quod hic dicitur, *auro muphaz*, II. Paralipom. IX. verſ. 17. ſcribitur *auro* מטהור *tabor*, id eſt *mundo, puro*.

V. 19. ET DUAE MANUS HINC ET INDE TENENTES SEDILE. Varie alii convertunt. I. *Et fulcra hinc & inde in loco ſeſſionis*, id eſt fulcra quibus immitebantur brachia ſedentis in utroque latere ſedis. II. *Et manubria utrimque iuxta locum throni*. III. *Et utrimque ad locum ſedis reclinatoria erant*. IV. *Et fulcra manuaria hinc & inde ad locum ſeſſionis*. V. *Et manus hinc ad locum ſeſſionis*; hoc eſt, alæ ſedis hinc & inde erant formatæ in modum manuum. VI. Hiſpanicus Interpres: *De la una parte y de la otra tenia arrimadizos*; id eſt, *los recoſtaderos de los bracos cerca del aſſiento*. Hiſpanice dicimus, *Braços de la ſilla*.

V. 21. NON ERAT ARGENTUM, NEC ALICUIUS PRETII PUTABATUR IN DIEBUS SALOMONIS. Hebræa nos verbatim expreſſimus (*Non argentum, non æſtimatum fuit in diebus Salomoh ad aliquid*.) Quidam ſic: *Non erat argentum, non reputabatur in diebus Salomoh in quidquam*. Exponunt: *Non erat argentum in eis vaſis*; id eſt, nulla ex illis vaſis erant argentea: & argentum pro nihilo habebatur, in nullo pretio erat. Alii: *Nam temporibus Salomonis non erat argentum: quippe nihili penſum*. Nonnulli: *Nihil inerant argenti*, ſcilicet vaſis, *non æſtimabatur temporibus Salomonis ullius pretii*. Hyperbole, ut infra verſ. 27.

V. 22. QUIA CLASSIS REGIS PER MARE. Hebr. *Quiæ navis*, pro *naves*, *Tharſis in mari*. Quid ſit in ſacris litteris Tharſis, copioſe docuimus in Antichriſto, Lib. VI. cap. XXIX. & §. 2. Singulariter autem in hac Salomonis, & Hiram navigatione eſſe vel certam Indiæ, ſeu intimi orientis regionem; vel potius mare ipſum

oceanum Erythræum ſeu Indicum, per quod navigabatur in Ophir: atque hanc ipſam eſſe navigationem ophiricam, de qua ſupra cap. IX. verſ. 26. 27. 28. abunde demonſtravimus Lib. IV. de Antichriſto, cap. XXXI. Futilitatem autem quorumdam recentiorum contendentium Tharſis hic eſſe oram Tarteſſiacam Hiſpaniæ, atque in Hiſpanias claſſes Salomonis veniſſe, palam irriſimus, & exploſimus Lib. VI. de Antichriſto cap. XXIX. §. I. Hic a'iqui vertunt: *Siquidem claſſis marina Regi erat in mari: ternis annis ſemel veniebat claſſis in mari referens aurum*, &c. Alii: *Nam claſſis oceani pro Rege, cum claſſe Chirami erat: ſemel ternis annis veniebat claſſis ex oceano, afferens aurum*, &c. Perperam hic quidam, *claſſem oceani*, interpretantur, id eſt comparatam ad navigationem Africani oceani; cum potius comparata fuerit ad navigationem Erythræi & Indici oceani. SEMEL PER TRES ANNOS IBAT IN THARSIS. Ambiguum ex verbis, num abſumeretur integrum triennium in itu & reditu claſſis, ut Ioſephus VIII. Antiquit. cap. VII. S. Hieronymus in II. Iſaiæ verſ. 15. & alii intellexere: vel num de triennio in triennium, id eſt ſingulo quoque triennio, claſſis iverit ac redierit, quamvis perpetuo tres annos in itu & reditu non conſumpſerit, uti plerique recentiores accipiunt: quam nos interpretationem præferimus. Vide Lib. IV. de Antichriſto cap. XXXVII. DENTES ELEPHANTORUM. שנהבים *ſchenhabbim*. De hac voce vide quæ notavimus Lib. IV. Antichriſto, cap. XXXIV. Quidam ſimpliciter, *elephantos* reddunt; plerique alii, *dentes elephantorum*, ſeu *eborea*. SIMIAS. קופים *kophim*: aiunt *koph*, *ſimiam*, ſic dictam a *iakaph*, *circumire*, *circumvolvi*, quod uno in loco non conſiſtat, ſed ſemper circumeat, & circumvolvatur. De ſimiis Indicis vide multa quæ congeſſimus Lib. IV. de Antichriſto, cap. XXXIV. PAVOS. תכיים *thuccibiim*, fere omnes, *pavones* interpretantur: nec deſunt qui, voce fere conſona, *pſittacos*. Sed de voce Hebraica, ac de pavonibus, & pſittaccis Indicis, vide quæ diſſeruimus in Antichriſto Lib. IV. cap. XXXIV.

V. 25. ET ARMA BELLICA. נשק *neſchek* aiunt generale eſſe nomen ad omnem armaturam, cuius in occurſione acierum uſus eſt: ſicut & prælium dicitur קרב *kerab*, ab eo quod utrimque ſimul milites appropinquent, & cominus pugnent ac manus conſerant; quaſi dicas *congreſſum*, *conflictum*. Et non eſſe dubium, quin Paulus Apoſtolus Græce reddiderit *panoplian*, id eſt *univerſam armaturam*, ſeu, ut Ambroſiaſter vertit, *univerſitatem armorum*. Epheſior. VI. 13. *Qua propter aſſumite panoplian*, id eſt univerſam armaturam Dei, *ut poſſitis reſiſtere in die mala*, ἐν *omnibus profligatis conſiſtere*, &c. Et poſtea ſpecies aliquot armaturæ huius enumerat, non aliter atque Ezechiel. cap. XXXIX. verſ. 10. Initio etiam hoc nomen *neſchek* generaliter ponit, poſtea ad eius ſpecies deſcendens, ſcutum, peltam, arcum, ſagittas, clavam, & enſem commemorat. Alii potius generale nomen armorum eſſe volunt, ut Græce ὅπλον, unde non proprie panopliam, totam armaturam unius, ſed omnia arma ſignificare aiunt. PER ANNOS SINGULOS. Hebr. *Verbum anni in auro*. Quidam: *Rem anni in anno*; quaſi dicat, Suo quæque anno. Alii, *Rem annuam quotannis*. Significat fuiſſe annua tributa.

V. 26. MILLE QUADRINGENTI CURRUS, ET DUODECIM MILLIA EQUITUM. Exponunt, videlicet alternis in ordinario eius comitatu: nam alioquin totus numerus curruum tam in comitatu eius, quam in ſtationibus, erat quatuor millium decuriarum equorum. Vide ſup. cap. IV. verſ. 26. & II. Paralipom. IX. verſ. 25. ET DISPOSUIT EOS PER CIVITATES MUNITAS, ET CUM REGE IN IERUSALEM. Quidam reddunt: *Quos abduci iuſſit in civitates curruum*, ἐν *apud Regem Ieruſalaima*; id eſt, per vices in ſtationibus eſſe, & ſibi miniſtrare. Vide ſup. cap. IX. verſ. 19.

V. 27. QUASI SYCOMOROS. Eſt Latine *ſico-moros*, Hebr. שקמים *ſchikmim*. Notant, pluraliter tantum legi, propter multitudinem & copiam earum arborum. Volunt nomen habere ab altitudine & proceritate ſua, qua in altum aſſurgunt, a קום *kum*, vel שקם *ſchakam*, cui etymo aſtipulatur factum Zacchæi Luc. XIX. 4. Lucas, cap. XVII. 6. Hebraica fere voce, Græce συκάμινος appellat, & cap. XIX. verſ. 4. συκομορέα, S. Hieronymus in Amos VII. 14. *Quidam ita differunt, ut Sycomoros, vel Sy-*

Sycamina velint appellari genus arborum, quæ Palæſtinæ naſcuntur in campeſtribus, & agreſtes afferunt ficus: quæ ſi non vellicentur, amariſſimas cariculas faciunt, & a culicibus corrumpuntur. Nobis autem (quia ſolitudo, in qua morabatur Amos, nullam huiuſcemodi gignit arborem) magis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ac paſtorum famem ac penuriam conſolantur. Rubos quoque interpretatur epiſtola CIII. ad Paulinum. Sycomorum ſub nomine mori AEgyptiæ deſcribit Theophraſtus Lib. IV. Hiſtoriæ plantar. cap. II. & ſub nomine ficus AEgyptiæ Plinius Lib. XIII. cap. VII. Sycomorum elaganter deſcribit Dioſcorides Lib. I. cap. CXLIV. & cap. CLXIII. & CLXXXII. Quidam tamen Sycaminos a Sycomoris diſtinguunt auctoritate Galeni. Vide de his plura apud Eraſmum Annotationibus in Lucæ XIX. verſ. 4. Henricum Stephanum Tom. II. Theſauri colum. 1666. & ſequentibus, Levinum Lemnium de Arboribus S. Scripturæ, cap. XXXV. Hiſpanicus *cabrahigos* vertit.

V. 28. ET EDUCEBANTUR EQUI SALOMONI DE AEGYPTO ET DE COA. NEGOTIATORES ENIM REGIS EMEBANT DE COA, ET STATUTO PRETIO PERDUCEBANT. Vocem Hebraicam מקוה *mikueh*, quæ bis hoc verſu ponitur, Noſter diſtraxit, ac eiſdem litteris, & aliis punctis legit *mi Koah*, *de Coah*: exiſtimavitque nomen proprium eſſe alicuius loci, unde equi magna copia educebantur. Si conſtaret de loco, verſus huius ſenſus eſſet planiſſimus: at recentiorum nonnulli futiles ac vani, qui auctoritatem vulgatæ editionis plerumque cum textus Hebraici contemtu ac damno coniungunt, hic de Coa nihil expediunt, quo Noſtrum illuſtrent: nos aliquid conabimur. *Cos*, vel *Coa*, nobiliſſima inſula in mari AEgæo, Cariæ obverſa, quam deſcripſere Strabo Lib. X. Plinius Lib. V. cap. XXXI. ex qua fuit Hippocrates Medicorum princeps. Coa Arabiæ Felicis urbs, Ptolemæo Lib. VI. cap. XVII. *Co*, metropolis Nomi Cynopolitani in AEgypto, Ptolemæo Lib. IV. cap. 5. & Stephano de urbibus, *urbs celebris fuiſſe videtur*, quæ locum proverbio fecerit: *Quem Cos non nutrit, illum nec AEgyptus*, apud Euſtathium in XIV. Iliados; quaſi dicat: Cui urbs una non ſufficit, ei nec tota huius regio. Eraſmus non recte de Co inſula adagium intellexit. Putant quidam eam eſſe quæ in Antonini Itinerario vocatur *Tacona*, vel *Icacona*, vel *Itacona*, nam variant exemplaria, annotante Hieronymo Zurita. Potuit eſſe ut ex Coa Felicis Arabiæ, ſeu potius ex Co AEgypti, equi Salomoni educerentur, nam ex Co inſula vix crediderim.

Ceterum hic verſus in varias abducitur interpretationes. Vocem *mikueh* plerique reddunt *congregationem*, *collectionem*, *turmam*, *ſummam*: alii ex vicinia nominis מקוה *tikuah*, eiuſdem radicis, *filum*, *filatum*, *netum*, *glomum*, vel *telam* interpretantur: hinc nata tanta explanationum diverſitas. I. *Et eduſtio equorum, qui Selomoni ex AEgypto, & adunatio: mercatores Regis accipient, adunationem in pretio, & aſcendit.* Initium ſequentis verſus huic annectunt: id eſt, educebantur Salomoni de AEgypto adunationes, id eſt greges equorum: nam mercatores regii pretio emebant adunationem equorum, & faciebant quaſi monopolium, ut ipſi ſoli equos venales haberent; unde aſcendebat, ſeu augebatur pretium equorum. Significat Selomonem per ſuos mercaturam equorum exercuiſſe, unde lucrum reportaret. II. *Et egreſſus equorum, qui erat ipſi Selomoh, erat ex AEgypto*; id eſt, Salomon curabat deduci ſibi optimos quoſque equos ex AEgypto. Vel adducebantur equi ex AEgypto Salomoni: *Nam congregatio mercatorum Regis accipiebant congregationem, collectionem, ſummam, equorum pro pretio*; id eſt ſocietas mercatorum. Hiſpanice. *La compania de marcaderes*. Solebant pretio magnam equorum vim ex AEgypto capere. III. *Et eduſtio equorum, qui Selomoni, ex AEgypto: & congregatio mercatorum Regis acceperunt congregationem in commutatione.* Ubi poſterius, inquiunt, pro multitudine accipitur rerum quarumlibet, quæ in negotiationem veniunt. IV. Plerique Hebræorum, quia voci *Mikueh* priori loco poſitæ affixus eſt accentus Zakeph badol, eam a ſequenti dirimunt, ac per ſe, ſine regimine ſtare volunt, redduntque: *Et eduſtio equorum qui Selomoni ex AEgypto, & congregatio: mercatores Regis capiebant*, vel *emebant congregationem*; utroque loco congregationem accipiunt pro multitudine quarumlibet mercium, *in permutatione*; quaſi dicat. Ex AEgypto adducebantur Selomoni

equi

equi, & variæ merces, quas mercatores eius inde permutatione aliarum rerum capiebant. Equi pro pretio, de quo ſequenti verſu: aliæ merces permutatione educebantur. V. *Et egreſſio equorum, quæ Salomoni, ex Ægypto: & collectionem rerum viciſſim tollebant mercatores Regis, & vendebant conſarcinatum opus pro pretio.* VI. *Et exitus equorum ipſi Salomoh erat ex Ægypto: & congregatio negotiatorum Regis accipiebant netum in pretium.* VII. *Et exitus equorum, qui erat ipſi Salomoh ex Ægypto: & netum negotiatores Regis capient*, pro capiebant, *netum in pretio*. Secundo loco *netum* poſitum pro *ipſum*. VIII. *Porro egreſſus equorum Salomoh erat ex Ægypto, & tela byſſina: mercatores Regis capiebant telam byſſinam pretio*; id eſt, mercatores regii adducebant ex Ægypto telam byſſinam, quæ tum erat in magno pretio, & in Ægypto magna copia parabatur, uti oſtenditur Proverb. VII. verſ. 16. Iſaiæ XIX. verſ. 9. Ezechiel. XXVII. verſ. 7. nam *Ægyptii textilia invenere*, auctore Plinio Lib. VII. cap. LVI. Hiſpanicus Interpres: *Y ſacavan cavallos y lienços a Salomon de Ægypto: porque la compannia de los mercaderes del Rey compravа cavallos y lienços*. Hiſpanice dicemus: *Tenia Salomon ſaca de cavallos de Ægypto y de telas, o lienços &c.* Quidam hic *mikueh* non pro *tela byſſina*, ſed pro *metaxa ſerici* accipiunt, quæ ex India in Ægyptum deferebatur: quod quam rectiſſime huic loco congruit de *metaxa* longiorem expoſitionem reiicimus ad Comm. Noſtros in Ioſue II. verſ. 18. & ad Lib. V. de Antichriſto, cap. VI. IX. *Et eductionem equorum, quam habebat Salomon ex Ægypto: & congregationem mercatorum* (mercatores) *Regis accipiebant* (quamplurimi) *congregationem in pretio*. Id eſt, cum Salomon liberam haberet eductionem equorum ex Ægypto, & ad id negotiatores deſtinaret; hinc fiebat ut multi in hanc mercatorum ſocietatem dato pretio ſeſe ingererent, ſpe lucri: unde ingens commodum ex multiplicatis vectigalibus Regi obveniebat.

V. 29. QUADRIGA... SEXCENTIS SICLIS ARGENTI. Hebr. *currus*, ſeu *quadriga ſexcentis argenteis*. Omnes ſubaudiunt *ſiclis*, id eſt 2400. regalibus Caſtellanis. ET EQUUS CENTUM QUINQUAGINTA, ſiclis argenti: ſinguli equi 600. regalibus Caſtellanis, nimirum quarta parte pretii unius quadrigæ, quæ conſtat quatuor equis. Nam ſi quadriga 600. ſiclis argenteis emebatur; erat procul dubio pretium cuiuſque equi 150. ſicli. ATQUE IN HUNC MODUM CUNCTI REGES HETHAEORUM ET SYRIAE EQUOS VENUMDABANT. Hunc enſum Hebræa rectè admittunt, quæ habent: *Et ſic omnibus Regibus Chithæorum, & Regibus Syriæ in manu eorum exire facient*; ac ſi dicat: Et ſic ſolemne erat cunctis Regibus illis ut exire facerent, id eſt venumdarent, equos per manus eorum mercatorum. Alii exponunt: *Et ita pro omnibus Regibus Hethæorum & Syriæ educebant equos ex Ægypto mercatores in manu ſua*: vel, *& ſic Reges illi accipiebant habebantque equos ex Ægypto opera illorum mercatorum*. Qui autem hic intelligantur Hethæi, vide Ioſue I. 4.

Tremellius, & Iunius ſingularem duorum horum verſ. 28. & 29. interpretationem, & explicationem attulere, quas ipſorum verbis infero.

Verſ. 28. *Et* E. *vectigal* 2. *equorum ex Ægypto, quod* 3. erat *Schelomoni*, id eſt vectigal, 4. *neti*, 5. *mercatores Regis accipiebant netum pro pretio.*

1. *Nam ex Ægypto terreſtri itinere in Syriam proficiſcentibus, per anguſtias tranſeundum erat inter Syriacum, & rubrum mare, quas obtinebat Schelomoh.*

2. *Id eſt mercium, quæ equis, aut curribus vehebantur, ut ſequens verſus explicat: metonymia.*

3. *Quia per ipſius regionem tranſibatur.*

4. *Id eſt mercium netarum, & confectarum, ut byſſi, & aliarum, quæ ibi parabantur, de quibus vide Proverb. VII. 16. & Iezechiel. XXVII. 7.*

5. *Id eſt publicani, ſive vectigalium redemptores.*

Verſ. 29. *Nam aſcendens ex Ægypto,* 1. *exibat* 2. *currus ſexcentis ſiclis argenti, & equus centenis quinquagenis: & ita pro omnibus Regibus* 3. *Chithæorum, & pro Regibus* 4. *Syriæ,* 5. *in manu ſua educebant.*

1. *E finibus Iudææ, & Schelomonis regni.*

2. *Oneratus mercibus in quaternos equos: prout equus onuſtus centenos quinquagenos ſiclos pendebat.*

3. *Ab oriente, ut Ioſue* I. 4.

4. *Ab*

4. *Ab aquilone.*

5. *Id eſt, ſecum abducebant quocumque volebant, penſitatis veſtigalibus.*

Quibuſdam fortaſſe videbitur tota hæc ipſorum enarratio ſubtilis & aliena; ſed in loco abſtruſo, & moleſtæ difficultatis, non auſim eam prorſus improbaſſe.

MENOCHII.

Verſ. 1. REGINA SABA. Reginæ huius regnum a meridie Heroſolymis fuiſſe apud omnes conſtat, cum illam Chriſtus Dominus, *Reginam Auſtri* appellarit. Communior ſententia, quæ plurimos habet patronos, in Arabia hoc regnum ſtatuit: quod ita eſſe coniicitur ex eo quod Arabia aromatibus abundet, quorum magnam vim Regina detulit ad Salomonem, & etiam ex voce ipſa Saba, quæ cum ſcribitur per ש *ſchin*, Arabiam ſignificat, ut Pſalm. LXXI. 10. & 15. noſter vertit Interpres, ut etiam Septuaginta; cum vero ſcribitur per ס *ſamech*, AEthiopiam. Incolæ regni Saba Sabæi dicti ſunt. IN NOMINE DOMINI. Vatablus, & Sa explicant de fama eorum quæ faciebat Salomon in nomine Domini, non autem Idolorum ope. Alii aliter. Dici fortaſſe poſſit audiviſſe Reginam hanc famam Salomonis, qua apud omnes gentes inclytus erat propter ea quæ fecerat, & faciebat in nomine Domini celebrando, & colendo, tam magnifico templo, tam multis ſacrificiis, &c. TENTARE EUM IN AENIGMATIBUS, explorare ſapientiam illius difficilibus propoſitis quæſtionibus, partim naturalibus, partim ad veram religionem, & fidei myſteria pertinentibus.

V. 2. UNIVERSA QUAE HABEBAT IN CORDE SUO. Dubitationes omnes, & quæſtiones ſuas.

V. 4. DOMUM QUAM AEDIFICAVERAT. Aliqui ædes regias intelligunt, præcipue autem domum ſaltus Libani; alii templum; alii utrumque.

V. 5. NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM: ſupra modum ſtupebat.

V. 9. SIT DOMINUS DEUS TUUS BENEDICTUS, CUI COMPLACUISTI, eadem fere ſententia quam Dominus inter orandum dicebat: *Confiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis, ita pater quia ſic placitum fuit ante te.* Matth. XI. 25. EO QUOD DILEXERAT DOMINUS ISRAEL; quaſi dicat: Non enim propter teipſum factus es Rex, ſed in utilitatem populi tui, in quo ſupremum magiſtrum geris.

V. 10. TALENTA AURI. Talentum unicum eſt apud Hebræos, continetque tria millia ſiclorum, uncias mille quingentas, duodecim millia drachmarum, aureus autem unus Hiſpanicus, ſive Francicus eſt unius drachmæ. Itaque centum viginti talenta auri efficiunt millionem, ut appellant, unum, & quadringenta quadraginta millia aureorum.

V. 11. LIGNA THYINA. Pagninus, & Vatablus vertunt *coralia*, Septuaginta ligna πεκεκκαδολατα. Ignotum hoc lignum D. Hieronymus *thyinum* dixit, propter ſimilitudinem cum lignis ex Thya arbore, cuius meminit Plinius Lib. III. cap. XVI. quo loco ſignificat valde proceram arborem eſſe, contra vitia incorruptam, & radice criſpante, ex qua maxime pretioſa fierent opera.

V. 12. FULCRA, ſcilicet graduum quibus aſcendebatur.

V. 13. OMNIA QUAE VOLUIT, ET PETIVIT AB EO. Sunt autem mulieres & curioſæ, & ad petendum proclives.

V. 14. SEXCENTORUM SEXAGINTA SEX TALENTORUM AURI, id eſt ſeptem milliones, nongenta & nonaginta duo millia nummorum aureorum.

V. 15. NEGOTIATORES, id eſt negotiatores copioſiores, qui mercium magnam vim comparant, aut vendunt. Italice dicimus, *Mercanti che comprano, o vendono in groſſo.* SCRUTA VENDENTES. Intellige non tam qui vilia & ſordida vendunt, ut præfractum ſtrigilem, aut ſoleam dimidiatam, quam eos qui varia & multiplicia genera mercium vendunt populo particulatim, &, ut Italice dicimus, *a minuto*. Pagninus, & Vatablus negotiationem aromatariorum interpretantur. REGES ARABIAE, Salomoni tributa pendentes.

V. 16. DUCENTA SCUTA. II. Paral. IX. 15. dicitur, *ducentas haſtas aureas*: in Hebræo utrobique eſt vox מגן *tſinnah*, quam vocem cum videret Interpres aliquod armorum genus, ſed incertum, ſignificare, modo generali nomine arma, modo ſcutum, modo haſtam vertit: & quoniam

niam vox hæc Hebræa originem etiam refert ad id quod eſt acuere, perforare, penetrare, factum eſt ut ea voce intelligatur a plerisque clypeus haſtatus, qui ſcilicet prælongum habet umbonem, quo tanquam haſta, vel gladio transfigi poſſit hoſtis, & ſimul qui ſub eo latet protegi. SEXCENTOS AURI SICLOS. Siclus erat ſemiuncia, hoc eſt, quatuor drachmæ, itaque ſiclus aureus continet quatuor coronatos noſtrates.

V. 18. PELTAS. Aliud ſcuti genus, brevioris. TRECENTAE MINAE. Ponitur mina pro ſiclo, quomodo Joſephus dicitur venditus viginti argenteis, Gen. XXXVII. 28. quod exponens Joſephus Lib. II. Antiq. cap. III. ait venditum viginti minis.

V. 19. MANUS. Fulcra quibus ſedens brachiis niti ſolet. STABANT, manus ſeu fulcra ſuſtinentes.

V. 21. NEC ALICUIUS PRETII AESTIMABATUR. Eſt hyperbole. Vile erat argentum propter magnam copiam: ita etiam intelligenda ſunt quæ dicuntur infr. num. 27. IN THARSIS. Tharſis in Scriptura ſæpe mare ſignificat. Sic *naves Tharſis* Iſa. II. 16. Septuaginta verterunt *naves maris*. Et Tyrus, quæ Iſa. XXIII. 10. dicitur, *Filia maris*, in Hebræo eſt, *Filia Tharſis*. Sic Ionas fugit in Tharſis, id eſt: ad mare claſſis ergo Salomonis navigabat in Tharſis, id eſt in mare Indicum, ut ſupra dictum eſt.

V. 26. CURRUS, falcati in uſum belli. MILLE ET QUADRINGENTI. At II. Paralip. IX. 25. dicitur: *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum, equitumque duodecim millia*. Reſpondeo, vocem *curuum* non ad poſteriora, ſed ad priora referendam eſſe, gemino puncto poſt vocem curruum addito; hoc ſenſu: Habuit Salomon quadraginta millia equorum, & curruum in ſtabulis, equitum vero duodecim millia: & ſic habet verſio Vatabli, & Pagnini, juxta textum Hebraicum, cui hac in re Septuaginta conſentiunt; immo editio vulgata hanc ſuggerit explicationem III. Reg. IV. 26. ubi pro equorum, & curruum, habet equorum currulium, id eſt qui adhiberentur ad currus, & duodecim millia equeſtrium, qui ſcilicet equites ferrent, prout habet etiam Pagnini verſio. Sic Poetæ Latini dicunt: *Chalybem, frenoſque momordit; Pateris libamus, & auro: & maculis inſignis, & albo*. Pleniſſima igitur veritas habetur II. Paralip. I. 14. ubi legimus: *Facti ſunt ei mille, & quadringenti currus, & duodecim millia equitum*. Quia vero textus III. Reg. IV. 26. ait habuiſſe Salomonem *quadraginta millia equorum curruliuum*: reſpondemus cum Pineda Lib. V. cap. X. & Salian. anno 25. Salomon. numero II. hæc quadraginta millia equorum et iamſi apta eſſent curribus, non tamen omnia adhibita fuiſſe ad hunc uſum, ſed in alios, ad equitandum, pugnandum onera portanda, &c. Itaque plures erant quam pro quadrigarum uſu. CIVITATES MUNITAS, &c. Vide ſup. cap. IX. num. 19.

V. 27. QUANTA ET LAPIDUM; hyperbole. Vide num. 21. SYCOMOROS. *Sycomorus*, inquit Dioſcorides, *eſt arbor magna, foliis moro, cetera ficui ſimilis, niſi quod poma non ramis, ſed ipſo caudice effudit: poma hæc dulcia ſunt, ſed inſipida, ex quo dicta arbor Sycomorus, id eſt ficus fatua, aut inſipida*. Frequens erat hæc arbor in Palæſtina.

V. 28. EDUCEBANTUR EQUI SALOMONI, &c. Quia paulo ante ſermo fuerat de curribus, & equitatu Salomonis, ideo iam facer textus indicat unde peterentur. DE AEGYPTO. Fuiſſe in AEgypto multos, & generoſos equos, indicat illud Cantic. I. *Equitatui meo in curribus Pharaonis*, &c. DE COA. Quænam ſit hæc regio, non conſtat. Abulenſis quæſt. XIII. inſulam in Græcia eſſe putavit, ex qua navibus veherentur ad Salomonem. Probabile eſt regionem fuiſſe non multum ab AEgypto, aut Syria diſſitam.

V. 29. EGREDIEBATUR QUADRIGA; id eſt, quadrigæ unius pretium erat. IN HUNC MODUM. Senſus eſt: Ut in AEgypto emebat equos Salomon, ita & in Syris eodem pretio quo ab AEgyptiis.

TIRINI.

Verſ. 1. REGINA SABA. Duplex eſt *Saba* ſeu *Sabæa*. Una in AEthiopia proprie dicta, quæ *Meroe* dicitur, in regione Abyſſinorum ſive Pretoloannis, & hæc ſcribitur per *ψ ſcin*. Altera eſt in Arabia Felici, & ſcribitur per

ד *famech*. Utraque exprimitur illo verſiculo Pſalm. LXXII. *Reges Arabum & Saba*, Hebraice eſt, Reges *Seba & Sceba* (שכא ומלכי). Ubi per priorem *Sebam* ſeu *Sebam* dum Arabiam intelligit, videtur & hoc loco, ubi eiſdem litteris ſcribitur *Saba*, urbs vel regio Arabiæ intelligenda. Et hæc eadem eſt ex qua etiam tres Magi ad Chriſtum in Bethlehem munera detulerunt. Et ſubinde etiam vocatur AEthiopia, ut dixi Numer. XII. cum explicarem qua ratione uxor Moyſis ex Arabia progenita, vocetur tamen AEthiopiſſa. Ita S. Hieronymus *a*, Sanctius, & alii. Et confirmatur ex Iobo, & Iſaia, qui quando *Sabæ* meminerunt, eam coniungunt iis regionibus quas nemo negat eſſe in Arabia, vel ſaltem Arabiæ vicinas. Iob enim cap. VI. verſ. 19. eam iungit cum *Themam*: Iſaias cap. LX. verſ. 6. & 7. cum *Madian*, *Epha*, *Cedar*, & *Nabatoth* coniungit, quæ ſunt partes Arabiæ. Et quis neſcit, Sabæos, qui Iobi armenta deprædati ſunt, ex vicina Arabia fuiſſe? Atqui omnibus illis locis *Seba* Hebraice iiſdem quibus hic litteris conſcribitur. Et Petrus Pauli ex noſtra Societate, litteris ex ea AEthiopia quæ ad ſinum eſt Arabicum, haud ita pridem datis, affirmat, prope eumdem ſinum Arabicum civitatem ab indigenis oſtendi, in qua nata creditur hæc de qua nunc agimus Regina Saba. Confirmatur ſecundo, quia munera quæ ſeu Magi ad Chriſtum, ſeu Regina hæc ad Salomonem detuliſſe dicuntur, puta aurum, thus, myrrha, gemmæ pretioſæ, cinnamomum, aliaque aromata, non naſcuntur in AEthiopia, ſed in Arabia felici maxima copia, teſte Diodoro Siculo, Herodoto *b*, & aliis. Additque Herodotus, *Arabiam ad meridiem* (nam eo ex parte vergit, licet alioqui ſit orientalis reſpectu Ieroſolymæ) *ultimam e regionibus eſſe quæ habitantur*. Et hæc forte ratio eſt, cur hæc Regina Saba a Chriſto vocetur *Regina Auſtri*, & ad Salomonem dicatur veniſſe *ab ultimis finibus terræ*, Matthæi XII. & Lucæ XI.

Allegorice ſecundum Eucherium, Eccleſia gentium accurrit ad Chriſtum. Et ſane videtur hæc Regina dum gryphorum & ænigmatum ſuorum, ſeu ſubtilium quæſtionum ſolutiones quæſitum venit, neque altius curioſam mentem attolleret, ea occaſione cognitionem veri Dei reperiiſſe, eademque populos ſibi ſubditos imbuiſſe. Sed quod tradit Ioannes Barrus Luſitanus *c*, hanc Reginam Salomoni conſortem tori fuiſſe, ex eoque filium Meilech genuiſſe, a quo propagati ſint omnes ad hoc uſque ævum Abyſſini Reges AEthiopiæ: qui etiam idcirco ſe ſcribunt, *Filios Salomonis*, *& columbæ Sionis*, *filios Davidis ex femine Iacob*, *ex ſtirpe Iuda*, &c. præterquam quod adverſetur probatæ iam a nobis ſententiæ de regione Sabææ, quæ non ex AEthiopia Abyſſinorum, ſed ex Arabia hanc Reginam ad Salomonem miſit: probroſum nimis eſt tantis Regibus; nec niſi ex Abyſſinorum lacunis hauſtum, in quibus parum veri, nihil certi, inquit Sanctius.

V. II. LIGNA THYINA, id eſt odorata, & ad ſuave ſuffimentum idonea, a verbo Græco θύω, quod *ſuffire* ſignificat: talia enim ligna etiam hodie ex orientali India a Luſitanis plurima comportantur. Ribera *d* vult ex arbore thya, quæ incorrupta & ſimilis eſt cypreſſo, nomen hoc derivatum: Chaldæus cum Rabbinis vertit *corallium*: Septuaginta *pinum*, uti & Ioſephus *e*: alii *ebenum* putant: quidam ex Hebræis, *lignum Braſilium* ebeno ſplendidius. Unde nihil hic certi, niſi hoc unum citharas inde & pſalteria ſeu nablia, & graduum inveſtitiones confectas fuiſſe: quod corallio non convenit. Certum item, non fuiſſe lignum Iudæis antea ſeu viſum, ſeu notum: nam, ut eſt in II. Paralip. IX. II. *numquam viſa ſunt in terra Iuda ligna talia*. Et hoc de pino affirmari non poteſt. De *Tharſis* vide II. Paralipom. IX. verſ. 21.

(*a*) Hieron. in cap. VI. Iſaiæ, & in Tradit. Hebr. & in cap. X. Geneſ.
(*b*) Diod. Lib. III. cap. XII. Herod. Lib. III.
(*c*) Barrus de Abyſſinis.
(*d*) Ribera in Apocal. XVIII.
(*e*) Ioſeph. Lib. VIII. Antiq. cap. II.

GORDONI.

Verſ. I. SABA per ד eſt in Arabia felici; per ש eſt in AEthiopia: & hinc veniſſe hanc Reginam conſtanter affirmant AEthiopes; & ibi monſtrant eius palatii veſtigia. Idem indicant verba Matth. XII. & Luc. XI. ubi vocatur Regina Auſtri.

ſtri. Ibidem poſt aliquot ſæcula regnavit Candace, de qua Actor. VIII. at quid illud, IN NOMINE DOMINI? audita certe fama Salomonis, ſeu eorum quæ faciebat in nomine Domini, ſeu quæ faciebat inſpirante Domino.

V. 11. LIGNA THYINA: a θύω, quod eſt *ſuffire*: aliqui lignum *breſilium* putant; alii *hebenum*.

V. 14. PONDUS SEXCENTORUM SEXAGINTA SEX TALENTORUM. Ingens ſane vis auri; ſed æſtimo longe minora fuiſſe illorum ſæculorum talenta quam nunc æſtimentur. Vide quæ dixi Eſdræ Lib. I. cap. VIII. verſ. 25.

V. 22. IBAT IN THARSIS. Ubi Tharſis ſit, non conſtat; nec portus notatur unde claſſis ſolvebat. Navigatio quæ tribus fiebat annis longinqua eſſe debebat: moram forte magnam dabat, quia nondum invento magnetis uſu, tantum legebant littora. Aliqui Africam eſſe putant. Certe Tunetum Arabice Tharſis vocatur. Denique Tharſis, ut alii ſuſpicantur, deſignat mediterranei maris inſulas & portus.

V. 27. & 28. Quod dicitur de argento, eſt hyperbolicum. COA ubi ſit, incertum eſt: putatur eſſe inſula maris mediterranei verſus Græciam, mutato iam nomine: aliis eſt urbs in AEgypto, II. Paralip. cap. I. EGREDIEBATUR, id eſt emebatur: ἀνέβαινε, *aſcendebat*.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM: valde ſtupebat.

V. 10. CENTUM VIGINTI TALENTA. Alibi de talento. Drachma in hac ſupputatione aliquibus eſt aureus nummus Gallicus. Talentum hic dat duodecim millia drachmarum, ac proinde centum viginti talenta dant aureos 14400. qui numerus facile exurgit, ſi multiplices 12000. per 120.

V. 12. FULCRA, graduum, quibus aſcendebatur.

V. 14. De valore iam dixi.

V. 16. SCUTA; ſed II. Paralip. IX. 15. ſunt haſtæ: verum צנה *tſinnach* utrumque ſignificat.

V. 18. Hic ponitur mina pro ſiclo.

V. 19. DUAE MANUS, fulcra.

V. 26. CURRUS, falcati. Conſentit hic numerus cum II. Paralip. I. 14. ac proinde in eo quod habetur II. Paralip. IX. 25. oportet poſt *currum* ponere colon, ſeu duo puncta, ut ſtet idem ſenſus. Et pars illa uſque ad duo hæc puncta, eſt de equis & currubus, ſeu de equis currilibus: & III. Reg. IV. verſ. 26. *Equorum* (inquit) *currilium*. Nec mirum eſt his locis variari numerum equorum, cum ſint alii currules, alii equeſtres, alii ad alios uſus, præter uſum quadrigarum. Qui ergo ſuperant numerum, erant ad alios regni & belli uſus: tantum in hoc oritur obſcuritas, quod cum ſingulis numeris non ſemper exprimatur uſus.

CA-

CAPUT XI.

Salomon plurimis iungitur mulieribus alienigenis, & ab eis infatuatus ad ipſarum idola convertitur: in quem iratus Dominus, ſuſcitat ei adverſarios Adad, Razon, & Ieroboam: cui per prophetam Ahiam promittit regnum Iſrael, ſervata una tribu Salomonis filio: moritur Salomon poſt quadraginta regni annos, cui ſuccedit filius Roboam.

1. REx autem Salomon (*a*) adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, * & Sidonias, & Hetthæas: 2. de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael: (*b*) Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore. 3. Fueruntque ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: & averterunt mulieres cor eius. 4. Cumque iam eſſet ſenex, depravatum eſt cor eius per mulieres, ut ſequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris eius. 5. * Sed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. 6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimplevit ut ſequeretur Dominum, ſicut David pater eius. 7. Tunc ædificavit Salomon fanum, Chamos idolo Moab, in monte qui eſt contra Ieruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. 8. Atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis ſuis. 9. Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quod averſa eſſet mens eius a Domino Deo Iſrael, qui (*c*) apparuerat ei ſecundo, 10. & præceperat de verbo hoc ne ſequeretur deos alienos, & non cuſtodivit quæ mandavit ei Dominus. 11. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo. 12. (*d*) Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum: de manu filii tui ſcindam illud, 13. nec totum Regnum auferam, ſed tribum unam dabo filio tuo, propter David ſervum meum, & Ieruſalem quam elegi. 14. Suſcitavit autem Dominus adverſarium Salomoni, Adad Idumæum de ſemine regio, qui erat in Edom. 15. (*e*) Cum enim eſſet David in Idumæa, & aſcendiſſet Ioab princeps militiæ ad ſepeliendum eos qui fuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæa (16. ſex enim menſibus ibi moratus eſt Ioab, & omnis Iſrael, donec interimeret omne maſculinum in Idumæa) 17. fugit Adad ipſe, & viri Idumæi de ſervis patris eius cum eo, ut ingrederetur AEgyptum: erat autem Adad puer parvulus. 18. Cumque ſurreviſſent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque ſecum viros de Pharan, & introierunt AEgyptum ad Pharaonem Regem AEgypti: qui dedit ei domum, & cibos conſtituit, & terram delegavit. 19. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem, ſororem uxoris ſuæ germanam Taphnes Reginæ. 20. Genuitque ei ſoror Taphnes Genubath filium, & nutrivit eum Taphnes in domo Pha-

raonis : eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis eius. 21. Cumque audiſset Adad in AEgypto, dormiſſe David cum patribus ſuis, & mortuum eſſe Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni : Dimitte me, ut vadam in terram meam. 22. Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille reſpondit, Nulla; ſed obſecro te ut dimittas me. 23. Suſcitavit quoque ei Dei adverſarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer Regem Soba Dominum ſuum: & congregavit contra eum viros, & factus eſt princeps latronum cum interficeret eos David: abieruntque Damaſcum, & habitaverunt ibi, & conſtituerunt eum Regem in Damaſco, 25. eratque adverſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis: & hoc eſt malum Adad, & odium contra Iſrael, regnavitque in Syria. 26. (f) Ieroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, ſervus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua: levavit manum contra Regem. 27. Et hæc eſt cauſa rebellionis adverſus eum, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David patris ſui. 28. Erat autem Ieroboam vir fortis & potens: videnſque Salomon adoleſcentem bonæ idolis & induſtrium, conſtituerat eum præfectum ſuper tributa univerſæ domus Ioſeph. 29. (g) Factum eſt igitur in tempore illo, ut Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo: erant autem duo tantum in agro. 30. Apprehendenſque Ahias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. 31. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. 32. Porro una tribus remanebit ei, propter ſervum meum David, & Ieruſalem civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael 33. eo quod dereliquerit me, & adoraverit Aſtarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulaverit in viis meis, ut faceret iuſtitiam coram me, & præcepta mea, & iudicia ſicut David pater eius. 34. Nec auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter David ſervum meum, quem elegi, qui cuſtodivit mandata mea & præcepta mea. 35. Auferam autem regnum de manu filii eius, & dabo tibi decem tribus: 36. filio autem eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Ieruſalem civitate, quam elegi ut eſſet nomen meum ibi. 37. Te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſrael. 38. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, & tradam tibi Iſrael: 39. & affligam ſemen David ſuper hoc, verumtamen non cunctis diebus. 40. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam: qui ſurrexit, & auſugit in AEgyptum ad Seſac Regem AEgypti, & fuit in AEgypto uſque ad mortem Salomonis. 41. Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & ſapientia eius: ecce univerſa ſcripta ſunt † in Libro verborum dierum Salomonis. 42. Dies autem, quos regnavit Salomon in Ieruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt. 43. Dormivitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David patris ſui, regnavitque Roboam filius eius pro eo.

(a) Deut. xvii. 17. Eccli. xlvii. 22. (b) Exod. xxxiv. 16. (c) Sup. xi. 6. (d) Inf. xii. 15. (e) II. Reg. viii. 14. (f) II. Par. xxiii. (g) II. Par. v. 13.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Et Sidonias &*, *Hetthaas*. Scribendum eſt *Hetthaas* littera initiali *H*, & duplicato *s* (prout plerumque conſuevit hæc vox latine exprimi) potius quam *Cethaas*, quamquam ita ſcribatur Ezech. XVI. verſ. 3.

V. 5. *Sed colebat Salomon Aſtharten deam Sidoniorum*, *& Moloch idolum Ammonitarum*. Non interponas *& Chamos deum Moabitarum*, redundat enim.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 41. *In Libro verborum dierum Salomonis*. Multi codices omittunt vocem *dierum* conſentanee Hebræo.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. NON INGREDIEMINI, &c. Chald. *Non miſcebimini cum illis, nec illæ vobiſcum*. AD VESTRAS. Hebr. & LXX. *ad vos*. CERTISSIME ENIM. Hebr. *certe*, ſeu *ſiquidem*.

V. 3. CONCUBINAE, id eſt uxores minus principales. MULIERES. Hebr. *uxores eius*.

V. 4. CUM DOMINO, pro coram Domino.

V. 5. ASTARTHEN DEAM: ſic etiam LXX. at Hebr. *Haſtoreth deum*. Chald. *Haſtoreth errorem*. Quidam Lunam putant, quam alibi Scriptura Reginam cæli vocat. MOLOCH. Hebr. Chald. & LXX. *Milchom*. IDOLUM. Hebr. & Chald. *abominationem*.

V. 6. QUOD NON PLACUERAT. Hebr. Chald. & LXX. *malum*.

V. 9. SECUNDO. Hebr. Chald. & LXX. *bis*.

V. 13. UNAM. Nota, quod tribus Iuda & Beniamin pro una reputantur, quia coniunctæ, ſeu permixtæ erant.

V. 15. INTERFECTI, ſcilicet Iudæi in bello.

V. 23. FUGERAT, ſcilicet videns inclinatam ſuorum aciem.

V. 24. LATRONUM. Hebr. Chald. & LXX. *exercitus*. EOS, ſcilicet milites Adarezer; quaſi dicat: Cum David victor evaſiſſet.

V. 25. ET HOC EST; pro, & hoc præter, ut indicant Hebr. & Chald. quaſi dicat: Acceſſit id ad malum ſeu perſecutionem Adad. REGNAVITQUE, ſcilicet Razon. SYRIA. LXX. *Edom*, ſecundum quos illud *regnavit* ad *Adad* referendum.

V. 26. EPHRATHAEUS, id eſt de tribu Ephraim.

V. 27. QUIA SALOMON, &c. Videtur cauſa fuiſſe, quod Ieroboam reprehenderit Salomonis opus; vel potius, quod cum operi illi eſſet præfectus, & Prophetæ ei prædixiſſet quæ ſequuntur, Salomon id reſcierit, eoque voluerit occidere. MELLO. LXX. *arcem*. Chald. *aggerem*. Vide ſupra cap. IX. verſ. 15. COAEQUAVIT VORAGINEM. Chald. *Occluſit rupturam*. LXX. *Concluſit ſeptem*, Hebr. *Clauſit diruptionem*, ſcilicet partem nondum munitam.

V. 29. SILONITES, id eſt ex Silo, ubi diu fuit tabernaculum.

V. 33. IUSTITIAM CORAM ME. Hebr. *quod rectum in oculis meis*.

V. 36. LUCERNA, id eſt regius ſplendor.

V. 38. FIDELEM, id eſt firmam.

V. 40. VOLUIT ERGO. Apparet reſciviſſe quod fecerat Ahias.

V. 41. VERBORUM, id eſt de rebus geſtis. Non extat is liber.

V. 43. CUM PATRIBUS, id eſt ut patres.

ESTII.

Verſ. 1. REX AUTEM SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS MULTAS, &c. His paucis verbis tria peccata in Salomone notantur. Primum eſt, quod mulieres nimis ardenter amaverit: id enim declaratur

ratur verbis subiectis, cum dicitur: *His itaque copulatus est Rex Salomon ardentissimo amore.* Secundum, quod contra legem acceperit uxores alienigenas. Quod enim acceperit eas quæ in cultu idolorum suæ gentis permanebant, id patet ex subiecta narratione. Tales autem accipere non licebat. Rationem hoc loco adiicit Scriptura ex capite Exodi XXXIV. his verbis: *De gentibus super quibus dixit: Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos eorum.* Ubi valde notandum est quod dicit *certissime*. Vix enim etiam hoc tempore invenias Catholicum, qui ducta uxore hæretica, non sit passus fidei suæ naufragium. Hinc & Apostolus severissime admonet, II. Corinth. cap. VI. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Denique tertium peccatum est, quod ultra modum uxores sibi multiplicaverit. Id quod etiam diserte in lege fuerat prohibitum Deuteronomii cap. XVII. ubi de Rege dicitur: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius.*

V. 4. CUMQUE IAM ESSET SENEX, DEPRAVATUM EST COR EIUS PER MULIERES, UT SEQUERETUR DEOS ALIENOS. Quod attinet ad idololatriam, ad quam perductus legitur Salomon, quidam putant non ipsum Salomonem coluisse idola gentium, sed tantum in eo peccasse quod ita immodice & inordinate uxores suas dilexerit, ut eas permitteret construere templa, & erigere altaria in honorem suorum idolorum, idque in terra sancta, quæ unius Dei cultui peculiariter deputata erat. Magis tamen consonum est Scripturæ sacræ, ut dicatur ipse etiam Salomon idolis templa extruxisse, eaque coluisse. Non tamen putandum est, eum ita infatuatum ut idolis putaret aliquid inesse divinitatis; sed dum nollet uxores offendere, simul cum illis exteriorem adorationis cultum eis exhibebat, sicut Adam uxori suæ obsecutus est, non seductus, I. Tim. II. sed ne eam contristaret. Ita Augustinus Lib. XIV. Civit. cap. XIV.

An pœnitentiam egerit, & salvatus sit, an vero reprobatus, varie disputatur. Est veterum Iudæorum sententia, teste Hieronymo in cap. I. Eccle. Salomonem in fine dierum egisse pœnitentiam, & eo tempore compositisse librum Ecclesiastæ, quod idem Hieronymus approbare videtur super Ezech. XLIII. & Chrysostomus serm. contra concubinarios. Adde quod idem Hieronym. Lib. I. contra Pelagian. cap. VI. dicit, quod in futuro sæculo, non tantum in Salomone erit sapientia, in Davide mansuetudo, sed omni virtutum choro sanctorum numerus gloriabitur. Ergo, ut videtur, sentit Salomonem fore in numero sanctorum. In contrarium scripsit opusculum de damnatione Salomonis Philippus Abbas Bonæ spei, varios citans auctores, & inter alios Augustinum in Psal. CXXVI. ubi dicit quod Salomon reprobatus a Deo est, & Lib. XVII. de Civit. quod Salomon bonis initiis malos exitus habuit. Et hanc sententiam tanquam probabiliorem sequitur etiam Bellarminus Lib. I. de verbo Dei cap. V.

MARIANAE.

Vers. 2. NON INGREDIEMINI AD EAS; id est, neque ducatis illas, neque illæ nubant vobis. Id iussit Deus, & Salomon violavit.

V. 3. CONCUBINAE TRAECENTAE. Uxores etiam erant, sed sine dote, & aliis cæremoniis. Non erat cor Salomonis perfectum:

V. 5. SED COLEBAT SALOMON ASTHARTHEN. Hebr. *Et abiit Salomon post Astarthen.*

V. 6. QUOD NON PLACUERAT. Hebr. *Fecit malum in oculis Domini.*

V. 7. TUNC AEDIFICAVIT SALOMON FANUM. Hebræus: *Permisit ut uxores ædificarent:* non increpavit eas. Idem de cultu dixeris. Porro *Astarthe* aut Venus, aut Diana erat, de quo plura Iudic. II. vers. 13. CHAMOS deus Moabitarum. Idem Κῶμος Græcis, ut quidam putant, præfectus ebrietati & conviviis, unde *Comos* pro comessatione. Ad Rom. XIII. vers. 13. *μὴ κώμοις καὶ μέθαις, non in comessationibus, & ebrietatibus.* Certe Bachus is erat. MOLOCH denique sive *Melchom*, ut vers. 5. Hebraice vocatur *deus Ammonitarum*, Saturnus creditur fuisse. Ingens statua, manus cavæ, quibus imponebant pueros, unde arte quadam in subiectam foveam igne plenam cadebant. De quo plura Genes. XXII. vers. 9. Vox autem significat

ficat *Rex*, ſive *Rex eorum*, & bene convenit Saturno, quem deorum patrem ſaciebant. Memento, Græcos a Phœnicibus litteras accepiſſe; cum litteris & deos ad illos, & varios ritus veniſſe credi poteſt.

V. 9. SECUNDO. Sept. *bis*. Chald. *duabus vicibus*. Bis Deus apparuit Salomoni.

V. 13. UNAM DABO. Tribus Beniamin tribui Iuda locis conſuſa, pro eadem reputatur. Eam tribum Deus Salomonis filio reliquit. Cum ſepeliſſet Ioab,

V. 15. ET OCCIDISSET OMNE MASCULINUM; id eſt, poſtquam percuſſerat, ſepelivit: ſic Hebræus. Ii enim erant interfecti, quos ſepeliendos curavit. Ergo & ſumitur pro *poſtquam*. Tunc fugit Adad ad Pharaonem.

V. 18. ET TERRAM DELEGAVIT. Hebr. *Et terram dedit ei*: ſcilicet Adad Idumæo prædia unde viveret. Pharao dedit.

V. 23. RAZON FILIUM ELIADA. Hic fuit alter adverſarius Salomonis. Factus eſt

V. 24. PRINCEPS LATRONUM. Hebr. *agminis*, ſeu *exercitus*, ut Sept. & Chald. Vox *ghedud*, & *latrones* & *exercitum* ſignificat. Iveruntque Damaſcum.

V. 25. ET HOC EST MALUM ADAD. Hebr. *Et malum* (ſcilicet hoc fuit cum malo) *quod Adad* (ſcilicet fecit) ſcilicet hoc incommodum ad illud prius acceſſit. ET ODIUM CONTRA ISRAEL. Hebr. *Et afflixit*, ſeu *abominatus eſt Iſraelem*, ſcilicet Razon, de quo loquitur. REGNAVITQUE IN SYRIA. Razon ſcilicet, nam Syriæ caput Damaſcus: aut Adad, ut alii volunt.

V. 27. VORAGINEM CIVITATIS DAVID, ſcilicet Salomon cœquavit. Heb. *diruptionem*. Chald. *Et occluſit rupturam civitatis David patris ſui*; id eſt, muro cinxit partem nondum munitam. Hieronymus intellexit fuiſſe vallem aliquam, quam clauſit, & exæquavit, ut ſtructuram *Mello* dictam loco imponeret.

V. 28. PRAEFECTUM SUPER TRIBUTA, conſtituit Salomon Ieroboamum. Hebr. *ſuper onus*; ſed *onus*, *tributum* vocatur. Aut ſorte faciundo operi onera populi portabant humeris, quorum parti Ieroboamum præfecit. Invenit Ieroboam Ahias propheta.

V. 29. SILONITES. Ex patria Silo erat. Salomon non ambulavit in lege.

V. 33. UT FACERET IUSTITIAM: Hebr. *rectum*: non fecit rectum Salomon. Deus ait:

V. 34. NEC AUFERAM OMNE REGNUM; id eſt, ullam regni partem eo vivo non auferam. Filio dabo tribum unam.

V. 36. UT REMANEAT LUCERNA. *Lucerna* pro regno, ut Chald. quaſi dicat: Ut ſemper ex poſteris eius ſit qui regnum teneat. Deus ad Ieroboam: Si feceris quæ præcipio,

V. 38. AEDIFICABO TIBI DOMUM FIDELEM; id eſt, regnum ſtabile firmumque dabo. Porro domus ſtabilis *fidelis* vocatur, quia ea conditione & lege promittit Deus, ſi ipſi fideles extiterint. Ita ex fide ſtabilitas pendet. Ieroboam fugit.

V. 40. AD SESAC REGEM AEGYPTI. Hic *Sebacus* ab Herodoto, & Diodoro Lib. II. cap. 11. vocari creditur, genere AEthiops, a religione & æquitate laudatus. Ad eum fugit Ieroboam.

V. 41. RELIQUUM AUTEM VERBORUM SALOMONIS. *Verba* pro rebus geſtis ſumi poſſunt.

V. 43. DORMIVITQUE SALOMON CUM PATRIBUS; id eſt, ut patres obiit, Aut referatur ad dormitionem ſepulcri, ubi cum patribus, id eſt maioribus, corpus iacuit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. REX AUTEM SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS, &c. Reddunt: *Poſtea Rex Schelomoh adamavit mulieres*, &c. exponuntque: Nimirum quum annos viginti quinque aut ſex in regno tranſegiſſet, iam ad ſenium vergens. Nam ſapientia quam a Deo acceperat, per ſpatium illud ſancte, legitimeque uſus eſt: primum triennio ante cœptam ædificationem templi; deinde ſeptennio, quo ædificabatur templum; tum annis tredecim, quibus domum ſuam, & alia opera procuravit; poſtremo annos duos, aut tres, quo tempore illa Regina Schebæ inviſit ipſum, ut de ſapientia ipſius cognoſceret. Poſtea igitur tamplitudine excæcatus Schelomoh, in libidinem ruit præceps, & a veritate aberrans, populo Iſraelis offenſioni fuit.

Atque

Atque hæc cauſa eſt cur Iechezkel. IV. 5. principium peccatorum Iſraelis ducitur ab anno vigeſimoſeptimo Schelomonis, a quo ad excidium uſque urbis & templi Ieruſchalaimorum præciſe numerantur anni 390. Ita illi: quæ ſunt quidem ſubtiliter & acute excogitata; ſed tamen non omnino certa: nam non deſunt qui defectionem Salomonis anno trigeſimoquinto regni eius ſtatuant, quinquennio ſcilicet ante obitum ipſius. FILIAM QUOQUE PHARAONIS. Hebr. *Et filiam Pharaonis*. Quidam reddunt, *Maxime, præſertim, filiam Pharaonis*; quod ea præcipuas partes teneret in avertendo Salomone a vero Dei cultu. Quam explanationem non multum probaverim. Alii convertunt, *Idque præter filiam Pharaonis*, quam legitime duxerat; quaſi dicat, Uxori huic ſuæ legitimæ alias multas ſuperinducens. Vide ſup. cap. III. verſ. 1. Sic accipiuntur hæ particulæ infra verſ. 25. & II. Paralip. XI. 18. Certe filia Pharaonis catholica fuiſſe videtur, ac typum Eccleſiæ ex gentibus geſſiſſe, Pſalm. XLIV. & in Canticis Canticor.

V. 2. DIXIT DOMINUS FILIIS ISRAEL, nimirum Deuter. VII. & ſeqq. NON EGREDIEMINI AD EAS. Hebr. *Non venietis in eis*. Quidam: *Ne congrediamini cum eis*. Alii: *Ne convenitote cum eis*. Nonnulli: *Ne miſceatis vos cum eis*. HIS ITAQUE COPULATUS EST SALOMON ARDENTISSIMO AMORE. Hebr. *In iis conglutinatus fuit Selomoh in amore*, vel *amando*. Quidam: *Iis, inquam, adhæſit Selomoh amore*, vel *amando*; id eſt, miſcuit ſe illis amore. Verbum דבק *dabak*, *adglutinatus fuit*, magnam vim amoris indicat. Pronomen *his* eſt maſculeum, & videtur referre gentes, quæ Hebr. ſunt generis maſculei, de quibus initio verſus: vel refert mulieres Selomonis, quæ in hoc negotio ipſæ egerunt virum, & ipſe feminam, cum cum deiecerunt.

V. 3. UXORES QUASI REGINAE SEPTINGENTAE, &c. Non eſt dubium quin effrenis hic, & immanis uxorum numerus, & divina lege interdictus, & iure naturæ pudendus fuerit. Vide Deuteron. XVII. 16. Sed quinam, quantique ſumptus impenſi in mille mulierculas vitio ſexus ſuperbas ac faſtuoſas!

V. 4. DEPRAVATUM EST COR EIUS PER MULIERES, UT SEQUERETUR DEOS ALIENOS. Temere & inconſulte faciunt qui Salomonem a crimine idololatriæ excuſant: aiunt enim Salomonem non coluiſſe idola, aut illis ſacrificaſſe; ſed ſiviſſe, aut permiſiſſe tantum, illis aras extrui, ac illis ſacrificari ab uxoribus ſuis alienigenis. Quod ſane & Scripturæ ipſi, & conſenſui patrum, ac theologorum repugnat. Recte tamen S. Auguſtinus Lib. IV. de Civitat. Dei cap. XI. *Nec Salomonem credibile eſt, errore putaſſe idolis eſſe ſerviendum, ſed blandiciis femineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum*.

V. 5. ASTHARTHEN. Hebr. *Haſtoreth*, quam externi auctores vocant *Aſtarthen*: de qua vide Comment. in Iudic. II. 13. DEAM SIDONIORUM. Hebr. *Deos Sidoniorum*; quod id idolum forma plurium coleretur, unde plerumque in Scriptura pluraliter effertur Haſtaroth. Vide Iud. II. 13. ſic verſ. 33. Huic ædificaſſe Salomonem templum ſeu excelſum in monte perditionis, ut etiam ſequenti Molecho, dicitur II. Reg. XXIII. 13. ET MOLOCH. Hebr. *Milchon*, qui tamen infra verſ. 7. *Molech* vocatur: de quo vide Levit. XVIII. 21. IDOLUM AMMONITARUM. שקוץ *ſchikkutz*, *abominationem, execrationem, deteſtationem, Hammonitarum*, ſic vocat idolum, ut rem immundam, ſpurcam, & abominandam, quam Deus execratur & damnat, ideo quod ei falſo tribuitur honos Deo debitus: ſic verſ. 7.

V. 6. ET NON ADIMPLEVIT UT SEQUERETUR DOMINUM. Hebr. *Et non implevit poſt Iehovah*. Vide de hac locutione Numer. XIV. 24. & XXXII. & 12. Deuteron. I. 36. Ioſue XIV. 8. 11.

V. 7. FANUM. Hebr. *Excelſum*. Vide de hac voce in I. Samuel. IX. 12. CHAMOS. Vide de eo Numer. XXI. verſ. 29. IN MONTE, QUI EST CONTRA IERUSALEM. Hebr. *Qui eſt ſuper facies Ieruſalaim*. Alii: *Qui eſt e regione Ieruſalaim*. Nonnulli: *Qui eſt in conſpectu Ieruſchalaimorum*. Quidam hunc montem Olivarum intelligunt, de quo vide II. Samuel. XV. 30. Alii, eum qui dictus eſt mons Offenſionis, ſeu Perditionis; II. Regum XXIII. 13. de quo vide in Ioſue XV. 8. & 18. 16. & hoc eſt rectius. Nam qui unum & eumdem faciunt montem Olivarum, & montem Offenſionis, ſeu Perditio-

tionis ; perſpicue errant. Vide Notas in II. Reg. XXIII. 13.

V. 9. QUI APPARUERAT EI SECUNDO. Hebr. *duabus vicibus*, ſeu *bis*: primo in Gabaone, ſup. cap. III. verſ. 5. deinde in Ieruſalem, ſupra cap. IX. 2.

V. 11. DIXIT ITAQUE DOMINUS SALOMONI. Expenunt : Id eſt, interminatus eſt, neque minas ſuas revocavit, ex reſipiſcentia ſeu pœnitentia Salomonis. Vide in II. Paralip. XI. 17.

V. 12. PROPTER DAVID PATREM TUUM ; id eſt, propter promiſſionem factam Davidi, II. Samuel. VII. 14. & ſequentibus, & I. Paralip. XXVIII. 7. Vide infra verſ. 32.

V. 13. ET IERUSALEM QUAM ELEGI. Hebr. *Et propter Ieruſalaim quam elegi*. Exponunt : Id eſt, propter promiſſionem præſentiæ meæ, regni Davidis ſtabilitate coniunctam, ſupra cap. VIII. verſ. 16. & II. Paralip. VI. 5. Vid. inf. verſ. 32.

V. 14. DE SEMINE REGIO, QUI ERAT IN EDOM. Quidam reddunt : *Is erat e ſemine Regis, qui regnaverat in Edomæa*, id eſt de ſemine Regum Idumæorum.

V. 15. AD SEPELIENDUM EOS QUI FUERANT INTERFECTI. Exiſtimant quidam, hic agi de eo bello Idumæorum quod deſcribitur II. Samuel. VIII. 13. & 14. quando Ioab aſcendit ad ſepeliendum ſuos Iſraelitas, qui in prælio occubuerant hac enim victoria fretus Ioab, perrexit ut Idumæam pervaderet. Alii non tam recte, interfectos Idumæos intelligunt, quos Ioab ſepeliendos curaret. Nonnulli putant, Idumæos, cæſo præſidio illis impoſito, II. Samuel. VIII. 14. rebellaſſe ; atque ad eos perdomandos aſcendiſſe Ioabum cum exercitu, tuncque ſepeliri curaſſe interfectos præſidiarios Iſraelitas ; & Idumæam denuo ſubiugaſſe univerſis maribus interfectis.

V. 16. TULERUNTQUE SECUM VIROS DE PHARAN ; puta, ut eorum comitatu inſtructi, honorificentius AEgyptum ingrederentur, atque eo apparatu teſtarentur eum eſſe de genere regio.

V. 19. TAPHNES REGINAE. Hebr. *Thachphenes prævalidæ*. גבירה *ghebirah* reddunt *principis*, *heræ*, *dominæ*, *heroinæ*, *auguſtæ*.

V. 22. QUA ENIM RE APUD ME INDIGES ? Hebr. *Quia quid tu deficiens mecum*. Quidam : *Quo enim indiges mecum* ? Alii ; *Quia quem tu defectum pateris mecum* ? Nonnulli : *Non dimittam*, vel *mane*, *nam quo indiges mecum* ? vel, *Nam quid deficit te apud me* ?

V. 23. RAZON : de quo vide infra cap. V. verſ. 18. QUI FUGERAT ADARZER REGEM SOBA. Exponunt : Id eſt, qui reliquerat herum ſuum in conflictu, cum videret iam inclinatam eſſe aciem, & pene ſuſam, videretque victoriam iam pene eſſe apud Davidem. Vide II. Samuel. VIII. 3. & ſeqq. & X. 16. & ſeqq. Potuit eſſe ut is ob aliquam offenſionem, ut ſolent principes, etiam extra prælium, Regem ſuum deſeruerit.

V. 24. ET CONGREGAVIT CONTRA EUM VIROS. Hebr. *Et congregavit ſuper eum*, id eſt adverſus Selomonem, *viros*. Alii : *Et congregavit ad ſe viros* : vel עליו *collectis*, *congregatis*, *ad ſe viris*. Ex Hebr. poteſt reddi, *ſuper eum*, & *ſuper ſe*. PRINCEPS LATRONUM. Hebr. *Princeps latrociniі*. Vocem גדוד *ghedud* varie exponunt : *Princeps turmæ*, *cunei*, *globi*, *cohortis*, *agminis*, *exercitus*, *excurſorum*, *ſeu graſſatorum*. Vide in Geneſ. XLIX. 19. CUM INTERFICERET EOS. Exponunt, Id eſt Syros, ſeu eos qui regi Tzobah miniſtrabant, & ipſi militaverant, eo bello quod deſcribitur II. Samuel. VIII. 3. vel altero quod narratur II. Samuel. X. verſ. 16. Aut eos latrones, graſſatores Syros, quos David perſequebatur, & quoſcumque poterat, interficiebat. ET CONSTITUERUNT EUM REGEM IN DAMASCO. Legit eiſdem litteris, ſed aliis punctis in futuro Hiphil, וימליכו *vaiiamlichu*, יש *regnare fecerunt*, *conſtituerunt Regem in Damaſco* ; ſubaudi, ipſum Razonem. Nunc exemplaria habent וימלכו *vaimlechu*, יש *regnaverunt in Damaſco* ; id eſt, occupata Damaſco præcipua Syriæ urbe, regnum ibi ſtatuerunt pro ipſo, & poſteris.

V. 25. CUNCTIS DIEBUS SALOMONIS. Intelligunt, poſtquam defecit a Deo : nam tempore quo Deum ſincere coluit, ſumma pax & tranquillitas in Iſrael fuit, ſupra cap. IV. verſ. 24. & 25. & cap. V. verſ. 4. ET HOC EST MALUM ADAD. Hebr. *Et ad malum quod Hadad*. Quidam : *Et cum malo quod fecit Adad*. Multa ſubaudiunt ſic : Et coniunctum eſt malum eius cum malo quod

fecit Iſraeli Hadad; id eſt, incurſatio, ſeu afflictio eius adiuncta eſt incurſationi, & afflictioni, quam fecit Hadad Iſraeli. Aliqui: *Et ad malum, quod Hadad*; ſubaudi, incitavit ipſum Razonem. Traiectio: Et malum ad quod Hadad incitavit Razonem. Alii: *Cum ea afflictione quam ei intulit Hadad:* vel *una cum moleſtia quam fecit Hadad Iſraeli.* Nonnulli: *Idque præter malum illud, quod inferebat Hadad.* Sic accipiuntur hæ particulæ ſupra verſ. 1. Hiſpanicus Interpres: *Y fue otro mal con el de Hadad.* Et ODIUM CONTRA ISRAEL. Heb. eſt verbum קוץ *kutz*, de cuius notione & conſtructione diſſeruimus Gen. XXVII. 46. Hic pluriſariam convertunt. I. *Et abominatus eſt Iſraelem.* II. *Et deteſtatus eſt Iſraelem.* III. *Et abhorruit ab Iſraele*; id eſt, exercuit ſemper contra eum inimicitias. IV. *Et contemptui habuit Iſraelem.* V. *Et nauſeam habuit in Iſraele.* VI. *Qui multavit Iſraelem.* VII. *Nam tædebat eum Iſraelis*, ac ideo in dies infeſtabat. VIII. Notant quando hoc verbum cum Beth conſtruitur, ut hic, proprie reddi, *Et horrorem, faſtidium, nauſeam, habuit in Iſraele.* IX. ex verbo, *Et compunctus fuit in Iſraele*, id eſt, acriter pungebatur & incitabatur adverſus Iſraelem. Loquitur perſpicue de Razone, ut ſequentia etiam indicant.

V. 26. IEROBOAM. Hebr. ירבעם *Ieroboham*, exponitur *litigor*, vel *vexator populi*, vel *populus*. DE SAREDA. Hebr. *Tzeredah*. Vide de hac urbe in Ioſue III. 16. LEVAVIT MANUM SUAM CONTRA REGEM; id eſt, defecit a Salomone, ut exprimitur infra verſ. 40.

V. 27. ET COAEQUAVIT VORAGINEM CIVITATIS DAVID. Hebr. *Et clauſit rupturam urbis Davidis*, id eſt hiatum, voraginem, quæ erat inter arcem Tziionis, & civitatem Ieruſalem. Vide ſupra cap. IX. verſ. 15. & 24. Quidam reddunt: *Obſtruebat rupturam civitatis Davidis*: nempe rupturam illam quam David fecerat ſine muro arcis expugnando Iebuſæum, II. Samuel. V. 6. & ſeqq. ADOLESCENTEM. Hebr. *Puerum*. Quidam exponunt, *Miniſtrum*, ut Exodi XXXIII. 11. Alii ad ætatem referunt, *Adoleſcentem, iuvenem*. BONAE INDOLIS ET INDUSTRIUM. Hebr. *facientem operis*. Exponunt, Id eſt operoſum, laborioſum, ac rebus gerendis idoneum. Quidam, *Quod is faciundo operi inſtaret*. Alii, *Negotio eſſe intentum*; quaſi dicat, Cui opus non tantum eſſet in lingua. Ioſephus: *Præfecit eum fabricæ murorum, quando Ieroſolyma mœnibus cingebat.*

V. 28. SUPER TRIBUTA UNIVERSAE DOMUS IOSEPH. Hebr. *univerſo*, vel *toti oneri domus Ioſeph*. Explicant: Præfecerat eum omnibus tributis, & vectigalibus, quæ exigebantur a tribu Ephraim, & Menaſeh, vel cunctis oneribus ſeu muniis publicis earum duarum tribuum. Aut Impoſuit ei onus regendi, gubernandi, adminiſtrandi eas duas tribus: ut eum conſtituerit quaſi proregem, aut prætorem earum.

V. 32. PORRO UNA TRIBUS REMANEBIT EI. Exponunt, Nempe ſola Iudæ integra, cui tribus Simeonis tota permixta fuit, ac proinde ſynecdochice includitur, ut diximus Deuteron. XXXIII. 7. nam e Biniamine tantum pars penes eum manſit. Vide infra cap. XII. verſ. 17. Quidam hanc interpretationem reiiciunt. I. quia Simeonitæ inter defectores a regno Iehudæ recenſentur, II. Paralip. XV. verſ. 9. Sed id non officit, ut eo loco videbimus. II. quia totus Biniamin manſiſſe videtur cum regno Iehudæ, ut colligitur e cap. XII. infra verſ. 21. 23. & II. Paralip. XV. verſ. 2. & 9. Verum id incertum; immo *Beth-El*, quæ erat tribus Biniamin Ioſ. XVIII. 22. ceſſit regno Iarobghami, in qua is poſuit vitulum aureum, infra cap. XII. verſ. 29. & Hephron Beniaminis Ioſue XVIII. 22. fuit primum Iarobhami, II. Paralip. XIII. 19. Alii, *Una tribus*, quia tribus Iehudæ, & tribus Biniamin pro una tribu reputabantur, quod tribus Biniamin permixta eſſet tribui Iehudæ, quod eſſent vicinæ. Nonnulli notant, unam tribum Iudæ datam propter David, ut in ea regnum eius maneret; adiectam autem tribum Biniamin, propter Ieruſalem, & templum; quod in parte Biniamin eſſet templum Ieroſolymitanum. Sic ſupra verſ. 13. & infra verſ. 36. & cap. XII. verſ. 20. & II. Reg. XVII. 18.

V. 34. NON AUFERAM OMNE REGNUM DE MANU EIUS. Quidam reddunt: *Non tamen auferam quidquam iſtius regni de manu huius*; id eſt, ſinam eum integre regnare quo ad vixerit.

V. 35.

V. 35. ET DABO TIBI DECEM TRIBUS. Hebr. *Et dabo illud tibi decem tribus*; id eſt, decem ſcilicet tribus. Quidam: *Et dabo tibi ex illo decem tribus.*

V. 36. UT REMANEAT LUCERNA DAVID SERVO MEO; id eſt, regius ſplendor, maieſtas, & claritudo regni. Vide II. Samuel. XXI. 17. UT ESSET NOMEN MEUM IBI. Hebr. *Ad ponendum nomen meum ibi*; id eſt, ut diceretur Civitas Dei, & in ea eſſet cultus, honor, gloria, celebritas, amplitudo nominis mei. Sic alibi ſæpius.

V. 38. ET AEDIFICABO TIBI DOMUM FIDELEM, ſeu *firmam, certam, ratam, ſtabilem.* Vide I. Samuel. II. 35. & II. Samuel. VII. 16.

V. 39. VERUMTAMEN NON CUNCTIS DIEBUS. Hebræorum nonnulli referunt ad tempora Aſa, Ezechiæ, Joſiæ, qui fuere pii. Rectius ad tempora ſempiterni Filii Dei Jeſu Meſſiæ, ex ſemine Davidis, cui ſtabilitum eſt regnum in æternum, Lucæ I. 33.

V. 41. IN LIBRO VERBORUM DIERUM SALOMONIS? Hebr. *Super libro verborum Selomonis?* id eſt actorum, rerum geſtarum Salomonis. Quidam exponunt: *In libro rerum Salomonis*; id eſt in actis publicis forenſibus, non autem eccleſiaſticis; ſive in commentariis rerum geſtarum Selomonis; quaſi dicat: Nihil attinet hic ea enarrare: hæc hactenus dicta ad fidem, & inſtitutionem Eccleſiæ ſunt ſatis. Ita enim his ſcriptis temperavit Spiritus Dei, conſulens tenuitati noſtræ. Sic Joann. XX. 30. & cap. XXI. verſ. 25. Nam hæc de duobus libris Paralipomenon, qui longo poſt intervallo ab Hezra, ut putatur, conſcripti ſunt, ridiculum eſſet accipere. Verum neque quo tempore primus hic Liber Regum conſcriptus fuerit, ſatis eſt exploratum. Illud tamen ſatis conſtat, illum Salomonis geſtorum librum, ſive is forenſis, ſive eccleſiaſticus fuerit, tandem excidiſſe.

V. 43. ROBOAM. Hebr. *Rechabgham*. ſi libet interpretari, eſt *latitudo*, ſeu *amplitudo, populi*. Antiphraſtico præſagio videtur habuiſſe nomen: nam nec populum anguſtiis tributorum levavit, & regnum arctius atque anguſtius nactus eſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. FILIAM QUOQUE PHARAONIS. Vide dicta ſupra cap. III. num. 1. Hoc loco videtur vitio verti Salomoni quod filiam Pharaonis duxerit, ex quo Abulenſis, Pineda, Serarius, & Salianus, anno Salomonis 29. ſuſpicantur eam ad patriam ſuperſtitionem rediiſſe.

V. 2. NON INGREDIEMINI, &c. Ita præceptum fuit a Domino Exod. XXXIV. 16.

V. 3. CONCUBINAE, uxores ſecundariæ, & legitimæ. Tam multis ductis uxoribus peccavit Salomon non ſolum contra temperantiam, ſed etiam & potiſſimum contra legem illam Exodi citatam. Credibile tamen eſt ſaltem ſpecie tenus eas initio ſuperſtitioſum cultum idolorum abiuraſſe, ſed poſtea ad ingenium rediiſſe, unde Salomoni cauſa fuerunt lapſus in idololatriam.

V. 4. CUMQUE IAM ESSET SENEX. Iuxta chronologiam quam ſequitur Salianus, annum agebat quinquageſimum quartum. UT SEQUERETUR DEOS ALIENOS, non exteriori tantum cultu, ſed mentis etiam errore, quod indicat Scriptura cum hoc eodem verſiculo ait: *Depravatum eſt cor eius*: & num. 9. *quod averſa eſſet mens eius a Domino.* Plura de hoc vide apud Salian. Salomonis anno 34. num. 8. & ſequentibus, & Pinedam de rebus Salomonis Lib. VII. cap. IX.

V. 5. ASTARTHEN. Vide Iudic. II. 12. MOLOCH. Vide dicta Levit. XVIII. 21.

V. 6. QUOD NON PLACUERAT: quod valde diſplicebat Domino: eſt mioſis, minus enim dicitur, quam ſignificatur.

V. 7. CHAMOS. Vide dicta Iudic. XI. 24. IN MONTE QUI EST CONTRA IERUSALEM. Nullum idolis fanum Ieroſolymis excitavit. Montem hunc communis opinio putat fuiſſe montem Oliveti, qui propterea IV. Reg. XXIII. 13. *mons Offenſionis* dictus eſt.

V. 9. QUI APPARUERAT EI SECUNDO. Videtur eſſe tertia apparitio: nam prima fuit in Gabaon, ubi ei apparens in ſomnis optatam ſapientiam largitus eſt, III. Reg. III. 5. altera fuit in

medio cursu ædificandi templum, III. Reg. VI. 12. tertia perfecto iam opere universo, III. Reg. IX. 3. Dicitur autem apparuisse Salomoni secundo, sicut scilicet apparuerat ei in Gabaon, id est per visionem nocturnam, qualis non fuit quæ secunda ordine fuit; sed fortasse per Angelum, aut aliquem Prophetam facta est, ut putat Abulensis quæst. III. & IV. in cap. IX. III. Reg. Vel etiam dici potest illud *secundo*, respicere præceptionem quæ sequitur, quæ semel, iterumque facta Salomoni reperitur cap. V. VI. & IX.

V. 11. DIXIT ITAQUE DOMINUS per Prophetam aliquem & fortasse per Abiam Silonitem, ut sentit Abulensis.

V. 12. PROPTER DAVID PATREM TUUM, qui te Regem constituit, & vivens suo in solio collocavit: in eius enim dedecus hæc distractio regni, & divisio videretur redundare.

V. 13. TRIBUM UNAM DABO FILIO TUO, præter eam scilicet in qua ipse natus est, ut scilicet Iudam regat, & Beniamin. IERUSALEM QUAM ELEGI, in caput regni populi mei.

V. 14. ADVERSARIUM SALOMONI. Fortasse Salomoni adversarius est negando tributa, quæ Salomon sibi pendi volebat, ut putat Salian. LXX. habent, *Assixit Israel*, vel *aggravavit Israel*: in Græco enim est ἐβαρύνεν τὸν Ἰσραήλ. QUI ERAT IN EDOM; id est, qui regnabat in Idumæa.

V. 15. CUM ESSET DAVID IN IDUMAEA, anno regni sui 15. ut putat Salianus. AD SEPELIENDOS EOS QUI FUERANT INTERFECTI, ab Idumæis rebellantibus.

V. 17. PUER PARVULUS, quinquennis, aut sexennis, ut vult Abulensis, cui adhæret Salianus: vel decem, aut duodecim annorum, ut putat Pineda.

V. 18. IN PHARAN, desertum Israelitarum diutina peregrinatione clarum. TERRAM DELEGAVIT. Hebr. *Terram dedit.*

V. 23. RAZON FILIUS ELIADA. Salianus anno Salomonis 38. num. 19. putat Razonem hunc, qui adversatus est Salomoni, filium fuisse Razonis illius qui fugerat Adarezer. Nam si patrem fuisse dicamus, oporteret illum hoc tempore esse annorum nonaginta quatuor. QUI IUCERAT ADAREZER REGEM SOBA, qui cum esset dux Adarezer Regis Syriæ, inclinata iam acie, & victoria ad Davidem vergente fugit, ex prælio relicto domino.

V. 24. CONGREGAVIT CONTRA EUM VIROS: viros scilicet fugitivos, reliquias eorum qui ex illo prælio evaserant. FACTUS EST PRINCEPS LATRONUM: non enim iusto exercitu, sed coacta latrocinantium manu prædas agebat. CUM INTERFICERET EOS DAVID: cum scilicet David victoriam prosequeretur contra Syros. ABIERUNTQUE DAMASCUM, &c. Adeo animis, & viribus aucti sunt, ut occupaverint Damascum Syriæ metropolim, eamque Davidi eripuerint. CONSTITUERUNT EUM REGEM IN DAMASCO, permittente David, sed tributum imperante, & præsidium militum Damasci constituente, ut constat ex II. Reg. VIII. 6.

V. 25. ERAT ADVERSARIUS ISRAELI, tributum negando, & fortasse etiam præsidium Israelitarum eiiciendo. ET HOC EST MALUM ADAD. In Hebræo ad verbum est: *Et cum malo quod fecit Adad*; quasi dicat: Accessit ad malum, seu persecutionem Adad. ET ODIUM CONTRA ISRAEL. In Hebræo est: *Et detestatus est Israel*, ut vertit Pagninus, & Vatablus. IN SYRIA, Damasci.

V. 27. QUIA SALOMON AEDIFICAVIT MELLO. De Mello, & voragine coæquata, diximus supra II. Reg. V. 9. Huius fabricæ occasione Salomon tributum quoddam populis imposuit, quod Ieroboam Regis iussu in duabus tribubus exigebat, Ephraim scilicet, & Manasse: quare cum ex Ahia Propheta, de quo mox dicemus, didicisset se Regem Israelis futurum, populi tributi penitentiam ægre ferentis animos contra Salomonem excitavit.

V. 28. VIR FORTIS, ET POTENS; Hebr. *Potens robore*. Italice diceremus, *Homo di valore*. DOMUS IOSEPH, Ephraim scilicet, & Manasse.

V. 29. IN VIA, versus Ephraim, quo muneris sui occasione instituerat. ERANT AUTEM TANTUM DUO IN AGRO. LXX. habent: *Et removit eum de via*. Neque enim solus erat Ieroboam Salomoni carus, & quæstor regius.

V. 3.

*V.*30. APPREHENDENSQUE AHIAS PALLIUM SUUM, &c. Rebus prius, quam verbis prophetare cœpit, ut sæpe alii Prophetæ.

V. 32. UNA TRIBUS, præter Iudam. Vide dicta supra num. 12. Dici etiam poterant Iuda, & Beniamin tribus una, quia valde vicinæ, immo inter se permixtæ erant, adeo ut ipsa Ierusalem, immo & templum ad utramque tribum pertineret.

V. 33. ASTARTHEN, &c. Vide sup. num. 5.

V. 34. DUCEM PONAM EUM: Regem esse permittam.

V. 36. UT REMANEAT LUCERNA DAVID, id est regia posteritas de semine David, quæ luceat in populo Dei, meritis, & claritate Davidis.

V. 37. QUAE DESIDERAT ANIMA TUA. Hebraice est: *Quæ desiderabit anima tua*: idem est ac si diceretur: Præficieris super omnia desiderabilia.

V. 38. AEDIFICABO TIBI DOMUM FIDELEM, id est firmiter, fideliterque subsistentem, neque fallentem expectationem, & desiderium tuum. QUOMODO AEDIFICAVI DOMUM DAVID. Par enim est ut imitando fidem, & virtutem Davidis, pari quoque cum Davide præmio, & felicitate doneris.

V. 39. AFFLIGAM SEMEN DAVID SUPER HOC, æmulatione scilicet regni novi. VERUMTAMEN NON CUNCTIS DIEBUS. Post annos enim ducentos, & quinquaginta sex cessatura erat omnis Israelitarum adversus Iudæos contentio, illis ad Assyrios in perpetuam captivitatem abductis.

V. 40. VOLUIT SALOMON INTERFICERE IEROBOAM: vel quia audivit regnum illi ab Ahia promissum; vel quia populos solicitabat ad defectionem. AD SESAC REGEM AEGYPTI. Fuisse hunc alium Regem a socero Salomonis satis constat, alioqui non se illi Ieroboam credidisset. USQUE AD SALOMONIS, id est circiter biennio.

V. 41. VERBORUM, id est de rebus gestis Salomonis: qui liber non extat. Vide II. Paral. IX. 29.

V. 43. DORMIVITQUE SALOMON CUM PATRIBUS SUIS. Multi, & graves auctores asserunt Salomonem æternam damnationem incurrisse. Primo, quod nulla illius pœnitentiæ mentio fiat, nec sublati superstitiosi idolorum cultus. Secundo, quod non solum idola coluerit, sed in eo etiam dux aliis præiverit. Tertio, quod prædixerit Deus Salomoni per Davidem, fore ut si derelinqueret Dominum ab eo proiiceretur in æternum. LXX. habent in finem I. Paralip. XXIX. 9. Communior tamen sententia est eorum qui salvum putant, & ex aliquibus Scripturæ locis colligunt eum egisse pœnitentiam, & in his aliqui putant aut fana idolorum diruisse, aut cur non dirueret, causam habuisse. Vide Salianum anno Salomonis 39. num. 3. & deinceps, & Pineda toto Lib. VIII. de reb. Salom.

TIRINI.

Vers. 1. FILIAM QUOQUE PHARAONIS. Potuit hanc, utpote quæ Hebræorum religionem complecteretur, uxorem accipere Salomon, ut dixi Exod. XXXIV. Sed videtur mulier callida, ne tanti Regis toro frustraretur, simulasse potius, quam ex animo complexa fuisse veram religionem. Postea vero cum ad thalamum regium advocari vidit tot alias peregrinæ religionis feminas, larvam deposuit, & AEgyptiacas superstitiones publice professa fuit. Quare etiam propter ipsam hic arguitur Salomon, non minus quam propter alias idololatrides: nam sicut has assumere non poterat, lege id severe vetante, ita neque istam in coniugali consortio retinere, quam primum rescivit ipsam publice alienam ab Hebræorum religione mentem prodidisse.

V. 5. De *Astarthe Dea Sidoniorum*, id est *Venere*, ut hic Sanctius; vel, ut alii, Iunone: dixi Iudic. II. MOLOCH, vel, ut Hebraice est, *Melchom*, id est Rex eorum; a Sanctio putatur sol esse, utpote Rex astrorum; ab OEcumenio Mercurius; a Caietano Priapus; a Ribera Iupiter; a Mariana vero, & Vatablo, & plerisque aliis dicitur fuisse Saturnus, qui ut filios suos devorasse scribitur, ita statua sua ænea candente & cava excipiebat oblatos sibi infantulos, & igni absumebat, ut dicam IV. Reg. XXIII. vers. 10.

V. 7. CHAMOS IDOLO MOAB. Hic vel Bacchus erat, vel Priapus: qui Græcis (a quibus Hebræi, & Syri accepisse

pisse videntur) πῶμος dicebatur, unde comessatio , quam sequitur omnis intemperantia. Certe dei illius sacra tam impura erant & fœda , ut non nisi in tenebris obiri possent, utpote ingenuis oculis indigna. His aliisque pluribus idolis Salomon & aras & templa posuit complura , & thus adolevit, & victimas immolavit. Et continuata sunt hæc templa usque ad tempora Iosiæ , qui ea omnia stirpitus excidit, IV. Reg. XXIII. vers. 14.

Petes, an in illa peccatorum abysso Salomon amiserit omnem sapientiam illi cælitus antea infusam; seu an laborarit errore intellectus quando tot coluit idola ? Affirmant SS. Ambrosius, Gregorius, Prosper, Basilius, Bernardus, & Isidorus *b*. Negant S. Augustinus , Abulensis , Pineda , Delrio, Barradius *c*, & quotquot putant Salomonem, post peractam tot scelerum pœnitentiam conscripsisse librum Ecclesiasten: nam cap. 11. illius Libri vers. 9. de seipso dicit Salomon : *Sapientia perseverat mecum*. Et hoc puto probabilius esse. Neque enim verisimile est, eo dementiæ delapsum, ut putarit, idolis illis aliquid divinum ineste ; sed opere externo colere illa voluit mulierosus & deliciis fractus senex, ne uxores & concubinas suas , quæ iam illi dominabantur, contristaret.

Petes secundo, an pœnituerit Salomonem tam fœdæ idololatriæ; & an salvatus sit ? Respondeo cum iisdem posterioribus auctoribus, pœnituisse, & verisimilius salvatum esse. Nam cap. XXIV. vers. 32. Libr. Proverbior. (secundum versionem LXX. Interp.) post enarratas omnes suas vanitates , addit : *Post hæc ego egi pœnitentiam* . Plura in hanc rem argumenta vide apud Pinedam , Delrio , & Barradium , qui acriter pro salute sui Salomonis decertant.

V. 13. TRIBUM UNAM DABO FILIO TUO, scilicet tribum Iuda, cui tribus Beniamin, utpote vicina & implexa, constanter adhæsit: sed quia haud ita pridem numero valde accisa fuerat , & ad sexcenta virorum capita delapsa, comparatione reliquarum numerosissimarum tribuum , vix nomen tribus retinuerat , in nomen *tribus Iuda* quasi transiit , & sub illa perpetuo comprehensa fuit , sicut & alii plurimi aliarum tribuum, qui vel ante captivitatem *d* Assyriacam , vel post Babylonicam se tribui Iuda coniunxerat ; relicto propriarum tribuum nomine , omnes vocati sunt Iudæi.

V. 15. CUM ESSET DAVID IN IDUMAEA , & subactis Idumæis apposuisset hinc inde præsidiarios ex Iudæis . Sed cum Idumæi, reverso ad suos Davide , præsidiarios illos seu vi , seu dolo de medio sustulissent, & mortuorum cadavera insepulta , forsan in rotis aut furcis reliquissent ; remissus eo Ioab cum exercitu, ante omnia honestæ sepulturæ mandavit occisos : dein , ne quid iterum novi tentarent Idumæi, masculinum omne genus de medio sustulit . Sed cædi subtractus est Adad puerulus Idumæi regni legitimus heres , qui cum paucis suorum fugit ad Regem AEgypti . Iamque grandior factus Idumæam quidem repetiit, sed non recuperavit *e*, eo quod firmiore Hebræorum præsidio , quam ipse expugnando esset , teneretur ; Syria tamen , cuius caput est Damascus , ope Razonis *f* , qui & ipse profugus erat , potiri contigit , & Rex Syriæ factus est , unde Israeliticos fines turbavit omnibus diebus Salomonis , ex quo is a Deo defecit , & in idololatriam prolapsus est. Ita Caietanus , Dionysius , Lyranus, Abulensis, & Sanctius cum LXX.

Nota. Huius Adad filius fuit Benadad; a quo omnes alii Reges Syriæ dicti fuerunt Benadad.

V. 27. CAUSA REBELLIONIS Ieroboam ADVERSUS Salomonem, fuit quia Salomon voraginem Mello ope Ieroboami ruderibus impletam , & reliquæ valli atque inferiori civitati coæquatam , & populo propter ascensum in templum valde oportunam , eripuerat usibus publicis , & in uxoris suæ AEgyptiæ privatas delicias converterat, quod & Ieroboam, & reliquus populus permoleste tulit, & ansam inde rebellionis sumpsit: ut dixi cap. IX. vers. 24.

(a) Ribera tractatu de Templo.
(b) Ambros. Apol. 21. pro Davide cap. VI. & 7. Greg. III. Pastoral. art. XXVII. Prosper. de Prædicat. cap. XXVII. Basil. ad Chelonem. Bernard. Epist. 119. Isidor. lib. de Vita & morte Sanctorum cap. XXXIII.
(c) S. Augustin. lib. XIV. de Civit. cap. XI. & Lib. XI. de Gen. ad lit. cap. XIII. Pineda præfat. in Ecclesiast. cap. III. Delrio præfat. in Cant. Barrad. tom. I. Lib. V. cap. IX.
(d) III. Reg. XII. vers. 17. & II. Paral. XI. vers. 13. 16.
(e) II. Paral. XXI. vers. 7. & 10.
(f) Hic vers. 23. 24. 25.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 2. CERTISSIME AVERTENT En claram ſcientiam futuri conditionati, cum expreſſione certitudinis.

V. 3. & 5. CONCUBINAE TRECENTE. Uxores quidem erant, ſed ſine dote, ſine regimine domus, & cæremoniis: non ſunt ergo matres familias. Ceterum de licita polygamia dixi Gen. cap. IV. De *Aſtarthen*, I. Reg. VII. 3. Venerem, vel Dianam aliqui dicunt.

V. 7. AEDIFICAVIT FANUM, Sept. *excelſum*, ὑψηλὸν, IDOLO CHAMOS, Hebr. *Termiſit ut uxores ædificarent*.

V. 9. APPARUERAT EI SECUNDO. Deus bis apparuit Salomoni: ſemel quidem cap. III. 13. iterum cap. VI. 5. Ergo nunc tertio: certe ut antea, vel per Prophetam: denuntiaturque diviſio regni.

V. 13. TRIBUM UNAM. Nam tribus Beniamin locis confuſa erat cum tribu Iuda: decem aliæ ſeparandæ.

V. 23. SUSCITAVIT. Poſt vaticinium, aut revelationem de regni diviſione, narrat Hiſtoricus ſacer adverſariorum conatum contra Salomonem. Horum unus eſt Adad Idumæus, qui aliquamdiu latuit in AEgypto, memor damni illati ſuis a Ioab ſub Davide. Hic Adad, poſt occiſum Ioab a Salomone, rediit in patriam, ut hic dicitur verſ. 21. Lege Ioſephum Lib. VIII. cap. II.

V. 26. IEROBOAM. Hic eſt alter hoſtis quem excitavit Deus ad puniendum ſcelus Salomonis. Datur cauſa rebellionis verſ. 27. Hic indignatione commotus eſt contra Salomonem propter ædificatam Mello, quam ut ædificaret, fecit Salomon coæquari voraginem. Sic ſane Hieronymus intellexit fuiſſe voraginem, aut vallem, quam exæquavit, ut areæ imponeret ſtructuram Mello. Huic porro Ieroboamo occurrit Propheta prænuntians futura, verſ. 29.

V. 41. VERBORUM. Verba hic pro rebus. Conſtat porro ex II. Paral. cap. XXIV. *verba dierum* eſſe librum diſtinctum ab his Regum Libris, ut monui initio Libri I. Ad hunc regni annum 40. & mundi 2999. vixit Salomon: an feliciter diem clauſerit, dubitant multi. De tota eius vita prolixe Pineda, & Serrarius. Magicæ deditum putant aliqui. Scriptura nihil dicit. Favet liber Eccleſiaſtes, ut ibidem præfatus ſum.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. PHARAONIS. De hoc dixi, cap. III. verſ. 1.

V. 7. IN MONTE, ſane extra Ieruſalem. Aliqui putant eſſe montem Oliveti, ac propterea IV. Reg. XXIII. 13. vocari *montem Offenſionis*.

V. 11. DIXIT, per Prophetam.

V. 14. Narrat deinceps tres adverſarios Salomonis, qui ſunt Adad verſ. 14. Razon, verſ. 23. & Ieroboam verſ. 26.

V. 21. & 23. Adad rediit in patriam; Razon vero Damaſcum venit: nam victo per Davidem Adarazeo Rege, hic Razon dux militiæ fugit a domino ſuo, & tandem potitus eſt Damaſco, ubi David habebat præſidium. Vide II. Reg. VIII. 6.

V. 32. UNA TRIBUS. Erat enim Beniamin ita vicina, & permixta Iudæis, ut videretur una tribus.

CAPUT XII.

Roboam iuvenum secutus consilium patitur regni divisionem, & Ieroboam Rex super decem tribus constituitur, exercitum quoque Roboam adversus Ieroboam Dominus per Semeiam prophetam dissipat. Ieroboam vero aureos erexit vitulos adorandos, constitutis sollemnitate, altari, ac sacerdotibus.

1. VEnit (*a*) autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum cum Regem. 2. At vero Ieroboam filius Nabat, cum adhuc esset in AEgypto profugus a facie Regis Salomonis, audita morte eius, reversus est de AEgypto. 3. Miserunt que & vocaverunt eum: venit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo gravissimo quod imposuit nobis, & serviemus tibi. 5. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, & revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. iniit consilium Rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius cum adhuc viveret, & ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic? 7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & servieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. 8. Qui derelinquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi, 9. dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac iugum quod imposuit pater tuus super nos? 10. Et dixerunt ei iuvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit iugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 11. Et nunc pater meus posuit super vos iugum grave, ego autem addam super iugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat Rex, dicens: Revertimini ad me die tertia. 13. Responditque Rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, 14. & locutus est eis secundum consilium iuvenum, dicens: Pater meus aggravavit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquievit Rex populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, (*b*) quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat. 16. Videns itaque populus quod noluisset eos audire Rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? † Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Iuda, regnavit Roboam. 18. Misit ergo Rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: & lapidavit eum omnis Israel, & mortuus est. Porro Rex Roboam festinus ascendit currum, & fugis

in

in Ieruſalem: 19. receſſitque Iſrael a domo David, uſque in præſentem diem. 20. Factum eſt autem cum audiſſet omnis Iſrael, quod reverſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocaverunt eum congregato cœtu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſquam domum David præter tribum Iuda ſolam. 21. Venit autem Roboam Ieruſalem, & congregavit univerſam domum Iuda, & tribum Beniamin, centum octoginta millia * electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Iſrael, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22. (c) Factus eſt autem ſermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: 23. Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo, dicens: 24. Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael: revertatur vir in domum ſuam, a me enim factum eſt verbum hoc. Audierunt ſermonem Domini, & reverſi ſunt de itinere, ſicut eis præceperat Dominus. 25. AEdificavit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi: & egreſſus inde ædificavit Phanuel. 26. Dixitque Ieroboam in corde ſuo: Nunc revertetur regnum ad domum David, 27. ſi aſcenderit populus iſte ut faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & convertetur cor populi huius ad dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & revertentur ad eum. 28. (d) Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra aſcendere in Ieruſalem: (e) Ecce dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra AEgypti. 29. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan: 30 & factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum uſque in Dan. 31. Et fecit fana in excelſis, & (f) ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. 32. Conſtituitque diem ſolemnem in menſe octavo, quintadecima die menſis, in ſimilitudinem ſolemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Et aſcendens altare, ſimiliter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: conſtituitque in Bethel ſacerdotes excelſorum, quæ fecerat. 33. Et aſcendit ſuper altare quod extruxerat in Bethel, quintadecima die menſis octavi, quem finxerat de corde ſuo: & fecit ſolemnitatem filiis Iſrael, & aſcendit ſuper altare, ut adoleret incenſum.

(a) II. Paralip. x. 1. (b) Sup. xi. 31. (c) II. Paralip. xi. 2. (d) Tob. i. 5. (e) Exod. xxxii. 8. (f) II. Paralip. xi. xv.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 21. *Electorum virorum bellatorum.* Non addas coniunctionem & ante *bellatorum.*

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 16. *Vade in tabernacula tua Iſrael.*

Quamquam ſuppleudum ſit *vade*, vel quod alii libri habent, *revertere*: maiori tamen cum gratia, in quibuſdam codicibus Hebræo conſentientibus videtur ſubaudiri quam exprimi, ita ut ſit ἀποσιώπησις iratorum.

COMMENTARIA

SA. ESTII.

Verſ. 3. MISERUNTQUE, &c. quaſi dicat: Miſerant enim, & vocaverant Ieroboam.

V. 4. DURISSIMUM, ſcilicet magna tributa.

V. 10. GROSSIOR; quaſi dicat: Multo ſum maior potentia.

V. 11. SCORPIONIBUS, id eſt virgis aculeatis. Quidam vertunt, *ſpinis*. Vox quidem Hebræa *ſcorpiones* ſignificat, & *ſpinas*.

V. 15. AVERSATUS FUERAT; id eſt, a bono conſilio diverterat. SUSCITARET. Hebr. & Chald. & LXX. *firmaret*.

V. 16. PARS; quaſi dicat: Quid ex eo ſperemus? ſeu quid ad nos pertinet? VIDE DOMUM; id eſt, domui provide.

V. 18. MISIT, ſcilicet ad reducendum populum qui a ſe defecerat.

V. 20. TRIBUM IUDA, ſcilicet cum tribu Beniamin, ut ſtatim dicitur.

V. 21. DOMUM IUDA, id eſt familiam Iuda. LXX. *ſynagogam Iuda*.

V. 22. VIRUM Dei; pro, Dei ſervum, ſeu Propheram.

V. 23. RELIQUOS. Intellige Levitas, vel aliquos etiam ex Iſrael ſecutos Roboam.

V. 24. VIR, id eſt quiſque. VERBUM HOC, id eſt res hæc.

V. 25. AEDIFICAVIT, ſcilicet ornando, ſeu fortificando.

V. 30. VERBUM HOC, id eſt res hæc. PECCATUM, ſcilicet idololatriæ.

V. 31. DE EXTREMIS, id eſt de infimis. Chald. & LXX. *partem quamdam*.

V. 32. SOLEMNEM, ſcilicet tabernaculorum. ASCENDENS ALTARE. Chal. *Obtulit ſuper altare*: ſic infra. SIMILITER FECIT, ſcilicet ſolemnitatem, vel quod ſequitur: ſcilicet ut immolaret.

V. 33. QUEM, ſcilicet diem ſolemnem. LXX. *in ſolemnitate, quam*. FINXERAT, id eſt inſtituerat, ſcilicet ut ſolemnis eſſet.

Verſ. 4. PATER TUUS DURISSIMUM IUGUM IMPOSUIT NOBIS: TU ITAQUE NUNC IMMINUE PAULULUM DE IMPERIO PATRIS TUI DURISSIMO. Supra dictum eſt cap. IX. *De filiis autem Iſrael non conſtituit Salomon ſervire quemquam*: & cap. IV. *Iuda & Iſrael innumerabiles, ſicut arena maris in multitudine, comedentes, & bibentes, atque lætantes*. Quæritur: Quomodo ergo hic dicitur Salomon eis impoſuiſſe duriſſimum iugum? Reſpondeo: Iugum illud non eſt intelligendum de vilibus & ſervilibus operibus, ea enim filiis Iſrael non imponebantur, ſed proſelytis; ſed conqueruntur ſe preſſos iugo, quia cogebantur miniſtrare Salomoni per menſes ſingulos, expenſas regiæ familiæ. Id autem fiebat per duodecim præfectos duodecim tribuum. Atque hoc populus æſtimabat valde grave, quia Salomonis menſa ſumptuoſa admodum erat, & magnifica, ut cap. IV. deſcribitur. Deinde populus, ut in talibus rebus fieri ſolet, gravitatem oneris exaggerat. Neque, ut apparet, immerito, tum ob ſupradicta, tum propter faſtum inexplebilem tot Reginarum idololatrarum, ſumptuſque immenſos. Itaque metuebat populus ne Roboam ſub iiſdem oneribus eos contineret.

V. 24. HAEC DICIT DOMINUS: NON ASCENDETIS, NEQUE BELLABITIS CONTRA FRATRES VESTROS... A ME ENIM FACTUM EST VERBUM HOC. Vide ad II. Paral. XI.

V. 28. ET EXCOGITATO CONSILIO FECIT Ieroboam DUOS VITULOS AUREOS ET DIXIT EIS... ECCE DII TUI ISRAEL. Ieroboam, qui regnum ex divina promiſſione acceperat, valde ſtulte & inſipienter exiſtimavit illud humano hoc & impio conſilio ſtabiliendum eſſe; quaſi Deus qui dederat, illi confirmare non potuiſſet. Opinio quorumdam eſt, quod populus Iſrael, in illis vitulis, tamquam in imaginibus, coluerit verum Deum, & plurale poſitum eſſe pro ſingulari, *Ecce dii tui*, id eſt Deus tuus. Nec tamen negant

gant hi filios Iſrael graviter nihilominus peccaſſe : quia, inquiunt, ne quidem in imagine aliqua fabricata alicuius creaturæ licebat eis verum Deum colere. Sed longe conformius eſt Scripturæ ſacræ, quod vitulos vere deos putaverint : nam ſimili forma verborum utitur hic Ieroboam dicens, *Ecce dii tui*, &c. qua uſus fuerat populus Iſrael in deſerto, quando dixit : *Iſti ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Ubi eos vere idololatras fuiſſe conſtat, quidquid tergiverſetur Calvinus. Vide ſupra ad eumdem locum Exod. cap. XXXII.

MARIANAE.

Verſ. 1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM. Samariæ metropolis in confinibus Manaſſe, poſt dicta *Neapolis* : verſ. 25. dicitur eſſe in monte Ephraim.

V. 2. REVERSUS EST DE AEGYPTO Ieroboam. Hebr. *Et manebat in Ægypto*. Sic Sept. Quæritur populus. Senes ad Roboam :

V. 7. SI HODIE OBEDIERIS POPULO HUIC, ET SERVIERIS. Multitudinis impetus inſtar torrentis ad breve tempus inflatur; arte & diſſimulatione frangi debet. Roboam ad populum :

V. 10. MINIMUS DIGITUS MEUS. Hebr. *Parvus meus*. Hieronymus addidit *digitus*, bene. Sept. *Parvitas mea groſſior eſt dorſo patris mei*. Chald. *Debilitas mea fortior eſt robore patris mei*.

V. 11. PATER MEUS CAECIDIT VOS FLAGELLIS. Hebr. *Sotim*, unde Hiſpanis *azote*, & proprie *virgas* ſignificat. EGO...SCORPIONIBUS. Genus ſpinæ ſignificat vox Hebr. quaſi dicat : Tribulis terreis vos cædam : ſeu potius *ſcorpiones* & *ſpinas* ſignificat. Sic Chald. *ſpinas* poſuit Chaldaice quidem, ut Eliæ Methurgheman, tametſi Latina interpretatio *ſcorpiones* habeat. Populum irritavit :

V. 15. QUONIAM AVERSATUS FUERAT EUM DOMINUS. Hebr. *quoniam fuit cauſa a Domino*; id eſt, ita Domino diſponente, factum eſt ut populus non quieſceret.

V. 15. QUAE NOBIS PARS IN DOMINO. *Pars*, id eſt hereditas, quod mox repetit; quaſi dicat : Quid boni ab eo expectare poſſumus? quos fructus? ſolet homo propter utilitatem prædiis ſuis adhærere, illa colere. Et vide eſſe verum, opportunos eſſe nova conantibus tranſitus rerum. Cum multitudine irritata leniter agendum. VIDE DOMUM TUAM; id eſt, provide domui tuæ, tibi proſpice, o Roboam : ſic populus.

V. 18. ADURAM, QUI ERAT SUPER TRIBUTA, miſit Rex. Novus error. Sunt ii homines populo inviſi : debebat mittere qui illi gratus eſſet. FESTINUS ASCENDIT CURRUM. Hebr. & Chald. *Roboravit ſe ut aſcenderet in currum*; id eſt, depulſo pavore confirmatoque animo fugit Roboam.

V. 19. RECESSITQUE ISRAEL. Hebr. *Prævaricatus eſt Iſrael* : rebellavit, defecit.

V. 21. CENTUM OCTOGINTA MILLIA congregavit Roboam. Ingens numerus. Sept. *centum viginti millia*. ELECTORUM VIRORUM. Sept. *iuvenum*. Hebr. vox & *iuvenes*, & *electos* ſignificat. In duabus tribubus tot fuiſſe milites, mirum.

V. 24. REVERTATUR VIR; id eſt, quiſque redeat domum ſuam. Sic ait Semeias Propheta.

V. 26. NUNC REVERTETUR REGNUM AD DOMUM DAVID, dixit Ieroboam, id eſt mox, niſi proſpexero rebus meis, arte uſus.

V. 28. DUOS VITULOS AUREOS. Imagine animantis, cuius ope arata terra fruges profert, putabant apte ſignificari Deum, a quo alimur. Poſuitque unum

V. 29. IN BETHEL, ET ALTERUM IN DAN, ſcilicet in regni finibus ad meridiem & ad ſeptemtrionem.

V. 30. VERBUM HOC; id eſt, res hæc facta eſt in peccatum. IBAT POPULUS AD ADORANDUM VITULUM USQUE IN DAN. Hebr. *Et ibat populus* (qui erat) *ante unum* (id eſt primum poſitum in Bethel) *uſque in Dan*. Idololatriæ ſtudium inceniſum aperit, quo laborem maiorem petebant, domeſticis ſacris non contenti. Ac illud vide, in diſſidio Religionis popularem concordiam conſtare non poſſe.

V. 32. IN MENSE OCTAVO. Hic eſt *Marcheſuan*, octobri reſpondens, in quo ex lege nullæ tunc feriæ erant, nulla feſta. Eius menſis die decima tabernaculorum ſolemnitatem conſtituit Ieroboam.

QUAE CELEBRABAETUR IN IUDA: nimirum festum id tabernaculorum erat, sed mutato mense septimo, in quo ea solemnitas erat die quintodecimo, in octavum mensem. ET ASCENDENS ALTARE. Heb. *Et ascendere Icroboam fecit super altare*, hostias, holocausta: sic

V. 33. ET ASCENDIT SUPER ALTARE. Hebr. *ascendere fecit*; obtulit. QUEM FINXERAT DE CORDE SUO. Fictio ad eam solemnitatem referatur, quam ipse de suo capite excogitavit.

MALVENDAE.

Vers. 1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM, &c. Confer hoc caput cum II. Paralipom. x. ILLUC ENIM CONGREGATUS ERAT OMNIS ISRAEL. Hebr. *Quia Sechem convenit omnis Israel*. Exponunt: Quia ibi habenda erant comitia regni, propter loci commoditatem, nam erat in meditullio regni. Vide Iosue XXIV. 1.

V. 2. PROFUGUS. Hebr. *Quo fugit*. Supra cap. XI. vers. 40. REVERSUS EST DE AEGYPTO. *Vaiiesceb*, Noster, & alii a שוב *schub* deduxere, וישב *reversus fuit*: alii a ישב *iaschab*, וישב *habitavit, mansit, sedit*: quod aptius contextui Hebraico congruit. Quidam totum versum ita reddunt: *Et factum est, cum audiret Ieroboam filius Nebat (quia adhuc erat in AEgypto: fugerat enim metu Salomonis Regis, habitabatque in AEgypto.)* Alii: *Fuit autem, cum audisset Iarobgham filius Nebati, qui erat adhuc in AEgypto, quo fugerat metu Regis Schelomonis, ut desideret Iarobham in AEgypto*; id est, post auditam mortem Salomonis, adhuc se illuc contineret.

V. 4. DURISSIMUM IUGUM IMPOSUIT NOBIS. Hebr. *Perplexavit, intricavit, induravit, iugum nostrum*. Exponunt: Id est onera gravia, qualia describuntur supra cap. IV. a vers. 7. usque ad 27. quamquam de illis conquereretur populus, ut fere fit, non habita ratione commodorum quae ad ipsum ex Salomonis regno pervenerant.

V. 6. QUI ASSISTEBANT CORAM SALOMONE; id est, qui ei ministraverant, & a consiliis fuerant: sic vers. 8. QUOD DATIS MIHI CONSILIUM, UT RESPONDEAM POPULO HUIC? Diversimode alii convertunt. I. *Quomodo consultantes vos, ut respondeam populo huic verbum?* II. *Quodnam consilium inistis inter vos, ut dem responsum populo huic?* III. *Quomodo vos consilium iniretis, ad respondendum populo huic aliquid?*

V. 7. VERBA LENIA. Hebr. *verba bona*, id est acquiescens petitioni eorum, II. Paralipom. x. 7.

V. 8. ET ADHIBUIT ADOLESCENTES, QUI NUTRITI FUERANT CUM EO. Hebr. *Et consilium iniit cum natis illis, qui creverant cum eo.* Quidam: *Et iniit consilium cum eis, qui a pueris educati fuerant secum*: traiectio: sic vers. 10.

V. 10. MINIMUS DIGITUS MEUS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI. Hebr. abest vox *digitus*, sed eam omnes subaudiunt. Hebr. *katon*. Apte subaudiri etiam potest, *Minima pars mea*: quod חלק *chelek*, vel פך *pas*, id est *pars*, est generis masculei. Notant proverbialem esse locutionem; quasi dicat: Nulla est pars mei tam infirma, quae non fit valentior robore patris mei; subaudi, ad vos contundendos. Alii: *Minimum* membrorum *meorum crassius evasit lumbis*, id est toto corpore, *patris mei*; quasi dicat: Dignitas ac maiestas mea est multo excellentior dignitate ac maiestate patris mei; id est, quod putatis in me esse infirmissimum, validius est eo quod in patre meo videbatur esse robustissimum.

V. 11. CAEDAM VOS SCORPIONIBUS. Quidam reddunt *spinis*: alii *flagris*, vel *flagellis aculeatis*: nonnulli *rubis aculeatis*. Quidam Hebraeorum aiunt fuisse baculos, vel virgas plenas spinis, seu aculeis, instar scorpionum, quae pungebant, & dolorem efferebant gravissimum. S. Isidorus Lib. V. Originum, cap. XXVII. *Virga si lenis fuerit, virga est si certe nodosa, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.* Plinius Lib. VII. cap. LVI. auctor est, Cretenses scorpionem in tormentis adinvenisse. Et Actis Martyrum mentio scorpionum, quibus sancti martyres torquebantur: de quo tormenti genere, & annotatores martyrologiorum, & qui de cruciatibus sanctorum martyrum perscripsere, plura annotant.

V. 15. QUONIAM AVERSATUS FUERAT

ERAT EUM DOMINUS. Hebr. *Quia fuit circumgyratio, revolutio, circumvolutio a Iehova.* Notant, ut אופן *ophan* Hebræis, *rota*, fumitur pro causa, seu occasione, in qua res circumrotatur; ita quoque סבה *sibbah*, esse revolutionem seu circumvolutionem, id est causam in qua res circumvolvitur; quasi dicat: Ita Deus rem totam circumvolvit, disposuit, ordinavit: vel ita hæc media disposuit Deus, ut illud exæqueretur, quod per Prophetam Iarabghamo dixerat, supra cap. XI. vers. 31. & sequentibus. Quidam reddunt: *Quia fuit circventio a cum Iehova*; id est, circumventus fuit a Rechabham a Iehova, ut spreto consilio seniorum, regnum amitteret: vel *quia fuit gyratio a cum Iehova*; id est, ita gyravit, amovit regnum a Rechabhamo, & transtulit in Iarobhamum. Vide infra vers. 24.

V. 16. QUAE NOBIS PARS IN DAVID? Quidam reddunt: *Quæ nobis portio in David?* id est, quid posthac lucri aut emolumenti speremus nobis in genere Davidis? quasi dicant, Nihil. Alii: Id est, *Quid ad nos spectat*, vel *pertinet Davidis genus?* vel, *Quid nobis commune est cum Davide?* Hebraismus. *Quid nobis partitio cum Davide?* Hispanismo scite repræsentamus: *Que tenemos que partir* cum Davide? id est, quid nobis negotii, aut commercii cum Davide? Vide II. Samuel. XX. vers. 1. IH TABERNACULA TUA, ISRAEL. Sermo concisus, qualis iratis & turbidis; quasi dicant: Abscede, recipe te in tentoria tua, Israel: nihil tibi commune sit cum domo Davidis. VIDE DOMUM TUAM, DAVID. Id est, O genus David, prospice domui tuæ: curam habe rerum tuarum, & a nostris abstine: impera posthac tribui Iudæ soli, non reliquis Israelis.

V. 17. SUPER FILIOS AUTEM ISRAEL, QUICUMQUE HABITABANT IN CIVITATIBUS IUDA, &c. Quidam reddunt: *Tantum super filios Israelis, qui habitabant inter civitates Iehudæ*; id est, super tribum Simeonis, & partem Beniaminis, quorum hi sortem coniunctam, illi commixtam habebant, & super convenas aliarum tribuum, ut ostenditur infra vers. 23. & II. Paralipom. XI. 3. & sequentibus. Locus hic sane indicare videtur, complures ex aliis tribubus iam tum habitasse in civitatibus Iudæ, iure convenarum; quibus imperitaverit Rechabham.

V. 18. ADURAM. Heb. אדורם *Adoram*: sonat *amplum*, *præpotentem*. Hic supra cap. IV. vers. 6. אדנירם *Adoniram* dicitur, id est *dominus excelsus*. FESTINUS ASCENDIT CURRUM. Varie reddunt Hebr. I. *Roboravit se ipsum ut ascenderet currum*; id est, assumpto animo ascendit currum: vel animo præsente usus est in ascendendo currum. II. *Surrexit se ut ascenderet in currum*. III. *Sategit ut ascenderet currum*. IV. *Totis viribus conscenso curru fugit Ieruschalaima*.

V. 20. QUOD REVERSUS ESSET IEROBOAM, MISERUNT, ET CONVOCAVERUNT EUM CONGREGATO COETU. Iam supra vers. 3. reversus fuerat Iarobham ex AEgypto, & advocatus Sechem in cœtum Israelitarum; nunc videtur dicere, reversum ex legatione ad Rechabham supra vers. 3. & 12. Aliqui notant, Iarobhamum primum fuisse in cœtu Israelitarum Sechemi, cum defecerunt a Rege: quia tamen tumultuarie inde discesserant, novo postea congregato cœtu; cum iam divulgatum esset per universum Israelem, reversum eum ex AEgypto, communi totius Israelis consensu creatum Regem. Quidam hic reddunt: *Fuitque, cum audissent omnes Israelitæ reversum esse Iarobhamum (quem mittentes accersiverant ad cœtum) ut constituerent eum Regem*, &c. NEC SECUTUS EST QUISQUAM DOMUM DAVID PRAETER TRIBUM IUDA SOLAM. Hebr. *Non fuit post domum Davidis præter tribum Iehudæ solam*. Quidam: *Nec fuit ulla tribus, quæ sequeretur domum Davidis, præter solam tribum Iehudæ*. Alii: *Nemo secutus est domum Davidis, præter tribum Iehudæ solam*. *Præter tribum Iuda*. Exponunt, Id est sortem unam tribuum duarum, Iehudæ, & Simeonis. Vide Deuteronom. XXXIII. vers. 7. & supra XI. vers. 32. *Solam*. Intelligunt comprehensam hic quoque tribum Beniamin propinquam, e versu sequenti, & aliis pluribus locis, quod una sit reputata cum tribu Iudæ. Alii exponunt *solam*, integram: nam notum Biniaminem non adhæsisse Rechabhamo. Vide supra cap. XI. vers. 31.

V. 23. ET RELIQUOS DE POPULO. Quidam levitas intelligunt; sed hi non pugnabant: alii rectius, eos Israelitas qui

ex

ex aliis tribubus convenarum more in urbibus Iehudæ habitabant, de quibus ſupra verſ. 17. Vide II. Paralipom. XI. verſ. 3.

V. 25. AEDIFICAVIT AUTEM. Exponunt: Id eſt munivit, ædificiis auxit, & illuſtravit, & extruxit in ea regiam. SICHEM. De hac inſigni urbe vide Gen. XII. verſ. 6. Deuteron. XI. verſ. 29. Ioſue XXIV. verſ. 1. PHANUEL oppidum erat trans Iordanem in tribu Gadis: de quo vide Geneſ. XXXII. verſ. 30.

V. 28. NOLITE ULTRA ASCENDERE IN IERUSALEM. Hebr. *Multum vobis de aſcendere Ieruſalaim*. Varie reddunt, ac exponunt. I. *Multum vobis laboris & itineris eſt aſcendere Ieruſalaim*: longior eſt via quam ut eatis; habebitis iam deos propiores, quos commode colere poſſitis. II. *Sufficiat vobis aſcendiſſe hactenus in Ieruſalaim*: vel, *Satis ſit vobis quod hactenus aſcendiſtis*, &c. quaſi dicat: Satis hactenus itum eſt a vobis: vel, Satis aſcendiſtis Ieruſalaim. III. *Satis ſint vobis, ut non aſcendatis Ieruſchalaima: ecce dii tui, o Iſrael*; quaſi dicat: Ii dii quos ego vobis propono, ſatis ſuperque eſſe debent vobis, ut nihil opus ſit aſcendere Ieruſalaim ad Deum. Huiuſmodi locutionem habes Numeror. XVI. verſ. 3. & 7. Deuteronom. I. verſ. 8. cap. II. verſ. 3. cap. III. verſ. 26.

V. 26. IN BETHEL. De celebri iſto loco egimus plenius in Geneſ. XXVIII. verſ. 19. & Ioſue XVI. verſ. 2. Poſuit autem hic Iarobham vitulum unum, nempe in fine ſeu termino meridiano regni ſui. Erat Beth-El in ſorte Biniamin, Ioſue XVIII. verſ. 22. & tamen ceſſerat regno Iarobhami: unde apparet non totam tribum Biniamin adhæſiſſe Rechabhamo. Vide ſupra verſ. 20. & cap. XI. verſ. 32. nam ridiculum eſt aliam Beth-El præter Biniaminiticam conſtituere. IN DAN. De hac urbe vide Geneſ. XIV. verſ. 14. & Lib. III. de Antichriſto, cap. VIII. Hic poſuit Iarobham alterum vitulum, tamquam in fine aquilonali regni ſui. Itaque in extremis finibus regni ſui, altero aquilonali, altero meridiano, conſtituit vitulos. Videtur Iarobham ex AEgypto, ubi diu exul manſerat, impiam Apis, ſeu Serapis religionem, quam ibi imbiberat, ſecum attuliſſe, & hanc populo facili ac prono obtruſiſſe.

V. 30. ET FACTUM EST VERBUM HOC IN PECCATUM. Alii reddunt: *Fuitque res iſta in peccatum*; id eſt, quod ſuit cauſa graviſſimi peccati: nam ob id lapſus eſt populus Iſrael in idololatriam. Nonnulli: *Deditque hæc res occaſionem peccato*. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Sic fuit res iſta in cauſa peccati, cur irent populus coram uno*, ſeu *hoc*, nempe illo qui erat Dane, *Danem uſque*. Exponunt: Id eſt, ita ut populus aſcenderet ex Bethel in Danem, ut viſeret, coleretque vitulum illum, qui erat Dane: contra ex Dane proficiſceretur in Beth-El, ut viſeret, coleretque alterum vitulum, qui erat in Beth-El. Indicat ſtudium idololatriæ populi, quibus cum fuiſſent poſiti in duobus regni extremis vituli, potius accederent ad remotiorem ſe, ut; qui de Dan eſſet, iret in Beth-El; qui de Beth-El, curreret adoratum vitulum qui erat in Dan; devotionis ac religionis ergo, maiorem laborem itineris impendentes.

V. 31. ET FECIT FANA IN EXCELSIS. Optime reddidit ſenſum. Hebr. *Et fecit domum*, pro *domos*, *excelſorum*; id eſt, templa ſeu ſacella in excelſis, idolis dicata, ut explicatur verſu ſequente, & cap. XIII. verſ. 32. De *excelſis* vide I. Samuel. IX. verſ. 12. SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI. Hebr. *Sacerdotes de extremitatibus populi*, Quidam exponunt, *De extremis ordinibus populi*; id eſt, tam de divitibus quam de pauperibus, tam de ſuprema nobilitate quam de infima plebe. Quidam, *De angulis populi*; id eſt, de hominibus angularibus, & obſcuris. Alii, *De partibus populi*, id eſt partem populi: nimirum, ut rem populo gratam faceret, creavit ſacerdotes ex reliqua parte vulgi. Nonnulli, *De extrema fæce populi*. Aliqui: *De extremitatibus populi*. Hiſpanice, *Delos cabos, delos eſtremados del pueblo*, id eſt præcipuos quoſque & præſtantiores, primores, e populo. Vide ſimilem locutionem Iudic. XVIII. verſ. 2. ſic infra verſ. 33. & II. Regum XVII. verſ. 32. QUI NON ERANT DE FILIIS LEVI. Conſtat Levitas ſpretos, & reiectos a Iarobhamo, II. Paralipom. XI. verſ. 13. & 14.

V. 32. DIEM SOLEMNEM, nempe tabernaculorum, ut mox exponitur. IN MENSE OCTAVO. Expreſſe quidem contra legem divinam, quæ iubebat menſe ſepti-

ſeptimo celebrari, Levitici XXIII. verſ. 34. Cauſam inſtitutionis eius feſti eo menſe, quidam eam augurantur, quod circa ea tempora electus fuerit in Regem. Aut quod eo menſe collectis iam frugibus, commodius celebrari poſſet: vel ne cauſaretur populus menſe eodem ſibi eundum in Ieruſalem.

V. 33. QUEM FINXERAT; id eſt, quem menſem ipſe commentus eſt. Alii, *Quam ſolemnitatem ipſe excogitaverat*. DE CORDE SUO. Hebr. duplex lectio: in textu מלבו *millebbad*, *præterquam*, ſive *de ad ſolum*; id eſt, quem, vel quam ipſe excogitaverat præter, ultra, ſubaudi ſolemnitatem lege mandatam; in margine מלבו *millibo*, *de corde eius*, vel *ex animo ſuo*.

MENÓCHII.

Verſ. 1. IN SICHEM, medio ferme totius regni, ac proinde opportuno loco. AD CONSTITUENDUM ILLUM REGEM. Succeſſit Roboam Salomoni iure hereditario; his vero comitiis non electus eſt Roboam in Regem, ſed immiſſus in regni poſſeſſionem.

V. 3. VENIT IEROBOAM, ET OMNIS MULTITUDO. Data videtur a populo cura Ieroboamo, qui diu tributis colligendis in tota domo Ioſeph præfuerat, totius populi nomine orandi Regem ut onus tributorum imminueret.

V. 4. IUGUM DURISSIMUM, tributi ſcilicet. IMMINUE PAULULUM, &c. Iuſta erat populi precatio, nam vectigal quod per occaſionem ædificationis templi fuerat impoſitum, etiam abſoluto templo exigebatur, & iam non in res ſacras, ſed in profanas expendebatur.

V. 6. CUM SENIORIBUS QUI ASSISTEBANT CORAM SALOMONE, id eſt cum Banaia filio Ioiadæ, & Iahiel filio Achamoni, qui alio nomine Chilab vocatur, ait S. Hieronymus in tradit. Hebr. ad II. Paralip. cap. x.

V. 8. ADOLESCENTES. Vel dicuntur adoleſcentes comparatione ſeniorum, quos prius conſuluerat; vel ſenſus eſt, adhibuiſſe in conſilium eos, quibuſcum ab adoleſcentia fuerat educatus, licet iam non eſſent adoleſcentes, ſed virilem ætatem adepti: erant enim æquales Roboamo, qui annum quadrageſimum agebat.

V. 10. MINIMUS DIGITUS MEUS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI. Pineda Lib. VII. de rebus Salomonis cap. XXIV. putat alludi ad ætatem qua Salomon regnum iniit, quæ erat viginti annorum, duplo ſcilicet minor quam Ieroboam. Sed videntur potius verba hæc adagialem loquendi formam ſapere, quam iactabundi uſurpare ſolerent, de rebus ſuis magnifice loquentes. Vide Delrio in Adagialibus Tom. I. adag. CCII. Chaldæus vertit: *Debilitas mea fortior eſt robore patris mei*.

V. 11. CAEDAM VOS SCORPIONIBUS. Ferox & tyrannica comminatio. Scorpiones ſunt virgæ ſpineæ ubique aculeatæ, quales paſſim videmus in ſepibus. Hebræa vox & ſcorpiones ſignificat, & ſpinas. Ioſephus, & LXX. habent σκορπίοις; Vatablus *flagris*, vel *rubis aculeatis*; Chaldæus *ſpinis*.

V. 15. AVERSATUS FUERAT EUM DOMINUS, &c. dimittendo eum propriæ ſuperbiæ cui conſilia iuvenum arridebant, nec tantum luminis dando, ut ſana conſilia ſeniorum ſequeretur. SUSCITARET VERBUM SUUM: quodammodo enim ſopita videbatur prophetia illa, interim; dum executioni non mandabatur.

V. 16. QUAE NOBIS PARS IN DAVID? &c. LXX. habent: *Paſce domum tuam David*. Chaldæus: *Nunc regna ſuper viros domus tuæ David*. VADE IN TABERNACULA TUA ISRAEL, &c. quaſi dicat: Repetat unuſquiſque domos ſuas: Roboam autem res ſuas ſibi habeat, domui, & tribui ſuæ imperet; nos alium Regem ſuper Iſraelem conſtituamus. VIDE DOMUM TUAM: cura, guberna domum tuam. Peccatum autem eſt a deſertore populo, neque enim ob verba illa Roboami excutiendum fuit iugum illius. Nec ſi Deus regnum illud ſcindere parabat, ideo etiam illis iuſſum eſt ut a ſuo principe rebellarent: quemadmodum a peccato immunes non fuerunt Reges qui Iſraelitas multis modis vexarunt, & in captivitates abduxerunt, licet Deus hæc permitteret in eorum iuſtam pœnam.

V. 18. ADURAM. Videtur eſſe ille idem qui ſupra cap. IV. num. 6. dicitur Adoniram filius Abda, præpoſitus ſuper tributa. LAPIDAVIT EUM OMNIS ISRAEL

RAEL: erat enim populo exosus propter exactionem tributorum : illumque parum prudenter legavit Roboam ad populum, cuius dolorem exasperare potius poterat quam lenire.

V. 20. MISERUNT, ET VOCAVERUNT EUM. Apparet, illum animadversa seditione, & occiso Adura, secessisse. Illum Israelitæ regno idoneum existimarunt, quod vir fortis esset, & industrius, populo carus, Regi etiam AEgypti affinitate coniunctus. CONSTITUERUNT EUM REGEM SUPER ISRAEL, ipso non repugnante, quippe qui memor erat prædictionis Ahiæ Prophetæ. PRAETER TRIBUM IUDA SOLAM. Intellige etiam Beniamin, ut patet ex versiculo sequenti: tribus enim Iuda, & Beniamin quasi unica tribus censebantur, ut diximus supra cap. XI. num. 32.

V. 24. A ME ENIM FACTUM EST VERBUM HOC, Salomonis videlicet peccata per imprudentiam Roboami castigante. Itaque contra me, non contra Ieroboam pugnabitis, utique infelicibus auspiciis, & bello irrito. REVERSI SUNT DE ITINERE. Eximium sane obedientiæ exemplum in re tanti momenti. SICHEM IN MONTE EPHRAIM. Sichem sibi tantisper in sedem regni delegit, ut quæ in tribu Ephraim sita esset, ex qua ipse oriundus erat, & opportuno loco, omnibusque tribubus ad conveniendum Regem commodo.

V. 28. FECIT DUOS VITULOS AUREOS. Paulo ante venerat ex AEgypto Ieroboam, ubi Apis gentis illius deus vituli figura colebatur, itaque populo auctor fit ut vitulos aureos adoret. ECCE DII TUI ISRAEL, QUI TE EDUXERUNT DE TERRA AEGYPTI. Hæc eadem verba dixerunt Hebræi cum ab Aarone aureus conflatus est vitulus, Exodi XXXII. 8.

V. 29. UNUM IN BETHEL. Bethel fuit in tribu Beniamin, ut patet ex Iosue cap. XVIII. 13. & 22. Locus erat omnium opinione religiosus, & sacer, & iampridem ab ipso Iacobo Patriarcha consecratus Genes. XXVIII. 19. quoniam ibi Dominus in somnis illi apparuerat. Post Ieroboami vero idololatriam mutatum est urbis nomen, & quæ hactenus Bethel, id est domus Dei dicta fuerat, Bethaven, id est domus idoli dici cœpta est. Bethel in regno Israelis erat ad meridiem. ALTERUM IN DAN, quæ urbs erat ad septemtrionem, ubi iam a temporibus Michææ infelici exemplo sculptile collocatum fuerat, ut habetur Iudic. XVIII. 30. ibique diu idololatria vel publice, vel occulte viguerat.

V. 30. VERBUM HOC, res ista. IN PECCATUM, peccati idololatriæ occasio & causa.

V. 31. FANA IN EXCELSIS, in collibus, & montibus, in quibus idola colerentur. DE EXTREMIS POPULI, ex infima plebe, ex fæce populi. QUI NON ERANT DE FILIIS LEVI. Noluerunt enim Levitæ huic impietati servire, ut notat Vatablus, & innuitur II. Paralipom. XI. 14.

V. 32. IN MENSE OCTAVO, &c. In hoc tempus solemnem, sive delubrorum, sive vitulorum dedicationem indixit, IN SIMILITUDINEM SOLEMNITATIS, &c. solemnitatis scilicet decicati templi a Salomone constructi, quod festum *Encænia* dicebatur. Vide Riberam de festis Hebræorum cap. XVIII. ASCENDENS ALTARE: se enim tamquam Pontificem gerebat, nam sacerdotes eligebat, &c. QUEM FINXERAT DE CORDE SUO, quem mensem, & diem ipse Salomon fecerat, cum solemnis non esset, immo infaustus, & Regis impii scelere execrabilis. LXX. habent: *In mense octavo, in festivitate quam finxit e corde suo.*

TIRINI.

Vers. 25. AEDIFICAVIT AUTEM IEROBOAM SICHEM. Id est, novis splendidisque, immo regiis ædificiis instruxit, auxit, ut nomen conciliaret urbi, in qua ipse proclamatus fuit Rex, & in qua sedem regni figere decreverat, & quæ ad suam *a* tribum Ephraim spectabat, quam aliis prælatam voluit: denique quæ fines attingeret vicini & æmuli regni, quam omnino expediebat adversus quotidianas hostium irruptiones munitam habere. Notat Abulensis, licuisse Israelitis hanc a tribu Iuda secessionem seu schisma facere: neque id solum ex Dei decreto per Ahiam Silonitem manifestato supra cap. XI. vers. 31. sed etiam ob tyran-

rannidem Roboami, qui Hebræos liberos volebat in servitutem redigere, ut patet ex hoc cap. XII. vers. 10. & sequentibus.

V. 28. FECIT DUOS VITULOS. LXX. vertunt δαμάλεις in genere feminino, id est vitulas. Et ita legit Iosephus, Clemens Romanus, Tertullianus, Epiphanius, & Theodoretus *b*. Quin & Vulgatus noster Oseæ X. vers. 5. vocat vaccas Bethaven. Sed hoc irrisionis gratia, inquit S. Hieronymus. Nam in omni idiomate familiare est, cum aliquem mollem aut ignavum significare volumus, ut id muliebri compellatione faciamus. Ut ergo designetur nihil ab his vitulis magnum sperari posse, vocantur subinde non vituli vel tauri, sed vitulæ seu vaccæ imbelles. Quod vero per vitulos repræsentaretur, dixi Gen. XLI. & Exod. XXXI. nempe Apin, vel Serapin deum AEgyptiorum. Sed aliorum quoque deorum, seu potius dæmoniorum simulacra Ieroboamum finxisse pro libito subditorum, prout quisque in hos vel illos Gentium deos esset propensus, colligitur ex II. Paralip. XI. vers. 15. ubi dicitur *constituisse sibi sacerdotes excelsorum*; non vitulorum tantum, sed & aliorum dæmoniorum. Sacerdotes, inquam,

V. 31. DE EXTREMIS POPULI, seu de fæce populi, QUI NON ERANT DE FILIIS LEVI, multo minus de filiis Aaron. Non quod nulli Levitæ adhæserint Ieroboamo (nam Ezechiel. XLIV. 10. dicuntur aliqui in hoc errore filiorum Israel recessisse a Deo, & ministrasse idolis;) sed quod admodum pauci, ac pene nulli, respectu reliquæ multitudinis Levitarum, qui ut II. Paralip. XI. 13. habemus, *ex universo Israel venerunt ad Roboam, relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam*. Quin & vers. 16. ibidem audimus, complures laicos de cunctis tribubus Israel, relictis vitulis Ieroboami, *veniisse in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum: qui & roboraverunt regnum Iuda, & confirmaverunt Roboam.*

V. 32. & 33. Ter dicitur Ieroboam ipse ascendisse SUPER ALTARE, UT IMMOLARET VITULIS ... ET ADOLERET INCENSUM. Nempe, ut novis illis sacris auctoritatem conciliaret, ipse voluit omnium sacrificulorum esse antistes, & regium nomen cum sacerdotali consociare. Ita Sanctius; & clarius confirmatur ex initio cap. seq.

(*a*) Cap. XI. vers. 16.
(*b*) Clem. Lib. VIII. Const. cap. III. Tertull. Lib. contra Iudæos cap. I. Epiph. de Vita Prophetar. in Ioan. Theod. hic quæst. XXII.

GORDONI.

Vers. 1. DE anno Salomonis quo natus est Roboam, dixi cap. II. Solum hunc masculum suscepit Salomon, hominem regno ineptum, & quem Eccles. cap. XLVII. vocat *gentis stultitiam*: paternis initiis dissimilem.

V. 11. EGO ... SCORPIONIBUS, Chaldæus *spinas* posuit. Septuag. παιδεύσω ἐν σκορπίοις. Vox Hebraica *spinas* etiam & *scorpiones* significat.

V. 17. Facta discessione magna populi, Roboam regnat in Iuda; cui accessit tribus Beniamin angusta, & implicata loco cum Iuda.

V. 20. & 21. TRIBUM IUDA SOLAM. Simul intellige Beniamin, ut se hic explicat sacer Historicus. Sed mirare ingentem pugnatorum numerum. At Sept. tantum habent *centum viginti millia*; addunt quidem, *Iuvenum & electorum*, si forte in hoc est restrictio.

V. 25. AEDIFICAVIT .... IEROBOAM SICHEM. Iam abierat Roboam turbatis comitiis. *AEdificare* hic est munire, nam ædificata antea erat. Sichem urbs refugii, ac Levitarum, facta est metropolis Samariæ: sita in monte Ephraim. Hanc incoluerunt Abraham, & Iacob. Vallata olim ob stuprum Dinæ, Genes. cap. XXXIV.

V. 28. & 29. Expositis populo duobus vitulis, retinet populum specie religionis ne eat Ierusalem: collocantur in Dan urbe, & Bethel, scilicet ad aquilonem, & meridiem, commoditatis causa. De Bethel tempore Abrahæ, vide Genes. XII. 8. ibidem Iacob scalam vidit. Civitas quam Ephraim eripuit Beniamitis, distat ab Hai leuca una: nunc dividit Regum regna nova.

V. 31. Fana extruxit Ieroboam, nominat de extrema plebe sacerdotes: & vers. 33. veri sacerdotes, relictis rebus suis, venerunt ad Roboam. Paral. Lib. II. 11. 13. immo & multi alii, ibid. vers. 16.

V. 32. & 33. Menſis hic octavus, eſt nobis octobet. Et quamvis in eo non eſſent feſta ex lege, tamen Jeroboam conſtituit ut decimo quinto die illius menſis, celebraretur feſtum tabernaculorum, volens ſic continere a defectione populum.

V. 33. ET ASCENDIT SUPER ALTARE; id eſt, aſcendere ſecit ſuper altare. Vide rad. עלה. Multi tamen ex Iſraelitis, ſeu decem tribubus non ſunt ſecuti Jeroboam, eiuſque idololatriam.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. IN SICHEM, locus oportunus; nam eſt in medio Regni.

V. 4. Tributum grave erat: nam quod dabatur pro templo impendebatur adhuc in profanos uſus. Acceſſit verſ. 11. tyrannica comminatio.

V. 30. VERBUM HOC, factum iſtud. IN PECCATUM, & cauſam idololatriæ.

V. 31. DE EXTREMIS POPULI, de plebe infima.

V. 32. In hac vitulorum dedicatione imitatus eſt dedicationem templi.

CAPUT XIII.

Miſſus Propheta de Iuda ad Ieroboam, de altaris ſubverſione, & nativitate Ioſiæ Regis prophetat: quo orante, manus Ieroboam quæ exarverat, ſanitati reſtituitur; rediens autem Propheta, a leone occiditur, quod Dei verbo inobediens fuiſſet, & Ieroboam ſuam auget impietatem.

1. ET ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente. 2. Et exclamavit contra altare in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: (*a*) Ecce filius naſcetur domui David, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet. 3. Deditque in illa die ſignum, dicens: Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui in eo eſt. 4. Cumque audiſſet Rex ſermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe. 5. Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, iuxta ſignum quod prædixerat vir Dei in ſermone Domini. 6. Et ait Rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut reſtituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, & reverſa eſt manus Regis ad eum, & facta eſt ſicut prius fuerat. 7. Locutus eſt autem Rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, & dabo tibi munera. 8. Reſponditque vir Dei ad Regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto: 9. ſic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua veniſti. 10. Abiit ergo per aliam viam, & non eſt reverſus per iter, quo venerat in Bethel. 11. Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii ſui, & narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ locutus fuerat ad Regem, * narraverunt patri ſuo. 12. Et dixit eis pater eorum:

Per

Per quam viam abiit? Oſtenderunt ei filii ſui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iuda. 13. Et ait filiis ſuis: Sternite mihi aſinum. Qui cum ſtraviſſent, aſcendit, 14. & abiit poſt virum Dei, & invenit eum ſedentem ſubtus terebinthum: & ait illi: Tu ne es vir Dei qui veniſti de Iuda? Reſpondit ille: Ego ſum. 15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. 16. Qui ait: Non poſſum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto: 17. quia locutus eſt Dominus ad me in ſermone Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris. 18. Qui ait illi: Et ego Propheta ſum ſimilis tui: & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum, 19. & reduxit ſecum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam. 20. Cumque ſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. 21. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, 22. & reverſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam, in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in ſepulcrum patrum tuorum. 23. Cumque comediſſet & bibiſſet, ſtravit aſinum ſuum Prophetæ, quem reduxerat. 24. Qui cum abiiſſet, invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver eius proiectum in itinere: aſinus autem ſtabat iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadaver. 25. Et ecce, viri tranſeuntes viderunt cadaver proiectum in via, & leonem ſtantem iuxta cadaver. Et venerunt * & divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille ſenex habitabat. 26. Quod cum audiſſet propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ei. 27. Dixitque ad filios ſuos: Sternite mihi aſinum. Qui cum ſtraviſſent, 28. & ille abiiſſet, invenit cadaver eius proiectum in via, & aſinum & leonem ſtantes iuxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læſit aſinum. 29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reverſus intulit in civitatem prophetæ ſenis * ut plangeret eum. 30. Et poſuit cadaver eius in ſepulcro ſuo: & planxerunt eum: Heu heu mi frater. 31. Cumque planxiſſent eum, dixit ad filios ſuos: Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulcro, in quo vir Dei ſepultus eſt: iuxta oſſa eius ponite oſſa mea. 32. Profecto enim veniet ſermo, quem prædixit in ſermone Domini contra altare quod eſt in Bethel & contra omnia fana exceſſorum, quæ ſunt in urbibus Samariæ. 33. Poſt verba hæc non eſt reverſus Ieroboam de via peſſima, ſed e contrario fecit de noviſſimis populi ſacerdotes exceſſorum: quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos exceſſorum. 34. Et propter hanc cauſam peccavit domus Ieroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.

(*) VL Reg. xxiii. 17.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 11. *Narraverunt patri suo*. Non præpono pas his verbis & coniunctionem.

V. 23. *Stravit asinum suum Prophetæ, quem reduxerat*. Non est mutandus dativus *Prophetæ* cum nominativo *Propheta*.

V. 25. *Et divulgaverunt in civitate*. Non est scribendus quartus casus *civitatem* pro sexto.

V. 29. *Ut plangeret eum*. Præferendus est numerus singularis plurali *plangerent*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. IN SERMONE, id est mandato. SUPER, id est iuxta. THUS IACIENTE. Hebr. *ad adolendum*, seu *suffiendum*, LXX. *ad sacrificandum*.

V. 2. ET OSSA. Explicatio præcedentis. Vide IV. Reg. XXIII.

V. 6. FACIEM DOMINI, id est Dominum. REVERSA EST; id est, sic restituta ut posset ad se retrahere.

V. 11. PROPHETES, scilicet falsus. Chald. *Propheta mendax nomine Michæ*. VENERUNT, &c. Hebr. & Chald. *Venit filius suus, & narravit*. LXX. ut noster Interpres.

V. 18. SIMILIS TUI. Hebr. Chald. & LXX. *sicut tu*.

V. 23. SUUM PROPHETAE. Hebr. Chald. & LXX. *ipsi Prophetæ*.

V. 29. PROPHETAE SENIS, pro suam.

V. 33. VERBA, id est gesta. NOVISSIMIS, id est extremis, scilicet infimis. Chald. & LXX. *parte*. IMPLEBAT MANUM SUAM, pro eius. *Implere* autem *manum*, pro consecrare: offerebat enim aliquid Deo quicumque in sacerdotem consecrabatur. Potest etiam *suam* proprie accipi; ut sensus sit: Consecrabatur in sacerdotem. Chald. *Offerebat munus suum*.

ESTII.

Vers. 6. ET REVERSA EST MANUS REGIS AD EUM. Quæritur quomodo per miraculum fuerit ablata pœna, quæ fuerat propter peccatum inflicta, Rege adhuc in peccato perseverante. Nam sic sequitur vers. 33. *Post verba hæc non est reversus Ieroboam de via sua pessima*. Respondeo primum, Christum etiam sanasse quosdam corporaliter, quos non sanavit spiritualiter, ut Malchum, cui Petrus abscíderat auriculam, Ioann. cap. XVIII. & novem leprosos ingratos, Lucæ cap. XVII. Deinde, non fuit hæc pœna arefactæ manus proprie pœna idolatriæ, in qua perseveravit, sed fuit Ieroboam hoc modo punitus, quia extenderat manum in virum Dei dicens: *Apprehendite eum*. In hac autem voluntate Rex non remansit, sed magis eum deinde honoravit, volens ei etiam munera offerre.

V. 18. ET EGO PROPHETA SUM SIMILIS TUI, ET ANGELUS LOCUTUS EST MIHI, &c. Hic locus ostendit diligenter probandos esse spiritus, utrum ex Deo sint. Certissimum autem argumentum est, spiritum aliquem ex Deo non esse, quando suggerit aliquid quod est contra revelationem divinam prius factam, ut in præsenti exemplo. Nam Propheta iste expressum mandatum a Deo acceperat, ut in terra Israel nec comederet, nec biberet. Et quia de illo Dei mandato certus erat, non debuit alteri credere, dicenti sibi esse revelatum, ut ipsum reduceret, & cibum potumque ei ministraret. Hoc itaque exemplo omnem novitatem respuere debemus; quantumcumque speciosam & probabilem, quam noverimus esse revelationi divinæ iam olim in Scripturis, vel conciliis, vel ecclesiastica traditione factæ contrariam. Interim quod ad senem illum prophetam, qui mentitus est, attinet, dicit Theodoretus illum non malitia, nec studio fallendi mentitum esse; sed eo quod reputaret hoc pro magna benedictione domus suæ, si tantum Prophetam exciperet hospitio, ac mensæ, ac colloquii socium haberet. Nihilominus inobediens alter Propheta a Deo punitus est.

V. 33.

V. 33. QUICUMQUE VOLEBAT, IMPLEBAT MANUM SUAM, ET FIEBAT SACERDOS EXCELSORUM. Significatur, quod nullo delectu nec probitatis, nec doctrinæ, nec generis, quilibet e populo assumebatur ad sacerdotium illud excelsorum. Illud, *Implebat manum suam*, quidam sic intelligunt: Quicumque sacerdos fieri vellet, manum suam implebat adducendo & offerendo solemnem hostiam, sicut Aaron fecerat, & eo facto, erat consecratus in sacerdotem. Quidam hoc modo, referendo ad Ieroboam: Quicumque sacerdotium ambiebat, *implebat manum suam*, id est ipsius Ieroboam; id est, dabat ei munus aliquod, per quod sibi a Rege comparabat sacerdotium. Sed ita accipi non potest. Nam *implere manum*, sæpe in bono accipitur in Levitico, & alibi. Itaque, phrasi Scripturæ, *implere manum alicuius* est, tradita in manus hostia, & insignibus ad sacrificium pertinentibus, consecrare in sacerdotem. Sensus igitur est: Quemcumque Ieroboam volebat, id est quicunque ei placebat, eius manum implebat; id est, eum datis hostiis, & sacerdotii insignibus, in possessionem, seu functionem mittebat. Et hoc pacto quoslibet in plebe creabat sacerdotes. Vel, quicumque offerebat se, eius manum Rex implebat. Hieronymus super Osee cap. IV. *Quicumque implebat manum, vel suam, vel Regis*, inquit, *offerendo & dando ei munera, sacerdos fiebat excelsorum*. Quæ verba itidem duplicem sensum admittunt; sed sensus a nobis posteriori loco explicatus videtur commodior.

MARIANAE.

Vers. 1. SUPER ALTARE; id est, iuxta altare stabat Ieroboam. Tunc vir Dei clamavit:

V. 2. ALTARE, ALTARE. Sic qui vocant, solent geminare, ut *Samuel, Samuel*. In re inanimata hominibus loquitur Propheta. FILIUS NASCETUR. Hebr. *Filius natus, Benoni niphal:* sed *natus*, pro *nascetur*. IOSIAS NOMINE. Sic factum, ut dixit vir Dei

V. 5. IN SERMONE DOMINI. Heb. *In verbo Domini*; id est, eius nomine & iussu, quod nuntiarat Propheta, factum est. Quid Ieroboam?

V. 6. DEPRECARE FACIEM DOMINI. Vox *facies* sæpe redundat. Ergo deprecare Dominum; quasi dicat: Te video ab illo missum, illique acceptum; ora illum pro me. Propheta non vult cum Rege prandere.

V. 9. SIC ENIM MANDATUM EST MIHI. Hebr. *Mandavit* (scilicet Angelus). IN SERMONE DOMINI. Hebr. *in verbo Domini*, id est eius verbis. Non vult Deus iusto cum iniquis aliquid esse commune, neque cum eis comedere, ne ab eis delinitus illis blandiatur. Sed cur per aliam viam redit? ne quæsitus scilicet inveniatur.

V. 12. PROPHETES AUTEM QUIDAM SENEX. Hunc quidam *Michæam* putant. Sic Chald. qui sic ait: *Et propheta mendax unus senex, & nomen eius Micheas*. Quo modo non unus e duodecim Prophetis putari debet, sed alter eo nomine pseudopropheta.

V. 12. OSTENDERUNT EI FILII SUI VIAM. Sic Chald. & Sept. at Hebr. *Viderunt filii sui viam abeuntis*, id est exploraverunt scilicet ut patri indicarent.

V. 14. SUBTUS TEREBINTHUM, invenit virum Dei falsus propheta. Hebr. *subter quercum*. Sic omnes vertunt, & אלה *elah* non aliud significat. Hieronymus pro ea voce aliquando *quercum* ponit, aliquando *terebinthum*: perinde est. Dixit ille: Veni mecum. Ille renuit.

V. 17. QUIA LOCUTUS EST DOMINUS AD ME IN SERMONE DOMINI, DICENS: NON COMEDAS. Heb. *Quia verbum ad me* (scilicet Angeli) *in verbo Domini*, id est Domini verbis, eius iussu. Proximo vers. ait falsus propheta: *Angelus locutus est mihi in sermone Domini*: sic superior vers. explicandus.

V. 18. FEFELLIT EUM. Hebr. *Mentitus est ei*. Sic Sept. & Chald.

V. 20. FACTUS EST SERMO DOMINI. Hebr. ibi pro *Domini*, est nomen Dei quadrilitterum: unde quis intelligat, senem illum verum fuisse Prophetam. Loquitur autem illi, & non ei qui de Iuda venerat, quoniam indignus inobedientia erat, cui loqueretur Deus.

V. 21. ET EXCLAMAVIT, scilicet senex ille propheta, non Deus. Post prandium stravit

V. 23. ASINUM SUUM. Nimirum Pro-

Propheta verus pedester venerat : *stravit* autem, id est sterni fecit, ille senex illusor, ut vir Dei abiret. Occidit eum leo.

V. 28. NON COMEDIT LEO DE CADAVERE, NEC LAESIT ASINUM. Ut intelligeretur non id casu factum, sed ex Dei nutu punientis per eum modum Prophetæ inobedientiam. Cadaver viri Dei tulit propheta falsus.

V. 29. UT PLANGERET EUM. Heb. additur, *Et sepeliret eum* : sic Sept. & Chald. Per *planctum* intellige funus exequiasque, quoniam non sine lacrymis, & in veste lugubri peragebantur. Addit senex:

V. 31. IUXTA OSSA EIUS PONITE OSSA MEA. In communi excidio putabat ossa Prophetæ servanda, cum illis sua ipsius.

V. 33. POST VERBA HAEC ; id est, postquam hæc gesta sunt. Ieroboam nihilo melior. IMPLEBAT MANUM SUAM, pro ipsius ; quasi dicat : Quemcumque Rex consecrabat manus. *Implere* est consecrare, quoniam cum consecrabantur sacerdotes, munera afferebant. Ob hanc causam

V. 34. PECCAVIT DOMUS IEROBOAM. Peccatum hic potest pro punitione sumi ; quasi dicat, ut est Hebr. *Hæc res fuit in peccatum domus Ieroboam* ; id est, propterea punita est, usque dum de terra deleretur.

MALVENDAE.

Vers. 1. IN SERMONE DOMINI. Heb. *In verbo Iehovæh*. Aliqui, *Cum verbo Iehovæ*, id est afferens mandata Iehovæ ; vel venit iussu, mandato Iehovæ, missus a Iehova. Sic vers. 5. STANTE SUPER ALTARE. Hebr. *Stans super altare* ; id est, iuxta altare. Quidam, *Adstans altari*. ET THUS IACIENTE. Heb. *Ad fuffire facere*, *ad fubfumigare*, *adolere*. Ex vi verbi Hebraici anceps sensus, num fussire thus, aut suaves odores ; an fussire adipes & carnes, ut fiebat in sacrificiis.

V. 2. FILIUS NASCETUR. Hebr. est participium Niphal, *Filius nascens*, aut *natus*. Quidam : *Filius nascitur*. Notant, post annos nimirum fere trecentos triginta. IOSIAS NOMINE. Insigne vaticinium expresso nomine personæ tribus sæculis ante. Sonat *Iosias*, seu ut Hebr. est *Ioschiiahu* (יאשיהו) *abreptum*, *desperatum*, *conclamatum*, *Domini* : quod nomen præsagio violentæ, & immaturæ mortis eius, videtur ei inditum. ET IMMOLABIT SUPER TE SACERDOTES. Vide executionem huius vaticinii II. Reg. XXIII. 15. & seqq. ET OSSA HOMINUM SUPER TE INCENDET. Hebr. *Et ossa hominis super te comburent*. *Hominis*, quidam intelligunt singulariter ipsius Iarobhami : alii collective, hominum : *comburent*, iussu Iosiæ, II. Reg. XXIII. 16.

V. 3. DEDITQUE IN ILLA DIE SIGNUM. Legationem suam, & fidem vaticinii, divinitus edito signo seu prodigio confirmat, secundum institutionem Domini, Deuteron. XIII.

V. 5. QUOD PREDIXERAT. Hebr. *Quod dederat*. Quidam, *Quod ediderat*, id est verbo pronunciaverat, ut Deuteron. XIII. vers. 1.

V. 6. DEPRECARE FACIEM DOMINI. Hebr. *Exora*, *quæso*, *facies Iehovæh*. Quidam : *Deprecare*, *quæso*, *iratam faciem Iehovæ*. Sic paulo postea. UT RESTITUATUR MANUS MEA MIHI. Hebr. *Et reversa fuit manus mea ad me*. Utitur præterito, ad vim & efficaciam precationis viri Dei ostendendam ; quasi dicat : Quamprimum oraveris, certissime restituta erit mihi manus : factum puta. Aliqui : *Et redeat restituta manus mea ad me*. Sic paulo inferius.

V. 9. SIC ENIM MANDATUM EST MIHI IN SERMONE DOMINI. Hebr. *Quia sic præcepit mihi in sermone Iehovæh*. Quidam : *Sic enim præcepit mihi verbo Iehovæ*, pro *suo*, *Iehova*. Hebr. est antecedens, vim suam, & relativi obtinens, ut Genes. IX. vers. 6. Alii : *Quia sic præcepit mihi* Angelus, qui mihi apparuit, *in verbo Iehovæ*, de mandato Iehovæ, vel in nomine Domini.

V. 11. PROPHETES AUTEM QUIDAM SENEX. Iosephus, Chaldæus Interpres, & complures alii hunc pseudoprophetam fuisse aiunt. Non dubium, quin hoc facto mendax fuerit, ut docetur infra vers. 18. alioqui certa sunt pietatis illius in hoc capite documenta : ut quod a sacris Iarobhami abstinuerit ; quod humaniter Prophetam Dei vivum & mortuum sit prosecutus ; quod sepulturam cum eo communem habere voluerit ; quod denique filios suos in expectatione vaticiuii

nii confirmaverit. NARRAVERUNT PATRI SUO; id eſt, narraverunt filii patri ſuo. Eclipſis correlativi, ut Levitici XXI. verſ. 4.

V. 17. QUIA LOCUTUS EST DOMINUS AD ME IN SERMONE DOMINI. Hebr. *Quia verbum ad me, in verbo Iehovæh*; id eſt, quoniam iniunctum mandatum mihi fuit verbis, ſeu iuſſu Iehovæh. Quidam: *Verbum enim edixit mihi ex verbo Iehovæ*; id eſt, æternum Dei patris Verbum, unigenitus eius Filius, voluntatem illius enuntians. Sic verſ. 18. 19. 20. Sed neſcio quam ſolide myſterium Verbi conſubſtantialis æterno Patri eruatur.

V. 20. AD PROPHETAM, QUI REDUXERAT EUM. Hebr. *Ad prophetam, qui reverti fecit eum*. Quidam reddunt: *Ad Prophetam, quem reduxerat*: adduntque: Sic interpretandum eſſe, docet exegeſis quæ ſtatim ſubſequitur, ut etiam 23. verſ. eadem locutio eodem modo exprimitur, & confirmant verba ipſa Bethelitæ infra verſ. 26. unde illud, *Ad Prophetam*, exponendum erit, Id eſt *contra Prophetam*.

V. 21. QUIA NON OBEDIENS FUISTI ORI DOMINI. Hebr. *Propterea quod mutaviſti os Iehovæh*; id eſt, feciſti aliter quam præceperat tibi Iehovah. Vide hanc locutionem elucidatam Numeror. XXVII. verſ. 14. Varie hic reddunt. I. *Quia non obtemperaſti ori*, ſermoni, mandato, *Iehovæ*. II. *Propterea quod tranſgreſſus fuiſti os Iehovæ*. III. *Propterea quod amaricaviſti os Iehovæ*. IV. *Propterea quod rebellaviſti contra præſtitutum Iehovæ*. Sic inf. verſ. 26.

V. 24. LEO STABAT IUXTA CADAVER. Oſtenſio divinæ vindictæ manifeſta. Leo ſervabat aſinum a furibus, & cadaver a feris & volucribus.

V. 32. SAMARIAE. Hebr. *Someron*, vulgo *Samaria*: de qua vide Ioſue XI. 1.

V. 33. SED E CONTRARIO. Hebr. *Et reverſus fuit & fecit*; id eſt, rurſus, iterum, fecit. Notiſſimus Hebraiſmus, de quo vide in Geneſ. XXVI. verſ. 18. & Ioſuæ V. verſ. 2. DE NOVISSIMIS POPULI SACERDOTES, &c. Hebr. *De extremitatibus populi ſacerdotes*, &c. Vide ſupra cap. XII. 31. QUICUMQUE VOLEBAT, IMPLEBAT MANUM SUAM, ET FIEBAT SACERDOS EXCELSORUM. Heb. *Volens, implebit manum ſuam, & fuit ſacerdotes exceſſorum*. De hac locutione, *Implere manum*, pro conſecrare, ſacris imbuere, initiare, ordinare, vide in Exod. XXVIII. verſ. 41. Quidam reddunt: *Qui volebat, implebat manum ſuam, & erat de ſacerdotibus exceſſorum*. Alii: *Quem volebat, conſecrabat manum eius, eratque de numero ſacerdotum exceſſorum*. Aliqui: *Et qui ei placebat, illum conſecrabat, ut fieret ſacerdos exceſſorum*. Nonnulli: *Eius qui volebat, conſecrabat miniſterium, ut eſſent ſacerdotes exceſſorum*. Aliene quidam: *Qui volebat* fieri ſacerdos, *implebat manum eius*, ſcilicet Iarobhami; id eſt, dabat ei munus aliquod, ſeu donum; *& fiebat ſacerdos exceſſorum*; quaſi dicat: Oblato munere conſtituebatur ſacerdos: emebat ſacerdotium: ſacerdotia erant venalia.

V. 34. ET PROPTER HANC CAUSAM, &c. Hunc verſum verbatim ex Hebr. convertimus (*Et fuit in verbo iſto, errato domus Iarobgham: & ad auferre facere, & ad abolere facere de ſuper facies humi.*) Diverſimode alii. I. *Et fuit ſicut res iſta in peccatum domui Iarobham, & ad deſtruendum, & ad deſtruendum e ſuperficie terræ*: utitur duobus verbis ſynonimis ad indicandam plenam & abſolutam deſtructionem. II. *Et fuit hæc res in peccatum domui Iarobham, & ut extirparetur, atque delceretur e ſuperficie terræ*. III. *Et fuit propter verbum hoc in peccatum domus Iarobham & ad extirpandum, & ad delendum de ſuper facies terræ*. IV. *Fuitque hoc in peccatum familiæ Ierabham, ut omnino deleta fuerit e ſuperficie terræ*. V. *Quæ res ceſſit in peccatum domui Iarobham, ut exſcinderet & deleret eam e terra*. VI. *Fuitque hæc re in cauſa peccati domui Iarobhami, ut exſcinderet ac perderet eam Deus a ſuperficie terræ*. Vide ſupra cap. XII. verſ. 30. Hic *peccatum* & pro culpa, & pro pœna peccati ſimul recte accipitur. Duo poſtrema verba ſunt in formula Hiphil, quæ ſignificatum intendit, ad oſtendendum maximam & pleniſſimam excſionem & perditionem domus Iarobhami.

MENOCHII.

Verſ. 1. VIR DEI. Ioſephus illum Iaddon appellat; S. Hieronymus II. Paralip. X. Iaddo; Ephihan. in Lib. de vita Prophetarum Ioam nominat; Der-

Tertullianus Lib. de ieiuniis cap. XVI. Semiam vocat ; Hugo Cardin. *Addo : qui* inquit, *alio nomine Gad dicitur*. IN SERMONE DOMINI, verum ſcilicet oraculum afferens.

V. 2. EXCLAMAVIT CONTRA ALTARE. Altare rem licet inanimem alloquitur, etſi prophetia ad Regem impium, populumque pertineret, quod prodigium in ipſo altari mox demonſtrandum erat: & quia mala quæ denuntiabat, propter profanum hoc altare eventura erant. IN SERMONE DOMINI, id eſt ex mandato Domini. IMMOLABIT SUPER TE SACERDOTES EXCELSORUM, iis nimirum impietate pares, qui nunc in te thura ſuccendunt. ET OSSA HOMINUM, tam præſentium quam futurorum, ſuper te incendet. Impleta eſt hæc prophetia a Joſia, ut ſcribitur IV. Reg. XXIII. 16.

V. 6. DEPRECARE FACIEM DOMINI DEI TUI: non dicit *noſtri*, conſcius ſibi ſe ab illo defeciſſe.

V. 9. NEC REVERTERIS PER VIAM QUA VENISTI. Ita illi præcipitur ad ſignificandum etiam viam qua itur ad impios profanam eſſe & periculoſam, ideoque propter illecebras quas habet peccatum, & naturæ noſtræ infirmitatem, quantum fieri poteſt, vitandam, ut ſi ſemel adire ſufficiat, non iteretur.

V. 11. PROPHETES AUTEM QUIDAM SENEX HABITABAT IN BETHEL. Hic propheta ſenex, IV. Reg. XXIII. 18. veniſſe dicitur de Samaria, eumque Chaldæus Paraliphraſtes Michal appellat.

V. 18. ET EGO PROPHETA SUM SIMILIS TUI, &c. Senem hunc quem prophetam Scriptura vocat, Joſephus pſeudoprophetam fuiſſe tradit. Theodoretus vero quæſt. XLII. Procop. & Abulenſis, quæſt. XIII. & alii apud Salian. Tom. IV. Roboami anno I. num. 26. verum Prophetam, ſed qui Abulenſi vir peſſimus fuit, Theodoreto, & Procopio bonus, ſed tamen officioſo mendacio uſus in reducendo Propheta, quare ob hoc mendacium quodammodo pſeudopropheta dici poteſt: alioqui vere ad eum ſermo Domini factus eſt num. 20. Credidit Prophetæ prædictioni, & cum eo ſepeliri voluit.

V. 19. FEFELLIT EUM, ET REDUXIT SECUM. Theodoretus, & Procopius falſis uſum verbis putant, non ut eum quem invitabat læderet, ſed ut benedictionem ab eo acciperet, id eſt gratiam & meritum exhibitæ hoſpitalitatis, quæ eſt etiam Joſephi ſententia.

V. 20. FACTUS EST SERMO DOMINI, &c. Vero Dei, & prophetiæ ſpiritu afflatus eſt.

V. 24. INVENIT EUM LEO, ET OCCIDIT. Plerique auctores Prophetam hunc a leone occiſum a gravi culpa liberant. Notat autem Abbas Serenus apud Caſſian. collat. VII. cap. XXVI. Deum pro leviſſimis delictis interdum morte punire: quod huius Prophetæ exemplo, aliiſque confirmat. Vide etiam S. Gregorium IV. Dialog. cap. XXIV. De æterna eiuſdem ſalute, vide S. Auguſtinum Libro de cura pro mortuis agenda cap. VII. ET LEO STABAT IUXTA CADAVER. Notant Procopius, & Theodoretus, quanta ſanctorum corporum cura Deo ſit, qui etiam leonem cuſtodem hic appoſuit.

V. 30. PLANXERUNT EUM: iuſta funebria illi perſoluerunt. HEU HEU MI FRATER. Erat hæc familiaris apud Hebræos lugendi forma, ut *Ve frater*, & *ve ſoror*, *ve domine*, & *ve inclyte*. Vid. Ierem. cap. XXII. num. 18.

V. 31. SEPELITE ME IN SEPULCRO, &c. Cur voluerit ſenex hic propheta ſepeliri cum Propheta illo occiſo, indicant LXX. Interpr. qui ita habent: *Apud oſſa eius ponite me, ut ſalventur oſſa mea cum oſſibus eius*; cum ſcilicet quæ prædixit num. 2. implerentur.

V. 33. DE NOVISSIMIS POPULI; quos ſuperiori cap. num. 31. *extremos populi* appellavit. IMPLEBAT MANUM SUAM. Vide dicta Exod. XXVIII. 41. & Iudic. XVII. 5. EXCELSORUM, collium in quibus idola colebantur.

V. 34. PROPTER HANC CAUSAM, & ſcilicet propter idololatriam in regno Iſraelis univerſim inductam, multis in locis ſanis extructis, in excelſis, & nemoroſis locis.

TIRINI.

Verſ. 1. VIR DEI, id eſt Propheta, VENIT IN SERMONE, ſeu verbo, DOMINI, id eſt nomine & iuſſu Dei. Tertullianus hunc Prophetam vocat Sameam; Epiphanius Ioam. Sed com-

communior opinio eſt, fuiſſe Addo, ex II. Paralip. IX. 29. ubi Addo dicitur *videns* fuiſſe, id eſt prophetaſſe *contra Ieroboam filium Nabat*. Non fuit tamen hic Addo idem cum illo qui avus Zachariæ Prophetæ fuiſſe ſcribitur Zachar. I. verſ. 1. Nam & aliud *b* ab illo *c* nomen habet in Hebræo, & fere 480. annis illum præcedit. Ita S. Hieronymus *a*.

V. 9. NEC REVERTERIS PER VIAM QUA VENISTI. Quia enim via in Bethel (ubi omnis impietatis barathrum & abyſſus eſt) *d* polluta & execranda cuique iuſto habetur, idcirco nolo repeti illam, aut a te frequentari. Vult oſtendere Deus, quanto horrori nobis eſſe debeant omnia quæ quoquo modo ducunt ad peccatum.

V. 11. PROPHETES AUTEM QUIDAM SENEX (in Chaldæo vocatur *Michal*, vel *Micheas*) de Samaria venerat, ut habetur IV. Reg. XXIII. verſ. 18. & iam HABITABAT IN BETHEL, & Ieroboamo carus erat, & inter primos intimoſque miniſtros, ita Gloſſa Ordinaria, & Abulenſis & alii. Quidam putant, vel ea ſola de cauſa tantopere hunc Prophetam ſategiſſe, ut Addonem e via contra expreſſum Dei mandatum, ad menſam ſuam retraheret, ut cum poſtea is ſuæ inobedientiæ pœnas lueret (facile enim coniectare poterat, id illi non impune ceſſurum) eo argumento facilius, Ieroboamo Regi ſuo perſuaderet, impoſtorem fuiſſe Addonem, ac propterea cælitus punitum, atque ita Ieroboamum propter minas Addonis iam ſorte nutantem, deque abolendis vitulis agitantem, in priori impia ſua ſententia confirmaret ac ſtabiliret. Unde non mmerito poſt hanc decepti Prophetæ tragœdiam, mox hic additur, verſ. 33. *Poſt verba hæc non eſt reverſus Ieroboam de via ſua peſſima*. Erat ergo ſenex veterator hic impius & perverſus homo, licet verus Propheta, per quem vere locutus eſt aliquando Deus, de numero eorum qui in iudicio dicturi ſunt Deo (Matth. VII. 22.) *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* & ipſereſpondebit: *Quia numquam novi vos*. Ita Theodor. Lyranus, Caietanus, Abulenſis, & Sanctius.

V. 21. QUIA NON OBEDEINS FUISTI ORI DOMINI. Abſolutum acceperat Addo præceptum nec revertendi in

Bethel, nec quidquam ibi guſtandi: unde peccavit peccato inobedientiæ, nimis leviter, nec conſulto Deo, propter alterius Prophetæ dicta non ſat excuſſa, deflectendo a præcepto divino. Sed veriſimilius eſt, non niſi veniale fuiſſe peccatum: primo quia deceptus fuit ab eo quem Prophetam verum & veracem putabat; deinde quia norat, Deum ſubinde mutare, aut moderari quæ ante præceperat: denique quia non ſponte, ſed quaſi vi retractus videtur, cum prius quo ad potuit recuſaſſet. Ita S. Auguſtinus, Gregorius, Caſſianus, Eucherius, Angelomus, Caietanus, Abulenſis, a Lapide, Sanctius, & alii, qui comparant hoc peccatum cum peccato Moyſis Numeror. XX. & uxoris Lot Geneſ. XIX. quæ licet ſeveriſſime caſtigata ſint, non tamen niſi venialia fuiſſe exiſtimantur.

V. 28. NON COMEDIT LEO DE CADAVERE, NEC LAESIT ASINUM. Unde patet primo, non caſu leonem occurriſſe, ſed immiſſum a Deo, quandoquidem a præda abſtinuit, neque famem carnibus ſeu Prophetæ, ſeu aſini exſaturare permiſſus ſit; ſecundo, placuiſſe Deo defunctum Prophetam, cuius cadaveris tantam curam geſſerit.

V. 30. PLANXERUNT EUM: HEU, HEU, MI FRATER. Erat hæc familiaris apud Hebræos lugendi forma. Sicut & illa Ieremiæ XXII. verſ. 18. *Ve frater, ve ſoror, ve domine, ve inclyte*. Vide S. Hieronymum *e*.

V. 31. SEPELITE ME IN SEPULCRO, IN QUO VIR DEI SEPULTUS EST. Id iubet idcirco, ne oſſa ſua olim ſub Ioſia, ſimul cum aliorum impiorum oſſibus extraherentur e tumulo, & cum ludibrio abirent in cineres, quod Addo Propheta futurum prædixerat. Unde oſſibus illius, quæ præſagiebat loco motum non iri, ſua oſſa iungi mandavit. Neque ſpe ſua fruſtratus eſt, ut patebit IV. Reg. XXIII.

V. 33. QUICUMQUE VOLEBAT nullo delectu ſeu probitatis, ſeu aptitudinis, quiſque pro libito ſuo, IMPLEBAT MANUM SUAM, puta oleo ſacro, & victimis ſeu libaminibus: atque ita more iampridem conſecratione ſacerdotum recepto, immo præſcripto Exod. XXIX.

V. 24. SACERDOS FIEBAT: non Dei,

ſed idolorum, quæ in profanis excelſis colebantur.

(a) Hieron. in cap. 1. Zachariæ.
(b) יעדי *Iehdi*. (c) עדו *Ghido*.
(d) II. Reg. xxi. verſ. 5.
(e) Hieron. epiſt. xxv. ad Paulam.

GORDONI.

Verſ. 1. COmmunior ſententia eſt hunc Prophetam eſſe Addo, ex II. Paralipom. IX. 29. *In viſione* inquit *Addo ..... contra Ieroboam*. Addo iſte falſo putatur pater Zachariæ. SUPER, id eſt iuxta altare, THUS IACIENTE. LXX. *ad ſacrificandum*.

V. 2. IOSIAS NOMINE. Hæc omnia præſtitit Joſias, ut narratur IV. Reg. cap. XXIII. Hæc in Bethel acta ſunt, anno mundi 3000. Regnabit vero poſtea Joſias anno 3340. Huius tamen Prophetæ quem extinxit leo, ſanctitas probatur citato cap. XXIII. alter vero a quo deceptus eſt, erat vere propheta a Deo, ut hic habetur verſ. 29. malignus tamen: talis certe gratia non fecit gratum.

V. 14. SUBTER TEREBINTHUM. Hebr. אלה *elah*. Hieronymus aliquando etiam vertit *quercum*. Septuag. habent *quercum a πὸ τὴν δρῦν*.

V. 18. FEFELLIT EUM. Hebr. *Mentitus eſt*. Sane fallaci vaticinio decepit hominem ſimplicem. Punit aliquando Deus morte corporis aliqua venialia, ut in uxore Lot, & Moſe ad aquas contradictionis, qui iubetur mori extra terram promiſſam. Exempla ſunt, obtemperandum eſſe Deo.

V. 23. & 29. Verus Propheta videtur e Iuda pedes veniſſe, cui abeunti ſenex propheta ſterni iuſſit aſinum. INTULIT IN CIVITATEM PROPHETAE SENIS, hoc eſt in ſuam.

CAPUT XIV.

Abias Propheta ab uxore Ieroboam ſuper filio Abia ægrotante interrogatus, prædicit filium moriturum, & domum Ieroboam penitus evertendam; quo mortuo, ſuccedit filius Nadab: Rex autem Ægypti diripit domum Domini in Ieruſalem; & mortuo Roboam, ſuccedit filius Abia.

1. IN tempore illo ægrotavit Abia filius Ieroboam. 2. Dixitque Ieroboam uxori ſuæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris quod ſis uxor Ieroboam, & vade in Silo, ubi eſt Ahias Propheta, (*a*) qui locutus eſt mihi, quod regnaturus eſſem ſuper populum hunc. 3. Tolle quoque in manu tua † decem panes, & cruſtulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipſe enim indicabit tibi quid eventurum ſit puero huic. 4. Fecit ut dixerat, uxor Ieroboam: & conſurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi eius præ ſenectute. 5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Ieroboam ingreditur ut conſulat te ſuper filio ſuo qui ægrotat: hæc & hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, & diſſimularet ſe eſſe quæ erat, 6. audivit Ahias ſonitum pedum eius introeuntis per oſtium, & ait: Ingredere uxor Ieroboam: quare aliam te eſſe ſimulas? ego autem miſſus ſum ad te durus nuntius. 7. Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quia exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael: 8. & ſcidi regnum domus David, & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodi-

ſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo: 9. ſed operatus es mala ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projeciſti poſt corpus tuum: 10. idcirco ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & (*b*) percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & noviſſimum in Iſrael: & mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet ſimus uſque ad purum. 11. Qui mortui fuerint de Ieroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus eſt. 12. Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam: & in ipſo introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer, 13. & planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet eum: iſte enim ſolus inferetur de Ieroboam in ſepulcrum, quia inventus eſt ſuper eo ſermo bonus a Domino Deo Iſrael, in domo Ieroboam. 14. Conſtituit autem ſibi Dominus Regem ſuper Iſrael, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore: 15. & percutiet Dominus Deus Iſrael, ſicut moveri ſolet arundo in aqua: & evellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt ſibi lucos, ut irritarent Dominum. 16. Et tradet Dominus Iſrael propter peccata Ieroboam, qui peccavit, & peccare fecit Iſrael. 17. Surrexit itaque uxor Ieroboam, & abiit, & venit in Therſa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus eſt, 18. & ſepelierunt eum. Et planxit eum omnis Iſrael iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu ſervi ſui Ahiæ Prophetæ. 19. Reliqua autem verborum Ieroboam, quomodo pugnaverit, & quomodo regnaverit, ecce ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael. 20. Dies autem, quibus regnavit Ieroboam, viginti duo anni ſunt: & dormivit cum patribus ſuis: regnavitque Nadab filius eius pro eo. 21. (*c*) Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Iuda. Quadraginta & unius anni erat Roboam, cum regnare cœpiſſet: decem & ſeptem annos regnavit in Ieruſalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen ſuum ibi, ex omnibus tribubus Iſrael. Nomen autem matris eius Naama Ammanitis. 22. Et fecit Iudas malum coram Domino, & irritaverunt eum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis ſuis quæ peccaverunt. 23. AEdificaverunt enim & ipſi ſibi aras, & ſtatuas, & lucos, ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam: 24. ſed & effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Iſrael. 25. In quinto autem anno regni Roboam, aſcendit Seſac Rex AEgypti in Ieruſalem, 26. & tulit theſauros domus Domini, & theſauros regios, & univerſa diripuit: ſcuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon: 27. (*d*) pro quibus fecit Rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manum ducum ſcutariorum, & eorum qui excubabant ante oſtium domus Regis. 28. Cumque ingrederetur Rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & poſtea reportabant ad armamentarium ſcutariorum. 29. Reliqua autem ſermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iuda. 30. Fuitque bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus. 31. Dormivitque Roboam cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in civitate David: nomen autem matris eius Naama Ammanitis: & regnavit Abiam filius pro eo.

(*a*) Sup. xi. 31. (*b*) Inf. xv. 29. (*c*) II. Paralip. xii. 13. (*d*) Sup. x. 16.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

V. 3. *Decem panes & cruſtulam*. ¦Coniiciunt quidam legendum *cruſtula*, neutro genere pluralis numeri: nam & Hebræum plurale, quidam gauferas vertunt. Cruſta ſeu cruſtula genere feminino, longe aliud ſignificat.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. CRUSTULAM. Chald. & LXX. *placentas*.

V. 6. MISSUS, ſcilicet a Deo. DURUS, id eſt dura nuntiaturus.

V. 9. OMNES, ſcilicet duces, ſeu principes Iſrael. CORPUS, id eſt tergum.

V. 10. MINGENTEM AD PARIETEM, id eſt canem, vel maſculum grandiorem. Chald. *cognitione præditum*. CLAUSUM, ſcilicet loco tuto. NOVISSIMUM. Hebr. Chald. & LXX. *derelictum*. RELIQUIAS, id eſt reliquos, ſcilicet poſteros. AD PURUM; quaſi dicat: Ita ut nihil relinquatur, niſi locus mundus, omni re vacuus.

V. 13. QUIA INVENTUS, &c. quaſi dicat: Quia ei ſoli placuit Deo in hac parte parcere.

V. 14. IN HAC DIE; quaſi dicat, Domum quæ nunc eſt. Chald. *Eum qui vivit hodie*. ET IN HOC TEMPORE. Chald. *Et qui gignetur ex nunc & ultra*; quaſi dicat: Non ſolum qui nunc vivunt, ſed etiam poſteros. SICUT MOVERI, &c. quaſi dicat, Aſſidue. FLUMEN, ſcilicet Euphratem.

V. 16. TRADET, ſcilicet in deſolationem.

V. 17. THERSA, ſcilicet ubi tunc puer ægrotabat. Dicitur ea fuiſſe regia ante Samariam conditam. DOMUS. Forte erat prope urbis portam.

V. 19. VERBORUM DIERUM, id eſt annalium.

V. 21. PONERET NOMEN, ſcilicet ut vocaretur Dei locus, ibique ipſe coleretur. EX OMNIBUS, id eſt præ omnibus. AMMANITIS, id eſt de populo Ammon, adeoque infidelis. Chald. *de filiis Ammon*.

V. 22. SUPER OMNIBUS. Chald. *Magis quam omnia*.

V. 23. ARAS. Hebr. Chald. & LXX. *excelſa*.

V. 24. EFFEMINATI, id eſt ſcorta maſcula. ATTRIVIT. Hebr. & Chald. *eiecit*. LXX. *abſtulit*.

V. 27. SCUTARIORUM. Hebr. & Chald. *curſorum*. LXX. *præcurſorum*; ſic & infra.

ESTII.

Verſ. 9. SED OPERATUS ES MALE SUPER OMNES QUI FUERUNT ANTE TE, ET FECISTI TIBI DEOS ALIENOS ET CONFLATILES. Exaggeratur peccatum Ieroboam ſuper peccatum omnium Regum, vel Iudicum: quia non ſolum ipſe a Dei cultu defecerat, ſed etiam ſtudioſe hoc egerat, ut univerſus populus a cultu Dei recederet. Inſuper & miraculo admonitus per ruptionem altaris, & manus ſuæ arefactionem, minime tamen ad Deum converſus legitur, ſed potius deteriora perpetraſſe. Hinc in ſequentibus toties repetitur de aliis Regibus impiis quod ambulaverint in peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Iſrael. Quod ergo dicitur: *Feciſti tibi deos alienos & conflatiles*: ſatis quoque arguit, non ad hoc eum erexiſſe vitulos aureos ut in illis tamquam imaginibus quibuſdam verum Deum colerent (quod & ad cap. XII. verſ. 28. refutavimus, etiamſi ita ſentire videatur Ioſephus) ſed quod vitulos erexerit, tamquam ipſos deos quos colerent: quia vocantur dii alieni, & conflatiles. Vide ſupra cap. XII. & Exod. cap. XXXII.

V. 30. FUITQUE BELLUM INTER ROBOAM ET IEROBOAM CUNCTIS DIEBUS. Videri poteſt hoc contrarium ei quod ſupra dictum eſt cap. XII. ubi moniti filii Iuda per Prophetam, ne aſcenderent

derent contra fratres ſuos, leguntur acquieviſſe. *Audierunt*, inquit Scriptura, *ſermonem Domini, & reverſi ſunt de itinere, ſicut eis præceperat Dominus*. Sed reſpondeo ſicut habetur II. Paralip. cap. XI. primo triennio Roboam Rex cum populo ſuo, Deo fideliter ſervivit, confluentibus ad eum omnibus Levitis ex toto Iſraele. Et eo tempore iuxta imperium Domini non movit bellum contra Regem Iſrael. Sed poſtea, ſicut hic legitur, a verſ. 22. uſque 24. & ipſe populus Iuda declinavit ad idola. Et ab eo tempore Roboam inſtauravit bellum contra Regem Iſrael, volens repetere regnum primum, & integrum. Quod ergo hic dicitur, *Cunctis diebus*, perinde eſt ac ſi diceretur, toto fere tempore regni ſui. Solum enim excipiuntur tres anni, nec illi forte integri.

MARIANAE.

Verſ. 2. COMMUTA HABITUM, id eſt veſtes. Sciebat Prophetam Ahiam illi eſſe infenſum, ad quem uxorem mittebat Ieroboam.

V. 3. TOLLE.....DECEM PANES. Qui conſulebant prophetas, illis deferebant munera. CRUSTULAM. Sept. *collyria*. Chald. *placentas*. Hebr. *punctata*: ſcilicet bellaria vocat *punctata*, a fignis in illis ad venuſtatem impreſſis.

V. 4. CALIGAVERANT OCULI Ahiæ. Sic Sept. Hebr. *Steterant oculi*: ſic Chald. eadem ſententia. Cæcis palpebræ non moventur. Uxor Ieroboam

V. 5. CUM....DISSIMULARET SE ESSE QUAE ERAT. Hebr. *Externam ſe faceret*; id eſt, ſimularet ſe aliam eſſe quam erat. Quid ad eam Ahias?

V. 6. MISSUS SUM AD TE DURUS NUNTIUS. Sept. *durus*. Chald. *Miſſus ſum ad vaticinandum contra te verba dura*. Hebr. *dura*, in ſingulari: quare ſupplent *viſio dura*, pro cum viſione dura. Aut feminina vox pro maſculina, *miſſus durus*, ſcilicet nuntius, ut Hieronymus poſuit.

V. 9. ME AUTEM PROIECISTI POST CORPUS TUUM. Sic ſolent homines, quæ a tergo habent, ea non reſpicere, eorum oblivifci. Sic Ieroboam Dei oblitus erat.

V. 10. MINGENTEM AD PARIETEM percutiam, id eſt canem; quaſi dicat: Ne canibus quidem parcam. A voce *maſtin*, id eſt *mingentem*, canis paſtoritius ab Hiſpanis *maſtin* vocatur. Chald. *Cognoſcentem cognitionem auferam*. Ita ad homines natu grandiores recte refert illud *mingentem ad parietem*. ET CLAUSUM, id eſt theſauros qui clauſi ſervantur. ET NOVISSIMUM IN ISRAEL. Hebr. *& derelictum*: ſic Sept. & Chald. per quæ pecora & prædia intelligit, quæ relinquuntur in agris. MUNDABO RELIQUIAS DOMUS IEROBOAM. Heb. *poſteros*. SICUT MUNDARI SOLET FIMUS USQUE AD PURUM. Hebr. *uſque ad conſummare ipſum*; id eſt, donec totum eiiciatur. Quidam per *galal*, id eſt *fimum*, *dentem* intelligunt, ſic dictum a candore, quo marmori ſimilis eſt, quod *marmor*, *galal* vocatur. Ergo mundabo, eiiciam poſteros Ieroboam, ſicut eiici ſolet dens penitus, nulla relicta radice. Puer hic ſepelietur ſolus e domo Ieroboam.

V. 13. QUIA INVENTUS EST SUPER EO. Hebr. *in eo*. SERMO BONUS A DOMINO. Hebr. *verbum bonum* (id eſt res bona) *ad Dominum*. Ita Hebraica indicant puerum boni aliquid geſſiſſe, quod non exprimitur, ideo ſepeliri permiſſum. Latina ſignificant, Deum ita promiſiſſe, voluiſſe: & *ſermo bonus* ad Deum referri debet ſic prædicentem. Conſtituet Deus Regem, qui percutiet domum Ieroboam

V. 14. IN HAC DIE; id eſt, brevi id eveniet. ET IN HOC TEMPORE. Heb. *Et quid etiam nunc*? quaſi dicat: Parva ſunt hæc quæ patietur modo, præ afflictionibus eius temporis. Mors filii cum illis malis comparanda non eſt. Chald. *Percutiet Ieroboam qui nunc vivit, & qui gignetur ex nunc & ultra*.

V. 15. SICUT MOVERI SOLET ARUNDO IN AQUA, ſic agitabo domum Ieroboam; id eſt, ut fluente aqua agitatur, non tamen evellitur arundo. Propterea addit: ET EVELLET ISRAEL, id eſt funditus eradicabit. ET VENTILABIT. Heb. *Diſperget eos*. TRANS FLUMEN, ſcilicet Euphratem. QUIA FECERUNT SIBI LUCOS, UT IRRITARENT DOMINUM. Hebr. *irritantes Dominum*.

V. 16. ET TRADET DOMINUS ISRAEL, ſcilicet in maledictionem, aut captivitatem.

V. 17. THERSA. Urbs in finibus Iſraelis, ubi ii Reges habitabant, ut patet

ex

ex cap. proximo. Eo ivit uxor Ieroboam rediens a Prophetæ colloquio.

V. 18. IN MANU SERVI SUI; id eſt, ut per ſervum ſuum locutus eſt Deus, ſic accidit.

V. 19. VERBORUM; id eſt, reliqua rerum geſtarum a Ieroboam, aut *verborum*, id eſt hiſtoriæ eius, ſcripta ſunt. Quid Roboam? mater eius

V. 21. NAAMA AMMANITIS. Matris Roboami nomen hoc eſt, ut oſtendat matris mores ſecutum, nec meliorem Ieroboamo fuiſſe.

V. 22. SUPER OMNIBUS; id eſt, magis quam omnia alia mala, quæ maiores fecerant.

V. 23. ARAS. Hebr. *excelſa*, ſed *excelſa* ſæpe pro *aris* ponuntur, quas tribus Iuda feciſſe increpat. SUBTER OMNEM ARBOREM FRONDOSAM. Hebr. *viridem*: ſed perinde eſt. Arbores proceras & opacas præ ceteris, quaſi quoddam Divinitatis ſignum colebant Gentes.

V. 24. SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA. Heb. *ſcortator*. Chal. *ſcortum*, ſcilicet maſculum, ad patiendum paratum. IN TERRA, id eſt nullo prohibente, palam. FECERUNTQUE OMNES ABOMINATIONES GENTIUM, QUAS ATTRIVIT. Hebr. *Eiecit Dominus*, abſtulit eis eam terram. Eas gentes ſunt imitati viri Iuda.

V. 27. IN MANUM DUCUM SCUTARIORUM tradidit Roboam ſcuta ærea quæ fecit. Heb. *Principum curſorum*. *Curſores* vocat ſatellites. ET EORUM QUI EXCUBABANT. *Et* non eſt Hebr. neque in Sept. neque Chald. Itaque tradidit ea ſcuta in manum ſatellitum eorum qui excubabant, aut cuſtodiebant portam domus regiæ.

V. 28. AD ARMAMENTARIUM reportabant ea ſcuta. Hebr. *thalamum*, ſeu *cubiculum*, id eſt domicilium, ubi ſatellites diverſabantur.

V. 29. IN LIBRO SERMONUM DIERUM reliqua geſta Roboam continentur: ſupra verſ. 19. *in Libro verborum dierum*. Utrobique Hebr. eadem verba. Porro is titulus eſt Librorum Paralipom. Hebraice. Sed videntur hi libri antiquiores, quibus continebantur geſta utrorumque Regum Iuda, & Iſrael, veluti annales, ex quibus in compendium redactis alio tempore Libri Paral. prodierint, retento antiquorum titulo: nam vocantur Hebr. *Verba dierum*.

MALVENDAE.

Verſ. 2. ET COMMUTA HABITUM. Hebr. *Et tranſmutabis te ipſam*. Verbum ex Hithpahel, ſignificat magnam & accuratam veſtium & ornatuum tranſmutationem, & diſſimulationem, ne agnoſceretur.

V. 3. TOLLE QUOQUE IN MANU TUA, &c. Conſulturi Prophetas, ſolebant eos honorario aliquo adire, civilitatis & urbanitatis ergo. Sic I. Samuel. IX. verſ. 7. ET CRUSTULAM. De voce נקדים *nikkudim* diſſeruimus Ioſue IX. 5. Hic varie vertunt. I. *cruſtulas* aiunt fuiſſe panes dulciarios, ita dictos a forma quam præſeferebant, quales ſunt quos Gallice vocant *des gaufres*: nam illis ſolebant imprimere formam quamdam, in qua erant foramina, & veluti puncta maiora: unde quidam reddunt, *Et gaufras*. II. *puncta*, *punctata*, id eſt panes punctis diſtinctos. III. *buccellata punctata*. IV. *placentas*. V. *biſcoctos panes*. VI. Hiſpanicus Interpres *turrones*. Eſt dulciarii genus Hiſpanis, Valentinis præſertim familiare, & melle, & amygdalis in modum maſſæ præduræ ac lapidoſæ confectum. ET VAS MELLIS. בקבוק *bakbuk* aiunt eſſe genus vaſis a vacuitate dictum, ſicut *nebel* appellationem habet ab inanitate: quamquam Hebræi, & plerique alii per onomatopœiam ita vocatum putent, quod talem ſonum edat cum in aquam demergitur, & cum aqua ex eo diffunditur, aut bibitur, ſonat enim *bakbuk*. Notant fuiſſe anguſtioris, & ampli ventris. Varie illud reddunt. I. *vas*, *vaſculum*. II. *lagenam*. III. *phialam ſtrictioris*. IV. *œnophoron*, Italice *fiaſco*. V. *bombylion*, genus poculi ſeu vaſis anguſtioris ori, inter potandum bombylians, ſeu murmur edens: de quo vide Pollucem Lib. VI. cap. XVI. Athenæum Lib. VI. cap. XVIII. & Lib. XI. cap. X. VII. *baucalion*, vas anguſti oris, dictum a ſono quem edit dum aqua ei infunditur, tunc enim veluti baubatur: de quo vide Alexandrum Aphrodiſæum Lib. I. Problematum, problem. XCIV. Videntur id vas Alexandrini *Baucal* appellaſſe, ut auctor eſt Nicepho-

phorus Lib. VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. v. Hiſpanice dicimus *brocal*. Putant eſſe, quod Itali vocant *bocale*; ſed id non eſt ſtricti, ſed lati orificii. VIII. *fidelium*. IX. Hiſpanicus Interpres, *botiia*. Ego facile redderim *orcam*, quod eſt genus vaſis, teretis, ventroſi, cum anguſto ore: de quo vide Feſtum. Hiſpanice *tinaia*, aut *tinarvela*, ſi eſt parva. Valentine conſimili voce, dicimus, una *orça de mel*. Sic Ierem. XIX. 1.

V. 5. CUM ERGO ILLA INTRARET, ET DISSIMULARET SE ESSE QUAE ERAT. Plerique cum Noſtro volunt hæc verba eſſe Auctoris: alii ipſius Dei. Unde varie reddunt. I. *Et erit, cum illa veniet, aliam præſeferet*; id eſt, veniet habitu diſſimulato, ne a te agnoſcatur. II. *Futurum autem eſt, cum ingredietur, ut ipſa agat extrancam*. III. *Contigit ergo, cum ingrederetur ipſa, ut alienam ſe ſimularet*. IV. *Et fuit circa ingredi ipſam, ſtatim ipſa occultabat ſeſe*; id eſt, mores, & geſtus alienos finxit, ne agnoſceretur, ignotam ſe ſimulavit: ſic verſ. ſequente.

V. 6. DURUS NUNTIUS. קשה *kaſchah* poteſt eſſe femineum, *dura*, & maſculeum, *durus*, nempe קשה *kaſcheh*, ut poſterius Cametz ſit poſitum propter accentum *Soph paſſuk*. Varie reddunt. I. *Et ego miſſus ad te durus*, vel *cum nuntio duro*. II. *Cum dura viſione*, ſeu *revelatione*, aut *denuntiatione*. III. *Ego vero aſperam legationem affero*. IV. *Ego vero miſſus ſum ad te ad indicandum durum*, ut denuntiem tibi dura & rigida.

V. 9. SED OPERATUS ES MALA SUPER OMNES QUI FUERUNT ANTE TE. Hebr. *Et male feciſti faciendo præ omnibus, qui fuerunt ante te*. Quidam: *Sed peius egiſti omnibus qui fuerunt ante te*; id eſt, peſſime omnium egiſti, qui te præceſſerunt. DEOS ALIENOS. Vide II. Paralipom. XI. verſ. 15. POST CORPUS TUUM, id eſt tergum, dorſum: Synecdoche: me poſthabuiſti, poſtpoſuiſti, contempſiſti.

V. 10. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide de hac locutione I. Samuel. XXV. 22. ET CLAUSUM. עצר *ghatzur*, *prævalitum*, *valide concluſum*. Vide Deuteron. XXXII. 36. ET MUNDABO RELIQUIAS DOMUS IEROBOAM. Hebr. *Et removebo poſt domum Iarobbami*. Quidam: *Et tollam poſteriora*, ſeu *poſteritatem domus Iarobbami*. Alii: *Et eiiciam, expurgabo, poſteros domus Ieroboam*. Nonnulli: *Et ſuccidam*, ſubaudi Iſraelem, *poſt domum Iarobbami*, ſubaudi punitam. Vide infra verſ. 15. Aliqui: *Et tollam* euntes *poſt domum Iarobbami*; ſeu, *& tollam affectus domus Iarobbami*: ſic infra cap. XVI. verſ. 3. Notio comburendi, hic optime quadrat, & auget ſignificatum: *Et comburam poſteriorem, poſteritatem domus Iarobbami*; id eſt, quaſi igne penitus depaſcam, devorabo, abſumam, tollam de medio. Iuſta hæreticorum, & apoſtatum pœna ignis. Vide executionem infra cap. XV. verſ. 29. SICUT MUNDARI SOLET FIMUS USQUE AD PURUM. Hebr. *Secundum quod removebit, tollet*, quis ſtercus *uſque ad conſummare, finire, illud*; id eſt, ita ut ne tantillum quidem ſtercoris remaneat. Quidam: *Donec plene conſumetur*. Alii: *Donec defecerit*. Nonnulli reddunt: *Sicut deſtruet dens uſque ad finire ſuum*; id eſt, ſicut dens deſtruere, & molere ſolet cibum, quouſque finierit molere. Sed בגל *ghalal* in ſignificato *dentis* ego non reperio. Aliqui Hebræorum: *Sicut eiicit, propellit, turbo, uſque ad finire ſuum*. Nec ſenſus eſt alienus.

V. 11. QUI MORTUI FUERINT DE IEROBOAM. Hebr. *morientem*, vel *mortuum Ieroboamo*, id eſt ex poſteris Ieroboami.

V. 12. ET IN IPSO INTROITU PEDUM TUORUM. Hebr. *In ingredi pedes tues*. In infinitivo בבאה *beboah*, quidam He paragogicum faciunt, vel loco Vau, quod deficit: *In ingredi pedes tuos*. Alii affixum ſemineum: *In ingrediendo ipſo unoquoque pedum tuorum in urbem*. Quidam: *Cum intrabunt pedes tui in civitate, domum*: ut exponitur infra verſ. 17.

V. 13. ISTE ENIM SOLUS INFERETUR DE IEROBOAM IN SEPULCRUM. Quidam reddunt: *Iſte enim ſolus ingredietur de Iarobbamo in ſepulcrum*, id eſt de filiis Iarobbami. Alii: *Is enim ſolus perveniet Iarobbamo*, id eſt ex poſteris eius, *in ſepulcrum*. QUIA INVENTUS EST SUPER EO SERMO BONUS AD DOMINUM DEUM ISRAELIS, &c. Hebr. *Quia inventum fuit in eo verbum bonum ad Iehovah Deum Iſraelis*, &c. Quidam: *Quod inventa ſit in eo res grata Iehovæ Deo Iſraelis*, &c. Quid boni fecerit

rit filius iſte Ieroboami, non exprimitur in ſacris litteris. Fortaſſe fuerit puer bonæ indolis, & pietatis cultor. Aliqui reddunt: *Eo quod ineſt huic ſoli e domo Iarobhami aliquid boni erga Iehovam Deum Iſraelis*; id eſt, placuit Deo hunc ſolum e poſteris Iarobhami ſepulturæ honore afficere, quia reveretur nomen ipſius.

V. 14. REGEM SUPER ISRAEL, nempe Bahaſam. Vide infra cap. xv. verſ. 27. IN HAC DIE. Quidam, *Hoc tempore*, id eſt brevi. Alii, *Eodem die*, vel *ipſo die*; id eſt, eodem ipſo tempore quo regnum invadet. ET IN HOC TEMPORE. Hebr. *Et quid etiam nunc?* Quidam reddunt: *Et quid eſt hoc etiam nunc?* vel, *Sed quid eſt etiam nunc?* id eſt, ſed quanta eſt præſens afflictio in filio mortuo? quaſi dicat: Parva eſt ſi conferatur cum ſequentibus & futuris, nam multo graviores erunt. Alii? *Quid etiam? etiam nunc ſuſcitavit*: correctio; quaſi dicat: Quid dico, ſuſcitabit? immo iam conſtitutus eſt, & in regno verſatur. Nonnulli poſterius huius verſus hemiſtichium ita convertunt: *Qui excidet domum Iarobham iſtam die illo, ſcilicet quo ſuſcitabitur*: & *id quoque futurum eſt*; quaſi dicat: Et præſentem, & futuram familiam excidet. Alii: *Qui exſcindet domum Ieroboam quæ hodie eſt: quid vero ſi iam?* ſimplicius eſt, *Et quid?* ſubaudi dico, ipſo tempore quo regnum capeſſet? etiam nunc, id eſt iam iam, brevi excidet. Hiſpanicus Interpres: *Que talarà la caſa de Ieroboam en eſte dia: y que ſi ahora*, vel *en eſta hora?*

V. 15. ET PERCUTIET DOMINUS ISRAELEM. Notant ſignificari, ſeu prophetari, infelicem & calamitoſum ſtatum regni Iſraelitici a Iarobhamo uſque ad finem. SICUT MOVERI SOLET ARUNDO IN AQUA. Quidam: *Agitans, quemadmodum agitatur arundo in aqua*. Exponunt: Id eſt, perpetuis motibus civilibus & externis divexans, ut tota illius regni hiſtoria docet. Alii putant id referri ad vagam & inſtabilem Regum Iſraelis promotionem, qui non ex certa & ſtabili familia, ut Reges Iehudæ ex domo Davidis; ſed nunc ex hac, nunc ex alia familia aſſumebantur. ET EVELLET ISRAEL; vel *eradicabit*, *extirpabit*, *Iſraelem*. Vide Deuteronom. XXIX. 28. Id factum ſub Hoſeha filio Elæ per Salmanaſſarem II. Reg. XVII. ET VENTILABIT EOS. Verbo זרה *zur* omnia iſta ſubſunt: *Et comprimet, conſtringet, contrahet, diſpergetˌ alienabit, ventilabit, eos*: quod ſane diſperſioni decem tribuum apprime convenit. TRANS FLUMEN. Hebr. *de trans, ultra, fluminiˌ* Euphratem intelligit, in Aſſyriam, Meſopotamiam, & Mediam. Vide II. Reg. XVII. 6. 23. & 24. QUIA FECERUNT ... LUCOS. De his lucis vide Deuteronom. VII. verſ. 5. & cap. XII. verſ. 2. Sic infra verſ. 23.

V. 16. PROPTER PECCATA IEROBOAM. Hebr. *In devolutione peccatorum Iarobhami*; id eſt, quia devoluta fuere peccata Iarobhami in ipſum Iſraelem, qui abreptus eſt idololatria Iarobhami, eius impietatem ſecutus. Vel *in involutione, obvolutione peccatorum Iarobhami*; id eſt, eius peccatis involutum, innexum exponet deſolationi. Vide ſimilem locutionem Geneſ. XII. verſ. 13.

V. 17. IN THERSA. Hebr. *in Tirtzah*. Vide de hac urbe in Joſue, XII. 24. Fuit regia Regum Iſrael ante extructam Samariam: videtur fuiſſe inſignis, amœna, voluptuoſa, pulchra, gratiola, ex notione nominis, quod indicatur Canticor. VI. 2. Tremellius, & Iunius annotant; ad Euphratem ſitam fuiſſe, non procul a Thapſacho, e II. Reg. XV. 16. ſed abſurdiſſime, cum a Samaria contra orientem tribus tantum leucis diſtaverit.

V. 18. QUEM LOCUTUS EST, ſupra verſ. 13.

V. 19. IN LIBRO VERBORUM DIERUM, id eſt in actis publicis, annalibus, chronicis, diariis Regum Iſrael. Vide ſupra cap. XI. verſ. 41. Sic infra verſ. 29.

V. 20. VIGINTI DUO ANNI; quorum ultimum quidam volunt in regno filii primum numerandum eſſe.

V. 21. NOMEN AUTEM MATRIS EIUS NAAMA AMMANITIS. Notant, hic, & in fine capitis memorari matrem Rechabhami, quod idololatriæ ipſius auctor poſt regni triennium fuerit. Vide II. Paralipom. XI. verſ. 17. Quod ipſa gentilis Hammonithis fuerit. Significat autem נעמה *naghamah*, *amœnam*, *iucundam*, *gratam*, *acceptam*, *pulchram*, *ſpeciоſam*. Vide Ruth I. 2.

V. 22. ET FECIT IUDAS MALUM. Obſervant id cœpiſſe anno quarto Rechab-

chabhami, ut apparet ex II. Paralipom. XI. verſ. 17. & infra verſ. 25.

V. 24. SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA. Hebr. ſingulare pro plurali. Quidam: *Fuerunt etiam ſcorta maſcula in terra*: alii, *Catamiti*: nonnulli, *Meritorii pueri*: aliqui non tam recte: *Et etiam ſcortator fuit in terra*. Vide de hac voce Deuteronom. XXIII. 13.

V. 25. IN QUINTO AUTEM ANNO, &c. Vide hanc hiſtoriam latius explicatam II. Paral. XII. SESAC REX AEGYPTI. Hebr. שישק *Schuſchak*, vel שישק *Schiſchak*, nam eſt duplex lectio. Fuit is proculdubio ad quem fugit Iarobhamus; ſupra cap. XI. verſ. 40. Secundum rationes Euſebianas vocatus hic fuit *Smendes*, ſive *Semendes*; iuxta vero Africani rationes ex Manethone, *Suſennes*. Putant aliqui fuiſſe eum de quo Diodorus Siculus Lib I. cap. LIX. ſcribit: *Secundum AEgypti legislatorem Safychen memorant, virum intelligentia præſtantem, qui ad priores leges cum alias adiecit, tum quæ ad deum religionem, & honores pertinent, accuratiſſime ordinavit. Hic & Geometriam invenisſe, & ſidera contemplandi & obſervandi rationem populares docuiſſe fertur*. Verum cum Diodorus Safychen ante Seſoſtrium ponat, qui hæc Roboami tempora longe antecesſit, nihil ad noſtrum Seſakum pertinere videtur.

V. 26. SCUTA QUOQUE AUREA, QUAE FECERAT SALOMON: ſynecdoche; id eſt, ducenta illa ſcuta aurea, & trecentas peltas aureas, de quibus ſupra cap. X. verſ. 16. & 17.

V. 27. DUCUM SCUTARIORUM. Hebr. *Principum, præfectorum, curſorum*; ſeu *viatorum, apparitorum, ſtatorum, ſatellitum, prætorianorum, ſtipatorum*, qui ſtipabant Regem, erantque corporis cuſtodes expediti, ac celeres ad officia præſtanda, ſic verſ. 28. Vide I. Samuel. XXII. verſ. 17. & II. Samuel. XV. verſ. 2.

V. 28. CUMQUE INGREDERETUR REX IN DOMUM DOMINI. Hebr. *Et fuit de ſufficientia veniendi Regem domum Iehovæh*. Quidam: *Fuit autem a tempore intrandi Regem*, vel *quo ibat Rex, domum Iehovæ*. Alii: *Etatque, ex quo veniebat Rex in domum Iehovæ*. Nonnulli: *Et factum eſt, ut quoties ingrederetur Rex in ædem Iehovæ*. Proprie: *Ex ſufficientia veniendi Regem*; id eſt, toties quoties, plene, ſufficienter, veniebat Rex, &c. AD ARMAMENTARIUM SCUTARIORUM. משא, *ta*, voce conſentiente, exponunt, *ad thalamum, cubiculum, conclave*, ſcilicet *deſignatum & circumſcriptum*; alii, *ad procœtonem*, ſive *excubitorium, curſorum*, ſeu *ſtipatorum*, Regis.

V. 30. FUITQUE BELLUM, &c. Hunc verſum alii ita reddunt: *Etiam bellum quod fuit inter Rechabhamum & Iarobhamum omnibus diebus eorum*; ſubaudi, nonne ſcriptum eſt in Libro chronicorum Regum Iehudæ? e præcedenti verſu. Sic infra cap. XV. verſ. 7.

V. 31. NOMEN AUTEM MATRIS EIUS NAAMA AMMANITIS. Iterum refricat memoriam matris Rechabhami; vel quod ea auctor fuerit idololatriæ filii, utpote ethnica Ammonitis, idolorum cultui dedita; vel quod alioqui mulier clara & inſignis forma fuerit; vel aliis facinoribus tunc nota, quæ nobis ſunt in occulto.

MENOCHII.

Verſ. I. AEGROTAVIT ABIA FILIUS IEROBOAM. LXX. cap. XII. huius libri, ubi hanc referunt hiſtoriam, uxorem Ieroboam Ano appellant.

V. 2. COMMUTA HABITUM, NE COGNOSCARIS. Verebatur ſcilicet ne Propheta, grata potius quam vera dicturus eſſet, ut Dionyſius, Hugo, & Vatablus notarunt. Vel contra timuit, ne propter ſcelera mariti aſperius obiurgaretur, aut etiam inaudita dimitteretur. Voluit etiam profectionem hanc uxoris clam populo inſtitui, ne ſi ille animadverteret Regem ad Domini Prophetas in neceſſitatibus confugere, idolorum vanitatem ſatis intelligeret. Nec ut reſponſum ferret erat neceſſe ut Prophetæ quænam eſſet aperiret: ſatis erat ſi diceret ſe mulierem quamdam eſſe, quæ ægrotum haberet filium: avere ſe ex ipſo cognoſcere, quid de eius ſalute ſperandum eſſet, aut timendum.

V. 3. TOLLE IN MANU TUA DECEM PANES, &c. Ad Prophetam enim ſine munere indice benevolentiæ, & gratitudinis non adibant, ut patet ex I. Reg. IX. 7. *Ecce ibimus: quid feremus ad virum*

rum Dei? CRUSTULAM. LXX. habent *Collyridas filiis eius, & uvas. Collyridas* ſacer textus alibi *tortas panis* vocat, aut *placentas*. Reſpondent Italorum buccellatis panibus, quos Romani vocant *ciambelle*.

V. 4. ABIIT IN SILO. Locus erat in tribu Ephraim inclytus ob diutinam in illo arcæ commorationem.

V. 9. ME PROIECISTI POST CORPUS TUUM, poſt tergum tuum.

V. 10. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide dicta I. Reg. XXV. num. 22. CLAUSUM, ET NOVISSIMUM IN ISRAEL. In Hebræo eſt עצור ועזוב *hatſur veatſub*; quarum vocum prima clauſum, ſecunda vero derelictum ſignificat. Noſter Interpres IV. Reg. XIV. 26. vertit *clauſos carcere & extremos*. Deuter. vero XXXII. 36. *clauſos, & reſiduos*. Hac formula dicendi ſignificatur nihil ex tota poſſeſſione, aut domo, ſive vile, ſive pretioſum fuerit; ſive clauſum & cuſtoditum, ſive derelictum & abiectum; a prædatione, & direptione tutum fore. Rabbi Ioſeph illud Deuter. XXXII. 36. *Clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt*, ita explicat: *Non erant opes quæ domi clauduntur, neque pecudes quæ in agro relinquuntur*. RELIQUIAS DOMUS, filios, poſteros. SICUT MUNDARI SOLET FIMUS USQUE AD PURUM: ut ſolet fimus, aut ſtercus penitus eradi e pavimento domus, & eiici, ne viſum, aut nares offendat.

V. 13. INVENTUS EST SUPER EO SERMO BONUS A DOMINO. Non pueri bonitatem ſignificat, ſed in illum miſericordiam Dei, cui viſum fuerat permittere ut puer hic in ſepulturam, qua alii carituri erant, inferretur.

V. 14. REGEM QUI PERCUTIET. Is fuit Baaſa, cui favit Dominus ut Rex fieret, eique populum conciliavit, ut Dei vindictam in Roboamum exerceret. IN HAC DIE, ET IN HOC TEMPORE. Putat Abulenſis quæſt. XXVI. hoc ipſo die quo Propheta vaticinatus eſt contra Ieroboam, cœpiſſe Baaſæ coniurationem, quæ tamen in rem deduci non potuit niſi poſt aliquot annos. Caietanus exiſtimat ſententiam eſſe: tam promptam fore divinam ultionem, ut etiam qui hac ipſa die, & hoc tempore in vivis eſſent, in eam ipſimet calamitatem venturi eſſent.

V. 15. ET PERCUTIET DOMINUS, &c. Quoniam populus ſe Regis impietati facilem præbuerat, & obſequentem, prædicit Propheta fore ut captivi in Aſſyrios transferantur, poſtquam diu, multumque in patria ſua, quaſi arundo in aqua, inteſtinis ſeditionibus, & bellis fuerint agitati. VENTILABIT EOS. Hebr. *Diſpergет eos*. FLUMEN, Euphratem.

V. 16. TRADET ISRAL, in manus Aſſyriorum.

V. 17. VENIT IN THERSA. LXX. vocant *Sariram*. Videtur *Therſa* fuiſſe regia civitas ante Samariam conditam.

V. 18. PLANXIT ILLUM: iuſta funebria perſolvit. IN MANU... AHIAE, per Ahiam.

V. 19. QUOMODO PUGNAVERIT, contra Roboam: nam, ut dicitur cap. ſeq. num. 6. *bellum fuit inter Roboam & Ieroboam omni tempore vitæ eius*. IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM ISRAEL, in annalibus Regum Iſrael, qui non extant. Vide Prolegom.

V. 21. NAAMA AMMANITIS, quæ quia patrios errores non plane exuerat, illos filio videtur affricuiſſe.

V. 22. SUPER OMNIBUS; id eſt, in omnibus imitantes quæ ab illorum patribus Iudicum tempore fuerant perpetrata.

V. 23. ARAS, ET STATUAS, altaria, & idola.

V. 24. EFFEMINATI, *ſcorta maſcula*, ut vertit Vatablus. Hæc impudens turpitudo variis temporibus Hebræorum rempublicam fœdavit. Vide IV. Reg. XXIII. 7. Iſai. II. 6. & II. Mach. IV. 12. Nec contra temperantiam tantum erat hoc ſcelus, ſed etiam contra religionem: nam effeminati iſti certo cuipiam dæmoni, Veneri verbi cauſa, aut Priapo conſecrati erant. Vide Fabrum Lib. III. ſemeſtr. cap. III. GENTIUM QUAS ATTRIVIT, &c. Chananæorum ſcilicet.

V. 25. ASCENDIT SESAC REX AEGYPTI, &c. Quæ belli cauſa fuerit, non expreſſit Scriptura, nec eſt facile divinare, cum inter Roboam & Seſac affinitas intercederet, nam Seſachi pater filiam Salomoni dederat uxorem, quæ erat Roboami noverca. Probabile Seſac regni amplificandi ſtudio arma ſumpſiſſe, aut etiam Ieroboami ſuaſu, quo cum erat affinitas, ut notat Salian. anno Roboami 5. num. 3.

V. 26.

V. 26. THESAUROS DOMUS DOMINI, aurum templi, & pretioſam eius ſupellectilem. SCUTA AUREA, de quibus ſupra x. 16. Vide ibi dicta.

V. 27. FECIT ROBOAM SCUTA AEREA. Non neglexit Roboam quæ ad pompam ſuam pertinebant, & fortaſſe etiam aliquam curam poſuit in templi ſupellectili reparanda. TRADIDIT EA IN MANUM DUCUM SCUTARIORUM. LXX. habent: *Et præpoſiti ſunt ſuper ea duces præcurſorum.*

V. 28. CUM INGREDERETUR REX IN DOMUM DOMINI. Ex hoc patet Roboamum non plane & palam divinum cultum deſeruiſſe, nec illum in ſuo regno prohibuiſſe.

V. 29. IN LIBRO SERMONUM DIERUM REGUM IUDA; qui liber non extat.

TIRINI.

Verſ. 2. DIXIT IEROBOAM UXORI SUAE. Cum enim de certo puero conſulendus eſſet Propheta, occultato patris nomine, non poterat commodius quam per matrem citra ſuſpicionem conſuli, hac, vel ſimili forma: Quære, obſecro, a Domino, an filius meus, qui morbo pene exſtinguitur, ab illo liberandus ſit.

V. 3. TOLLE DECEM PANES ET CRUSTULAM. LXX. *Collyria*; Chald. *Placentas*: ET VAS MELLIS. Et plebeias iſtas ac ruſticas delicias defer Prophetæ, quo facilius ipſi imponas, puteque te ruſticam eſſe: nam ſi perſona tua ipſi innoteſceret, aut nulla, aut non niſi dura reſponſa ab illo (pluſculum mihi ob idolatriam irato) referres. Quin & in urbe Silo, etſi meæ tribus Ephraimiticæ oppido, mihi tamen, ſeu propter ſpretam a me arcæ iſtic olim aſſervatæ religionem, ſeu propter ſancti Prophetæ ibi commorantis, & populum in vero Dei cultu continentis præſentiam, non ſatis addicto, periculum tibi, ſi innoteſceres, immineret, ne minus honeſte quam regium nomen & dignitatem deceat, a populo tractareris.

V. 10. CLAUSUM, ſcilicet carcere *a*; vel arcium, & urbium muris quantumvis altis & validis, ut dixi Deuteron. XXXII. 36. Proverbialis eſt ſermo, quo ſignificatur, omnia prorſus deletum iri, etiam illa quibus alias parci ſolet, ut ſolet plebeculæ, canibus, captivis, qui arma adverſa non tulerunt: item in arce vel urbe munita degentibus, quibus ſolet a victore honeſtis conditionibus ultro tutus exitus concedi. Aſt hic nulli prorſus de familia Ieroboam parcitum iri affirmat. Simili phraſi dicit Iſaias IX. 14. *Diſperdet Dominus caput & caudam, incurvantem & refrenantem*; id eſt, tam ſummos quam infimos, tam robuſtos quam infirmos. ET MUNDABO RELIQUIAS DOMUS, ſeu familiæ, IEROBOAM, SICUT MUNDARI SOLET FIMUS USQUE AD PURUM; id eſt, mundabo regnum Iſrael a poſteris Ieroboami, non ſecus quam ſolet ancilla munditiæ ſtudioſior mundare domum ſuam a fimo: quem, quia aſpectu fœdus, & odoratu gravis eſt, ad ultimum uſque pulviſculum everrit. En regiam ſtirpem Ieroboami comparat Deus fimo & ſtercori, utpote idololatria aliiſque ſceleribus fœdatam. Porro ad litteram penitus ſic everſam fuiſſe, patet ex cap. ſeq. verſ. 29. ubi Baaſa *percuſſit omnem domum Ieroboam: non dimiſit ne unam quidem animam de ſemine eius, donec deleret eam, iuxta verbum Domini in manu ſervi ſui Abiæ Silonitis.*

V. 17. UXOR IEROBOAM ABIIT CUM HOC TRISTI NUNTIO IN THERSA. Hic nempe, relicta Sichem, fixerat Iſraelitici imperii ſedem Ieroboam, ubi & manſit, donec ab Amri ædificata Samaria ſedes eo translata fuit, ut dicetur cap. XVI. verſ. 24. & 29. Fuiſſe autem Therſa civitatem eximiæ amœnitatis, etiam ante hæc tempora, vel inde colligo quod Salomon Cantic. VI. verſ. 3. pulchritudinem ſponſæ perinde comparet cum Therſa, atque cum Ieroſolyma. Nam ubi Vulgatus habet: *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora ſicut Ieruſalem*: pro *ſuavis*, in Hebræo eſt *ſicut Therſa.*

V. 24. SED ET EFFEMINATI FUERUNT. Id eſt, non tantum ſeminarum, ſed & (pro pudor!) etiam maſculorum proſtibula inſtituere Iudæi, & quidem publica, & ex ſpurciſſimo vicinarum gentium ritu, in honorem idolorum ſuorum, quibus ſolebant utriuſque ſexus mercede proſtituti emporia variis in locis conſti-

tui, ut dixi Deuteron. XXIII. quæ Ieroſolymis paulo poſt evertit Aſa Rex, ut habes cap. ſeq. verſ. 12. & rurſus Joſias, IV. Reg. XXIII. verſ. 7. ubi deſtruxiſſe dicitur ædiculas effeminatorum, quæ erant etiam in domo Domini. Porro ad tantas ſordes, tantamque impietatem pellexiſſe Roboamum, (& cum eo univerſum regnum Iuda) creditur impia illius mater Naama Ammanitis; idque regni Roboami anno 3. finiente, ut habetur II. Paralip. XI. verſ. 17.

(a) IV. Reg. XIV. verſ. 26.

GORDONI.

Verſ. 3. DECEM PANES, ET CRUSTULAM. Exiguum munus, ut ſic magis fingeret ſe eſſe plebeiam. Vulg. *Cruſtula*; at LXX. *Collyria*; Hebr. *Punctata* vocat, נקד *nakkod*; Chald. *Placentas* vocat. Illud *punctatum* deſignat artificium piſtoris: cetera perſpicua ſunt. Nota hic verſ. 14. dilectionem Dei virtute includere obſervationem mandatorum.

V. 10. MINGENTEM AD PARIETEM; ac ſi diceret, Uſque ad canem, aut rem viliſſimam. USQUE AD PURUM: donec nihil ſuperſit.

V. 14. & 15. IN HAC DIE, ET HOC TEMPORE: brevi id futurum eſt. TRANSFLUMEN, Euphratem; quaſi diceret: Parum eſt hoc de morte filii: tranſmigrationem denuntio, & alia.

V. 25. De hoc Seſac ſpoliatore, vide II. Paralipom. cap. XII. Aliqui Seſoſtrem eſſe putant, de quo, poſt Herodotum, Ioſephus Lib. VIII. cap. IV.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Diſſimulat mulier, ne cognita ut uxor Ieroboam, repelleretur.

V. 4. SILO, locus in tribu Ephraim celebris, quod ibi diu manſiſſet arca.

V. 10. CLAUSUM, abſconditum. RELIQUIAS, filios vel poſteros.

V. 13. SERMO BONUS, miſericordia, ne careat ſepultura.

V. 14. Hic vindex erit Baaſa.

V. 16. TRADET, in manus Aſſyriorum.

V. 17. THERSA, forte regia erat ante Samariam: a Septuag. vocatur *Satira*.

V. 19. PUGNAVERIT, ex cap. XV. verſ. 6. LIBRO. Hi annales non extant.

V. 22. & 23. Notat maxime tempora ſub Iudicibus.

V. 25. Seſac ſic voluit regnum ſuum amplificare. Scriptura non exprimit cauſam rapinæ huius, & violatæ affinitatis.

V. 29. Nec hic liber extat.

CAPUT XV.

Impio Abiæ Regi Iudæ ſuccedit pius filius Aſa, qui adverſus Baſan Regem Iſrael præliatur, impetrato a Benadad Rege Syriæ auxilio. Aſa morienti ſuccedit filius Ioſaphat: at Baaſa Nadab filium Ieroboam cum univerſa cognatione occidit, & pro eo regnat ſuper Iſrael viginti quatuor annis, impius poſt impium.

1. IN octavo decimo anno regni Ieroboam filii Nabat, regnavit Abiam ſuper Iudam. 2. Tribus annis regnavit in Ieruſalem: (a) nomen matris eius Maacha filia Abeſſalom. 3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris ſui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris eius. 4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Ieruſalem, ut ſuſcitaret filium eius poſt eum, & ſtatueret Ieruſalem: 5. eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei

cun-

cunctis diebus vitæ ſuæ, (*b*) excepto ſermone Uriæ Hethæi. 6. Attamen bellum fuit inter Roboam & Ieroboam, omni tempore vitæ eius. 7. Reliqua autem ſermonum Abiam, & omnia quæ fecit, nonne hæc (*c*) ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? Fuitque prælium inter Abiam & inter Ieroboam. 8. Et dormivit Abiam cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in civitate David: (*d*) regnavitque Aſa filius eius pro eo. 9. In anno ergo vigeſimo Ieroboam Regis Iſrael regnavit Aſa Rex Iuda, 10. & quadraginta & uno anno regnavit in Ieruſalem. Nomen matris eius Maacha, filia Abeſſalom. 11. Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater eius: 12. & abſtulit effeminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres eius. 13. Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco eius, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum eius, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron: 14. excelſa autem non abſtulit. Verumtamen cor Aſa perfectum erat cum Domino cunctis diebus ſuis, 15 & intulit ea, quæ ſanctificaverat pater ſuus, & voverat in domum Domini, argentum & aurum, & vaſa. 16. Bellum autem erat inter Aſa & Baaſa Regem Iſrael, cunctis diebus eorum. 17. (*e*) Aſcendit quoque Baaſa Rex Iſrael in Iudam, & ædificavit Rama, ut non poſſet quiſpiam egredi vel ingredi de parte Aſa Regis Iuda. 18. Tollens itaque Aſa omne argentum & aurum, quod remanſerat in theſauris domus Domini, & in theſauris domus regiæ, * dedit illud in manus ſervorum ſuorum: & miſit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, Regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens: 19. Fœdus eſt inter me & te, & inter patrem meum & patrem tuum: ideo miſi tibi munera, argentum & aurum: & peto ut venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baaſa Rege Iſrael, & recedat a me. 20. Acquieſcens Benadad Regi Aſa, miſit principes exercitus ſui in civitates Iſrael, & percuſſerunt Ahion, & Dan, & Abeldomum Maacha, & univerſam Cenneroth, omnem ſcilicet terram Nephthali. 21. Quod cum audiſſet Baaſa, intermiſit ædificare Rama, & reverſus eſt in Therſa. 22. Rex autem Aſa nuntium miſit in omnem Iudam, dicens: Nemo ſit excuſatus. Et tulerunt lapides de Rama, & ligna eius, quibus ædificaverat Baaſa, & extruxit de eis Rex Aſa Gaba Beniamin, & Maſpha. 23. Reliqua autem omnium ſermonum Aſa, & univerſæ fortitudines eius, & cuncta quæ fecit, & civitates quas extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? Verumtamen in tempore ſenectutis ſuæ doluit pedes. 24. Et dormivit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in civitate David patris ſui. (*f*) Regnavitque Ioſaphat filius eius pro eo. 25. Nadab vero filius Ieroboam regnavit ſuper Iſrael anno ſecundo Aſa Regis Iuda: regnavitque ſuper Iſrael duobus annis. 26. Et fecit quod malum eſt in conſpectu Domini, & ambulavit in viis patris ſui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael. 27. Inſidiatus eſt autem ei Baaſa filius Ahiæ de domo Iſachar, & percuſſit eum in Gebbethon, quæ eſt urbs Philiſtinorum: ſiquidem Nadab & omnis Iſrael obſidebant Gebbethon. 28. Interfecit ergo illum Baaſa in anno tertio Aſa Regis Iuda, & regnavit pro eo. 29. Cumque regnaſſet, (*g*) percuſſit omnem domum Ieroboam: non dimiſit ne unam quidem animam de ſemine eius, donec deleret eum, iuxta verbum Domini, (*h*) quod locutus fuerat in manu ſervi ſui Ahiæ Silonitis, 30. propter peccata Ieroboam, quæ peccaverat, & quibus peccare fecerat Iſrael: & propter delictum, quo irritaverat

taverat Dominum Deum Iſrael. 31. Reliqua autem ſermonum Nadab, & omnia quæ operatus eſt, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael? 32. Fuitque bellum inter Aſa, & Baaſa Regem Iſrael, cunctis diebus eorum. 33. Anno tertio Aſa Regis Iuda, regnavit Baaſa filius Ahiæ, ſuper omnem Iſrael, in Therſa, viginti quatuor annis. 34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael.

(a) II. Paralip. XIII. 1. (b) II. Reg. XI. 4. (c) II. Paralip. XVII. 1. (d) II. Paralip. XIV. 2. (e) II. Paralip. XVI. 1. (f) II. Paralip. XVII. 2. (g) Infra XXII. 21. (h) Supra XIV. 20.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 18. *Dedit illud in manus*. Non eſt præponenda coniunctio &.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. REGNAVIT, id eſt cœpit regnare.

V. 2. ABESSALOM. II. Paralip. XI. dicitur *Abſalom*.

V. 3. CUM DOMINO, id eſt coram Domino. Chald. *in timore Domini*.

V. 4. LUCERNAM; quaſi dicat, Filium Regem. STATUERET, id eſt ſtabiliret, ſcilicet in priſtino ſtatu Regum Iuda.

V. 5. SERMONE, id eſt negotio, ſcilicet cæde. Peccavit quidem etiam in aliis, ſed id graviſſimum fuit, & plenum nequitia.

V. 6. EIUS, ſcilicet Roboam.

V. 10. MATRIS, id eſt aviæ, apud quam velut matrem fuerat educatus. Sic proxime dicitur David pater. Vide ſupra num. 2. ubi hæc dicitur mater Abiæ patris Aſæ.

V. 12. EFFEMINATOS, id eſt ſcorta maſcula. PURGAVITQUE. Hebr. *Abſtulit*.

V. 13. PRINCEPS. Hebr. *Regina*; quaſi dicat: Ne regnum gubernaret. Chald. *Amovit de Regno*. IN SACRIS. Hebr. & Chald. *Quia fecerat ſimulacrum*.

V. 14. EXCELSA, id eſt altaria in locis editis in Dei cultum facta ante exſtructum templum. NON ABSTULIT. Forte non potuit, aut putavit poſſe permitti. Hieronymus contra Pelag. dicit eum in hoc erraſſe. Hebr. *Non ſunt ablata*.

V. 16. SANCTIFICAVERAT, id eſt dedicaverat ad Dei cultum, ſcilicet in gratiarum actionem pro victoria parta, ſed in idololatriam lapſus non dederat.

V. 17. RAMA. Nomen arcis, ab altitudine ſic dictæ. EGREDI, VEL INGREDI: ſcilicet prohibuit tranſitum, ne quis ab Aſa venire poſſet, aut ad illum ire.

V. 19. INTER PATREM, ſcilicet fuit; quaſi dicat, Antiquum eſt.

V. 20. ABELDOMUM MAACHA. Hebr. *Beth-Maacha*. LXX. *Domus Maacha*. OMNEM SCILICET. Hebr. Chald. & LXX. *Et omnem*.

V. 21. REVERSUS EST. Sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *Manſit*.

V. 22. EXCUSATUS, ſcilicet quin veniat.

V. 25. DUOBUS ANNIS, ſcilicet *pacificis*, ut quidam interpretantur.

V. 27. DOMO, id eſt tribu.

V. 28. TERTIO, ſcilicet bellorum contra Iſrael, ut quidam aiunt.

ESTII.

Verſ. 4. SED PROPTER DAVID DEDIT EI DOMINUS DEUS LUCERNAM IN IERUSALEM, UT SUSCITARET FILIUM EIUS POST EUM. Quotieſcumque in Scriptura dicitur Deum propter David aliquod beneficium præſtitiſſe poſteritati eius; exempli gratia, ſucceſſionem filiorum in regnum, defen-

sionem vel liberationem ab hostibus, religionis conservationem: non tantum significatur talia Deum præstare, propter promissionem Davidi factam, quomodo fere hæretici exponunt; sed propter promissionem factam, occasione meritorum Davidis; vel, quod in idem recidit, propter merita Davidis, quorum considerationе Deus talia promiserat. Et quod ille sit sensus, patet ex præsenti loco Scripturæ. Cum enim dixisset, *Propter David*, explicans quid sit illud, subiungit: *Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus*,

V. 5. EXCEPTO SERMONE URIAE HETHAEI; id est, excepto facinore quod commisit adversus Uriam Hethæum, uxore eius per adulterium abutendo, & ipsum interficiendo.

Sed, inquies, quomodo excepto hoc sermone non declinavit a præceptis Domini, cum etiam alibi graviter peccasse legatur: nempe in numeratione populi, & in sententia iniuste lata contra Miphiboseth? Respondeo: Scriptura nominat hic solum peccatum illud in Uriam, ut in quo gravissime peccasset, & quod nullam mereretur, vel etiam admitteret excusationem: videlicet quia post adulterium commissum de industria, & deliberato consilio, etiam curavit occidi innocentem. Alia vero eius peccata aliquam excusationem admittunt. Nam sententia contra Miphiboseth imprudenter & præcipitanter fuit prolata, re non diligenter examinata, & accessit aliquo modo consensus Miphiboseth. In populi quoque numeratione non putabat David initio se peccare, sed postea, ut Scriptura loquitur, percussit eum cor suum.

V. 13. INSUPER ET MAACHAM MATREM SUAM AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS IN SACRIS PRIAPI. Plus aliquid in Hebræo, & apud Septuaginta habetur, fere hoc modo: *Inſuper & Maacha matrem ſuam amovit, ne eſſet domina ſeu princeps, eo quod feciſſet lucum ipſi Priapo*, id est turpi illi & obscœno idolo. Sensus ergo est: Prohibuit Asa Rex, ne vel ipsius mater deinceps ullam auctoritatem haberet disponendi de negotiis publicis, eo quod obscœnum illud idolum fovisset.

MARIANAE.

Vers. 2. NOMEN MATRIS EIUS MAACHA, scilicet Abdiæ Regis Iuda. Matris eius meminit, quoniam nequam erat, vers. 13. FILIA ABESSALOM. Hic quis fuit? Vatablus respondet, Filius Salomonis. Verum id non constat ex sacris litteris, & fortasse Absalom Davidis filius fuit. Sed Maacha aliquot annis maior viro suo Roboam. Sane qui hic vocatur *Abeſſalom*, II. Paralip. XI. vers. 21. vocatur *Abſalom*, etiam Hebr. Fuit ergo mater Abiæ Regis Iuda filia Absalom.

V. 4. PROPTER DAVID DEDIT EI DOMINUS DEUS SUUS LUCERNAM IN IERUSALEM, id est regnum, quod lucerna ab splendore vocatur, & quoniam Reges lucis instar subditis esse debent. ET STATUERET IERUSALEM, scilicet ut regni caput esset.

V. 10. NOMEN MATRIS EIUS MAACHA, scilicet Asa Regis Iuda. Avia mater vocatur, nam fuit uxor Roboam; sed & David vocatur pater eius vers. 11. qui fuit atavus.

V. 12. ABSTULIT EFFEMINATOS. Scorta mascula abstulit Asa. UNIVERSAS SORDES IDOLORUM. Hebr. *Gbilulim*, *idola*, *ſimulacra*, *abſtulit*. Ad hæc Maacham matrem

V. 13. AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS IN SACRIS PRIAPI. Hebr. non est *In ſacris Priapi*, sed illud tantum, *Amovit Maacham a principe*; id est, ne esset princeps, ne ullam auctoritatem haberet in regno. ET IN LUCO EIUS, QUEM CONSECRAVERAT. Hebr. *Quæ fecit idolum ad lucum*, id est in luco; sed *idolum*, *mipblezeth* vocatur a terrore, quod colentibus metum faciat. Hieronymus *Priapi idolum* putavit, quod terrorem incuteret ab insolenti indecoraque effigie: ideo in hortis custos ponebatur. Sept. *Sicut fecit ſynodum in luco ſuo*, id est conventum, ubi post sacrificia turpitudini vacabant: in luco, propter loci opacitatem. SUBVERTITQUE SPECUM EIUS, ET CONFREGIT SIMULACRUM TURPISSIMUM. Hebr. *Et excidit Aſa idolum eius*, scilicet Maacha.

V. 14. EXCELSA AUTEM NON ABSTU-

TULIT, id eſt aras diis dicatas. Fortaſſe non potuit. Hieronymus II. contra Pelag. in hoc eum erraſſe ait. Baaſa Rex Iſrael

V. 17. AEDIFICAVIT RAMA. Arcem in regni finibus poſuit. UT NON POSSET QUISQUAM EGREDI, VEL INGREDI DE PARTE ASA. Hebr. *Ut non daret egredientem & ingredientem ad Aſa*; id eſt, ut auferret ultro citroque commeandi ad Aſam Regem facultatem.

V. 18. QUOD REMANSERAT, ſcilicet argentum, & aurum. Aſa accepit quod remanſit, ex eo ſcilicet quod Seſac AEgypti Rex acceperat cap. XIV. verſ. 26. Vide aſtum quo Aſa eſt uſus: armis infidelis ſe tuetur contra Regem Iſrael: quitamen aſtus non probatur in Paral. Lib. II. XVI. 7. Sollicitavit Regem Syriæ contra Regem Iſrael. Syriæ copiæ percuſſerunt

V. 20. ABELDOMUM MAACHA, Sept. *Abel domus Maacha*. Chald. *Abel Beth-Maacha*, ut ſit loci nomen. Hebr. *& omnem Bethmaacha*. ET UNIVERSAM CENNEROTH. Hebr. *omnes Cenneroth*: nam *Cenneroth* eſt in plurali, a *Cinnereth*, unde *& lacus Geneſareth* vocatur *mare Cinnereth*. Eſt autem regio pinguiſſima propter lacum quo alluitur, diviſa in multas partes, quas *Cinneroth* vocat. OMNEM SCILICET TERRAM NEPHTHALI. Videtur Hieronymus *Cinnereth* ponere in tribu Nephthalim, ſed non ita eſt. Hebr. *Super omnem terram Nephthalim*, pro cum omni terra *Nephthalim*: ſic Hebr. Sept. & Chald. *Uſque ad omnem terram Nephthalim*. Itaque & Cinnereth percuſſit in tribum Nephthalim, quæ tribus Damaſco vicinior erat: ideo Hebraica ſimpliciſſime accipio. *Super tribum Nephthalim*; id eſt, præter eam percuſſit Cinneroth, & alia Benadad exercitus Regis Syriæ.

V. 21. REVERSUS EST. Sic Sept. at Hebr. & Chald. *Manſit, habitavit Baaſa in Therſa*.

V. 22. ASA NUNTIUM MISIT; id eſt, voce præconis denuntiavit. NEMO SIT EXCUSATUS. Hebr. אין נקי *an naki*, id eſt nullo dempto, ne ſponſo quidem, qui eodem verbo *naki* ab armis eximitur Deut. XXIV. verſ. 5. ſic Hebræus.

V. 23. DOLUIT PEDES, ſcilicet Aſa. *Egrotavit pedes ſuos*, pro ex pedibus. Sept. *Doluit pedes ſuos*. Chald. *Male habuit in pedibus ſuis*. Hoc eſt, podagra laboravit. Nadab Rex Iſrael fecit malum.

V. 27. INSIDIATUS EST AUTEM EI BAASA: ſic Sept. Chald. *Rebellavit*. Heb. *Coniuravit contra eum, cum aliis conſilio communicato*, ſcilicet iunctis viribus. DE DOMO ISSACHAR; id eſt, de tribu Iſachar fuit hic Baaſa.

V. 30. ET PROPTER (Nadab) DELICTUM. Baaſa interfecit Nadab. Heb. *In irritatione eius qua irritavit Dominum*. Hieronymus cauſam, id eſt peccatum, poſuit pro effectu, id eſt irritatione. Regnavit Baaſa.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ABIAM. Hebr. *Abiiam*. II. Paralip. XIII. verſ. 1. & ſeqq. *Abiiah*.

V. 2. MAACHA FILIA ABESSALOM. Hebr. *Mahacha filia Abiſalom*. Hic II. Paralip. XI. verſ. 21. vocatur *Abſalom*. At II. Paralip. XIII. 2. hæc mater Abiæ Regis, appellatur Michaiahu filia Urielis de Ghibhah, Saulis ſcilicet. Unde videntur ipſa & pater eius binomines fuiſſe. FILIA ABESSALOM. Notant, non fuiſſe hunc Abſalomum filium Davidis, nam eius liberi non ſupervixerunt, II. Samuel. XVIII. verſ. 18. ſed alterum, qui fuit de Ghibhah Saulis, alio nomine dictum Urielem, ſcilicet Bniaminitam, ut paulo antea e II. Paralip. XIII. 2. obſervabamus. Ioſephus VII. Originum, cap. VIII. de Abſalomo Davidis filio, ſcribit: *Natique ſunt ei filii tres, & una filia formoſiſſima* (Thamar) *quæ Solomonis filio Roboamo poſtea nupſit, & filium ei nomine Abiam peperit*: & Lib. VIII. cap. III. de Roboabo: *Qui cum ex priore matrimonio cognatæ cuiuſdam mulieris tres liberos ſuſcepiſſet, ſuperduxit poſtea cognatam aliam, Machaam e Thamare Abeſalomi filia primogenitam, ex qua Abiæ pater factus*, &c. Si non eſt in mendo Ioſephus, vides in eo manifeſtam pugnantiam. Videtur divinus Auctor hic ſingulariter meminiſſe Mahachæ matris Abiæ, quod mulier impia & idololatra, autrix impietatis filio fuerit. Vide infra verſ. 10.

V. 4. LUCERNAM IN IERUSALEM. Vide de hac locutione ſup. cap. XI. verſ. 36. Sequentia autem per exegeſin oſtendunt

dunt in quo consistat ista lucerna, nimirum in regno, & in religione.

V. 5. ET NON DECLINASSET AB OMNIBUS QUAE PRAECEPERAT EI, &c. Exponunt: Id est, neque omnia pictatis & iustitiæ officia lege imperata depositisset, præterquam in re Uriæ Chithæi: nam Uriæ facto in totam legem peccavit; sed ex infirmitate, non autem elata manu, & proiecta audacia totus effusus est ad peccandum in Spiritum sanctum.

V. 6. VITAE EIUS, scilicet Rechabhami: nam ei supervixit Iarobhamus.

V. 7. IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM IUDA. Vide supra cap. XIV. vers. 19. & 29. Sic infra vers. 23. & 31. FUITQUE PRAELIUM INTER ABIAM ET INTER IEROBOAM. Quidam reddunt: *Fuit, inquam, bellum inter Abiam & Ierobham*. Alii: *Tum bellum confectum inter Abiamum & Iarobhamum*. Nam sic accipiendum verbum *fuit* hoc loco, ex II. Paralipom. XIII. 3. & seqq. colligunt, ubi illud bellum confectum narratur; quasi dicat: Tum bellum illud paratum inter Abiam & Ieroboam, quod late describitur II. Paralip. XIII. nonne descriptum extabat in chronicis, seu actis publicis Regum Iehudæ? sic sup. cap. XIV. vers. 30.

V. 9. IN ANNO ERGO VIGESIMO IEROBOAM. Exponunt, In anno vigesimo completo: nam Nadab Iarobhamo successisse scribitur anno secundo Asæ, infra vers. 25. Regnavit autem Iarobham 22. annos, sup. cap. XIV. vers. 20.

V. 10. NOMEN MATRIS EIUS. Omnes fere exponunt, Aviæ eius: nam fuit uxor Roboam, mater Abiæ, supra vers. 2. Aliqui hanc diversam ab illa statuunt, voluntque Roboamum, & Abiam duxisse duas sorores, filias eiusdem patris, & eiusdem nominis, quod puto ridiculum. Sic infra vers. 13. Notant, adiectum id in laudem Asæ, qui cum educatus fuerit apud aviam, quæ erat mulier impia, & cultrix idolorum, nihil tamen impietatis hausit, aut imbibit, quæ alioqui puerilitæ facile instillari solet.

V. 12. ET ABSTULIT EFFEMINATOS. Hebr. *Catamitos, scorta masculа, meritorios pueros*: de quibus sup. cap. XIV. vers. 24.

V. 13. AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS. גְּבִירָה *ghebirah, ne esset superior*: *prævalida, princeps, præpotens, hera, domina, augusta*. Vide supra cap. XI. vers. 19. id est, dignitate Reginæ, & potestate eam privavit. Aliqui substantive capiunt, *A principatu, superioritate, dominio*. Observant, hæc omnia summatim sine temporum distinctione, de administratione & gestis Asæ referri, quæ planius in sua tempora distribuuntur, II. Paralip XIV. XV. & XVI. capitibus. IN SACRIS PRIAPI, ET IN LUCO EIUS, QUEM CONSECRAVERAT. Hebr. *Quæ fecit Miphletzeth, luco*, vel *pro luco*, aut *in luco*. Aiunt מִפְלֶצֶת *miphletzeth* proprie significare *tremorem, horrorem*; & Spiritum sanctum hoc nomine vocare idolum, quod tremorem incutiat conscientiis; seu quod horrorem, & tremorem incutiat colentibus: nam idololatræ sua numina cum maximo honore, & tremore animi, ac trepido metu corporis & membrorum venerantur: vel quod adducat horrendas calamitates suis cultoribus. Varie hic reddunt. I. *Quæ fecerat terriculum, horriculum, terriculamentum pro luco*. II. *Quia fecerat tremorem pro luco*. III. *Quia fecerat horrendum idolum*, vel *horrendam statuam in luco*. Forsan hæc femina Tremori aut Horrori tamquam deo aram consecraverat in luco. Nam Tullus Hostilius Romanorum Rex Pallori ac Pavori fana dedicavit, ut scribit Livius Lib. I. cap. XXVII. & S. Augustinus Lib. IV. de Civitate Dei cap. XXIII. Lactantius Lib. I. cap. XX. Pavorem deum quoque fecerunt Corinthii, ut auctor est Pausanias in Corinthiacis, num. 47. Lacedæmones Timorem deum coluisse affirmat Plutarchus in Cleomene. Quidam annotant, *miphletzeth* dictum idolum per contemptum, quasi inane terriculamentum. Nonnulli Hebræorum componunt ex פלא *phala*, & לוץ *lutz*, quasi esset idolum deformitate mirandum, quod risum spectantibus præberet: quod in Priapum mirifice congruit, qui pingebatur forma pudendissima, & ridiculosissima, præsertim ab AEgyptiis: de qua re vide Giraldum syntagmate VIII. de diis gentium. Alioqui Risui Deo fanum construxere Lacedæmonii, auctor Plutarchus in Cleomene. Aliqui hypallagem hic observant: *Quæ fecit Horriculum luco*, seu *pro luco*; pro, fecit lucum pro Horriculo, seu ipsi

Horriculo conſecravit lucum ipſi idolo. Aliqui: *Fecit horriculum cum luco*. Notant, etiam idolum hic appellari *Tremorem* vel *Horrorem*; ut etiam Ieremiæ L. verſ. 38. idola vocantur אימים *emim*, id eſt *terrores*. ET CONFREGIT SIMULACRUM TURPISSIMUM. Hebr. *Et ſuccidit Aſa Horriculum*; id eſt, ſucciſum contrivit, comminuit, ut exponitur II. Paralip. XV. verſ. 16. Synecdoche.

V. 14. EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT. Hebr. *Et excelſa non diſceſſerunt, non deſiterunt, non ſunt amota, ſublata*. Notant quidam, Aſa omnia excelſa, id eſt altaria, ſeu ſacella in editis locis, quæ erant idolis conſecrata, evertiſſe; quæ autem in honorem Dei extra templum, reliquiſſe; cum debuiſſet in univerſum omnia altaria, fana, ſacella, evertere, ne alibi fierent ſacrificia quam in loco a Deo præſcripto, nempe in templo Salomonis. Vide de his Excelſis I. Samuel. IX. 12. S. Hieronymus Lib. II. adverſus Pelagianos: *In hoc erravit, quod excelſa non abſtulit: quæ Ezechiam, & Joſiam legimus abſtuliſſe*. Vide II. Paralip. XIV. verſ. 3. CUM DOMINO. Quidam, *Erga Iehovam*; id eſt, erga cultum eius, quamvis vitam reliquam huic ſtudio non conformaverit.

V. 15. ET INTULIT EA QUAE, &c. Verbatim hunc verſum nos ex Hebr. reddidimus (*Et venire fecit ſanctitates patris ſui, & ſanctitates domus* IHUH: *argentum & aurum, & vaſa*.) Alii ſic: *Et retulit res patris ſui, & res conſecratas a ſe, in domum Iehovæ, argentum, & aurum, & inſtrumenta*.

V. 16. BELLUM AUTEM ERAT INTER ASA ET BAASA. Quidam reddunt: *Quamobrem bellum fuit inter Aſam & Bahſam*, &c. id eſt, cum Bahſa videret Aſam religionem inſtauraſſe, & multos in ſuo regno ad Aſam defeciſſe, ut in fœdus Dei convenirent. Vide II. Paralip. XV. verſ. 8. & ſequentibus. Sic inf. verſ. 33.

V. 17. ET AEDIFICAVIT RAMA. Hebr. *Ramoh*. Urbs erat in tribu Biniamin, de qua vide Comm. in Ioſue XVIII. verſ. 25. UT NON POSSET QUISPIAM EGREDI, VEL INGREDI DE PARTE ASA REGIS IUDA. Quidam reddunt: *Ne permitteret egredientem, & ingredientem ad Aſa Regem Iehudah*; id eſt; ut prohiberet ne quiſpiam ab Aſa egredi poſſet, aut Aſam adire. Alii: *Nec dedit commeatum ad Aſam Regem Iehudæ*. Nonnulli: *Ne ſineret ad Aſam Regem Iehudæ egredi, aut regredi quemquam*. Nimirum ut ſuorum defectionem impediret, & iter ad ſolicitandos ſuos præcluderet.

V. 18. QUOD REMANSERAT IN THESAURIS, &c. nimirum a temporibus Roboami, poſt expilationem Seſaki Regis AEgypti. Vide ſupra cap. XIV. verſ. 26. FILII HEZION. Hebr. *Chezion*. Putant ſorte hunc eſſe qui ſupra cap. XI. verſ. 23. dicitur *Razon*.

V. 19. ET INTER PATREM MEUM, ET PATREM TUUM. Notant, patrem ſeu avum iſtius, adverſarium fuiſſe temporibus Salomonis, ſupra cap. XI. verſ. 25. at non diutius: poſtea autem diviſo regno, utriſque fœderatum fuiſſe.

V. 20. ET PERCUSSERUNT AHION, ET DAN, ET ABEL DOMUM MAACHA, ET UNIVERSAM CENNEROTH, OMNEM SCILICET TERRAM NEPHTHALI. Hebr. *Et percuſſit Hiionem, & Danem, & Abel Beth-Mahachah, & omnem Chineroth ſuper omnem terram Naphthali*. Iſtud hemiſtichium ita quidam explanant: Id eſt, percurrens ſuperiorem tractum Aſeris, Danis, & Naphthali, uſque ad fines Menaſeh ſtragem edidit: nam Hiion Aſeris, Dan Danitarum, Abel-Mahaca, Menaſitarum, Cinereth Naphthalitarum erat. *Ahion*. Hebr. יון *Ghiion*. Hanc urbem quidam divinant fuiſſe in tribu Aſer: alii in tribu Naphthali. Coniectura eſt ad Aquilonem terræ ſanctæ orientaliorem & propiorem Syriæ fuiſſe: quæ primum exercitibus inde venientibus occurreret, ut ex hoc loco, & II. Reg. XV. verſ. 29. apparet. Libet interpretari *oculatem, conſpicuum*; vel *fontanam*, a copia fontium. DAN. De ea vide Geneſ. XIV. verſ. 14. & Ioſue XIX. verſ. 47. *Abel domum Maacha*. Hebr. *Abel Beth-Mahachah*. De hoc loco vide II. Samuel. XX. verſ. 14. *Et univerſam Cenneroth*. Hebr. plurale eſt, *Et totas Chinnerothas*. Quidam, *Et totum tractum Cinnereth*. De *Chinneroth* vide in Ioſue XI. verſ. 2.

V. 21. ET REVERSUS EST IN THERSA. Hebr. *Et habitavit, conſedit, manſit in Thirtzah*; id eſt, continuit ſe in urbe re-

regia Thirtzah. De qua vide ſupra XIV. verſ. 17. & inf. verſ. 33.

V. 22. NUNTIUM MISIT IN OMNEM IUDAM. Hebr. *Audire fecit omnem Iehudah*. Quidam: *Congregavit, conclamavit, convocavit, omnem Iehudam*. Alii: *Promulgavit, divulgavit, voce præconis edixit, in toto Iehudah*, vel *per univerſum Iehudah*. ET MASPHA. Hebr. *Mitzpheh*: illam Biniaminicam, de qua Ioſue XIX. verſ. 26.

V. 23. DOLUIT PEDES. Hebr. *Aegrotavit ad pedes ſuos*, vel *ex pedibus ſuis*. Invaſit eum morbus podagræ anno triceſimo nono regni ſui, ut dicitur II. Paral. XVI. verſ. 12. & tribus ultimis annis regni, & vitæ ſuæ eo conflictatus occubuit: quare nihil fortiter geſſit.

V. 23. DUOBUS ANNIS. Biennio non integro, ſed imperfecto, ut oſtendit verſ. 28. & 33.

V. 27. GEBBETHON. Heb. *Ghibethon*. Fuit oppidum ſortis Dan, Ioſ. XIX. verſ. 44. quod Peliſthæi tenebant, & oppidum muniverant, quod nunc oppugnabat Nadab, ut eis illud eriperet, & ditioni Iſraelitarum reſtitueret. Vide infra cap. XVI. verſ. 15.

V. 29. QUOD LOCUTUS FUERAT, &c. ſupra cap. XIV. verſ. 10. & ſeqq.

V. 32. FUITQUE BELLUM INTER ASA ET BAASA, &c. ut ſup. verſ. 16.

V. 33. VIGINTI QUATUOR ANNIS. Quorum, inquiunt, primus, & ultimus imperfecti ſunt: nam primus etiam Nadabo anteceſſori, & ultimus Elæ filio communis eſt.

MENOCHII.

Verſ. 2. MAACHA FILIA ABESSALOM, ſive Abſalom: LXX. enim, & Joſephus paſſim pro *Abſalom* dicunt *Abeſſalom*. Non eſt autem hic Abſalom Davidis filius, ſed alius, qui etiam dictus eſt *Uriel*, & fuit ex Gabaa in tribu Beniamin, ut habemus II. Paral. III. 2. ubi etiam Maacha *Michaia* appellatur.

V. 4. LUCERNAM IN ISRAEL. Vide dicta cap. XI. num. 38. STATUERET ISRAEL: *ſtare faceret Ieruſalem*, ut vertit Pagninus: ſtabiliret regnum Iuda.

V. 5. EXCEPTO SERMONE URIAE HETHAEI. In aliis etiam peccavit David, ut in cenſu populi; III. Reg. XXIV. in propoſito delendi funditus domum Nabal Carmeli, I. Reg. XXV. Communis Interpretum explicatio eſt, alia peccata, quæ a Davide patrata ſunt, eius eſſe ordinis ac gradus, ut cum hoc peccato cædis Uriæ comparata, peccata quodammodo exiſtimari non debeant. Ita Abulenſis quæſt. III. Hugo, Lyranus, Dionyſius, & Caietanus. Addit Sanchez, Davidem in peccato cum Bethſabee diu hæſiſſe, in aliis vero non item: itaque ratione etiam diuturnitatis ceteris gravius fuit.

V. 12. DAVID PATER EIUS, id eſt abavus.

V. 12. ABSTULIT EFFEMINATOS DE TERRA: extremo ſupplicio affecit, id enim ſignificat ea phraſis: ut cum David interfici iuſſit Baanab, & Recha ficarios, *Quanto magis*, inquit, *auferam vos de terra?* Quinam appellentur effeminati, dictum eſt ſuperiori cap. num. 4.

V. 13. MAACHAM MATREM SUAM, &c. qua in primis nitebatur fœdiſſima ſuperſtitio: illam vero amovit ne publici pudoris appetens, domeſticam diſſimularet inſamiam. SIMULACRUM TURPISSIMUM, ſcilicet Priapi.

V. 14. EXCELSA NON ABSTULIT. Abulenſis, quæſt. X. XIII. & XIV. ait, Aſa abſtuliſſe excelſa omnia, ſuccidiſſe lucos, &c. nam II. Paralip. CXLII. dicitur: *Subvertit altaria peregrini cultus, & excelſa, & confregit ſtatuas, lucoſque ſuccidit*. Cum autem dicitur hoc loco *excelſa non abſtulit*, ſermo eſt de fanis, quæ ad montem Oliveti fabricaverat Salomon, quæ multis poſt annis diruit Joſias, IV. Reg. XXIII. COR ASA PERFECTUM ERAT CUM DOMINO, &c. quod ſcilicet ad religionem attinet: nam alioqui II. Paralip. XVI. 10. narratur illum Prophetam adverſa nuntiantem in vincula conieciſſe, quod a culpa vindicari non poteſt. Peccavit etiam ſpem in gentilium auxiliis collocando, & in illis advocandis non profanas tantum, ſed ſacras etiam divitias erogando. Præterea medicis nimium fidendo cum podagra laboravit, II. Paralip. XVIII. 12.

V. 15. INTULIT EA QUAE SANCTIFICAVERAT PATER SUUS, &c. Ex Hebræo vertit Vatablus: *Et intulit ſanctificationes patris ſui, & ſanctificationes ſuas in domum Domini*. Sententia eſt, perſolvi-

se Asam ea quæ voverat pater eius, nimirum in magno illo rerum suarum discrimine, cum pugnavit contra Ieroboam, ut ait Abulensis quæst. XVII. in fine. Intulit etiam sanctificationes suas: nam propriam etiam liberalitatem adiecit, vovit enim Domino diversa donaria, quæ & cumulate persolvit.

V. 16. CUNCTIS DIEBUS EORUM, ex quo scilicet bellare cœperunt inter se usque ad mortem Baasæ: nam Asa post illius interitum adhuc multis annis regnavit.

V. 17. ASCENDIT QUOQUE BAASA, &c. Therasa nimirum, quæ erat sedes regni eius, ut dicitur hoc eodem cap. num. 33. AEDIFICAVIT RAMA. Rama ad tribum Beniamin pertinebat, eratque in regno Iudæ vicina Anathoth, & Bethlehem, &, ut ait Iosephus, distabat Ierosolymis stadiis quadraginta. Non tamen novam urbem condidit, sed communivit, & muro circumdedit, ut habetur II. Paral. XVI. 1. UT NON POSSET QUISPIAM EGREDI, VEL INGREDI, &c. Vidit Baasa opportunitatem loci Rama, ut ea communita præsidioque in ea impositio, aditum omnem Iudæis obstrueret ad Israelitas, & reditum inde ad suos, ex quo etiam loco crebris excursionibus regnum Iuda impune fatigaturi erant.

V. 18. OMNE ARGENTUM, ET AURUM QUOD REMANSERAT, &c. Vel Sesac omnes omnino thesauros non abstulerat, vel fidelium pietas subinde multa suppeditaverat, ex quibus thesaurus coaluerat, iis etiam additis, quæ illi victoriæ aliquot contra Baasa, & AEthiopas pepererant. Porro culpa non caruit Asa thesauros domus Dei tradens Regi infideli, cum necessitate non premeretur, &, si Deo fideret, victoriam esset reportaturus. FILII HEZION REGEM SYRIAE. Videtur hic Hezion fuisse Razon ille, qui fuit adversarius Salomoni, ut supra dictum est III. Reg. XI. 23.

V. 19. INTER PATREM MEUM ET PATREM TUUM, Abiam videlicet, & Tabremon.

V. 20. ACQUIESCENS BENADAD REGI ASA, &c. Venalem habuit Syrus fidem, & pecuniam fœderi antetulit, ratus ibi ius esse, ubi merces plurima. PERCUSSERUNT AHION, &c. Sieque factum est ut Benadad geminam prædam ab Hebræis acciperet, a volentibus alteram, alteram ab invitis.

V. 21. INTERMISIT AEDIFICARE RAMA: ut nimirum periclitanti regno suo opem ferret.

V. 22. NEMO SIT EXCUSATUS, quin operi manum admoveat. EXTRUXIT.... GABAA BENIAMIN; id est, instauravit, & communivit Gabaa Beniamin, in qua prius habitaverat Saul. MASPHA, quam olim celebraverat Samuel.

V. 23. DOLUIT PEDES: podagra laboravit.

V. 27. OBSIDEBANT GEBBETHON. Causam huius belli cum Philisthæis facer textus nullibi expressit.

V. 28. INTERFECIT ILLUM BAASA. Cum Nadab in obsidione urbis occisus sit, dicendum quoque est eum insepultum proiectum, cæli avibus prædam fuisse, iuxta prophetiam Ahiæ Silonis III. Reg. XIV. num. 11.

TIRINI.

Vers. 2. MAACHA FILIA ABESSALOM, seu *Absalomi*, ut dicitur II. Paralip. XI. 21. qui Davidi parenti suo rebellis fuit; licet S. Hieron. *a* velit hæc de alio Absalomo intelligi. Huic erat filia proprio nomine *Thamar*, II. Reg. XIV. 27. sed cognomine *Maacha*, quod videtur filiæ primogenitæ in regno Gessur fuisse commune seu appellativum. Nam & mater Absalomi, II. Reg. III. 3. & filia hic, & neptis, infra vers. 10. *Maacha* singulæ vocantur.

V. 5. EO QUOD NON DECLINASSET David AB OMNIBUS QUAE PRAECEPERAT EI, EXCEPTO SERMONE, seu facto, URIAE HETHAEI. An ergo non peccavit David cum neci destinavit universam familiam Nabal? I. Reg. XXV. 34. Non peccavit, cum tanta crudelitate sæviit promiscue in Ammonitas, ut super prostratos, *circumageret ferrata carpenta*, & *cultris*, & *serris*, & aliis inusitatis tormentis miseros discruciaret? II. Reg. II. vers. ultimo. Non peccavit dinumerando populum contra divinum præscriptum II. Reg. XIV. quo tot millibus hominum exitium creavit? Nonne vers. 10. palam ipse de se fatetur, *Peccavi valde in hoc facto?*

Quo-

Quomodo ergo dicitur hic non peccaſſe, niſi in *Uria Hetheo*? Reſpondeo, Deum hic loqui, & iudicare more humano, quo peccata non cenſentur quæ honeſto aliquo prætextu, vel virtutis ſaltem apparentis velamine conteguntur: ſupponendum enim bene fieri quæ non conſtat manifeſte mala eſſe. Cum ergo ſævitia Davidis exercenda in Nabalitas, & exercita in Ammonitas tegmine iuſtæ vindictæ, numeratio populi, prætextu religioſi tributi pro templo conſtruendo, velarentur, non cenſebantur paſſim ab hominibus peccata, ſaltem gravia: quare nec Deus vult illa paſſim evulgare ut talia, contentus ſuo iudicio, propriæque peccantis conſcientiæ, talia cenſeri, & ut talia puniri. Sed adulterium cum Bethſabee, & infanda cædes innocentis Uriæ, quia nullo virtutis velamine, nullo honeſto prætextu tegi vel excuſari poterant, paſſim ab omnibus hominibus, ideoque etiam palam hic a Deo, tamquam enormia ſcelera Davidi impinguntur: adeòque & hæc ſola illi impinguntur, quia reliqua omnia quæ vel publice, vel privatim peccavit, honeſto prætextu, ut dixi, poterant coram hominibus a peccato & culpa graviore excuſari.

V. 7. NONNE HAEC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM IUDA? Erant iſti libri quaſi annales & faſti publici, e quibus in libros Paralipomenon plurima translata ſunt, & ad nos devenerunt; cetera temporum iniuria perierunt. Sic quod hoc ipſo verſu vix tangitur, *Prælium inter Abiam & Ieroboam*, fuſe explicatur II. Paralip. XIII. dicunturque cæſa ex Ieroboami exercitu ſupra *quingenta millia virorum fortium*.

V. 13. Rex Aſa MAACHAM MATREM SUAM, filiam ſeu neptem Abſalomi, AMOVIT, utique cum ignominia, NE diutius ESSET PRINCEPS & antiſtes IN SACRIS PRIAPI. Neque ſolum ab hoc ſpurciſſimo principatu ſemovit impiam matrem pius Rex, ſed & ob eamdem ſpurcitiam exuit illam regia dignitate, ut habetur hic in Hebræo, & II. Paralip. XV. 16. Noſter etiam Vulgatus, *Maacham*, inquit, *matrem Aſa Rex auguſto depoſuit imperio, eo quod feciſſet in luco ſimulacrum Priapi*. De quo vide quæ dixi Numeror. XXV. 1.

(*) Hieronym. in Trad. Hebr.

GORDONI.

Verſ. 2. TRIBUS ANNIS REGNAVIT IN IERUSALEM. Hic Rex componitur cum anno 18. Ieroboam; & Aſa ſucceſſor cum anno 20. Ieroboam, ex verſ. 9. ergo non tribus annis, ut dicitur verſ. 2. ſed duobus tantum regnavit: verum Scriptura interdum inchoatum annum numerat, interdum integrum.

V. 5. ET NON DECLINASSET, &c. Præter mortem Uriæ peccavit in aliis quibuſdam David; ſed hoc refertur ut gravioris momenti delictum, contra virtutis rationes varias, & æſtimatione populi quaſi unicum.

V. 10. NOMEN MATRIS Regis Aſa in Iuda, fuit Maacha. Sane hæc fuit uxor Roboam, ac proinde avia Regis Aſa; ſed ut avus pro patre, ita avia pro matre nominari ſolet: immo verſ. 11. David vocatur pater eius.

V. 14. De excelſis vide quæ dixi ſupra Lib. III. cap. 111. Delevit quidem excelſa II. Par. cap. XIV. non tamen omnia: nempe quæ ſuſtulit e monte Oliveti Ioſias Lib. IV. cap. XXIII.

V. 16. Bellum fuit inter hos: at II. Paralip. XV. 19. & XVI. 1. negatur fuiſſe bellum uſque ad annum trigeſimum ſextum. Reſpondent aliqui non quidem fuiſſe pacem, tamen anno trigeſimo ſexto ventum eſt ad apertum bellum, quando ut hic dicitur verſ. 17. Baaſa ædificavit Ramam; unde ſecutum fœdus cum Benadab, &, ut dicitur II. Paral. XVI. initio. Acciderunt hæc anno trigeſimo ſexto. At quis eſt ille annus trigeſimus ſextus? Sane, ut quod probabilius eſt dicam, numerantur illi anni ab initio regni Iudaici, mortuo Salomone: alioqui Baaſa qui cœpit anno tertio Aſæ, & tantum regnavit vigintiquatuor annis, non pervenit ad annum trigeſimum ſextum Aſæ, ut recte Salian. ad an. 3095.

V. 27. AEDIFICAVIT RAMA, in finibus regni: ſic prohibebat tranſitum, ne quis ad Regem Iuda tranſiret. Sed non ſucceſſit res, uti mox narratur.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

V. 2. Abessalom fuit ex tribu Beniamin, ex Gabaa, II. Paral. III. verſ. 2. *V.* 5. Intulit. Pater aliqua voverat, iam ea perſolvit filius, & ſua etiam, quæ ipſemet voverat, donaria obtulit.

CAPUT XVI.

Iehu prophetat Regis Baaſa & domus ipſius ſubverſionem, cui mortuo, ſuccedit filius Ela, quem impius Zambri occidit, eoque regnum invadente elegit Iſrael Amri, quo impio regnum obtinente, Zambri ſe cum domo regia ſuccendit: mortuo autem Amri ſuccedit filius impiiſſimus Achab, qui Iezabel duxit uxorem, & eius tempore reædificatur Iericho.

1. Actus eſt autem ſermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baaſa, dicens: 2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſrael, tu autem ambulaſti in via Ieroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, ut me irritares in peccatis eorum: 3. ecce ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus eius: & faciam domum tuam ſicut domum Ieroboam filii Nabat. 4. (*a*) Qui mortuus fuerit de Baaſa in civitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli. 5. (*b*) Reliqua autem ſermonum Baaſa, & quæcumque fecit, & prælia eius, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael? 6. Dormivit ergo Baaſa cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt in Therſa: & regnavit Ela filius eius pro eo. 7. Cum autem in manu Iehu filii Hanani Prophetæ verbum Domini factum eſſet contra Baaſa, & contra domum eius, & contra omne malum quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum ſuarum, ut fieret ſicut domus Ieroboam: ob hanc cauſam occidit eum, † hoc eſt Iehu filium Hanani, Prophetam. 8. Anno vigeſimo ſexto Aſa Regis Iuda, regnavit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael in Therſa duobus annis. 9. Et rebellavit contra eum ſervus ſuus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Therſa bibens, & temulentus, in domo Arſa præfecti Therſa. 10. (*c*) Irruens ergo Zambri, percuſſit & occidit eum, anno vigeſimo ſeptimo Aſa Regis Iuda, & regnavit pro eo. 11. Cumque regnaſſet, & ſediſſet ſuper ſolium eius, percuſſit omnem domum Baaſa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos eius. 12. Delevitque Zambri omnem domum Baaſa, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baaſa in manu Iehu Prophetæ, 13. propter univerſa peccata Baaſa, & peccata Ela filii eius, qui peccaverunt, & peccare fecerunt Iſrael, provocantes Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis. 14. Reliqua autem ſermonum Ela, & omnia quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael? 15. Anno vigeſimo ſeptimo Aſa Regis Iuda, regnavit Zambri ſeptem diebus in Therſa: porro exercitus obſidebat Gebbethon urbem Philiſthinorum. 16. Cumque audiſſet rebellaſſe Zambri, & occidiſſe Regem, fecit ſibi Regem omnis Iſrael Amri, qui erat princeps militiæ ſuper Iſrael in die illa 17. ca-

caſtris. 17. Aſcendit ergo Amri, & omnis Iſrael cum eo, de Gebbethon, & obſidebant Therſa. 18. Videns autem Zambri quod expugnanda eſſet civitas, ingreſſus eſt palatium, & ſuccendit ſe cum domo regia: & mortuus eſt 19. in peccatis ſuis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Iſrael. 20. Reliqua autem ſermonum Zambri, & inſidiarum eius, & tyrannidis, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael? 21. Tunc diviſus eſt populus Iſrael in duas partes: media pars populi ſequebatur Thebni filium Gineth, ut conſtitueret eum Regem: & media pars Amri. 22. Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui ſequebatur Thebni filium Gineth: mortuuſque eſt Thebni, & regnavit Amri. 23. Anno trigeſimo primo Aſa Regis Iuda, regnavit Amri ſuper Iſrael, duodecim annis: in Therſa regnavit ſex annis. 24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: & ædificavit eum, * & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam. 25. Fecit autem Amri malum in conſpectu Domini, & operatus eſt nequiter, ſuper omnes qui fuerunt ante eum. 26. Ambulavitque in omni via Ieroboam filii Nabat, & in peccatis eius quibus peccare fecerat Iſrael: ut irritaret Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis. 27. Reliqua autem ſermonum Amri, & prælia eius quæ geſſit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael? 28. Dormivitque Amri cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Samaria: regnavitque Achab filius eius pro eo. 29. Achab vero filius Amri regnavit ſuper Iſrael anno trigeſimo octavo Aſa Regis Iuda. Et regnavit Achab filius Amri ſuper Iſrael in Samaria viginti & duobus annis. 30. Et fecit Achab filius Amri malum in conſpectu Domini, ſuper omnes qui fuerunt ante eum. 31. Nec ſuffecit ei ut ambularet in peccatis Ieroboam filii Nabat: inſuper duxit uxorem Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum. Et abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum. 32. Et poſuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, 33. & plantavit lucum: & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſrael, ſuper omnes Reges Iſrael qui fuerunt ante eum. 34. (*d*) In diebus eius ædificavit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filii Nun.

(*a*) Sup. XIV. 11. (*b*) II. Paralip. XVI. 1. (*c*) IV. Reg. IX. 32. (*d*) Ioſ. VI. 26.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 24. *Et vocavit nomen civitatis quam extruxerat, nomine Semer domini montis Samariam.* Et hic præferendus eſt caſus acuſativus *Samariam*, rectus a verbo *vocavit*, genitivo *Samaria*, recto ab altero nominum ſubſtantivorum proximorum.

Lectionum Varietas.

V. 7. *Hoc eſt ubi filium Hanani, prophetam.* Hæc pericope poteſt ab Interprete eſſe addita explicationis cauſa, quamquam abſit a quibuſdam libris ſimiliter Hebræo, & Græco.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. PULVERE, id eſt ſtatu infimo.

V. 3. POSTERIORA, id eſt poſteritatem.

V. 4. REGIONE. Hebr. Chald. LXX. *Agro.*

V. 5. PRAELIA. Heb. Chald. & LXX. *Fortitudo:* ſic & infra.

V. 7. OB HANC CAUSAM. Hebr. Chald. & LXX *Et quia.* EUM, ſcilicet Nadab dominum ſuum, vel ipſum Baaſa, ſcilicet Deus ob peccata: nam illa, *Hoc eſt Iehu*, &c. non habentur Hebr. aut Chald. aut in LXX.

V. 8. VIGESIMO SEXTO, ſcilicet a cœptis bellis, & regni triginta ſex: decem enim annis pacifice regnavit. Vide II. Paralip. XVI.

V. 9. EQUITUM. Heb. Chald. & LXX. *curruum.* PRAEFECTI THERSA. Hebr. indicatur fuiſſe præfectum domus regiæ in Therſa.

V. 11. AMICOS, id eſt ſocios.

V. 18. EXPUGNANDA ESSET. Hebr. Chald. & LXX. *Expugnata* ſeu *capta eſſet.*

V. 19. IN PECCATIS SUIS. Hebr. Chald. & LXX. *Propter peccata ſua.*

V. 31. SERVIVIT BAAL. Videtur nomen proprium idoli, etſi quidam negant. Vide cap. XVIII.

V. 33. IN OPERE SUO. Hebr. Chald. & LXX. *Ut faceret*, ſcilicet peſſime; quaſi dicat: Auxit ſubinde peccata.

V. 34. PRIMITIVO, id eſt primogenito, ſcilicet vivente tunc, vel mortuo. NOVISSIMO, id eſt ultimo, ſcilicet ex omnibus filiis ſolo relicto, vel etiam mortuo. Vide Ioſ. VI.

ESTII.

Verſ. 7. CUM AUTEM IN MANU IEHU FILII HANANI PROPHETAE VERBUM DOMINI FACTUM ESSET CONTRA BAASA: OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM, HOC EST IEHU FILIUM HANANI, PROPHETAM. Senſus noſtræ lectionis eſt, quod Baaſa, vel filius eius Ela occidit hunc Prophetam, ob hanc cauſam, quia ex perſona Domini prædixerat familiæ eius ſubverſionem. Sed ſciendum eſt, poſtremum illud, *Hoc eſt Iehu filium Hanani, Prophetam*, in Hebræo non haberi, neque etiam in quibuſdam Latinis Mſſ. neque apud LXX. aut in Chaldæo. Sed in Hebræo, & apud Septuaginta, tantum legitur hoc modo: *Et quia percuſſit eum.*

V. 31. NEC SUFFECIT EI UT AMBULARET IN PECCATIS IEROBOAM FILII NABATH: INSUPER DUXIT UXOREM IEZABEL FILIAM ETHBAAL REGIS SIDONIORUM. Exaggerat Scriptura ſancta tam vehementer, quod Achab duxerit Iezabel uxorem, duas ob cauſas: primo, quod per eam ex malo factus ſit longe deterior; deinde, quod per eam ea fecerit quæ ipſe per ſe alioqui non videbatur facturus. Nam propter eam occidit Naboth innocentem, ut Iezabel eius potiretur vinea, item perſecutus eſt Eliam, & ceteros Prophetas Domini. Et ideo non ſine ratione Scriptura inter maxima peccata ponit, quod Achab duxerit uxorem falſo cultui deditam, videlicet ex cuiuſmodi matrimonio maxima mala naſcantur, ut etiam ſupra oſtenſum eſt cap. XI. de Salomone.

MARIANAE.

Verſ. 3. DEMETAM POSTERIORA BAASA. Hebr. *poſteros Baaſa.* ET POSTERIORA DOMUS EIUS. Hebr. *& poſteros domus eius:* ſic cap. XIV. verſ. 10.

V. 4. IN REGIONE: Hebr. *in agro*: comedent eum volucres. Id Iehu iuſſu Dei.

V. 7. OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM: ſcilicet Baaſa occidit Iehu ipſum, uti proxima verba declarant. HOC EST IEHU FILIUM HANANI, PROPHETAM. Quæ verba ab Interprete ſunt addita, neque Hebr. ſunt, neque Græce, neque Chald. Et ſane Hebraica ſic habent: *Et propter quod occidit eum*: quod Hebræi referunt ad cædem Nadab, quam fecit

fecit Baasa; ut duplex sit causa ob quam Baasa punitur, & impius cultus, & occisio domini sui. Sed quomodo dicit *occidit eum*, scilicet Nadab, cuius nullam hic mentionem fecerat? Respondent, aut relativum sine antecedenti esse, aut *eum* referre Ieroboam hic positum, & Ieroboam dici occisum in morte filii Nadab.

V. 9. REBELLAVIT. Hebr. *Conspiravit*, Zambri contra Baasam. MEDIAE PARTIS EQUITUM. Hebr. *Mediæ partis curruum*: sic Sept. Chald. vero, *Unus e duobus præfectis curruum*. IN DOMO ARSA. *Arsa* nomen viri. PRAEFECTI THERSA. Hebr. *qui super domum Thersa*; sic Chald. id est procuratoris regiæ, quæ erat in Thersa. Zambri percussit domum Baasa,

V. 11. ET PROPINQUOS, ET AMICOS EIUS. Hebr. *Redemptores eius, & socios eius*. Sed *redemptores* vocat *propinquos*, qui in defuncti iura, vindictam, & coniugium succedebant. Amri consurgit contra Zambri.

V. 18. VIDENS AUTEM ZAMBRI QUOD EXPUGNANDA ESSET CIVITAS. Hebr. *capta*. INGRESSUS EST PALATIUM. In Hebr. additur, *Domum Regis*, aut *domus Regis*. ET SUCCENDIT SE CUM DOMO REGIA. Hebr. *Et incendit super se*, ut Septuaginta explicant, & Chaldæus. Aut *incendit super eum domum Regis*; id est, Amri incendit domum super Zambri: sic Hebræus Scholiastes.

V. 19. IN PECCATIS SUIS. Hebr. *Propter peccata sua occisus est Zambri*. Reliqua Zambri,

V. 20. ET INSIDIARUM EIUS, ET TYRANNIDIS. Hebr. *Et conspirationis eius qua conspiravit, in Libro dierum Regum Israel scripta sunt*. Regnavit Amri:

V. 24. EMITQUE MONTEM SAMARIAE. Amri fundavit Samariam, posuitque in ea sedem Regni Israelis, quæ antea erat in Thersa. Reliqua Amri,

V. 27. ET PRAELIA EIUS. Hebr. *Et fortitudinem eius*: sic Chald. Sept. *Et prælia eius scripta sunt*.

V. 30. SUPER OMNES QUI FUERUNT ANTE EUM, scilicet Reges, fecit malum Achab filius Amri. Idem de Amri dicitur vers. 25. Videtur locutio emphatica, sicut e contrario de sanctis dicimus: *Non est inventus similis illi*.

V. 31. NEC SUFFECIT EI. Hebr. *Et fuit leve ire in peccatis Ieroboam*. Superaddidit nimirum coniugium cum Iezabel, & cultum Baal.

V. 33. ET ADDIDIT ACHAB IN OPERE SUO. Hebr. *Et addidit*, sive *adiecit*, *ad faciendum*, *ad irritandum Dominum*. Tunc ædificata est Iericho. Id fecit

V. 34. HIEL DE BETHEL. Sic Sept. Hebr. *Hiel Bethhaelites*. Chald. *Hiel Bethmomo*. Achabo tribuitur peccatum factum in reædificatione Iericho, quod eo Rege fuerit commissum. Porro in maiori filio fundamenta posuisse, in minimo portas, quod est opus perficere, significat utriusque morte pœnas tunc luisse: sic Chald. Atque ita fore, prædictum erat Iosue VI. vers. 26.

MALVENDAE.

Vers. 3. ECCE EGO DEMETAM POSTERIORA, &c. De hoc versu, & sequente, vide supra cap. XIV. vers. 10. & 11.

V. 5. IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM ISRAEL? Vide supra cap. XIV. vers. 19. & cap. XI. vers. 41. Sic infra vers. 14. 20. 27.

V. 7. CUM AUTEM IN MANU IEHU, &c. Hunc versum Quidam iungunt cum quinto superiore, redduntque: *Quemadmodum etiam per Iehu filium Chanani Prophetam verbum Iehovæ fuerat contra Baaschaam, & contra domum eius, idque propter totum malum illud quod fecerat in oculis Iehovæ, quod provocasset eum operibus manuum suarum, quod esset similis domui Ieroboami: eo quod percussisset eum*. Subaudi: Nonne omnia hæc scripta sunt in libro chronicorum Regum Israelis? Accommodatio exitus istius Regis ac totius familiæ Baaschæ ad superiorem prophetiam Iehu, supra vers. 1. OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM, HOC EST IEHU FILIUM HANANI, PROPHETAM. Hebr. non sunt sex postremæ dictiones; sed tantum, *Et propter quod occidit eum*. Noster *eum* intellexit ipsum Iehu Prophetam, quem Baasa interfecerit, quod ei futura eius mala pronuntiaverit. Hebræi, & plerique alii, *eum*, Nadab filium Iarobhami, quem interfecerit Baasa, supra cap. XV. vers. 28. relativum sine antecedente expresso. Plerique, *eum*, Baasam: *Propter quod percussit eum*

Dominus, id eſt propter ſua prava opera. Vide Sixtum Senenſem Lib. II. Bibliothecæ, in Iehu.

V.8. ANNO VIGESIMO SEXTO ASA REGIS IUDA. Quidam exponunt: *Anno vigeſimo ſexto Aſæ Regis Iehudæ completo*: quo mortuus erat Bahaſa, & regnare cœperat Elah. DUOBUS ANNIS. Quidam, *Secundo anno* Elah, qui fuit vigeſimus ſeptimus Aſæ, infra verſ. 10. quaſi dicat: Vix dum elapſus erat ei annus primus, cum ad conſpirationem ventum eſt.

V. 9. PRAEFECTI THERSA. Hebr. *Qui ſuper domum in Thirzah*. Quidam: *Qui erat præfectus prætorio in Thirſah*. Videtur præfectus fuiſſe aulæ regiæ, quem *maiordomum* vocamus. Alii, Artza hic non nomen viri, ſed dei cuiuſpiam, aut idoli putant, exponuntque: *In domo*, ſeu *templo*, *Artza*, quæ domus ſeu templum *erat iuxta regiam in Thirtzah*. *Artza*, *terram*, ſeu *tellurem* ſignificat, quam deam Romani *Opem Conſivam* appellaverunt. Verum id alienum eſt.

V. 11. CUMQUE REGNASSET, ET SEDISSET SUPER SOLIUM EIUS, &c. Exponunt: Id eſt, ſeptiduo illo quo regnavit, quamvis perexiguo ſpatio, tamen vehementiſſime ac diligentiſſime totam illam familiam conturbavit. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide I. Samuel. XXV. verſ. 22. ET PROPINQUOS. Hebr. *Et vindices eius*, id eſt omnes qui eum cognatione aut conſanguinitate contingebant.

*V.*15. GEBBETHON. De quo vide ſupra cap. XV. verſ. 17.

*V.*18. ET SUCCENDIT SE CUM DOMO REGIA. Quidam reddunt: *Et combuſſit ſuper eum domum regiam*: ut Hamri combuſſerit Zimrim cum domo regia.

V. 22. MORTUUSQUE EST THERNI. Exponunt, Quarto demum anno poſt ſublatum Zimrim. Vide II. Paralipom. XXII. verſ. 2. ET REGNAVIT AMRI; id eſt, anno quinto, & ſequentibus regnum totius Iſraelis obtinuit.

V. 24. MONTEM SAMARIAE A SOMER. Vide Joſue XI. verſ. 1. DUOBUS TALENTIS, id eſt ſex mille ſiclis argenti, nimirum viginti quatuor millibus regalibus Caſtellanis.

V. 26. AMBULAVITQUE IN OMNI VIA IEROBOAM, &c. Hunc verſum quidam ita ex Hebr. reddunt: *Nam ambulavit in tota via Iarobhami filii Nebathi, & in ſingulis peccatis eius, quibus ad peccandum induxerat Iſraelem, ut provocaret Iehovam Deum Iſraelis*. Obſervant, duo notari hic mala quibus Hamri ſuperavit anteceſſores: unum, quod Regum & populi peccata minutatim perſcrutatus eſt, ut illis hæreret; alterum, quod conſulto & de induſtria Deum provocavit, cum ſuperiores non ita deſtinato conſilio, & deſperata malitia id feciſſent: nam decretis obſtrinxit populum, & ad idololatriam tyrannice coegit: quod teſtatur Michæas VI. verſ. 16.

V. 29. VIGINTI ET DUOBUS ANNIS. Explicant imperfectis: nam primus cum patre, ultimus cum filio communis fuit.

V. 30. SUPER OMNES QUI FUERUNT ANTE EUM. Vide infra cap. XXI. verſ. 25.

V. 31. NEC SUFFECIT EI UT AMBULARET IN PECCATIS IEROBOAM FILII NEBAT: INSUPER DUXIT UXOREM, &c. Nos verba Hebraica ordine reddidimus (*Et fuit, an levi factum fuit ambulare eum in erratis Iarobhami filii Nebat? & accepit viram*, &c.) Alii ſic: *Fuit enim (nonne leve habebatur ei ambulare in peccatis Iarobhami filii Nebati?) ut acciperet uxorem*, &c. Notant, parentheſin eſſe, & epiphonema; quaſi dicat: Quam parvi fecit iſte peccata priorum, qui novis illa cumulavit! Non ſat habuit imitari peccata anteceſſorum, ſed eos impietate ſuperavit. IEZABEL. Hebr. איזבל *Izebel*. Aliam nominis rationem expiſcari neſcio quam *infulæ cohabitatricem*: quod forte ei nomen inditum, quod filia eſſet Regis Tyriorum, & Sidoniorum, & Tyrus tunc infula ante Alexandrum. FILIAM ETHBA. אתבעל Hebr. ſignificat *apud*, vel *cum Baal*. De hoc Joſephus ex Phœnicum Annalibus, Lib. I. contra Apionem: *Itobalus Abſtharte ſacerdos, cum vixiſſet annis ſexaginta octo, regnavit annis triginta duobus*.

V. 32. ET POSUIT ARAM BAAL IN TEMPLO BAAL. Erat Bahal Deus Sidoniorum. Vide Numeror. XXII. verſ. 41. cuius cultum Achab uxoris Sidoniæ cauſa receperat.

V. 33. ET PLANTAVIT LUCUM. Vide Deuteronom. VII. verſ. 5.

V. 34.

V. 34. In diebus eius aedificavit Hiel de Bethel, Iericho. Quidam hunc versum ita reddunt: *Diebus eius ædificavit Chiel Beth-Elitha Ierichuntem: pretio Abirami primogeniti sui fundavit eam, & pretio Segubi natu minimi sui statuit fores eius, secundum verbum Iehovæ, quod locutus erat per Iehoschuam filium Numis*, nempe Iosue VI. 26. ac si dicat: Instauratio Ierichuntis stetit ei omnium filiorum suorum exitio, quos omnes amisit inter reædificandum, divinitus inflicto supplicio, quod interminatus fuerat Deus instauratori Iericuntis. Vide Iosue VI. vers. 6.

MENOCHII.

Vers. 1. Iehu filium Hanani. Aiunt Hebræi, non solum Iehu fuisse Prophetam, sed patrem quoque eius Hanani: & Abulens. in hoc cap. quæst. III. probabile putat hunc Hanani, qui hic memoratur, eumdem illum esse qui missus est ad Asa Regem Iuda arguendum minoris in Deum fiduciæ, II. Paral. XVI. 7.

V. 7. Posteriora, posteritatem, filios.

V. 8. Contra omne malum, in pœnam malorum, & scelerum. Occidit eum, Baasa Rex Iehu Prophetam.

V. 9. Rebellavit contra eum, &c. coniuravit, neque enim aperte se hostem professus est, ut proditorum more incantum, atque imparatum occuparet, ac facile obtruncaret. Dux mediae partis equitum. Chaldæus ait fuisse unum de duobus magistris curruum. Septuaginta quoque principem mediæ partis curruum vocant. Iosephus ὑπαρχον appellat, *ducem* sive *præfectum equitum*.

V. 11. Mingentem ad parietem. Vide dicta I. Reg. XXV. 12. Propinquos et amicos eius; a quibus sibi, & tyrannidi suæ timebat.

V. 13. Peccaverunt, et peccare fecerunt. Quod vel communiter intelligi potest eos exemplo, & auctoritate sua præivisse populo in colendis idolis; aut etiam iussionibus, & dictis, vel novorum idolorum, aut novarum ararum, lucorum, aut fanorum inductione idolatriam amplificasse, & roborasse.

V. 18. Expugnanda esset. Hebr. Chald. & Septuaginta, *Expugnata*, seu *capta esset*. Non licuerat Zambri per angustias temporis ea parare, quæ tolerandæ obsidioni necessaria erant. Succendit se cum domo regia, metuens ne si in hostium potestatem veniret, acerbissimis cruciatibus vexaretur. Putat etiam Abulens. quæst. XIII. invidia motum omnem regiam, eiusque opes incendio corrumpere voluisse, ne Amri, qui ei regnum eripiebat, iis potiri posset.

V. 19. Faciens malum coram Domino, &c. Non potuit ille septem dierum spatio speciem pietatis, aut impietatis, sicut immanis crudelitatis exhibere, sed de anteacta vita videtur Scriptura proferre sententiam, quandoquidem nulla apparuit emendatio, & finis parricidio, & desperatione plenus, præcedentem vitam, tametsi laude dignam, merito condemnaret.

V. 20. Insidiarum eius, in Baasa.

V. 22. Mortuusque est Thebni. Apparet non fuisse mortuum Thebni naturali morte, sed violenta, & quidem fortasse in prælio, quod indicat vox illa *Prævaluit*, quæ indicat antegressum certamen.

V. 24. Duobus talentis argenti. Talentum unum, ut alibi dictum est, tria siclorum millia continebat. Siclus vero unus quatuor Hispanicis regalibus æquivalebat. Nomine Semer, &c. Suspicatur Salianus magnam pretii partem a venditore remissam ea conditione, ut nomen suum extruendæ civitati daretur. Alioqui vile nimis pretium videretur, nec apparet causa cur non potius nomen conditoris acciperet.

V. 26. In vanitatibus suis, idolis, quæ vana sunt numina.

V. 31. Duxit uxorem Iezabel. In quo non solum peccavit contra legem vetantem ducere uxores alienigenas, quæ patriæ superstitioni adhærerent; sed quod eam mulierem duxerit, a qua plurimorum, & immanissimorum scelerum particeps factus est. Servivit Baal, ex Sidoniorum superstitione, ut significaretur uxori.

V. 33. In opere suo. Hebraice, Chaldaice, & Septuaginta, *Ut faceret*, scilicet pessime; quasi dicat: Auxit subinde peccata.

V. 34. Aedificavit Hiel, &c. Vide explicationem huius versiculi Iosue VI. num. 26.

TIRINI.

Verſ. 7. BAASA OCCIDIT IEHU FILIUM HANANI PROPHETAE. Ergo filium illius Prophetæ qui Aſæ Regi Iuda II. Paralip. XVI. duruma Deo nuntium attulit, propter quod & in nervum ab eo compactus eſt. Ita Abulenſis, Lyranus, Dionyſius, Hugo & Sanctius. Sed alius fuit hic Iehu, & alius Hanani ab illo Iehu, filio Hanani, II. Paralip. XIX. 2. qui multo poſt tempore occurrit Regi Ioſaphat. Neque novum, plures parentes cognomines habuiſſe filios quoque eiuſdem nominis. Ita Sanctius.

V. 18. SUCCENDIT SE Zambri CUM DOMO REGIA. Ita quoque Sardanapalum *a* feciſſe, tradit Iuſtinus, & exſtructa in palatio ingenti pyra, immenſas divitias una ſecum flammis abſumpſiſſe. Verum cur non gladio potius, aut reſte, aut veneno? Reſpondet Abulenſis: Ne cadaver in hoſtis poteſtatem veniret, & ludibrio afficeretur. Quod etiam Sylla exhorreſcens, teſte Cicerone *b*, primus omnium e familia Corneliorum, igni voluit cremari.

V. 24. Amri iam pacificus Rex Iſraelis, EMIT MONTEM SAMARIAE. Sic vocatur per prolepſim: ut & cap. X. verſ. 11. ſupra ex IV. Reg. XXIII. dixi, prophetam illum ſenem qui decepit Addonem Prophetam, de Samaria veniſſe, id eſt ex eo loco qui paucis poſt annis vocatus eſt Samaria, a poſſeſſore & domino illius loci, Somer, qui dicitur hic illum vendidiſſe Regi Iſraelis duobus talentis argenti, id eſt ſex millibus florenorum Belgicorum, ſeu duobus millibus aureorum nummorum *c*. Hanc urbem exeidit funditus Salmanaſſar Aſſyriorum Rex occiſo illius Rege ultimo Oſee, & incolis in exilium *d* abactis: ſed ſucceſſu temporis paulatim reſtauratam poſt varios alternantis fortunæ caſus, tandem Herodes Aſcalonita, teſte Ioſepho, Adrichomio *e*, & aliis, priſtino ſplendori reſtituit, ampliſſimo illam muro per 20. ſtadia *f* communiens, & præter innumera palatia, vaſtiſſimum in ea templum ponens nongentorum pedum, in honorem Auguſti Cæſaris: a cuius etiam nomine urbem ipſam vocari voluit Sebaſten, id eſt Auguſtam: ut in Germania ex ſimili occaſione habemus Auguſtam Vindelicorum in Hiſpania Saragoſſam, ſeu Cæſaris Auguſtam, & alias alibi.

V. 31. INSUPER, ſeu ſupra alia ſcelera ſuorum parentum, adiecit Achab, quod nemo illum auſus fuerat, ut filiam idololatræ Regis Sidoniorum Iezabelem ſibi iungeret uxorem, non eiurata patria religione (ut Davidis *g*, Salomonis, & aliorum Regum Gentiles uxores hucuſque fecerant) ſed illa retenta, publiceque evulgata; quin & in locum veræ ac ſinceræ religionis, quam procul exulare iuſſit, perfide ſurrogata.

V. 34. IN DIEBUS Achab AEDIFICAVIT HIEL... IERICHO, non obſtante edicto ac maledictione Ioſue. Malebat enim omnium prolium ſuarum homo ſtolidus iacturam facere, quam non obſequi ſeu privato affectui ſuo, ſeu Regis ſui deliræ cupidini, optantis inſtaurari vel invito Deo tam nobilem olim & famoſam urbem. Idcirco autem commemoratur hic illa tragœdia, ut palam omnibus fiat, quam perdita fuerint omnia in Iſraele hoc tempore Achabi, quo ipſe ad uxoris libidinem rempublicam moderabatur, quam proſligata fides, quam procul abactus pudor omnis & timor Dei, quam alta cæleſtium minarum inducta oblivio & contemptus, ut quod tot ſæculis nemo ducum vel Regum auſus fuerat tentare, iam audeat privatus homo, iſque impius & idolatra, utpote ex Bethel, fonte, & barathro omnis idololatriæ: & audeat videnteſ, inſpectante, laudante Rege, & univerſo Iſraele. Et forſan id audeat ſolum ad gratiam Regis, & ad eius amicitiam aucupandam, cui ſciebat id gratum fore, & quem videbat eiuſmodi cæleſtium minarum & prædictionum contemptorem atque irriſorem. Ita Abulenſis.

(*a*) Chron. cap. XXII. ſub init. Iuſtin. Lib. I.
(*b*) Cicero Lib. I. de Legib. ſub finem.
(*c*) Vide Proleg. de Ponderibus.
(*d*) IV. Reg. XVII. verſ. 7.
(*e*) Ioſeph. Lib. XV. Antiquit. cap. X. Adrichom. in Samaria.
(*f*) Proleg. de Menſuris longitudinum.
(*g*) II. Reg. XXI. verſ. 9. III. Reg. I. verſ. 2.

GORDONI.

Verſ. 1. HIc Iehu vere Propheta eſt, nam hic miſſus eſt a Deo: non

non eſt tamen ille Iehu de quo IV. Reg. IX. 2. Noſter hic Iehu putatur filius illius Hanani Prophetæ, qui etiam propter durum nuntium dicitur compactus in nervum, II. Paralip. XVI. ſicut hic verſ. 7. filius occiſus eſt a Baaſa.

V. 3. & 4. DEMETAM POSTERIORA. Intelligit poſteros. Hebr. *poſteros domus eius*. IN REGIONE, in agro.

V. 7. OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM. Baaſa occidit Iehu Prophetam. Declarant hoc inſequentia verba addita ab Interprete.

V. 8. En extinctæ duæ familiæ, Ieroboam, & Baaſa, propter peccata, ex cap. XV. verſ. 27. & hic verſ. 11. Dicitur verſ. 15. regnaſſe Zamri, quia ipſe ſe Regem fecit.

V. 23. Pacifice quidem regnat Amri anno trigeſimo primo Regis Aſa: at cœpit vi regnare anno vigeſimo ſeptimo Aſa. Hic Samariam extruxit.

V. 24. Uſque ad hanc extructionem Samariæ regia Iſraelitarum erat Therſa: nunc *Samaria* ab Amri vocata eſt, a Samaro montis venditore. Si prius in Scripturis nominatur Samaria, eſt per prolepſin. Lege Adrichomium in Ephraim: num. 81. de urbis huius claritate.

V. 29. Hic quæſtio eſt, cum Amri regnaverit a trigeſimo primo Aſa, uſque ad trigeſimum octavum annum eiuſdem Aſa, quomodo dicatur Amri regnaſſe duodecim annis: tantum enim ſunt octo anni, etiam numeratis extremis. Sed dicendum eſt, Amri bis nominatum Regem: primo quidem ab exercitu anno vigeſimo ſeptimo Aſa, ut hic apparet verſ. 21. & hinc numerantur duodecim anni. Iterum ſalutatus eſt Rex confecto bello contra Thebin ex verſ. 22. quod accidit anno trigeſimo primo Aſa: & hinc tantum ſunt anni octo: hoc habes verſ. 23.

V. 32. Impia & Sidonia Ieſabel uxor ſuaſit maiorem impietatem Achabo: effecitque ut Baal idolo poneretur tum altare, tum etiam templum, Sidoniorum more.

V. 34. De hoc vide Ioſue cap. VI. dum conſtruitur urbs, deſtruitur familia: moriuntur enim filii: Abiran quidem primus, cum iacebantur fundamenta; & Segub noviſſimus, dum portæ urbis ponuntur.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 7. CONTRA OMNE MALUM, in pœnam malorum. OCCIDIT EUM. Baaſa Rex Prophetam Iehu occidit.

V. 18. SUCCENDIT. Ita nocuit hoſti, & ſe a gravioribus tormentis liberavit.

V. 31. Hanc duxit alienigenam, & non deſerentem idola, ſane contra legem.

CAPUT XVII.

Elias cælum triennio claudit, primumque paſcitur a corvis, deinde a muliere Sarephtana; cuius hydria farinæ & lecythus olei non minuuntur; filius autem ipſius, oratione Eliæ reſuſcitatur.

1. ET dixit Elias Thesbites (*a*) de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi iuxta oris mei verba. 2. Et factum eſt verbum Domini ad eum, dicens: 3. Recede hinc, & vade contra orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, 4. & ibi de torrente bibes: corviſque præcepi ut paſcant te ibi. 5. Abiit ergo, & fecit iuxta verbum Domini: cumque abiiſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem. 6. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi, & bibebat de torrente. 7. Poſt dies autem ſic-

catus

catus est torrens: non enim pluerat super terram. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: 9. Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. 10. (*b*) Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam. 11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit poſt tergum eius, dicens: Affer mihi, obſecro, & buccellam panis in manu tua: 12. quæ reſpondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar * & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. 13. Ad quam Elias ait: Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſtea. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, uſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ. 15. Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ; & comedit ipſe, & illa, & domus ejus; & ex illa die 16. hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum eſt autem poſt hæc, ægrotavit filius mulieris matris familias, & erat languor fortiſſimus, ita ut non remaneret in eo halitus. 18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? 19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu ejus, & portavit in cœnaculum ubi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum. 20. Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego utcumque ſuſtentor, afflixiſti ut interficeres filium eius? 21. Et expandit ſe, atque mensus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. 22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit, 23. Tulitque Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ, & ait illi: En vivit filius tuus. 24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.

(*a*) Eccli. xlvi. 21. 3. Iac. v. 17. (*b*) Luc. iv. 26.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 12. *Et faciam illum mihi & filio meo.*

Correctores merito mutarunt neutrum *illud* in maſculinum *illum*, ita ut referatur ad panem.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. STO; quaſi dicat, Cui ſervio. *V.* 3. CONTRA, id eſt e regione.

V. 12. DUO, id eſt pauca. FACIAM ILLUM; pro, faciam panem.

V. 17. MULIERIS, ſcilicet illius de qua ſupra. MATRIS FAMILIAS. Heb. Chald.

Chald. & LXX. *dominæ domus*. HALITUS. LXX. *halitus vitæ*. Chald. *spiritus*.

V. 18. ET TIBI, ſcilicet commune; quaſi dicat, Quid mihi tecum? vel quid tibi feci? REMEMORARENTUR, id eſt venirent in memoriam, ſcilicet Dei.

V. 20. UTCUMQUE SUSTENTOR. Hebr. Chald. & LXX. *Habito*, ſeu *hoſpitor*.

V. 21. MENSUS EST SUPER PUERUM; id eſt, more metientis puero incubuit.

ESTII.

Verſ. 4. CORVISQUE PRAECEPI, UT PASCANT TE IBI. Commendatur nobis admirabilis Dei providentia erga ſervum ſuum Eliam; cui tempore famis primum per corvum, rapax alioqui animal; deinde per viduam Sarephtam de alimento neceſſario providit. Et quod mirabilius eſt, lautius etiam providit per corvos quam per mulierem. A corvis enim paſtus eſt pane & carnibus; a muliere vero pane tantum & oleo. Ceterum quod hic dicitur, *Præcepi corvis*, intelligendum eſt per hoc præceptum non aliud quam Dei voluntas & ordinatio; qua voluit, & conſtituit, idque per occultum & efficacem inſtinctum, ut corvi quotidie mane & veſperi ad Prophetam cibos adferrent. Et eodem modo quoque præceptum intelligendum eſt in eo quod poſtea de muliere dicit:

V. 9. PRAECEPI .... MULIERI VIDUAE UT PASCAT TE. Quamvis enim mulier capax erat præcepti propriè dicti, nullum tamen tale præceptum a Deo acceperat, ut patet ex eo quod, ut Scriptura narrat, ſe moriturum putabat una cum filio, conſumpta, quam habebat, modica farina. Sed dicitur Deus ei præcepiſſe, quia ſic ordinaverat, ut venientem Heliam reciperet, & miraculo recreata libenter illum paſceret.

V. 18. QUID MIHI ET TIBI VIR DEI? INGRESSUS ES AD ME, UT REMEMORARENTUR INIQUITATES MEAE, ET INTERFICERES FILIUM MEUM? Putabat mulier, quod propter commercium ſuæ indignitatis cum ſanctitate talis viri, Deus vindictam ſumeret de peccatis eius, occidendo filium eius. Nam ſicut ſancta ſancte tractanda ſunt; ita etiam cum viris ſanctis ſeu officio, ſeu pietate, ſancte & reverenter converſandum eſt. Metuebat ergo mulier, ne forte tanto viro non eſſet famulata ut debebat, & ita ob eius præſentiam puniretur. Illuſtre de ſanctis ſancte tractandis exemplum quoque eſt in arca Domini, II. Reg. cap. VI. quam Oza attingens temere, a Deo percuſſus eſt. Unde & David non eſt auſus eam in ſuam domum introducere. Sic & de ſanctitate perſonæ exemplum eſt in Chriſto, cui Petrus ſimiliter vindictam aliquam metuens dicebat: *Recede a me, quia homo peccator ſum*: Lucæ cap. V.

MARIANAE.

Verſ. 1. DIXIT ELIAS, ad Achab Regem Iſrael filium Amri. VIVIT DOMINUS. Forma iurandi. IN CUIUS CONSPECTU STO, id eſt ſolitus ſum ſtare precibus vacans. SI ERIT ANNIS HIS; pro, non erit ros. NISI IUXTA ORIS MEI VERBA. Heb. *Niſi iuxta verbum meum*; id eſt, cum ego dixero. Verba Eliæ. Deus ad eum: Vade

V. 3. CONTRA ORIENTEM, id eſt verſus orientem.

V. 4. ET IBI DE TORRENTE BIBES; quaſi dicat: Hæc erit vita tua: torrens potum dabit, corvi cibum. Sed quare corvi? ut ex latronibus aliqua utilitas. Rurſus:

V. 9. VADE IN SAREPHTA SIDONIORUM, id eſt quæ vicina eſt Sidoniis, alioqui in finibus Iſrael. Vocatur autem *Sarephta*, id eſt *incenſa*, ab eo quod poſtea accidit, & per anticipationem. Sic Hebræus. Porro *Sarephta Sidoniorum* ad differentiam alterius provinciæ nomine *Sarephtæ* in Abdia, quæ Gallia eſſe creditur. PRAECEPI ENIM. *Præcipere* eſt domui viduæ benedicere, ut illi ſuppetat unde paſcat te. Viſa vidua,

V. 11. CLAMAVIT POST TERGUM EIUS. Hebr. *Clamavit ad eam Elias*: AFFER .... BUCCELLAM.

V. 12. NON HABEO PANEM. Hebr. *Si eſt mihi ſubcinericius*; id eſt, panem coctum non habeo. Ex farina viduæ comedit Elias

V. 15. IPSE, ET ILLA, ET DOMUS EIUS. Sic Septuaginta. Hebraice iuxta pun-

puncta quidem, *Ipſa*, יהי *ille*, יהי *domus eius*, id eſt illa, filii, & domeſtici. Aegrotavit viduæ filius, ita ut

V. 17. NON REMANERET IN EO HALITUS. Hebr. *neſamah*, *ſpiritus* & *anima* eſt: itaque non manſit in eo anima, exſpiravit viduæ filius. Illa ad Eliam:

V. 18. QUID MIHI ET TIBI; id eſt, quid tibi feci? UT REMEMORARENTUR DELICTA MEA; quaſi dicat: Adventus tuus fuit occaſio peccandi, quod tibi non ſatis diligenter ſervio: idque peccatum morte filii tui. Elias ad Deum: Viduam cur afflixiſti,

V. 20. APUD QUAM EGO UTCUMQUE SUSTENTOR? Hebr. *Cum qua ego habito*, aut *diverſor*.

V. 21. ET EXPANDIT SE. Actiones externæ adhibentur ad excitandum affectum deprecandi. MENSUS EST; id eſt, more metientis puero incubuit. Puer revixit. Mater ad Eliam:

V. 24. VERBUM DOMINI IN ORE TUO VERUM EST. Hebr. *Verbum Domini in ore tuo veritas*, id eſt verum: ſic vidua dicit, filio ſuſcitato.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ELIAS THESBITES, DE HABITATORIBUS GALAAD. Diſquirunt unde Elias dictus ſit *Thisbites*. Quidam, a loco, ſeu patria Thesbis, ſeu Thesba. Euſebius, & S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Thesba, unde ortus eſt Elias Propheta Thesbites*. Recentiores ſacri topographi id oppidum collocant in tribu Gad, in Paræa regione. S. Epiphanius Libello de vita & interitu Prophetarum: *Elias Propheta e Thesbis erat, e continente Arabum: morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes ſacerdotibus conſecratæ*. Nonnulli Hebræorum exiſtimant, Eliam unum fuiſſe ex illis, ſeu potius ex illorum poſteritate, qui ex clade illa qua Iabes Galaad incolæ interfecti ſunt, Iudic. XXI. 8. & ſeqq. evaſerunt, & rurſus eamdem urbem incolere cœperunt, qui dicebantur תושבי *toſchabe Ghilhad*, id eſt *inquilini*, *incolæ*, *habitatores Ghilhad*: & ſingulariter quiſque eorum תשבי *thiſchbi Ghilhad*, *inquilinus Iabes Ghilhad*. Unde Elias dictus eſt *Thisbi*, ſeu *Thisbites*, de Toſchabe Ghilhad, de inquilinis Iabes Ghilhad. Sic nunc in Valentino regno poſt Mauriſugium, novos oppidorum incolas appellamus *Pobladores*, & *Poblador*. Vide Eliam grammaticum ad finem Thisbi. Aliqui volunt dictum Thesbitem ab oppido Thisbi, cuius extat mentio in Græcis Tobiæ I. 2. ubi ſcribitur: *Qui captivus fuit abductus e Thisbi, quæ eſt ad dexteram Kades Nephthalim in Galilæa ſupra Aſer ſita*. Verum hæc Thisbis prope Kades Naphtalitica cis Iordanem erat, cum Ghilhad ultra Iordanem eſſet. De Kades vide Ioſue XX. verſ. 7. Ioſephus: *Hunc* Achabum *Propheta quidam Dei maximi* (Elias) *e Thesbone Galaditica urbe oriundus adiit*. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Eliia Thiſchbites, id eſt incola partis illius Ghilhadis, quæ ad orientem ſpectat, temporibus Schaulis Hagarenis adempta. Hæc autem Theſcheb dicta eſt, vel eo quod veteres incolæ ad centum millia captivi abducti ſunt: vel quod ex Iſraelitis trans Iardenem coloniæ eo tranſmiſſæ ſunt, ut eam inhabitarent. Vide I. Chronicorum v. verſ.* 21. Adito Notas in Tobiæ I. verſ. 2. ישב *iaſchab*, Hebræis eſt *inhabitare*; שבה *ſcabah*, *abducere in captivitatem*. Vide quæ latius de ratione nominis Thisbitis diſſeruimus Lib. X. de Antichriſto, cap. II. in Excurſu, & in Paradiſo, cap. LXXXVII. *De habitatoribus Galaad*. תושב *toſchab*, aiunt eſſe *incolam*, *inquilinum*, *habitatorem*, *hoſpitem*, *advenam*; qui in eo loco ubi vivit, non habet propriam domum, aut poſſeſſionem: & differre a גר *ger*, quod hic ſit *peregrinus*; ſed *thoſchab* habitet quidem & habeat reſidentiam ſuam apud civem. Redduntque hic, *De inquilinis*, *incolis*, *advenis*, *hoſpitibus Ghilhadis*. Quidam exponunt, Ex colonis e Ghilhade tranſmiſſis, in orientaliorem partem illam Ghilhadis, unde expulſi ſunt Hagareni; ut paulo antea notabamus. IN CUIUS CONSPECTU STO; id eſt, cui ſervio & miniſtro, ut exponitur Deuteron. X. verſ. 8. Alii: *Qui me iurantem præſens intuetur, vindex acerrimus periurii, ſi fallo*. Nonnulli: *Coram quo ſtare ſoleo*, id eſt frequenter in oratione. Hebr. *Cuius ſteti ad facies eius*; id eſt, cuius faciem enixe oravi, quemque vehementer deprecatus ſum ut non pluat. Sic videtur exponere Iacobus v. verſ. 17. ANNIS HIS: nempe tribus annis, & ſex men-

menſibus, ut exponitur Lucæ IV. verſ. 25. & Iacobi V. verſ. 17. Vide infra cap. XVIII. verſ. 1. Sic enim aperte colligitur ex mandato, & promiſſione Dei, infra verſ. 14.

V. 3. IN TORRENTE CARITH, QUI EST CONTRA IORDANEM, ſeu *e regione Iordanis*. Hunc torrentem quidam eum eſſe putant cuius fit mentio Ioſue XV. 7. Alii eum qui *torrens*, vel *vallis arundineti* dicitur Ioſue XVI. verſ. 8. & cap. XVII. verſ. 9. Nec deſunt qui eum eſſe augurentur, qui *torrens*, vel *vallis Ketziiz* appellatur Ioſue XVIII. verſ. 21. & *torrens Mochmur*, Iudith VII. 16. Vide Comment. in ea omnia loca. Sed ſunt hæc incerta. Ab *excifione* videtur nomen habere, quod locus eſſet ſterilis & deſertus. Non longe a Iordane abfuiſſe, diſerte nimis hic dicitur.

V. 4. CORVISQUE PRAECEPI. Notant, hanc aveem lege immundam fuiſſe cibo, non autem contactu, niſi mortuam, Levitic. XI. verſ. 15.

V. 9. IN SAREPHTA SIDONIORUM. Ioſephus: *Iubente Deo profectus eſt Sareptam, quod oppidum Tyrum inter & Sidonem ſitum eſt*. Hebr. *in Tzarephath*, vel *Tzarephathah*, ſi ultimum He non eſt locale: *quæ Tzidoni*, vel *quæ eſt Tzidonis*, aut *pertinet ad Tzidonem*. Nomen habere exiſtimant ab uſtrinis, id eſt officinis, ſeu fornacibus ad conflandum argentum & aurum, ſeu alia metalla comparatis: nempe a *tzaraph*, *urere*, *conflare*, deflectunt. *Sareptam* omnes ſcriptores vocant. Meminit eius Plinius Lib. V. cap. XIX. Achilles Tatius Lib. II. de Amoribus Clitophontis & Leucippes: *Cum primum Sareptam Tyiorum vicum in mari ſitum perveni*. Euſebius, & S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Sarepta civitas Sidoniorum in via publica ſita, ubi habitavit quondam Eliae*. Situm eius Brocardus ita deſcribit: *A Tyro tribus fere leucis aquilonem verſus miſcetur Eleutherus fluvius mari magno. Hinc ad tres leucas eſt Sarepta Sidoniorum. Habet hodie locus ille vix octo domos: at ruinæ adhuc cernuntur antiquæ ſuæ magnificentiæ indices. Ab eo loco ſunt tres leucæ ad Sidonem magnam Phœnicis urbem*. Vina Sareptana celebrantur a Fulgentio Lib. II. Mythologiæ, in fabula de Dionyſio, a Sidonio Apollinari in carmine XVII. Corippo Lib. III. de Laudibus Iuſtini Imperatoris, Venantio Fortunato Lib. II. de Vita S. Martini.

V. 10. DA MIHI PAULULUM. Heb. *Accipe, quæſo, mihi parum*, &c. id eſt, accipiens da. Vide Exod. XXV. verſ. 2. Sic verſu ſeq.

V. 11. IN MANU TUA. Quidam: *Prout eſt in manu tua*, id eſt penes te: vel prout tibi primum ad manum occurret.

V. 12. QUIA NON HABEO PANEM. Hebr. *Si eſt mihi panis focatius* ſeu *ſubcinericius*. Quidam: *Si eſt mihi panis coctus*. Alii: *Ut vivit Iehova Deus tuus, non eſt mihi placenta*; id eſt, ne minimus quidem panis factus. ET MORIAMUR. Quidam reddunt: *Deinde moriemur*; quaſi dicat: Nulla eſt deinceps vitæ ſuſtentandæ ratio.

V. 13. FAC SICUT DIXISTI. Hebr. *Fac ſecundum verbum tuum*; id eſt, coque panem tibi, & filio tuo, ut dixiſti. VERUMTAMEN MIHI PRIMUM FAC, &c. Sic fidem viduæ probavit Deus.

V. 14. HYDRIA FARINAE NON DEFICIET, NEC LECYTHUS OLEI MINUETUR. Hypallage; pro, cadi iſtius farina non conſumetur, & ampullæ iſtius oleum non deficiet. Sic inf. verſ. 16. Notant eſſe hypotheticam locutionem; puta, ſi id quod dixi, feceris. USQUE AD DIEM, IN QUA DOMINUS DATURUS EST, &c. id eſt, cum anni tres cum dimidio effluxerint. Vide ſupra verſ. 1.

V. 15. IPSE, ET ILLA. Sic habet Hebraica ſcriptio; at punctatio, & lectio eſt, *Ipſa, & ipſe*: quod magis congruit verbo *comedit*, quod eſt ſemineum. ET EX ILLA DIE. Hebr. *diebus*, id eſt aliquot, vel multis diebus. Quidam reddunt, *Idque domi eius per annum*. Dies pluraliter pro anno, ut multis aliis locis. Subſtitit ergo Elias in domo viduæ paſtus ab ea per annum.

V. 17. POST HAEC. Aliqui, *Poſt res has*, vel *his rebus geſtis*. Exponunt: Id eſt tertio anno quem apud viduam agebat; ſive exacte biennio ſiccitatis: nam annum educatus eſt corvorum miniſterio, ſupra verſ. 7. & alterum apud viduam, de quo verſ. 15. Sed hæc certo ſtatui non poſſunt. UT NON REMANERET IN EO HALITUS; id eſt, ut expiraret.

V. 18. QUID MIHI ET TIBI, VIR DEI? Alii: *Quid mihi tecum commune, vir*

Dei? Sic II. Samuel. XIX. verſ. 22. Exponunt: *Quid mihi tecum, vir Dei*; ſubaudi, fuerit? id eſt, quorſum ſpectaverint promiſſiones tuæ, ſi moriendum ſit illis quibus factæ ſunt? Alii explicant quaſi dicat: Qua in re te umquam læſi? INGRESSUS ES AD ME UT REMEMORARENTUR INIQUITATES MEAE. Heb. *Veniſti ad me ad recordari facere pravitatem meam*. Aliqui exponunt: *Veniſti ad me ut rememoraretur iniquitas mea ad pœnam*; id eſt, ne impunis manerem peccatorum meorum: ſed tu Dei nomine vindex & miniſter eius, punires ea morte filii mei. Alii: *Veniſti ad me ut revocares in memoriam iniquitatem meam*, vel *ut Deum memorem faceres iniquitatis meæ*; quaſi dicat: Forte non ſum tibi famulata pro officio. Nonnulli: *Veneris ad me ad recordandum iniquitatem meam*; quaſi dicat: Cum primum allocutus es, me, & filium de vita in remiſſione peccatorum confirmaſti, verſ. 15. quod iam annum experta ſum: nunc vero eſtne aliquid cuius nomine tam graviter ſim caſtiganda, contra quam initio ſpem feceras?

V. 20. ETIAMNE VIDUAM, &c. Explanant quaſi dicat: Ut alios multos qui fame & ſiccitate pereunt, ſed minime confirmatos de vita, ut hæc vidua per me confirmata eſt.

V. 21. ET EXPANDIT SE, ATQUE MENSUS EST SUPER PUERUM. Heb. *Et admenſus eſt ſe ſuper puero*. Explicant: Cum ut viſu, & contactu pueri ad orandum magis inflammaretur, tum ut incubationis medio, caro pueri foveretur. Conſer cum facto Eliſei II. Reg. IV. verſ. 34. TRIBUS VICIBUS, alternis incumbens & orans. Geſtus iſte indicat difficultatem, & magnitudinem miraculi.

V. 24. NUNC IN ISTO COGNOVI, plenius: nam iam antea norat. Quidam: *Nunc, iam, hoc experior virum Dei te eſſe*. Aliqui exponunt: Nunc iam plene cognovi atque experior, & te Prophetam Dei eſſe, Deo gratum & carum: & etiam quod quæ dixiſti mihi, veriſſima ſint. Priorem partem huius verſus accipiunt de reſurrectione filii; poſteriorem de prædictione farinæ, & olei, de qua verſ. 14. & 16.

MENOCHII.

Verſ. 1. ELIAS THESBITES. Thesbam Adrichomius collocat in tribu Gad; erat tamen Elias e genere ſacerdotali, & tribu Levitica. DE HABITATORIBUS GALAAD. Terra Galaad erat trans Iordanem: tota enim regio illa trans fluvium, quæ obtigit tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, dicebatur terra Galaad, quamquam ſtrictius aliquando accipiebatur pro parte tantum illius quæ erat montana, & dicitur etiam mons Galaad. IN CUIUS CONSPECTU STO: cui ſcilicet ſervio. SI ERIT ROS, ET PLUVIA: non erit ros, aut pluvia: nam, ut ait S. Iacobus Apoſtolus cap. v. num. 17. *Elias oratione oravit ad Dominum ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex*. Cum ergo Elias ſe exauditum intelligeret, venit ad Achab.

V. 3. IN TORRENTE CARITH, in ſpelunca aliqua vicina torrenti Carith, quem Adrichomius collocat cis Iordanem excurrentem ex monte Ephraim, prope urbem Phaſelum. At Divus Hieronymus eum trans Iordanem conſtituit. Deſertum eſſe locum oportuit, & invium, ut ibi illum latere ſuſpicari nemo poſſet.

V. 4. CORVIS PRAECEPI UT PASCANT TE. Dedit Dominus inſtinctum illum corvis ut cibum alicubi inventum bis quotidie deferrent ad Eliam. Angeli fortaſſe alicunde cibos ſumebant, & certo aliquo loco exponebant, ex quo illos corvi unguibus & roſtro deferebant ad Eliam.

V. 6. PANEM, ET CARNES. Nulla ſit vini mentio, ſive quia minus neceſſarium, præſertim in publica neceſſitate mortalium, ſive quia vaſa vinaria a corvis ſine novo miraculo ferri non poterant.

V. 9. IN SAREPHTA SIDONIORUM. Erat autem oppidum Sarephta inter Tyrum & Sidonem ſitum, vicinum utique, ut ait Ioſephus, & tribui Aſer. PRAECEPI, &c. *Præcepi* poteſt ſignificare providi, ut paulo ante cum dicit ſe præcepiſſe corvis ut paſcerent Eliam; quamquam dici etiam poteſt revelationem factam viduæ, fore ut ad eam veniret Propheta, & domi eius viveret, & maneret abſconditus, ſeque proviſurum utrique.

V. 10.

V. 10. ABIIT IN SAREPHTA, providente Domino ne a quoquam violaretur, & fortaſſe etiam ne videretur. APPARUIT ILLI MULIER VIDUA: ſimulque divinitus admonitus eſt hanc eſſe viduam, apud quam eſſet alendus. IN HYDRIA. Hydria ponitur pro quolibet genere vaſis, alioqui enim eſt vas ad continendam, aut deferendam aquam deſtinatum. IN LECYTHO. Lecythus eſt guttus, ſive ampulla olearia.

V. 13. NOLI TIMERE, mortem ſcilicet, quam tibi putas imminere. ADFER AD ME, non in publicum, & ad portam civitatis, ſed in domeſticum aliquod cubiculum, aut cœnaculum domus eiuſdem viduæ. TIBI ET FILIO TUO FACIES POSTEA. Quod ne durum videretur, quid facturus ſit Dominus ſtatim ſubiungit.

V. 14. USQUE AD DIEM QUA DOMINUS DATURUS EST PLUVIAM. Non eſt putandum præciſe ea die ſtetiſſe oleum, ſed tunc demum cum pluviam annonæ vilitas ſubſecuta eſt, ut iam in vidua alenda miraculo opus non eſſet.

V. 17. MATRIS FAMILIAS, eiuſdem ſcilicet illius viduæ, de qua hactenus. Septuaginta, Hebræus, & Chaldæus vocant *dominam domus*, ex quo intelligi poteſt plures quoque alios in eadem domo habitaſſe. ITA UT NON REMANERET IN EO HALITUS; id eſt, deficiente reſpiratione extinguebatur,

V. 18. QUID MIHI, ET TIBI VIR DEI? Quid a me peccatum eſt adverſum te ut Deus iraſceretur mihi, & interficeret filium meum? UT REMEMORARENTUR INIQUITATES MEAE, quibus olim offendi Deum, & apparerent quaſi oppoſitæ lumini ſanctitatis tuæ, & divinis oculis intolerabiles redderentur.

V. 21. EXPANDIT SE, &c. Imitatus Dominum, qui a principio inſpiravit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, ut fieret in animam viventem, inſpiravit & ipſe ter in nomine vivificæ Trinitatis in faciem pueri.

V. 24. ET VERBUM DOMINI IN ORE TUO VERUM EST, quod ſcilicet nuntias nobis de vero Deo Hebræorum, & inanitate Baalis, & Aſtarthes, & reliquorum idolorum. Eam cognitionem mulier merito cum ſuis amplexa exiſtimatur.

TIRINI.

Verſ. 1. ELIAS THESBITES: ex oppido Thesbi in terra Galaad ultra Iordanem oriundus. Eam ſacerdotalem civitatem fuiſſe, & Eliam ex familia Aaron ſacerdotalem natum, volunt Epiphanius, Iſidorus, Ioannes Epiſcopus Ieroſolymitanus, Simeon Metaphraſtes, & Dorotheus *a*. Sed cur id Scriptura tacuiſſet? Iidem patrem Eliæ vocant *Sabacha*, qui *puerulum* recens natum *viderit igne tamquam faſciis involvi, & flamma veluti cibo ali*. Cælibem perpetuo vitam egiſſe docent ſanctus Hieronymus, Ambroſius, Ephrem *b*, & alii. Poſtquam adolevit, diſcipulos (qui filii Prophetarum dicti ſunt) collegit non uno loco, & illis Monaſticæ vitæ novam formam, fere ad inſtar Rechabitarum, indixit, qui divinis ex profeſſo laudibus cantandis toti vacarent, ut vidimus etiam in aliis Prophetis tempore Samuelis, I. Reg. XIX. verſ. 20. In hos maxime graſſata fuit (crediderim odio Eliæ) ira & furor Iezabelis, & illorum magnam ſtragem & in proxima triennali fame, & exinceps edidit. Non ergo una erat & certa ſedes Eliæ, ſed pro varia diſcipulorum ſuorum neceſſitate vel ſolatio nunc in Galgalis, nunc in Bethel, nunc in Iericho (ut colligitur ex IV. Reg. II. verſ. 1. 2. 5.) nunc aliis locis degebat; ſed omnium frequentiſſime in monte Carmelo. Ubi & Eliſeus Eliæ primarius diſcipulus commorari ſolebat: & uterque montem illum pluribus miraculis celeberrimum reddidit. Ibi Elias igne cæleſti victimas abſumpſit, & 450. ſacerdotes Baal neci dedit, cap. XVIII. verſ. 38. & 40. Ex eodem monte bis 50. milites *Ochoziæ* Regis eodem igne cæleſti proſtravit, teſte Abulenſi *c*. Eumdem montem Eliſeus frequentiſſime adibat, ut patet IV. Reg. II. & IV. & alibi: nempe ut creditum iſtic ſibi gregem diſcipulorum foveret, inſtrueret, roboraret. Et videtur hæc in Carmelo Prophetarum colonia, ob frequentiorem iſtic Eliæ atque Eliſei præſentiam, & præluſtriora ibi patrata miracula, inter reliqua eorumdem cœnobia principem locum tenuiſſe: unde & nomen illis adnatum *Carmelitarum*, quod idem nomen etiam in Evangelica lege uſque eo placuit viris,

feminiſque ſub nomine & auſpicio B. Virginis in Eccleſia Chriſti hucuſque magna vitæ ſanctitate ac religionis gloria militantibus, ut plurima alia ad ſpeciem nobiliora nomina uni illi poſthabenda putarint, vel eam maxime ob cauſam, ni fallor, ut etiam ipſo ſuo nomine palam orbi facerent, ſacrum hunc Ordinem ſuum ab Eliæ, atque Eliſei diſciplina inſtitutioneque exordium habuiſſe. Quod & Sixtus IV. & Iulius II. & Gregorius XIII. & Clemens VIII. & alii Pontifices ſuis bullis, ut hiſtoricos, & alios auctores nunc omittam, aperte profitentur. DIXIT AD Regem ACHAB: SI ERIT, id eſt non *d* erit, ANNIS HIS ROS ET PLUVIA, NISI IUXTA ORIS MEI VERBA; id eſt, niſi cum ego voluero & iuſſero. Ex cap. v. verſ. 17. Epiſtolæ Canonicæ S. Iacobi patet, Eliam pio zelo puniendi idololatras, popoſciſſe a Deo claves cæli. *Elias oratione oravit, ut non plueret ſuper terram*, ſcilicet Iſraeliticam, & alias vicinas, *& non pluit annos tres & menſes ſex.* Cum enim Deuter. XXVIII. verſ. 24. & alibi ſæpius minatus fuiſſet Deus Iſraelitis, ſi quando ad idololatriam deflecterent, has ſiccitatis, ſterilitatis, & famis certiſſimas pœnas, petiit Elias ex condicto eaſdem nunc in idololatras Iſraelitas immitti. Et hæc eſt ratio, cur Elias hic quaſi ex abrupto, illas minas Regi Achabo, totique Iſraeli iam a fide apoſtatanti palam intentet. Ita fere Lyranus, Caietanus, & Sanctius.

V. 6. CORVI DEFEREBANT Eliæ PANEM ET CARNES MANE ET VESPERI. Et quidem ex Regis Achabi culina, caſdemque ex optimis & optime coctis, inquit Abulenſis. Quod ſi verum fuit, mirifica fuit illa Dei providentia; & interceſſit haud dubie aliqua Angelorum cura, corvos ceteroqui crudeles & in proprios quoque pullos improbe avaros, ad id miniſterium ſtatis horis impellentium, a voracitate compeſcentium, & ad conditum locum conducentium.

V. 21. MENSUS EST ſe Elias SUPER PUERUM. Id eſt, pronus incubuit cadaveri pueri. Primo ut hoc ſupplicis corporis habitu Hebræis uſitatiſſimo facilius exoraret Deum. Secundo ut contracto ſic arctatoque corpore ad menſuram pueriliſ corpuſculi, palam faceret, ſe animo quoque eſſe dolore prorſus contracto, & humili æſtimatione ſui quoad poſſet acciſo: fere uti nos ideo vel de geniculis, vel cernui oramus, ut illo ſitu deſignemus, nos & corporis proceritate, & de animi elatione, quantum poſſumus, remittere in divinæ maieſtatis præſentia. Tertio ut affectum prodat ſuum ergo mortuum, cui tali incubatione & inhalatione videtur ſuummet ipſe halitum, ſpiritumque ſeu animam, etiam cum propriæ vitæ diſpendio immittere velle. Quarto ut, quantum in ſe eſt, cooperetur Deo, flatu ſuo corpus exſangue calefaciendo, & membra ſic ad vitam recuperandam diſponendo. Ita Abulenſis, Sanctius, & alii.

Allegorice, Chriſtus in Incarnatione, & in Cruce accommodans ſe noſtræ puſillitati, nos ab æterna morte ſuſcitavit. Ita ſanctus Auguſtinus, & ſanctus Bernardus.

Moraliter, facerdos ut peccatorem ad pœnitentiam, vitamque animæ reducat, totus illi molliendo calefaciendoque incumbat.

(*a*) Epiph. de Vita & interitu Sanctorum. Iſidor. de Vita & morte Sanctorum. Ioannes cap. 1. Tom. IX. Biblior. Metaphraſt. apud Surium. Doroth. in Synopſi.
(*b*) Hieron. Lib. I. adverſ. Iovinianum Ambroſ. Lib. de Virgin. Ephræm Lib. I. Paraneſi 1.
(*c*) Abulenſ. in IV. Reg. cap. 1. & IV.
(*d*) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. num. 23.

GORDONI.

Verſ. 3. ELIAS Propheta inſignis, de quo Eccleſ. XLVIII. & Iac. v. 17. ex tribu Levi putatur fuiſſe: ſane erat ex habitatoribus Galaad, ubi trans Iordanem erant duæ tribus & dimidia. Virginem fuiſſe ſcribit Ambroſius Lib. de Virg. Aliquando habitavit in Carmelo, & ſtabilem ſedem non videtur habuiſſe. Apparet hic ex verſ. 3. Eliam abiiſſe ſtatim ab irati Regis aſpectu.

V. 6. & 7. Receptum eſt veros fuiſſe corvos, ſed certe a quorum conatu non aberat angelicus ductus. Sitis vero hæc aliquot annorum tantum videtur fuiſſe in terra Iſrael & dominatu Achab.

V. 9. VADE IN SAREPHTA. Locus in finibus Sidoniorum. Vide rad. צרף. *Seraphta*, id eſt incenſa: nam poſtea incenſa eſt, & hinc nomen accepit. Ergo per prolepſin.

V. 17. & 18. UT NON REMANERET IN EO HALITUS: ergo nec anima; ſed expi-

expiravit. QUID MIHI ET TIBI VIR DEI? Vulgaris loquendi modus; id est, quid mihi tecum?

V. 18. INGRESSUS ES. Hæc vidua genere quidem gentilis erat, sed religione Israelitidem fuisse existimant Scriptores. Vide Lib. IV. iv. 34. Per recordationem peccatorum præteritorum intelligit pœnam debitam illis: timet ex hoc capite mulier ne mors filii sit talis pœna.

V. 21. EXPANDIT SE: modo metientis incubuit, & puer revixit. Elias ad pueruli formam se contrahens, mysterium refert Christi, cum Verbum divinum se quasi contraxit, ut nos revocaret ad vitam. Vide IV. Reg. iv. 32.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. IN TORRENTE CARITH, in spelunca torrentis. Torrens hic est cis Iordanem, excurrens e monte Ephraim: ex Adrichomio. Locus desertus designatur.

V. 10. IN LECYTHO, ampulla olearia.

V. 24. VERUM EST. Verum Dei cultum doces. Putatur mulier deinceps adhæsisse vero Dei cultui.

CAPUT XVIII.

Increscente fame, Elias Abdiæ herbam pecoribus quærenti occurrit; cui agre persuadet ut nuntiet Achab se adesse, qui occurrens Eliæ, ab ipso corripitur: Dei zelo Elias 850. pseudoprophetas occidi iubet, dato de cælo igne ad consummationem holocausti, & pluviam a Deo impetrat.

1. POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio dicens: Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. 2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde. 4. Nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua. 5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, & salvare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant. 6. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, & Abdias per viam alteram seorsum. 7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Num tu es, domine mi, Elias? 8. Cui ille respondit: Ego. * Vade, & dic domino tuo: Adest Elias. 9. Et ille, Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me? 10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis: Non est hic: adiuravit regna singula & gentes, eo quod minime reperireris: 11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias. 12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te, in locum quem ego ignoro, & ingressus nuntiabo Achab, & non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. 13. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod ab-

scon-

ſconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos; in ſpeluncis, & paverim eos pane & aqua? 14. Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias: ut interficiat me? 15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occurſum Achab, & indicavit ei: venitque Achab in occurſum Eliæ. 17. Et cum vidiſſet eum, ait: Tune es ille qui conturbas Iſrael? 18. Et ille ait: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. 19. Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me univerſum Iſrael in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetaſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Iezabel. 20. Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregavit prophetas in monte Carmeli. 21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Uſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Et non reſpondit ei populus verbum. 22. Et ait rurſus Elias ad populum: Ego remanſi Propheta Domini ſolus: * prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri ſunt. 23. Dentur nobis duo boves, & illi eligant ſibi bovem unum, & in fruſta cædentes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam bovem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam. 24. Invocate nomina deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus. Reſpondens omnis populus ait: * Optima propoſitio. 25. Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, & facite primi, quia vos plures eſtis: & invocate nomina deorum veſtrorum, ignemque non ſupponatis. 26. Qui cum tuliſſent bovem, quem dederat eis, fecerunt: & invocabant nomen Baal de mane uſque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui reſponderet: tranſiliebantque altare quod fecerant. 27. Cumque eſſet iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. 28. Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis: donec perfunderentur ſanguine. 29. Poſtquam autem tranſiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo ſacrificium offerri ſolet, nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes: 30. dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat. 31. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens: (*a*) Iſrael erit nomen tuum. 32. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, 33. & compoſuit ligna: diviſitque per membra bovem, & poſuit ſuper ligna, 34. & ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque dixit: Etiam ſecundo hoc facite. Qui cum feciſſent ſecundo, ait: Etiam tertio idipſum facite. Fecerunt tertio, 35. & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. 36. Cumque iam tempus eſſet ut offerretur holocauſtum, accedens Elias Propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. 37. Exaudi me Domine, exaudi me: ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum iterum. 38. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna,

gna, & lapides, pulverem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens. 39. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus. 40. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi. 41. Et ait Elias ad Achab: Aſcende, comede, & bibe: quia ſonus multæ pluviæ eſt. 42. Aſcendit Achab ut comederet & biberet: Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua, 43. & dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare. Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi: Revertere ſeptem vicibus. 44. In ſeptima autem vice, Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Qui ait: Aſcende, & dic Achab: Junge currum tuum & deſcende, ne occupet te pluvia. 45. † Cumque ſe verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis. Aſcendens itaque Achab abiit in Iezrahel: 46. & manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.

(4) Gen. xxxii. 28.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 9. *Vade, & dic domino tuo.* Non præponas *& dixit.*

V. 22. *Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri ſunt.* Non addas *prophetaque lucorum quadringenti*, quod quidam.

V. 24. *Optima propoſitio.* Non ſubiungas *quam locutus eſt Elias*, tametſi græce legatur.

Lectionum Varietas.

V. 45. *Cumque ſe verteret huc atque illuc.* Alii libri legunt *verterent* numero plurali.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. TERTIO, ſcilicet ſterilitatis, vel a receſſus Eliæ de torrente.

V. 4. SPELUNCIS. LXX. *ſpeluncis duabus.*

V. 5. VALLES. Hebr. Chald. & LXX. *torrentes.*

V. 6. SEORSUM. Hebr. & LXX. *ſolus*, ſcilicet ſeorſum a Rege.

V. 10. ADIURAVIT; id eſt, fecit iurare, vel obteſtando poſtulavit, ut te indicarent. Eſt quidem *adiurare* proprie, metu violandæ religionis, aut pietatis, aut incurrendæ divinæ ultionis adigere ad aliquid faciendum. EO QUOD, pro quod.

V. 21. CLAUDICATIS. Chald. *diviſi eſtis.* DUAS PARTES, ſcilicet nunc Deum colendo, nunc idola. Hebr. *duas cogitationes.* LXX. *duobus populis.*

V. 22. REMANSI, ſcilicet hic: nam alii latebant, vel ſe putabat ſolum.

V. 23. BOVES. Hebr. *iuvenci*, ſeu *vituli.* Chald. & LXX. ut Noſter: ſic & infra. FACIAM, id eſt immolabo.

V. 24. PER IGNEM, id eſt dando ignem. SIT DEUS; id eſt, pro vero Deo habeatur. OPTIMA PROPOSITIO. Heb. Chald. & LXX. *Bonus ſermo.*

V. 25. DEDERAT, ſcilicet Achab, vel qui adduxerat. FECERUNT, id eſt ſacrificaverunt. ALTARE, ſcilicet prope ſaltantes, vel ſupra.

V. 27. DEUS ENIM EST, ſcilicet ut dicitis. Chald. *Quia vos dicitis quod Deus eſt.* LOQUITUR, ſcilicet cum aliquo. DIVERSORIO. Hebr. *inſecutione*, ſeu *appre-*

apprehensione, scilicet hostium.

V. 29. PROPHETANTIBUS. Chald. *insanientibus*. SACRIFICIUM, scilicet vespertinum.

V. 30. CURAVIT, id est refecit.

V. 32. ARATIUNCULAS, id est sulcos. Hebr. & Chald. *Locum capientem duo fata seminis*. LXX. *Locum capientem duas metretas seminis*.

V. 36. HOLOCAUSTUM, scilicet vespertinum. OMNIA VERBA HAEC, id est has omnes res.

V. 37. ITERUM. Hebr. *retrorsum*: scilicet ut redeant in viam. LXX. *post te*.

V. 40. TORRENTEM: scilicet ne terra sancta illorum sanguine contaminaretur.

V. 41. ASCENDE; pro, surge.

V. 43. PUERUM, id est famulum. Quidam putant filium mulieris Sareptanæ.

V. 44. VESTIGIUM. Hebr. & Chald. *vola manus*. LXX. *vestigium*. ASCENDE; pro, ito.

V. 45. VERTERET HUC ATQUE ILLUC. Chald. *Se expediret, & descenderet*. IEZRAHEL, scilicet eam quæ in Israel: nam altera in Iuda.

V. 46. MANUS, id est virtus; quasi dicat: Dedit ei robur.

ESTII.

Vers. 21. USQUEQUO CLAUDICATIS IN DUAS PARTES? SI DOMINUS EST DEUS, SEQUIMINI EUM: SI AUTEM BAAL, SEQUIMINI ILLUM. Merito reprehendit Elias, quod non essent soliciti ut diligenter inquirerent quis cultus, aut quæ religio vera, & sincera esset: utrum ea quam a Moyse, & Prophetis, ac maioribus suis acceperant, an vero ea quam nuper introduxerant Reges Israel. Sensus ergo est: Si certa aliqua ratione, seu per miracula, seu aliter intelligitur Dominum esse Deum, id est Iehova esse Deum (ita enim vocabatur Deus apud Israelitas) eum sequimini, eum colite: sin vero simili ratione ostendi potest Baal esse Deum, tunc eum colite. Quibus verbis non hortatur Elias ad aliquid impium, quia conditionem præmittit impossibilem, videlicet Baal certa ratione posse demonstrari Deum. Ita & hodie dicere liceret ad quosdam dubiæ religionis homines, qui malunt semper dubitare, & inter utrumque fluctuare, quam alterutrum maturo consilio eligere: Usquequo claudicatis in duas partes? Si apud catholicos est vera Ecclesia, vera fides, & quæ Marci cap. XVI. promissa sunt fidem secutura miracula, sequimini eam, adhærere illi; sin apud calvinistas, aut lutheranos, eos sequimini.

V. 40. DIXITQUE ELIAS AD EOS: APPREHENDITE PROPHETAS BAAL, ET NE UNUS QUIDEM EFFUGIAT EX EIS. Quidam putant Eliam eos occidisse tantum, quia imperavit occidi, alii arbitrantur eum quosdam etiam propriis manibus interemisse, sicut Samuel Agag Regem Amalec. Sed, sive per se, sive per alios, Scriptura dicit de eo, quod DUXERIT EOS AD TORRENTEM CISON, ET IBI EOS INTERFECERIT. Quod ut minimum intelligendum, eos iussione Eliæ interfectos fuisse. Quod si Propheta Dei recte & iuste fic animadvertit in prophetas Baal, recte etiam & iuste Principes christiani supplicio mortis animadverterunt in eos, qui hodie populum falsa doctrina seducunt. Quod enim in populo Israelitico erant idola, & idolorum prophetæ, hoc in populo christiano sunt hæretica dogmata, & eorum dogmatum auctores & doctores. Legitime autem id fecit Elias, quia iussu Domini. Sic enim sequitur postea: *Iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc*. Et constabat hoc satis populo per miraculum præcedens incensi holocausti.

MARIANAE.

Vers. 3. ABDIAM DISPENSATOREM DOMUS SUAE. Heb. *Qui erat super domum regiam*, scilicet procuratorem. Eum vocavit Achab. Erat pius, & pavit Prophetas

V. 4. IN SPELUNCIS. Hebr. *in spelunca*, singulare pro plurali. Sept. *in duabus speluncis*. PANE ET AQUA. Per *panem & aquam* possumus intelligere alios cibos & potus. Aut Deus sic solet providere suis necessaria, non delicata. Quid illi iubet Achab? Vade in terram, quære herbam

V. 5. IN CUNCTAS VALLES. Sept. *torrentes*. Vox Hebr. *nahal* significat locum demissum, in quem aqua dilabitur. ET

NON

NON PENITUS IUMENTA INTEREANT. Hebr. *Et non ſcindamus* (ſcilicet urbem) *a iumentis*; id eſt, non ſinamus ſpoliari. Sept. *Et non interibunt nobis iumenta*. Chald. *Et non deficiemur iumentis*. An Abdias, de quo hic, fuit qui eo nomine vocatur inter Prophetas minores? Videtur. De quo in eius Prophetæ initio. Achab ad Eliam:

V. 17. TUNE ES ILLE, QUI CONTURBAS ISRAEL? Quoniam Elias prædixit pluviarum inopiam, Achab credebat eo auctore id contingere. Elias:

V. 21. USQUEQUO CLAUDICATIS IN DUAS PARTES? Sept. poſuerunt: *Uſquequo claudicatis in duos poplites*? Chald. *diviſi eſtis in duas partes*. Hebr. *in duas cogitationes*. More claudorum non figitis uno loco pedem, ſed in utrumque flectentes latus, iam Dominum putatis Deum eſſe, iam Baal. Rurſus Elias:

V. 22. REMANSI...SOLUS. Sic putabat ſe ſolum ſupereſſe e veris Prophetis. Dentur duo boves,

V. 23. EGO FACIAM BOVEM ALTERUM, id eſt ſacrificabo. Chald. *parabo*. Elias prophetas Baal:

V. 25. FACITE PRIMI, QUIA VOS PLURES ESTIS. Primas illi partes dat, eum honorem multitudini habens.

V. 26. CUM TULLISSENT BOVEM, ſcilicet falſi prophetæ, QUEM DEDERAT EIS, Achab ſcilicet. TRANSILIEBANTQUE ALTARE. Hebr. *Et claudicabant ſuper altare*. Chald. *inſaniebant*: ſe inſanos & claudos ſimulabant. QUOD FECERANT. Hebr. *quod fecerat*: ſic Chald. ſcilicet aliquis eorum; aut ſingulare pro plurali: ſic Sept. & Hieronymus vertunt in plurali: aut activum pro paſſivo, *quod fecerat*; id eſt, quod factum erat: ſic Hebræus. Elias ad prophetas: Clamate fortius: Deus veſter

V. 27. FORSITAN LOQUITUR. Hebr. *Quia colloquium aut negotium*. AUT IN DIVERSORIO EST. Hebr. *Quia apprehenſo illi*; id eſt, inimicos inſequitur.

V. 29. ILLIS PROPHETANTIBUS, id eſt *inſana vanaque loquentibus*: ſic Chald. tranſiit meridies. Elias

V. 30. CURAVIT ALTARE. Hebr. *ſanavit*, pro refecit, extruxit. Metaphora ducta ab ægrotis.

V. 32. FECITQUE AQUAE DUCTUM, id eſt foſſam circumduxit. QUASI PER DUAS ARATIUNCULAS. Hebr. *quaſi domum* (id eſt locum) *duorum ſatorum*; id eſt, in quo duo ſata frumenti ſeri poſſunt. Ea eſt area quinquaginta cubitorum, quoquoverſus, iuxta Rabbi Kimhi. Satum continet modium unum, duos noſtros cenſemines. Implete

V. 34. QUATUOR HYDRIAS. Hebr. *quatuor cados*. Cadus & amphora idem. Septuag. *hydrias* poſuere. Fundi fecit ſuper altare eam aquam.

V. 35. ET FOSSA AQUAE DUCTUS REPLETA EST. Hebr. *Et foſſa repleta eſt*. Sed quoniam ea aream non modicam circumdabat, quomodo cadis viginti quatuor potuit repleri? forſan eo reſpexere qui pro *cadis*, *hydrias*, id eſt dolia, poſuere. Memento hydrias Evangelii capere metretas binas vel ternas: Ioan. II. verſ. 6. id eſt cados, ſeu amphoras tot.

V. 36. OMNIA VERBA HAEC; id eſt, omnia quæ feci, ex tuo præcepto feci, o Deus.

V. 37. ET TU CONVERTISTI COR EORUM ITERUM. Hebr. *Et tu converti ſti cor eorum retrorſum*, ſcilicet ne pœniterent & ſanarentur, tuo id numine, te permittente eſt factum. Cecidit ignis, & omnia conſumpſit

V. 38. LAMBENS, id eſt ſiccans. Alia combuſſit, alia ſiccavit ignis de cælo. Elias

V. 40. INTERFECIT EOS IBI: ſcilicet iuſſit interfici a populo pſeudoprophetas eos. Tum ad Regem:

V. 41. ASCENDE, COMEDE, ET BIBE, o Achab. Aſcendit in currum, ut ibi comederet; aut in tentorium, quod erat in loco ſuperiori. *Comede*. Quidam putant ieiunaſſe, ut a Deo pluviam impetraret. Ergo quaſi voti compos, comede.

V. 42. PRONUS IN TERRAM. Chal. *Incurvavit ſe in terra Elias*. POSUIT FACIEM SUAM INTER GENUA SUA, ut memor originis, ſe amplius humiliaret. Sic fetus in ventre matris eſt, cum agit in illis ſordibus. Et ut lacrymas ſibi excitaret, propter communionem, quæ natura eſt genibus cum oculis, propter eam coniunctionem in ventre matris. Unde genua ſupplices tangunt, ut miſerationem moveant. De qua re plura Plinius

Lib. IX. cap. XLV. & Iſidorus Lib. II. de Differentiis, & XI. Etymol. cap. I.

V. 43. DIXIT AD PUERUM, id eſt famulum. Quidam putant filium mulieris Sareptanæ. CONTRA MARE: ad occaſum proſpice. Ille:

V. 44. ECCE NUBECULA PARVA QUASI VESTIGIUM. Sic Sept. Hebr. *vola manus*. ASCENDE, id eſt ito: nam Elias & puer in ſuperiori loco erant, in vertice Carmeli. Aut poſtquam e Carmelo deſcenderis, aſcende in locum ubi eſt Achab.

V. 45. CUMQUE SE VERTERET HUC ATQUE ILLUC. Hebr. *Et fuit uſque ſic, & uſque ſic*; id eſt, inter hæc, dum illi diſceſſum pararent, cælum nubibus eſt obductum. ACHAB ABIIT IN IEZRAHEL, quæ erat in Iſrael: nam altera erat in Iuda: Ioſue XV. verſ. 55.

V. 46. ET MANUS DOMINI. Chald. *Spiritus fortitudinis*. Dei virtus fuit ſuper Eliam, ut nihil prohibente pluvia curreret ante currum.

MALVENDAE.

Verſ. 1. POST DIES MULTOS .... IN ANNO TERTIO. Exponunt, Id eſt elapſis ſex menſibus ſupra annum tertium, ex quo in domo viduæ poſt mortuum, & excitatum filium eius, manſit. Tres anni & ſex menſes fuere ſiccitatis: primum annum egit in torrente Cherith paſtus a corvis, ſupra cap. XVII. verſ. 7. ſecundum apud viduam Sareptanam, ante mortem, & excitationem filii eius, ibidem verſ. 15. tertium, & ſex amplius menſes, apud eamdem viduam, poſt revocatum in vitam eius filium: & hoc eſt quod hic dicitur, *Poſt dies multos .... in anno tertio*. Vide ſupra cap. XVII. verſ. 1. Alii interpretantur, *Anno tertio* abſconſionis ſuæ: nam ſiccitas duravit tres annos, & ſex menſes: Elias ſex primis menſibus ambulavit in propatulo, quod Achab eam ſiccitatem naturæ, non denuntiationi Eliæ adſcriberet; ſed cum videret perſeverare, voluit prehendere Eliam; ac tunc ille ſubduxit ſe, delituitque triennio, partim in torrente Cherith, partim apud viduam Sareptenam. Nonnulli divinant, *In anno tertio* a diſceſſu eius de torrente Cherith: quod non placet. ET OSTENDE TE ACHAB, ea dicturus, & facturus, quæ in ſequentibus narrantur; ut ipſe docet infra verſ. 36.

V. 2. IN SAMARIA. Notant eſſe ſynecdochen, id eſt in regno Iſraelis.

V. 5. HERBAM. חציר *chatzir* aiunt eſſe *fœnum, ſeu gramen oblongius, & craſſius, creſcens in locis incultis, pabulum adminiſtrans vel animalibus, vel igni*, & ſecatur falce: nam cognationem habet cum verbo קצר *katzar*: & Lucæ XII. verſ. 28. Græce χόρτος redditum eſt: habetque ſimilitudinem quamdam cum gladiolo, ſicut ſumitur ex Pſal. CXXVIII. verſ. 6. Alii volunt, *herbam* generaliter ſponte ſua virentem indicare. *Virorem*, vel *viriditatem* univerſe licet exponere. Vox Hiſpanica, ſeu Arabica, *Alcazer*, congruit cum Hebræa: nam *Al* eſt Arabicus articulus: ſic vocant hordeum virens ſectum pro pabulo iumentorum. Vide Numeror. XI. verſ. 5. ET NON PENITUS IUMENTA INTEREANT. Hebr. *Et non exſcindemus*, vel *exſcindere faciemus de iumento*. Quidam: *Neque privemus urbem*, vel *nos iumentis*; id eſt, ne deſtituamur iumentis. Alii: *Et non exſcindamus nos a iumentis*: vel, *Et non finamus exſcindi nobis iumenta*. Hypallage.

V. 9. QUID PECCAVI, QUONIAM TRADIS ME? &c. Explicant: Ideſt, occaſionem præbes mandato hoc tuo, qua Achab me ſibi putans illudere, appetat vitam meam; ut explicatur verſ. 12.

V. 10. ADIURAVIT REGNA SINGULA, ET GENTES, EO QUOD MINIME REPERIRERIS. Exponunt: Non contentus ſimplici relatione nuntiorum ſuorum, voluit teſtimonia iurata a regnis & gentibus, quod non repertus eſſet ibi Eliiahu. Quidam reddunt: *Regnum & gentem iuramento obſtrinxit, quod te non inveniſſet*. Alii: *Etiam adiuravit regnum & gentem, quia non poteſt invenire te*: quaſi iuramenti religione altrinxerit ad prodendum Eliiahu, eo quod aliis diligentiis eum invenire non poſſet. Forſan innuit, Achab iuramento ſe obſtrinxiſſe regno & genti Iſraeliticæ, ſe nullibi inveniſſe Eliiahu, quamquam diligentiſſime eum perquiviſiſſet: quod populus eum ſeditioſe poſtularet, ut qui ſiccitatem induxerat, eam depelleret: & culpam in Regem reiiceret, quod non omni cura Eliiahu inquireret.

V. 12. IN LOCUM QUEM EGO IGNORO.

RO. Hebr. *Super quod non cognoſcam*. Quidam: *Ad locum quem non cognoſcam*, mihi ignotum. Alii, *Neſcio quo*.

V. 15. ANTE CUIUS VULTUM STO. Vide de hac locutione cap. XVII. verſ. 1.

V. 17. TUNE ES ILLE QUI CONTURBAS ISRAEL? Hebr. *An tu iſte perturbator Iſraelis?* id eſt, qui tantam ſiccitatem & famem in Iſraelem immitis?

V. 18. ET SECUTI ESTIS. Hebr. ſingulariter, *Et ambulaviſti:* emphatice; quaſi dicat: Tu præcipue ac ſingulariter præ aliis ſecutus es idola. BAALIM. Vide Iudic. II. 11.

V. 19. CONGREGA AD ME UNIVERSUM ISRAEL, id eſt age publicum conventum regni Iſraelitici, quo conveniant primores regni: alioqui non eſt veriſimile omnem Iſraeliticum populum conveniſſe. IN MONTE CARMELI: de quo vide Ioſue XII. verſ. 22. PROPHETAS QUE LUCORUM QUADRINGENTOS. Hebr. in ſingulari, *Et prophetas luci quadringentos*, id eſt prophetas illius luci, de quo ſupra cap. XVI. verſ. 33.

V. 21. USQUEQUO CLAUDICATIS IN DUAS PARTES? Vocem פְּסִחִים *ſeghiphim* ponitur, aiunt ſignificare generaliter quamlibet cuiuslibet rei *progreſſionem*, *protenſionem*, *prominentiam*, *præeminentiam*, *excellentiam*, *exceſſum*. Varie hic reddunt. I. *Quamdiu tranſilietis in duas prominentias?* id eſt extrema, ſeu duo extreme oppoſita: *Si Iehova eſt Deus, ite poſt eum; ſin Bahal, ite poſt eum*. Notant, Paulum organum electum, duo illa extreme oppoſita pulchre expreſſiſſe II. Corinth. VI. 14. *Ne ducatis iugum cum incredulis: quod enim conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid convenit templo Dei cum ſimulacris?* Et ſingulari conſilio & induſtria pro Iehova, Chriſtum, & pro Bahal, quadam alluſione Beliiahal ſubſtituiſſe: itaque exiſtimant Paulum illis verbis ad hunc locum reſpexiſſe. II. *Quouſque tranſaltabis ſuper duos ramos?* hic enim hæc vox accipitur Iſaiæ XXVII. 10. & XVII. 6. quod rami ſint extremæ arborum prominentiæ ſeu ſummitates, nempe extrema arborum verbera: metaphora ab avium deſultoria in ramos arborum inconſtantia; III. Plerique Hebræorum, ac noſtrorum convertunt: *Quouſque tandem claudicatis in duas cogitationes?* vel *quouſque claudicaturi eſtis in duabus iſtis cogitationibus?* ſeu *opinionibus?* quod cogitationes e corde ceu rami ex arbore progerminent. Exponunt: Id eſt, quouſque in dubio erunt conſcientiæ veſtræ quem cultum ſequamini? nam neque cultui vitulorum, quem vos Iehovæ exhibere putatis ex inſtitutione Iarobhami, neque Bahalimis, quos recens inſtituit Achab, plane acquieſcitis: denique neſcitis utrum veterem novo, an novum veteri præferre debeatis. Hæc autem quæ ſequuntur, non per aſſeverationem, ſed per conceſſionem tantum dicuntur. ET NON RESPONDIT EI POPULUS VERBUM: vel pudore confuſus, ob inconſtantiam, & defectionem a Deo; vel quia dubitabant uter veri Dei cultus eſſet; aut hærebant, donec miraculo Eliæ confirmati ſunt.

V. 22. EGO REMANSI PROPHETA DOMINI SOLUS, nimirum qui publice, palamque tuear gloriam, & honorem Domini, præſertim in hoc conventu: nam non eſt dubium plures alios fuiſſe Prophetas veri Dei latitantes metu Izebelæ, ſupra verſ. 13. PROPHETÆ AUTEM BAAL, QUADRINGENTI ET QUINQUAGINTA VIRI SUNT. Quidam exponunt, non comprehenſis prophetis luci, de quibus ſupra verſ. 19. Alii ſynecdochice omnes comprehendunt, nempe octingentos quinquaginta, e verſ. 19.

V. 23. DENTUR NOBIS DUO BOVES, &c. Hebr. quatuor priora verba huius verſus ſunt præterita, quæ tamen omnes per futura vertunt: *Et dabuntur nobis duo iuvenci*: ſeu potius, *Et dabunt nobis duos iuvencos*: vel, *Et dent nobis duos iuvencos*; ſubaudi, ſervi Achab. Ex verbo: *Et dederunt nobis duos iuvencos, & elegerunt ſibi*, &c. ut operis certam, & promptam executionem indicaret, uſus eſt præterito. De hoc ſacrificio Eliæ extra ordinem, vide Levit. XVII. verſ. 7. ET EGO FACIAM BOVEM ALTERUM; id eſt, parabo in ſacrificium. Sic infra verſ. 25. & 26. Verbum עשׂה *ghaſah*, Hebræis, & Latinis *facere*, pro *ſacrificare*, plerumque in Scriptura uſurpari, ſatis docuimus in Exodi XXIX. 36.

V. 24. INVOCATE NOMINA DEO-

RUM VESTRORUM. Apoſtrophe ad prophetas Bahal. QUI EXAUDIERIT PER IGNEM. Hebr. *Qui reſpondebit in igne*. Aliqui: *Qui teſtificabitur igne*; id eſt, teſtimonium veritatis ſuæ igne cœlitus demiſſo edat omnibus ſpectantibus, ut dicitur infra verſ. 38. Sed aptius eſt: *Qui reſpondebit in ignem*; id eſt, nobis eum invocantibus, reſpondeat dimittendo ignem de cœlo, qui conſumat ſacrificium, comiraculo oſtendens ſe voces exaudiviſſe noſtras, & ſe verum Deum eſſe.

V. 25. QUIA VOS PLURES ESTIS; quaſi dicat: Videtur hic honos multitudini veſtræ deferendus, ut priores ſacrificetis.

V. 26. QUEM DEDERAT EIS. Subaudiunt, Achab, vel is qui eum adduxerat. Alii: *Quem conceſſerat eis*; id eſt, cuius optionem dederat, ſeu quem propoſuerat, ſupra verſ. 23. TRANSILIEBANTQUE ALTARE QUOD FECERANT. Hebr. eſt ſingulare *fecerat*; ſubaudi, unus, vel maximus eorum, vel Achab: aut poſitum ſingulare pro plurali; quaſi dicat: Unuſquiſque illorum ſacerdotum ſuam operam præſtiterat in conſtruendo eo altari. Exponunt: Et tranſiliebant, inſiliebant, ſaltabant, quaſi fanatici, & mente capti eſſent, iuxta altare. Fortaſſis ritus erat ei ſimilis quem Virgilius deſcribit IV. AEneidos:

Aut ante ora deum pingues ſpatiatur ad aras.

Ubi Servius: *Quidam genus ſacrificii appellant, quo veteres, cum aras circuirent, & rurſus cum reverterentur, & deinde conſiſterent, dicebant minuſculum ſacrum.* Quidam: *Et ſaltabant*, ſeu *claudicabant iuxta altare*: quem ritum ignorari aiunt. Forte ſaltabant, ac tripudiabant, ſeu choreas ducebant circum altare. Nonnulli: *Et inſultaverunt in altare, quod fecerat Eliahu.* Explicant: Id eſt, poſt meridiem furorem propheticum ſimulantes, ut ipſum everterent. Vide infra verſ. 29. & 30. provocati ſarcaſmis Eliæ: nam prolepticus hic verſus tribus ſequentibus exponitur.

V. 27. CLAMATE VOCE MAIORE: DEUS ENIM EST. Exponunt: Clamate voce magna, alta, ſublata, clara, nam Deus eſt, ut dicitis, & ſuapte natura audire poteſt: & ſi non audit, hoc ideo foran quia occupatus eſt in aliquo negotio, aut colloquio, &c. ET FORSITAN LOQUITUR. Heb. *Quia meditatio*. De voce שיח *ſiach* vide I. Samuel. I. 16. Hic varie reddunt: 1. *Aut quoniam* illi forte *eſt ſermo*, vel *meditatio*, *colloquium*, aut *negotium* aliquod, quod cogitet, aut tractet: 2. *Quoniam Deus ipſe eſt, ideo colloquium*, aut *occupatio*, *illi*. AUT IN DIVERSORIO EST. Hebr. *Et quia attinctio ei*. Vocem שיג *ſig* diverſimode interpretantur. 1. *Aut quoniam inſecutio, inſectatio, eſt illi*, vel hoſtium, vel ferarum; quaſi dicat: Forte occupatus eſt in bello, vel in venatione. II. *Et quia additio ipſi*, negotii alicuius; id eſt, ſupervenit ei aliquod negotium. III. *Aut quia applicatio* ad aliquod negotium, ſeu *occupatio, eſt illi*.

V. 28. ET INCIDEBANT SE IUXTA RITUM SUUM CULTRIS ET LANCEOLIS. Hebr. *Et irrumpebant, incurrebant, latrocinabantur in ſe .... gladiis & lanceis*. Vide de hoc more gentilico Deuteron. XIV. verſ. 1. cuius etiam meminit S. Cyrillus in Iſaiæ XV. his verbis: *Idolorum cultoribus ſolemne fuit entomidas, quas vocant, & inciſiones cum genis, tum brachiis inferre*. De ſacerdotibus Deæ Syriæ Lucianus: *Enſibus ſecabant brachia*. Apuleius Lib. VIII. de eiſdem: *Morſibus ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum anciſiti ferro, quod gerebant, ſua quiſque brachia diſſecabat*. Martialis Lib. XI. epigrammate LXXXV.

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris.
Cum furit ad Phrygios entheæ turba modos.

Propertius Lib. II. elegia XXII.

Cur aliquis ſacris laniat ſibi brachia cultris,
Et Phrygis inſanos cædatur ad numeros?

De ſacerdotibus Bellonæ Lucanus I. Pharſaliæ:

.... quos ſectis Bellona lacertis,
Sæva movet ...

Tibullus Lib. I. elegia VII.

Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos.

Vide Lactantium Lib. I. cap. XXI. Herodotus Lib. II. num. 161. de feſto Iſidis in urbe Buſiri: *Verberantur enim poſt ſacrificium cuncti & cunctæ, multa ſane hominum millia: adeo quidem ut gladiis quoque*

fron-

frontes concidant. Nihil frequentius apud ſacerdotes novi orbis occidui.

V. 29. ET ILLIS PROPHETANTIBUS. Hebr. *Et prophetaverunt*. Quidam exponunt: Id eſt, & cultum Bahal exercuerunt: vel, Et nomen Bahal invocaverunt, inſiliendo ad altare, & ſe cultris incidendo. Alii: Et inſanierunt, delirabant, bacchabantur, abſurda & aliena ſpiritus mali impulſu loquebantur, & agebant. Vide I. Samuel. XVIII. verſ. 10. VENERAT TEMPUS, QUO SACRIFICIUM OFFERRI SOLET. Hebr. *Uſque ad aſcendere ſacrificium*. Quidam: *Uſque ad aſcenſum muneris*; id eſt, uſque ad tempus quo illud ſacrificium offerendum erat ab illis paulo poſt meridiem. Alii: *Uſque dum offertur munus*; id eſt, uſque ad tempus veſpertinum, quo munus offerebatur, Exodi XXIX. 39. & 41. Sic infra verſ. 36. Simile habetur II. Reg. III. 20. & Iudith IX. 1.

V. 30. QUOD DESTRUCTUM FUERAT. Notant, olim eo loci conſtructum aliquod altare in honorem Dei, quod illud inſigne excelſum fuerit; ac poſtea dirutum, quod nunc Eliiahu inſtaurat. Facit huc locus Cornelii Taciti Hiſtoria II. *Et Iudæam inter Syriamque Carmelus (ita vocant montem, deumque) nec ſimulacrum Deo, aut templum (ſic tradidere maiores) aram tantum, & reverentiam*. Locus antiquitus videtur religioſus fuiſſe. Alii, *quod dirutum erat*, ab inſultantibus prophetis & ſacerdotibus, ſupra verſ. 26.

V. 31. DUODECIM LAPIDES, IUXTA NUMERUM TRIBUUM FILIORUM IACOB. Nimirum, ut hac altaris ſtructura (notant) doceret Iſraelitas omnes tribus ſimul in unum corpus Deo ſacrum debere coaleſcere, & avitæ dignitatis memores ab omni idolorum ſervitute abſtinere. ISRAEL ERIT NOMEN TUUM. Gen. XXXII. 28. & XXXV. 10.

V. 32. ET AEDIFICAVIT DE LAPIDIBUS ALTARE IN NOMINE DOMINI. Obſervant, altare iſtud conſtruxiſſe Eliam, ſpeciali mandato Dei hoc facto extra ordinem Iſraelitas revocantis; ac proinde contra legem non veniſſe, quæ eſt Levitici XVII. & Deuteron. XI. Vide Iudic. XXI. verſ. 4. FECITQUE AQUAEDUCTUM. תעלה *theghalah* exponunt *rivum, aquæductum, canalem, foveam, foſſam, ſulcum, elices, unde aqua ſuperne piſcinam illabitur*. Quidam *aſcenſum*, ſeu *aſcenſionem* aquæ exponunt, quod per eum aqua aſcendat, ac decurrat. Hiſpanicus Interpres *regadera* vertit. Sic infra verſ. 35. 38. QUASI PER DUAS ARATIUNCULAS. Hebr. *Secundum domum duorum ſatorum ſeminis*. Quidam exponunt, *Secundum domum*, id eſt *locum*, ſive *ſaccum*, *duorum ſatorum*; hoc eſt, tantæ capacitatis, quantæ eſt ſaccus capax duorum ſatorum ſementis. *Domus* hoc loco pro *ſacco*; ut alibi *domus manuum*, pro chirotheciis; & *domus animæ*, pro olfactoriolis. Alii, *Capientem quaſi duo ſata ſementis*. Quidam convertunt: *Et fecit canalem ſicut menſuram duorum ſatorum ſementis*; id eſt, fecit ſulcum, ſimilem ſulco inter porcas debita menſura ſeparatas, tantæ longitudinis circum ambitum altaris, ut in porca illius ſulci, duo ſata ſementis ſeri poſſent: non enim in ſulco, ſed in porca ſeritur. Quænam autem menſura ſit ſatum, expoſuimus in Geneſ. XVIII. verſ. 6.

V. 34. AQUA. Nam Carmelus, notant, imminet mari, unde aquam petebant. Sed facilius erat eam ex proximis fontibus haurire, qui in montibus eſſe ſolent: nec tanta ſiccitate prorſus exaruerant, ſupra verſ. 5. nam marina aqua non videtur apta ſacrificiis.

V. 36. CUMQUE IAM TEMPUS ESSET UT OFFERRETUR HOLOCAUSTUM. Heb. *Et fuit in aſcendere minchah*. Quidam: *Et fuit in aſcenſu muneris*, hoc eſt in offerendo ſacrificium illud. Alii: *Fuit autem, cum offerretur munus*, vel *cum offerri ſolebat ſacrificium*, nempe veſpertinum. Vide ſupra verſ. 29.

V. 37. ET TU CONVERTISTI COR EORUM ITERUM. Hebr. *Et tu convertiſti, circumduxiſti, cor eorum poſterius*, ſeu *retrorſum*. Quidam: *Et tu feciſti vertere cor eorum retro*; id eſt, effeciſti hoc novo ac tanto miraculo, ut verteretur cor eorum retro ab idololatria & cultu Bahalis, in quem populus præceps ruebat: & eos ad te converteſti. Nonnulli: *Quoque tu tandem convertiſti, & reduxiſti cor eorum*, quia a te retro actum erat. Aliqui: *Cum tu averteris animum eorum retrorſum*, ab idololatria, in quam præceps currebat, & ad te converteris. Vide Mercerum. Alii non tam recte: *Quoque convertiſti cor eorum*

sum retrorsum; id est, quod permisisti eos relinquere te, vel permisisti eos propter peccata sua incidere in idololatriam antehac.

V. 38. IGNIS DOMINI, a Deo de cælo immissus, vel magnus & vehemens. Simile quippiam agitari solitum in colle Vulcanio apud Agrigentum Siciliæ, auctor est Solinus cap. XI. *In quo*, inquit, *qui divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum porricias intulerint. Si adest Deus, sic sacrum probatur, sarmenta licet viridia ignem sponte concipiunt, & nullo inflagrante, altato numine sit incendium. Ibi epulantibus alludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit.* ET PULVEREM. Exponunt: Ex quo loco cæmenti constructum erat altare.

V. 40. AD TORRENTEM CISON. Vide Iosue XIX. vers. 20. Iudic. IV. vers. 7. ET INTERFECIT EOS IBI. Hebr. *Et macta vit, iugulavit, sacrificavit eos ibi*: apte usus est verbo sacrificali, quia de sacerdotibus est sermo; & quia illud erat sacrificium gratissimum Deo. INTERFECIT EOS, nempe per populum: iussit eos interfici, quamvis recte de zelo eius hoc reputari possit, ut ipse cædem cœperit.

V. 42. ET PRONUS IN TERRAM. Verbum גהר *gabar* reddunt, *Et procubuit, prostravit se, pronum se abiecit in terram*. Quidam, *Et gravit se*, seu *regravit se*; id est, faciem ponens inter genua sua, corpus in gyrum quemdam contraxit, & arcuatim se curvavit, & quasi in glomum corpus conformavit. Puto, flexis genibus, faciem inter genua depositit. Mirus habitus supplicis, ac demisse orantis.

V. 44. IUNGE. Hebr. *Liga*, *vinci*, id est, iunge equos currui, para currum. Plena locutio est Gen. XLVI. 29.

V. 45. CUMQUE SE VERTERET HUC ATQUE ILLUC. Varie Hebr. reddunt. I. *Et fuit usque huc, & usque huc.* II. *Et fuit usque sic, & usque sic.* III. *Et fuit dum sic, & dum sic est*; id est, interea dum hæc geruntur, nempe dum ministri se, & currus, aut vehicula parant. Simile illud Virgilianum:

Interea magno misceri murmure cælum,
Incipit, insequitur commixta grandine nimbus.

IN IEZRAHEL. Vide de hac urbe in Iosue XVII. vers. 16.

V. 46. ET MANUS DOMINI FACTA EST SUPER ELIAM, ACCINCTISQUE LUMBIS CURREBAT, &c. Quidam reddunt: *Manus autem Iehovæ adfuit Eliæ, ut confirmaret lumbos eius: ita præcurrit Achabo*; id est, robur & potentia Iehovæ adfuit Eliæ, ut vires suppeditaret, ut expedite pedes iter faceret ante currum Achami, a Carmelo ad Iezrahelem. Sic verbum שנם *schinnes*, quod alibi non reperitur in Bibliis, & quod omnes fere *accingere* vertunt, in *constringendi, astringendi*, & *confirmandi* significatione usurpant: quod non est alienum. Dissimili causa fuit ille cursus Maximiani Imperatoris, de quo Festus Rufus in Breviario: *Tanta a Diocletiano indignatione susceptus est, ut ante carpentum eius per aliquot millia passuum cucurrerit purpuratus.*

MENOCHII.

Vers. 1. IN ANNO TERTIO, elapso scilicet, & quarto inchoato, nam hæc sub finem siccitatis facta esse constat: ea autem annos tres, & menses sex tenuit, ut diximus capite superiori num. 1. UT DEM PLUVIAM SUPER FACIEM TERRÆ, te scilicet eam ipsi promittente, & impetrante a me.

V. 2. ERAT FAMES VEHEMENS IN SAMARIA. Erat & alibi, sed ibi maxime sæviebat ubi maxime vigebat impietas.

V. 5. ET SALVARE EQUOS, &c. Videtur Achab magis fuisse sollicitus de equis, & mulis, quam de hominibus, quos dira fames cruciabat.

V. 6. ACHAB IBAT PER VIAM UNAM, &c. Ipsemet Achab per se hunc laborem suscepisse videtur, ne ii quibus hanc curam imponeret, non satis fideliter hoc negotium obirent, victi precibus, aut muneribus eorum, apud quos herba reperiri posset. Abdiam vero habebat omnium fidelissimum.

V. 7. CECIDIT SUPER FACIEM SUAM, pronus illi tamquam Prophetæ Dei servo reverentiam exhibens.

V. 9. QUID PECCAVI? &c. quasi dicat: Non sum adeo de te, & de ceteris Prophetis male meritus, ut me in grande

de hoc periculum apud Regem abducere debeas.

V. 10. NON EST GENS, AUT REGNUM, &c. hyperbole. ADIURAVIT; id eſt, fecit iurare, vel obteſtando poſtulavit ut te indicarent: eſt enim proprie *adiurare* metu violandæ religionis, aut pietatis, aut incurrendæ divinæ ultionis, adigere ad aliquid faciendum.

V. 12. SERVUS AUTEM TIMET DOMINUM AB INFANTIA SUA, &c. Commemorat Prophetæ opera bona quæ geſſit ut periculum deprecetur, nec adigatur Eliæ adventum Achabo nuntiare.

V. 15. VIVIT DOMINUS, &c. Ut Abdiam eo metu liberet iureiurando affirmat ſe Regi adfuturum. ANTE CUIUS VULTUM STO: cui ſervio.

V. 16. VENIT ACHAB IN OCCURSUM ELIAE. Abulenſis putat Regem Eliæ occurriſſe honoris cauſa, & ut pluviam impetraret: verba tamen Regis aliud præ ſe ferunt.

V. 17. QUI CONTURBAS ISRAEL, ſterilitate, & fame.

V. 19. CONGREGA AD ME UNIVERSUM ISRAEL, &c. Nulla hic mentio fit pluviæ, ſed intelligendum eſt, eam Prophetam ſpopondiſſe, poſt populi conventum, & manifeſtam de Deo vero diiudicationem.

V. 21. USQUEQUO CLAUDICATIS IN DUAS PARTES? Deo ſcilicet ex parte ſervientes, retento aliquo illius cultu, & ex parte etiam ſervientes idolis.

V. 23. FACIAM BOVEM ALTERUM, id eſt ſacrificabo: ſic nomen *faciendi* uſurpatur aliquoties in hoc capite, ſicut & verbum ποιεῖν apud Septuaginta, & Hebræos עשׂה *haſa*, quomodo dixit ille:

Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

V. 24. QUI EXAUDIERIT PER IGNEM, igne de cælo miſſo, quo ſacrificium incendatur.

V. 25. OPTIMA PROPOSITIO. Propoſitionem populus admittit, nec illam audent reſpuere pſeudoprophetæ, ne cauſæ ſuæ nocerent, & ſperabant dæmones ignem ſacrificiis immiſſuros. Sane dæmones niſi impediantur a Deo, id poſſunt, & temporibus Antichriſti id facturos conſtat. *Beſtia enim*, ait S. Ioan. Apocal. XIII. 13. *fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.*

V. 26. TRANSILIEBANTQUE ALTARE QUOD FECERANT. Ex certa quadam cæremonia cultus Baal, ſicut Dagonis cultores tranſiliebant limen, I. Regum v. 5.

V. 28. INCIDEBANT SE ... CULTRIS, ET LANCEOLIS. Amavit ſemper diabolus pro ſua ſuperbia, qua gaudet nobiliſſima creaturarum ſibi ſanguinem, in teſtimonium divinitatis offerri, & pro ſuo in humanum genus odio, humani ſanguinis effuſionem. Itaque vel humanas requirebat victimas per ſacrificia, quæ Moloch idolo offerebantur, vel cruentis aliis cæremoniis delectabatur.

V. 29. ILLIS PROPHETANTIBUS. Chaldæus, *Inſanientibus*, ut ſupra dicebatur Saul prophetare in medio domus ſuæ. TEMPUS QUO SACRIFICIUM OFFERRI SOLET. Significat conveniſſe inter Eliam & pſeudoprophetas, ut tempus matutinum eis concederetur ad devorandum cælitus ignem, Eliæ vero veſpertinum; unde & Septuaginta habent: *Et factum eſt circa tempus meridianum ut ſacrificandum eſſet.* Vulgatæ noſtræ editionis textus ſignificare videtur adveniſſe tempus veſpertinum, quo iuge holocauſtum ſacrificari ſolebat, iuxta legem Exodi XXIX. 38. & Numer. XXVIII. 3.

V. 30. VENITE AD ME: adeſte oculis, & animis, propius etiam accedite ut obſervetis num victimæ clam ignem ſubiiciam. CURAVIT ALTARE DOMINI, purgavit, refecit.

V. 31. IUXTA NUMERUM TRIBUUM FILIORUM IACOB: ut ſignificaret ſe nomine omnium tribuum ſacrificaturum, ut ad Domini legitimum cultum reducerentur omnes. ISRAEL ERIT NOMEN TUUM. Vide Geneſ. XXXII. 28.

V. 32. IN NOMINE DOMINI, in honorem Dei erectum. DUAS ARATIUNCULAS, duos ſulcos, quales aratro ducuntur. Hebr. & Chald. *Locum capientem duo ſata ſeminis*. Septuaginta, *Locum capientem duas metretas ſeminis.*

V. 34. IMPLETE QUATUOR HYDRIAS AQUA, &c. Aqua ſuperfunditur ut magis evidens ſit miraculum inflammata materia humente, & minime diſpoſita.

V. 36. IUXTA PRAECEPTUM TUUM; te

te per inſpirationem tuam me urgente ut ita facerem.

V. 37. ITERUM, id eſt *retrorſum*, ut eſt in Hebræo, ut ſcilicet in rectam viam redeant. Septuag. *Poſt te*.

V. 40. APPREHENDITE PROPHETAS BAAL, &c. Non auſus eſt Achab reſiſtere miraculi ſtupore attonitus, & populum concitatum in impoſtores formidans. TORRENTEM CISON, qui ex monte Thabor effuſus pene ad radices Carmeli excurrit, ut videre eſt in tabulis Adrichomii.

V. 41. COMEDE, ET BIBE, &c. quaſi dicat: Lætus cibum ſume, nec ſis amplius ſolicitus, brevi enim pluviam viſurus es. SONUS MULTAE PLUVIAE EST: iam imminent ſonantes imbres.

V. 42. ASCENDIT IN VERTICEM CARMELI. Deſcenderat enim ad torrentem pſeudoprophetas mactaturus. POSUIT FACIEM SUAM INTER GENUA SUA. Primo procubuit in genua, deinde demiſit caput ſuum uſque in terram, & genua ſua in ſignum humillimæ, & ferventiſſimæ orationis. Joſephus putat Eliam oraturum ſediſſe; ſed hic habitus minus decere videtur orantem.

V. 43. PROSPICE CONTRA MARE, mediterraneum, quod eſt ad occidentem terræ ſanctæ, & e Carmelo videri poteſt. REVERTERE SEPTEM VICIBUS. Non ſignificat dictum puero ut iret, redireteque ſepties, quaſi deambulando; ſed Prophetam ſepties edixiſſe famulo ut iret ad contemplandum mare, totidemque illum vicibus rediiſſe ad dominum nuntiando ſe nullum pluviæ veſtigium agnoſcere. Notandum eum Abulenſi, Dominum, qui ſtatim ad mittendum ignem exoratus fuerat, in danda pluvia ad eiuſdem Eliæ preces cunctatum eſſe, quia prior illa oratio fiebat coram populo, cuius fides periclitabatur, ſi tardius ignis deſcendiſſet. At nunc aberat populus, nec Elias ſcandalum paſſurus erat, & Deus ei fortaſſe conſulebat, ne quid humanitus ab inani gloriola pateretur, ſi ſtatim nunc quoque voti compos fieret.

V. 44. QUASI VESTIGIUM HOMINIS. Chald. *Nubes parva ſicut vola manus hominis aſcendit de occidente*.

V. 45. CUMQUE SE VERTERET HUC ATQUE ILLUC. Chald. *Et fuit dum ſe expediret & deſcenderet*. IN IEZRAEL, unam de civitatibus regni ſui. Eam Hieronymus in tribu Manaſſe fuiſſe, dicit in finibus Iſſachar. Joſephus Azari urbem vocat, eique cognomen alterum in tribu Iuda conſtituit D. Hieronymus in Locis Hebraicis.

V. 46. MANUS DOMINI FACTA EST SUPER ELIAM, id eſt vehemens inſpiratio, quæ eum quaſi manu prehenſum ad iter impulit, vires etiam addens ad currendum, iam enim erat ſenex. Vide capite ſequenti num. 4. DONEC VENIRET IN IEZRAEL. Potius in Iezrael, quam in Samariam iter intendit, quia propius diſtabat Iezrael, & pluvia cogebat ut quamprimum tectum ſubiret, & quia in Samaria erat Iezabel Eliæ infeſta, cuius furor declinandus erat.

TIRINI.

Verſ. 1. IN ANNO TERTIO, ſcilicet famis ubique graſſantis. Et erat iam elapſum ſpatium trium cum medio annorum negatæ pluviæ, quæ paucis poſt menſibus cœpit cauſare famem.

V. 3. VOCAVIT ACHAB ABDIAM DISPENSATOREM DOMUS SUAE, ſeu œconomum aulæ regiæ. Hunc Abdiam putat, ex Joſephi, *a* & aliorum Hebræorum ſententia, Theodoretus, Comeſtor, Abulenſis, & Lyranus, maritum fuiſſe illius viduæ, cuius inopiæ proſpexit Eliſeus, multiplicando oleum in vaſis, IV. Reg. IV. Iidem, & plures alii dicunt fuiſſe unum ex duodecim Prophetis minoribus, nempe qui quarto loco recenſetur. Quod ſi ita eſt, ducentis prope annis anteceſſerit omnes alios minores Prophetas. Ioannes *b* Epiſcopus Ieroſolymitanus tradit, eumdem Abdiam fuiſſe illum quinquagenarium, qui tertio loco miſſus a Rege Ochozia IV. Reg. I. verſ. 13. Eliam ad Regem deduxit, ac deinde relicta aula, reliquis Eliæ diſcipulis ſeſe adiunxit. Ita ille, & pluresalii, neque omnino improbat Sanctius. Sed nos in pro œmio Abdiæ Prophetæ id examinabimus.

V. 24. DEUS QUI EXAUDIERIT PER IGNEM; id eſt, qui miſſo cœlitus igne, victimam abſumpſerit, atque ita vota preceſque ſacrificantium exaudierit, is pro vero Deo ab omnibus habeatur, & publi-

publice colatur. Hoc enim signo solebat Deus pene omnibus sæculis iam inde a primo mundi exordio testatum facere, gratum sibi esse sacrificium, ut patuit in Abel *c*, Aarone *d*, Gedeone *e*, Davide *f*, & recens in Salomone *g*. Unde & audacter illud hic proponit Elias, & ab omni populo facillime admittitur.

V. 26. TRANSILIEBANT ALTARE, inter dissectas victimæ partes, quasi ipsi quoque seipsos pro victima darent. Et prius quidem incruenti transiisse ac transiliisse videntur: at postea, cum sentirent Baalem ad se audiendos tardiorem, cultris & lanceolis scapulas humerosque cruentatos in medium protulerunt, & inter frusta victimæ identidem transilientes, sanguinem suum sanguini bovis admiscuerunt, tristi sane & miserando spectaculo. Sed gaudet eiusmodi sævitia crudelis dæmon: quin & humanas frequenter victimas deposcere, vidimus in idolo Moloch, supra cap. XI. vers. 5. & docent Dianæ Tauricæ, & Idææ, & Bellonæ cruenta & vere bellusna sacra, apud Tibullum. Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Lactantium, & Prudentium *b*. Et fidem faciunt etiam nostro sæculo regiones in Indiis, & aliis ultra oceanum locis nuper ab Hispanis & Lusitanis detectæ, in quibus passim humanæ victimæ cacodæmoni immolantur, etiam ultro, nec repugnantes.

V. 30. ELIAS INSTAURARI CURAVIT ALTARE QUOD DESTRUCTUM FUERAT, puta a sacerdotibus Baal. Cum enim viderent hi se clamando sacrificandoque nihil a Baale obtinuisse, certoque scirent extremam sibi ignominiam ex Eliæ sacrificio, ni præpediant, imminere, ira & furore rabidi in aram ab Elia paulo ante ritu Hebræorum constructam, agmine facto profiliunt, disturbant, deiiciunt. Sed Elias vi & armata populi manu sacrificulos compescens, aliam exemplo aram sibi excitat ex duodecim lapidibus, quasi nomine, & pro salute duodecim tribuum istic præsentium. Ita Serarius, & Sanctius.

V. 32. FECITQUE AQUAE DUCTUM, &c. nempe ut certius illustriusque esset in humentibus tam victimis, quam lignis miraculum ignis cælitus evocati; & omnis abesset suspicio fraudis, qua quis forsan cavillari potuisset, ignem non superne, sed inferne ex subterranea fovea, ubi clausus

asservabatur, artificio prorupisse. Nam *Vidi ego ipse*, inquit Chrysostomus *i*, *in idolorum altaribus foramina quædam & foveam obscuram ex inferiori parte altaris. Descendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foraminibus quæ dixi, ignem suffiant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum cælestem esse existiment. Ne igitur & Elias in similem suspicionem veniret, aquam effudit*, qua foramina, si quæ essent, complerentur. Ita Chrysostomus, Lyranus, & Sanctius.

(*a*) Ioseph. Lib. IX. Antiquit. cap. 11.
(*b*) Ioannes Ierosol. de Institut. Monach. cap. XV. Tom. VII. Biblioth. SS. Patrum.
(*c*) Genes. IV. vers. 4.
(*d*) Levit. IX. vers. 24.
(*e*) Iudic. VI. vers. 21.
(*f*) I. Paral. XXI. vers. 26.
(*g*) II. Paralip. VII. vers. 1.
(*h*) Tibullus a Sanctio citatus. Alex. Lib. VI. Genial. cap. XXVI. & ibi Tiraquel. Lact. Lib. I. de falsa religione cap. XXI. Prud. in Hymno de sancto Romano.
(*i*) Chrysost. apud Metaphrast. & Surium Tom. IV. ad vincula S. Petri.

GORDONI.

Vers. 1. HIC finitur tertius siccitatis annus, qui putatur Iosaphati nonus, & Achabi septimus, vel decimus.

V. 15. VIVIT DOMINUS. Locus theologicus, unde solent probare vitam in Deo.

V. 17. TUNE ES ILLE QUI CONTURBAS ISRAEL? Quia prædixit Elias siccitatem, Achab eum vult esse mali causam.

V. 22. & 23. REMANSI... SOLUS: certe quia alii latebant; aut etiam quia putabat se solum esse pietatis assertorem, & propugnatorem. FACIAM, sacrificabo.

V. 26. & 28. TRANSILIEBANTQUE ALTARE, scilicet gentilium ritu quodam, qui inter sectas victimæ partes inambulabant, aut etiam significando illo ritu se quoque velle esse victimas. Hinc etiam illud: INCIDEBANT SE... LANCEOLIS: extremum hoc illis restabat, ut sic proprio litarent sanguine. LXX. διέτρεχον

V. 29. ILLIS PROPHETANTIBUS. Ita etiam Septuaginta. Certe vana & ridicula agentibus, more impio Prophetas imitantium.

V. 32. DUAS ARATIUNCULAS, ſeu quaſi duos ſulcos: nam aratio hoc loco non actionem, ſed ipſam terram ſic ſubactam deſignat. Infuſa vero ſæpius aqua, oſtenſura erat vim divini ignis, qui etiam lapides & pulverem conſumpturus erat. Magnitudo miraculi Regem ipſum, & populum conſternavit.

V. 37. ET TU CONVERTISTI CORDA EORUM ITERUM; id eſt, te permittente factum eſt ne pœniteret. Heb. *Et convertiſti corda eorum retrorſum*: vel, ut habent Septuaginta, *Tu convertiſti cor populi poſt te.*

V. 40. INTERFECIT, iuſſit interfici: ita aliqui; tamen Hebr. *iugulavit*: nec abſunt LXX.

V. 42. Iam verſ. 1. notavi annum huius miraculi. Carmelum montem deſcribit Adrichomius in Iſachar num. 19. *abeſt*, inquit, *Ptolemaide ſtadiis* 120. Ibi orat facie multum inclinata ad genua. Orandi modus apud Iudæos non inuſitatus. Primus redeunte Rege venit in Ieſrahel: una eſt ex regiis civitatibus: erat in tribu Manaſſe, & finibus Iſachar, Ioſue XVII. 16. ubi occiſus eſt Naboth. Altera erat in tribu Iuda, Ioſue XV. 55. prope montem Gelboe.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Inſtabat finis ſiccitatis, quæ duravit annos tres, & menſes ſex. Iacob cap. V. verſ. 17.

V. 9. QUID PECCAVI! quaſi diceret: Noli me ſic exponere periculo mortis, præſertim qui ſemper favi Prophetis.

V. 24. PER IGNEM, miſſum de cælo ad incendendum ſacrificium.

V. 29. POSTQUAM AUTEM TRANSIIT MERIDIES, ET ILLIS PROPHETANTIBUS VENIT TEMPUS. Apparet ita conveniſſe ut tempus matutinum daretur pſeudoprophetis.

V. 34. Aqua ſuperfunditur, ut appareat maius miraculum.

V. 43. & 45. Iezrael urbs in tribu Manaſſe, ex Hieronymo, qui alteram cognominem facit in tribu Iuda; quem vide de locis Hebraicis. REVERTERE SEPTEM VICIBUS; hoc eſt, revertere, & contemplare mare ſeptem vicibus, & renuntia quid videas.

CAPUT XIX.

Elias fugiens Iezabel in deſerto, a ſomno excitatus, panem divinitus miſſum edit; aquamque bibit, & ita ad montem Horeb pervenit: ibique in ſpelunca quærens ſe ſolum Domini Prophetam relictum, audit ſeptem millia eſſe relicta: mittiturque ad ungendum Hazael in Regem Syriæ, & Iehu in Regem Iſrael, & Eliſeum in Prophetam.

1. NUntiavit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, * & quomodo occidiſſet univerſos prophetas gladio. 2. Miſitque Iezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dii, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut animam unius ex illis. 3. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venitque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, 4. & perrexit in deſertum, viam unius dici. Cumque veniſſet, & ſederet ſubter unam iuniperum, petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quam patres mei. 5. Projecitque ſe, & obdor-

obdormivit in umbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. 6. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormivit. 7. Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. 8. Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb. 9. Cumque veniſſet illuc manſit in ſpelunca: & ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia? 10. At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, * quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam ut auferant eam. 11. Et ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, 12. & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis. 13. Quod cum audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpelunæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia? Et ille reſpondit: 14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: (*a*) quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam ut auferant eam. 15. Et ait Dominus ad eum: Vade, & revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazael Regem ſuper Syriam, 16. & Iehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges Prophetam pro te. 17. (*b*) Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus. 18. (*c*) Et derelinquam mihi in Iſrael † ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum * oſculans manus. 19. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliſeum filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum; * & ipſe in duodecim iugis boum arantibus unus erat: cumque veniſſet Elias ad eum miſit pallium ſuum ſuper illum. 20. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixitque ei: Vade, & revertere: quod enim meum erat, feci tibi. 21. Reverſus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: conſurgenſque abiit, & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei.

(*a*) Rom. xi. 3. (*b*) IV. Reg. ix. 1. (*c*) Rom. xi. 4.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Et quomodo occidiſſet univerſos prophetas gladio.* Ad vocem prophetas non eſt addendum *Baal*.

V. 10. *Quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael*. Pronomen *tuum* non eſt mutandum cum nomine *Domini*.

V. 18. *Oſculans manus*. Pro plurali *manus* alii habent ſingulare *manum*.

V. 19. *Et ipſe in duodecim iugis boum arantibus unus erat*. Correctores non iudicarunt omittendas has duas voculas *iugis boum*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 18. *Septem millia virorum*. Quidam libri pro *virorum* legunt *universorum*: qua de re Notationes noſtræ.

NOTATIONES.

V. 18. *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal*. Sic pleraque exemplaria: atque eo modo apud Paulum legitur Epiſtolæ ad Romanos XI. cap. verſ. 4. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua Baal*. Duo S. Germani exemplaria parvum, & latum pro *virorum* habent *universorum* (a); id quod Hebræo conforme eſt; quamquam commodius vertatur: *Et derelinquam in Iſrael ſeptem millia univerſa genua quæ non curvaverunt ſe ipſi Baal*. Sicut ſequitur: *Et omne os quod non adoravit eum oſculans manum*: quod Hebraice eſt: *Et omne os quod non oſculatum eſt eum*. Chaldaice legitur ut Hebraice. Græce autem utrumque habetur: *Et* (b) *relinquam* (c) *ex Iſrael ſeptem millia* (ἀνδρῶν, πάντα τὰ γόνατα ἃ οὐκ) *virorum, omnia genua quæ non curvaverunt genu Baal, & omne os quod non adoravit eum*.

V. 19. *Reperit Eliſeum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum: & ipſe in duodecim iugis boum arantibus unus erat*. Exemplaria non pauca legunt: *Reperit* &c. *& ipſe in duodecim arantibus unus erat*, nempe præter-mittunt *iugis boum*; ſic nonnulla Epanorthoſæ, quinque Pariſienſium Di. o. l. Ge. o. p. V. unum Lobienſis Monaſterii, unum Hentenii, unum Plantini, tria Hunnæi I. K. P. verum I. & K. tantum quibuſdam ſic legi indicant. Sic etiam legunt inter Enarratores Eucherius, & Toſtatus. Hebraice eſt: *Et reperit Eliſeum filium Saphat: & ipſe arans: duodecim paria ante eum, & ipſe in duodecim*: atque ad eum modum verterunt LXXII. καὶ εὑρίσκει (d) ἐκεῖ τὸν ἐλισαὲ υἱὸν σαφὰτ· καὶ αὐτὸς (e) ἐν ἀροτριῶν ἐν βοσί. * ἰωὴκια ζεύγη (f) βοῶν ἦν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς δώδεκα. Quidam reddunt partem, puto, poſtremam, *Et ipſe in duodecimo*, id eſt ipſe duodecimum iugum, agebat; utroque enim modo verti poteſt: quod Hebræis poſt decem ordinalis, & cardinalis numerus non diſtinguantur. Referri autem poteſt quod vertitur, *Et ipſe in duodecim*, vel ad iuga boum; hoc ſenſu: Et ipſe erat in uno duodecim iugorum, ipſe e duodecim unum agebat; quomodo Chaldæus expoſuit: vel ad arantes: nam ſi erant duodecim iuga boum, erant proculdubio duodecim a quibus agebantur; atque ita ſenſus eſt, & quidem idem: Ipſe inter duodecim arantes unus erat; quomodo Caietanus explicuit. Itaque quod legunt quidam Latini codices: *Et ipſe in duodecim iugis boum arantibus unus erat*, eiuſdem loci duo eſſe videntur coniuncti commentarii. Verum Epanorthotes hanc antiquorum codicum eſſe lectionem adſtruit: atque ita omnino legendum contendit; hac præſertim ratione, quod ad iuga boum duodecim, quorum mentio præcedit, referri debeat, quod in Hebræo ſequitur, *Et ipſe in duodecim*. Sed Interpres noſter ad aratra ducentes viros, quorum tacitas antecedit mentio, retuliſſe ſe ſignificare videtur, cum addit *unus erat*. Ceterum ut illa Epanorthotæ ratione lectio illa, *Et ipſe in duodecim arantibus unus erat*, non refelli-tur, ita hac noſtra non ſtatuitur. Nam & ea lectio quam Epanorthotes probat, ad arantes, ſi bene intelligatur, reſpicit, ſenſus enimvero: Et ipſe inter duodecim arantes iugis boum unus erat; vel, Et ipſe inter arantes boum duodecim iugis unus erat. Sed alte-ra & clarior eſt lectio, & commodior: nec exiguæ vetuſtatis exemplaria ſunt quæ ad eum modum cum Toſtato habent; quamquam noſtra vetuſtiora pleraque & correctiora alteri velint. Interim iudicium aliis relinquimus, nos enim in partem utramque differimus.

(a) Admodum ſunt ſimilia, *virorum* & *universum*.
(b) *e. relinquet*.
(c) G q. H. L. C. *in*.
(d) G q. H. L. C.
(e) G q. προσρία.
* G q. xxi
(f) G. q. H. additum eſt ab Interpretibus, Latino & Chaldæo; ſed & paulo ante a Græcis.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. TIMUIT. Hieronymus II. cont. Pelag. *Non dico mulierem, ſed hominem formidare, de animi perturbatione deſcendit, quæ vitio carere non poteſt, dicente David: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo*. Hebr. (ut nunc legitur) & Chald. *Vidit*, ſcilicet periculum; vel quaſi dicat: Intellexit quæ dixerat Iezabel: at LXX. *Timuit*, & ita puto legendum Hebr. ſicut legi poteſt mutatis punctis: & quidem additio punctorum fecit tantam lectionum varie-

varietatem in Scriptura, quod hic annotatum non erit opus repetere. QUOCUMQUE EUM FEREBAT VOLUNTAS. Hebr. & LXX. *Iuxta*, ſeu *ad animam ſuam*, vel *pro anima ſua*. Chald. *Ut eriperet animam ſuam*.

V. 4. IUNIPERUM. Chald. *geniſtam*.

V. 8. HOREB, ſcilicet ubi lex data. Pars eſt Sinai ad occidentem.

V. 9. MANSIT. Chald. *Pernoctavit*.

V. 10. DOMINO, id eſt Domini honore. SOLUS, ſcilicet qui palam Dei honorem tuear: vel ſe ſolum putabat.

V. 11. TRANSIT. LXX. *Tranſibit*. SPIRITUS, id eſt ventus. SUBVERTENS, id eſt qui videretur, vel poſſet ſubvertere, &c. COMMOTIO, id eſt montis concuſſio.

V. 12. SIBILUS. Hebr. Chald. & LXX. *Vox*. AURAE TENUIS. Hebr. *Tacita tenuis*. Chald. *Canentium in ſilentio*. LXX. ut noſter Interpres.

V. 13. EGRESSUS, ſcilicet antea.

V. 18. DERELINQUAM. Chald. *Reſervabo*. SEPTEM, id eſt multa. ADORAVIT EUM, OSCULANS MANUS. Solebat adoratio fieri oſculando propriam manum, ut nunc vulgo fit, cum quis primarium virum ſalutat. Vide Iob XXXI. Hebr. & Chald. *Oſculatus eſt eum*. LXX. *Adoravit eum*.

V. 19. UNUS, ſcilicet ex arantibus hominibus. PALLIUM. Huius impoſitione Eliſeus ſpiritum accepit.

V. 20. QUOD ENIM MEUM ERAT, FECI TIBI. Hebr. Chald. & LXX. *Quid enim feci tibi?* &c. quaſi dicat: Quid tibi feci, quod te impediat?

V. 21. ABEO, ſcilicet Elia. ARATRO. Hebr. Chald. & LXX. *inſtrumentis*, ſcilicet aratri lignis. POPULO, ſcilicet cognatis, & amicis.

ESTII.

Verſ. 5. ET AIT EI: EGREDERE ET STA IN MONTE CORAM DOMINO: ET ECCE DOMINUS TRANSIT, ET SPIRITUS GRANDIS ET FORTIS, &c. Iſta verba, *Et ecce Dominus tranſit*, &c. vel accipi poſſunt tamquam a Domino dicta, loquente de ſeipſo (& ſic a quibuſdam exponuntur;) vel tamquam verba ſcriptoris, narrantis quæ ſigna præceſſerint præſentiam Domini, exhibitam Eliæ. Et hic intellectus videtur verior. Senſus igitur eſt: Cum Dominus tranſiturus eſſet ante Eliam, tranſitu quodam ſuam præſentiam ei exhibiturus, hæc horribilia ſigna præceſſerunt, ad generandam reverentiam maieſtatis divinæ: primum ſpiritus, id eſt ventus fortis & vehemens, uti etiam montes ſubvertere & rupes conterere poſſet; deinde commotio montis ſeu terræmotus; terremotum autem ſequebatur ignis. Et poſt hæc tria terribilia ſecutus eſt ſibilus auræ tenuis, id eſt ventus lenis ac tranquillus, præſentiam Dei ſignificans. Per quod poſtremum ſignificatur Deum non poſſe niſi in mentis tranquillitate a nobis agnoſci.

V. 17. ET ERIT QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM AZAEL, OCCIDET EUM IEHU, ET QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM IEHU, INTERFICIET EUM ELISEUS. Quomodo Azael Rex Syriæ, & Iehu Rex Iſrael multos idolorum cultores gladio percuſſerint, docet Scriptura in ſequentibus: quod autem aliquos interfecerit Eliſeus, non legitur, niſi de quadraginta duobus pueris, quibus maledixit, qui ab urſis dilacerati fuerunt, qui quidem erant filii idololatrarum. Id enim contigit in Bethel, ubi alter vitulus aureus erat collocatus. Quidam ergo id quod hic dicitur, ad pueros illos referunt Eliſei irriſores, eius imprecatione interfectos. Alii non improbabiliter intelligunt Eliſeum puniviſſe idololatras gladio verbi ſui. Sic Angelomus in hunc locum interpretatur gladium ſpiritus. Et ſecundum hanc expoſitionem præſentabitur nobis duplex in Eccleſia poteſtas. Altera civilis, quæ utitur gladio materiali, ad puniendum malos: altera eccleſiaſtica, quæ exercet gladium ſpiritualem contra malos.

V. 18. ET OMNE OS QUOD NON ADORAVIT EUM OSCULANS MANUS. Conſuetudo erat idololatris, quando honorare volebant idolum aliquod, oſculari manum, eamque deinde verſus idolum porrigere: cuius conſuetudinis meminit Minutius Felix in Libro qui inſcribitur Octavius apud Arnobium. Apuleius quoque Apologia pro ſeipſo prima, AEmilianum accuſatorem ſuum inſimulans impietatis, hæc inter alia dicit: *Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit, ſi fanum aliquod præteream nefas habet*

& adorandi gratia, manum labris admovere. Vide etiam Iob xxxi.

MARIANAE.

Vers. 2. HAEc MIHI FACIANT DII. Forma iurandi. ANIMAM TUAM, id eſt vitam tuam, aut corpus tuum: niſi te occidero. Minæ Iezabel.

V. 3. TIMUIT ERGO ELIAS. Sic Sept. & Hebr. Chald. *Vidit, & ſurrexit*. Vidit ſe in periculo eſſe. Litteræ Hebraicæ, demptis punctis, *& timere, & videre* ſignificare poſſunt. ABIIT QUOCUMQUE EUM FEREBAT VOLUNTAS. Hebr. *Abiit ad animam ſuam*. Chald. *Ut animæ ſuæ conſuleret*, ut eam liberaret.

V. 4. SUBTER UNAM IUNIPERUM ſedit. Sic Sept. ſic Hebræus. Chald. & Pagn. *ſubter unam geniſtam*. Hebr. nomen *Retom* ſavet, unde Hiſpanis *retama*. Porro arbuſta in quibuſdam locis humilia ſolent, in aliis quædam in iuſtam arborem creſcere. SUFFICIT MIHI DOMINE. Hebr. *multum* (ſcilicet vixi) *nunc Domine*; id eſt, in hoc ſæculo ſatis vixi in tantis periculis, mors vita melior.

V. 6. ECCE AD CAPUT SUUM SUBCINERICIUS PANIS. Hebr. *ſubcinericius prunarum*, id eſt inter prunas coctus. Deus ſuis non delicias præbet, ſed neceſſaria. Angelus ait: Comede:

V. 7. GRANDIS ENIM TIBI RESTAT VIA. Hebr. *Multa a te via*; id eſt, viribus tuis maior. Ambulavit

V. 8. IN FORTITUDINE CIBI ILLIUS. Hebræus David Kimhi *fortitudinem* ad cibum refert, qui toto eo tempore in ſtomacho manſit: neque eum coquere potuit, neque egerere. USQUE AD MONTEM DEI HOREB, ubi data eſt lex. Pars Sinai montis ad occaſum.

V. 9. MANSIT IN SPELUNCA. Sic Sept. Hebr. *Pernoctavit*: ſic Chald.

V. 11. ECCE DOMINUS TRANSIT, id eſt gloria, Domini maieſtas. Ecce ventus SUBVERTENS MONTES, ET CONTERENS PETRAS. Locutio hyperbolica, qua ſignificatur vehementiſſimum fuiſſe ſpiritum illum, & ventum. POST SPIRITUM COMMOTIO. Sic Sept. Hebr. *fragor*. Chaldæus ventum, fragorem, & ignem refert ad varias Angelorum turmas, qui veluti in pompa Deum præcedebant. Poſt SIBILUS AURAE TENUIS Hebr. *vox tacens lenis*, id eſt ſilentio ſimilis ſonus. Ibi Deus:

V. 15. VADE, ET REVERTERE IN VIAM TUAM. Hebr. *ad viam tuam*; id eſt, qua veniſti, eadem via revertere, nullum veritus periculum. PER DESERTUM. Hebr. *in deſertum Damaſci*; id eſt, eo dirige iter tuum, deflecteque. Damaſcus. Syriæ caput, ad ſeptemtrionem terræ promiſſionis. Unde Hazael, & Iehu: qui fugerit eos,

V. 17. INTERFICIET EUM ELISEUS. Quomodo Propheta interficiet? Erat dux alius eo nomine. Derelinquam eum qui non adoravit Baal

V. 18. OSCULANS MANUS. Hebr. *Os quod non oſculatum eſt eum*: ſic Chald. id eſt adoravit. In Pſal. 11. *Oſculamini filium*. Hebr. pro *adorate*. Sed quoniam in adoratione moris erat ut adorans manus ſuas oſcularetur, iuxta illud Iob xxxi. 27. *Si oſculatus ſum manum meam*; Hieronymus dixit, *Oſculans manus*. Sept. *Et omne os quod non adoravit illum*, ſcilicet Baal.

V. 19 REPERIT ELISEUM.... ARANTEM IN DUODECIM IUGIS BOUM. Hebr. non eſt *boum*, ſed bene ſuppletur. UNUS ERAT. Non intelligas ipſum ſolum araſſe, ſed fuiſſe unum e duodecim aratoribus. Quod ſi *unus* ſumatur pro *primo*, intelliges eum præceſſiſſe, alios ſecutos. In utroque intellige promptum ad laborem animum: tales Deus requirit. Elias mittit ſuper eum pallium, vocationis indicio. Ille:

V. 20. OSCULER, ORO, PATREM, id eſt ſalutabo, aut vale dicam. Elias: *Vade*: QUOD ENIM MEUM ERAT, FECI TIBI. Hebr. *Quoniam quid feci tibi?* ſic Sept. & Chald. Tentat eius conſtantiam hac ſimulatione; quaſi dicat: Si veiveris, ſive redieris, non magnopere id curo. Aut quid tibi feci, quod prohibeat te ire eo?

V. 21. COXIT CARNES: nempe Eliſeus dat epulum populo. Hebr. *Coxit ipſis carnes*: ſic Chald. Bened. Arias, *Coxit eos* (ſcilicet boves de quibus dixit) *carnem*. Conſtructio duriuſcula: prior placet, quæ Pagnini etiam eſt. Ex convivio intellige, eum non laboraſſe inopia, ſed corpus tamen in cultura exercuiſſe.

MA-

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET QUOMODO OCCIDISSET OMNES PROPHETAS GLADIO. Heb. *Et omne, quod interfecit omnes prophetas in gladio.* Quidam: *Et univerſum id, quod omnes prophetas enſe interfecerat.* Alii: *Et prorſus, omnino, omnes prophetas gladio*; id eſt, præſertim quomodo interfeciſſet omnes prophetas gladio. Nonnulli: *Et eum occidiſſe prorſus omnes prophetas eius gladio.*

V. 2. HAEC...FACIANT DII, ET HAEC ADDANT; quaſi dicat: Dii me male perdant, & peius perdant. Quidam: *Sic faciant dii, & ſic pergant.* Vide de hac locutione Ruth I. 17. Hebr. utrumque verbum eſt paragogicum, ad auxeſim imprecationis. NISI HAC HORA CRAS. Hebr. *Quia ſicut tempus craſtinum.* Quidam: *Niſi hoc tempore cras.* Alii: *Si non cras iuxta id tempus.* Nonnulli: *Ut hoc ipſo tempore cras.* POSUERO ANIMAM TUAM. Notant, iuxta hanc phraſim dixiſſe Chriſtum Ioan. X. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me; ſed ego pono eam a me ipſo.* Sic Ioan. XIII. 37. & 38. & I. Ioan. III. 16.

V. 3. TIMUIT ERGO. Legit ויראו *vaiirab*, & *timuit.* Exemplaria nunc habent וירא *vaiiar*, levi punctorum mutatione, & *vidit*, id eſt ſcivit, intellexit. ET....ABIIT QUOCUMQUE FEREBAT EUM VOLUNTAS. Alii reddunt ex Hebr. *Et abiit ſecundum animam ſuam*; id eſt, quocumque eum ferebat animus. Nonnulli: *Et abiit ad animam ſuam*; id eſt, ad ſalvandam, eruendam, liberandam vitam ſuam. Quidam: *Et abiit pro anima ſua*, id eſt conſulens vitæ ſuæ. IN BERSABEE. De hoc oppido vide in Geneſ. XXI. 33.

V. 4. SUBTER UNAM IUNIPERUM. Hebr. רותם *rothem*, Noſter, & aliqui *iuniperum* exponunt; ſed Hebræorum, & Noſtrorum plerique, *geniſtam*: de qua Plinius Lib. XXIV. cap. IX. Sane Hiſpanica vox *retama*, qua *geniſtam* appellamus, ipſiſſima Hebraica eſt *rothem*, & Arabica *rathamah*. SUFFICIT MIHI, DOMINE. Hebr. *Multum nunc* IHUH; id eſt, multum iam vixi: ſatis eſt quod huc uſque vixi. Quidam diſtinguunt: *Satis eſt, nunc Iehova accipe animam meam.* NEQUE ENIM MELIOR SUM QUAM PATRES MEI, ſeu *quam maiores mei*; ut diutius mihi vivendum ſit, quam illi vixerint. Videtur Elias iam tunc longævus fuiſſe.

V. 5. ET ECCE ANGELUS... TETIGIT EUM. Hebr. *Et ecce iſto Angelus tangens in eo.* Exponunt, in iſto, quod dormiebat. Hiſpaniſmus, *en eſto*. Quidam: *Et ecce illo ipſo tempore Angelus* Domini *tetigit eum.* Alii: *Et ecce ſtatim Angelus tetigit eum.* Nonnulli: *Cum ecce iſte, hic*, vel *quidam, Angelus tangens eum.*

V. 6. SUBCINERICIUS PANIS. Heb. *uſtulata prunarum.* Varie alii: 1. *panis inter prunas coctus*: 2. *libum prunarum*: 3. *placentula ſuper prunas cocta*: 4. *placentula carbonibus tоſta*: 5. Hiſpanicus Interpres, *una torta cozida ſobre las arcuas.*

V. 7. GRANDIS ENIM TIBI RESTAT VIA. Hebr. *Quia multa præ te via.* Diverſe convertunt. I. *Quia longior a te eſt via.* II. *Quia multum eſſet præ te hoc iter.* III. *Nam maius hoc eſſet iter, quam ut conficeres*; id eſt, iter maius eſt quam pro viribus tuis; quaſi dicat. Vires tuæ præſentes non poſſent ſufficere itineri quod reſtat tibi conficiendum, niſi eas cibo reficias. IV. *Nam multum itineris tibi reliquum eſt.*

V. 8. USQUE AD MONTEM DEI HOREB. De quo vide in Exodi III. verſ. 1. In eo apparuit gloria Domini, & data eſt lex, Exod. XIX.

V. 9. QUID HIC AGIS, ELIA? Hebr. *Quid tibi* rei, aut negotii *eſt hic Eliahu?*

V. 10. ZELO ZELATUS SUM PRO DOMINO DEO EXERCITUUM. Hebr. *Zelando zelatus ſui ipſi Iehovæ Deo militiarum*; id eſt, plane zelatus ſum, vel vehementi zelo affectus ſum pro Iehova, &c. quaſi dicat: Abiectio tui fœderis, cultus tui deſtructio, prophetarum tuorum cædes, & mei perſecutio, faciunt ut mortem expetam, ſup. verſ. 4. ALTARIA TUA DESTRUXERUNT. Explicant: Id eſt, cultum tuum everterunt: nam proprie altaria Dei integra erant in Ieruſalem. Metonymia ſynecdochica. Alii putant, multa altaria veri Dei iam inde a tempore Abraham diverſis locis poſita, quæ non ad ſacrificia, ſed ad memoriam religionis aſſervabantur, ab Iſraelitis idolola-

lolatriis fuisse eversa. PROPHETAS TUOS OCCIDERUNT GLADIO, supra cap. XVIII. vers. 13.

V. 11. ET ECCE DOMINUS TRANSIT, ET SPIRITUS GRANDIS, &c. Quidam observant, hæc omnia, quæ in hac visione referuntur, non re ipsa contigisse, sed in specie tantum. Nonnulli Hebræorum volunt, hac externa specie Deum quasi compensationem quamdam reddidisse Eliæ, pro zelo eius: nempe duxit eum mirabiliter per desertum usque ad montem Dei; cibo uno recreavit ad spatium quadraginta dierum, & quadraginta noctium, insigni miraculo; & tandem majestatem suam ac gloriam illi ostendit, in eodem loco ubi Mosi servo suo antea ostenderat. Alii philosophantur, hanc visionem eo pertinere, imporum hominum magis desiderandam pœnitentiam quam perditionem, & ferendos ad tempus peccatores: nec statim in eos impetu, fragore, concussione ferri divinam vindictam; sed blande, mansuete, suaviter interdum incedere, ut eos ad pœnitentiam adducat. Nonnulli aiunt, huius apparitionis duos esse fines: unum, ut de divina præsentia certior reddatur Elias; alterum, ut ea confirmetur, & ad exequendum mandata Dei comparetur.

V. 12. ET POST IGNEM SIBILUS AURAE TENUIS. Hebr. *Et post ignem vox silentii tenuis*, vel *silentio tenuis*; id est, cum ventus, concussio, & ignis conquievissent, ac siluissent.

V. 13. OPERUIT VULTUM SUUM PALLIO. Hebr. *Et abscondit, obvolvit, faciem suas toga sua*. Vide Exod. III. vers. 6. QUID HIC AGIS, ELIAS? Hebr. *Quid tibi* rei, aut negotii *hic* est, *Eliahu*? ut supra vers. 9. Notant, hac repetita interrogatione Dei, & responso Eliæ aperiri viam ad sequentem revelationem, & mandata, quæ velut ex hac occasione dat Deus, infra vers. 15. & 16.

V. 15. CUMQUE PERVENERIS ILLUC, UNGES HAZAEL, &c. Exponunt: Id est, instituito per alium, loco tui. Vide executionem huius mandati factam per Elisæum II. Reg. VIII. Sic etiam de Iehu accipienda sunt verba sequentia vers. 16. qui unctus est iussu Elisei, II. Reg. IX. Alii, utrumque institutum Regem ab Elia iussu Dei, id est prædictum eis regnum divinitus per Eliam; per Elisæum vero confirmatum, & executioni mandatum. Nam alioqui illa verba: *Revertere via tua in desertum Damasceum, & venies, & unges Chazaelem*, &c. nimis perspicue indicant, Eliam Damascum venisse, & ibi Regem instituisse Chazaelem; hoc est, ei prænuntiasse regnum. Nam neque Elisæus legitur revera unxisse Chazaelem; sed tantum prædixisse regnum, brevi ab eo capessendum, II. Reg. VIII. vers. 13.

V. 16. QUI EST DE ABELMEHULA. Hebr. *De Abel-Mechelah*. Vide de hoc oppido Iudic. VII. vers. 23. PRO TE, vel *loco tui*; id est, qui hæc tibi mandata exequatur; seu potius ut tibi in munere prophetiæ, & claris operibus succedat; & sit veluti alter Elias.

V. 17. ET ERIT, QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM HAZAEL. Quidam reddunt: *Erit enim, ut qui proripuerit se a gladio Chazaelis*, nimirum in bello contra Ioramum, de quo II. Reg. VIII. vers. 28. OCCIDET EUM IEHU. Hebr. *mori faciet, morte afficiet Iehu*, II. Reg. IX. vers. 24. INTERFICIET EUM ELISEUS. Hebr. *mori faciet Elisagh*. Quidam: *Morte curabit affici Elisah*, scilicet, per Chazaelem, II. Reg. VIII. vers. 12. Vide executionem III. Reg. X. vers. 32. & cap. XIII. vers. 3.

V. 18. ET DERELINQUAM MIHI IN ISRAEL, &c. Aliqui reddunt: *Reservabo autem in Israele*, &c. Alii: *Porro in Israele servabo reliquos*, &c. Nonnulli: *Reliquos autem feci ex Israele*. Respondet ad illud quod dixerat Elias sup. vers. 10. *Relictus sum solus*, &c. SEPTEM MILIA. Septenarius est numerus universitatis, & plenus; quasi dicat, Reservavi quamplurimos. VIRORUM, QUORUM GENUA NON SUNT CURVATA ANTE BAAL. Hebr. *Omnia genua quæ non curvaverunt se Babali*. Aliqui: *Quorum omnium genua non curvaverunt se Babali*; id est, non adoraverunt, vel non coluerunt Bahalem. Synecdoche. ET OMNE OS, QUOD NON ADORAVIT EUM OSCULANS MANUM. Hebr. non est *manum*; sed, *Et omne os quod non osculatum fuit ei*. Potest subaudiri, *manum*. Ex verbo: *Et omne os quod non occurrit ei*; id est, osculum præbuit ei. Quidam: *Et quorum omnium*

omnium os non oſculatum eſt illum, ſcilicet in ſignum obedientiæ, ac venerationis. Vide Gen. XLI. verſ. 40. Conſueviſſe Gentiles deorum ſuorum vel ora, vel manus adorationis ergo oſculari, teſtis eſt Cicero Lib. IV. in Verrem: *Herculis templum eſt apud Agrigentinos. Ibi eſt ex ære ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facile dixerim quidquam me vidiſſe pulchrius uſque adeo, iudices, ut ritus eius, ac mentum paulo ſit attritius, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolent*. Sic nos ſancto pioque ritu ſacras imagines, & ſanctorum reliquias deoſculari ſolemus.

V. 19. ET IPSE IN DUODECIM IUGIS BOUM ARANTIBUS UNUS ERAT. Hebr. *Et ipſe in duodecim*. Quidam: *Et ipſe erat cum duodecimo*; quaſi dicat: Ipſe arabat cum poſtremo iugo, ceteris cum antecedentibus. Alii: *Ipſe quoque ex duodecim erat*. Hiſpanicus: *Tel era uno de los doze gannanes*. Facit huc Plin. Lib. XVIII. cap. XVIII. *Cum multifariam in Italia octoni boves ad ſingulos vomeres anhelent*. MISIT PALLIUM SUUM SUPER ILLUM. Quidam: *Et iniecit togam ſuam illi*; id eſt, hoc ſigno vocationem Dei ei indicavit, & in numerum Prophetarum aſſumptum eſſe declaravit, quorum habitus ille erat, reſpondens abollæ Philoſophorum. Vide Geneſ. XXV. verſ. 25. II. Reg. I. verſ. 8. & cap. II. verſ. 8. & Zacharia XIII. verſ. 4.

V. 20. OSCULER, ORO, PATREM MEUM, &c. id eſt, valedicam parentibus, & amicis meis. Synecdoche. Sic olim in digreſſu ſuos oſculabantur. Svetonius de Tiberio, cap. X. *Paucoſque admodum in digreſſu oſculatur*.

VADE, ET REVERTERE; id eſt, hac conditione abi, ut quamprimum revertaris. QUOD ENIM MEUM ERAT, FECI TIBI. Hebr. *Quia quid feci tibi?* Exponunt, Propter quod me ſequi debeas? Hoc dicit cum quadam ſimulatione, volens extorquere quidnam haberet in animo, & intelligere quo ſpiritu eſſet affiatus. Alii, quaſi dicat: Ego nonniſi pallium tibi inieci; Deus autem tibi immutavit cor: non ego cauſa tuæ mutationis fui, ſed Deus, qui te efficaciter vocavit. Aptius nonnulli, quaſi dicat: Scis quid fecerim tibi? ſis muneris memor, ad quod te vocavi, & cuius adminiſtratio non patitur moras, aut curam aliarum rerum, Matth. cap. VIII. verſ. 22. & Lucæ cap. IX. verſ. 62.

V. 21. ET IN ARATRO BOUM. Heb. *in vaſe*, ſeu *inſtrumento boum*, id eſt in lignis aratri. COXIT CARNES. Hebr. *Coxit eos carnem*. Quidam: *Coxit illorum carnem*, nempe boum. Alii: *Coxit eis carnem*, id eſt popularibus ſuis, qui aderant: relativum præcedens ſuum antecedens. ET DEDIT POPULO, &c. convivio valedicturus eis.

MENOCHII.

Verſ. 3. QUOCUMQUE EUM FEREBAT VOLUNTAS: alia ex aliis loca, & latebras mutans. VENITQUE IN BERSABEE IUDA; quæ erat urbs in finibus meridianis totius regni Iuda. DIMISIT IBI PUERUM SUUM, filium mulieris Sarephtanæ, quem a mortuis ſuſcitaverat, ut putat Abulenſis.

V. 4. PERREXIT IN DESERTUM, in quo peregrinati olim fuerant Iſraelitæ ab AEgypto egreſſi, ut patet ex ſequentibus: mox enim dicitur veniſſe in montem Horeb. PETIVIT ANIMAE SUAE UT MORETUR. Poſtulavit a Deo ut anima ſua e corporis vinculis ſolveretur malis fatigatus, & zelo divini honoris æſtuans, cupienſque tot ſacrilegia amplius non videre. Sic Mathathias I. Machab. II. 7. dicebat: *Ve mihi, ut quid natus ſum videre contritionem civitatis ſanctæ*. NEQUE ENIM MELIOR SUM QUAM PATRES MEI, ut diutius vivam quam illi, qui in ea ætate in qua ego nunc ſum, mortui ſunt. Ex his colligitur, Prophetam in hoc tempore proyectæ fuiſſe ætatis.

V. 5. ORDORMIVIT IN UMBRA IUNIPERI, ex fatigationè itineris, & etiam ex animi mœrore, qui aliquando poſt multas cogitationes, & curas ſomnum inducit. Sic Pſal. CXVIII. 18. dicitur: *Dormitavit anima mea præ tædio*.

V. 6. RURSUM OBDORMIVIT, noctemque ſub iunipero tranſegit.

V. 7. TETIGIT EUM, adhuc dormientem. QUADRAGINTA DIEBUS, ET QUADRAGINTA NOCTIBUS: non recta via progrediens, alioqui enim quatuor,

vel quinque diebus eo pervenire potuisset; sed morem eorum secutus est, qui fugiunt insequentes, qui modo ad dexteram, modo ad sinistram carpunt viam, & vias in vias & inopinatas sectantur. Acne a principio quidem propositum habuit fortasse ad eum montem proficisci, sed pluribus voluntariis oberrationibus usus, eo denique ex vicinitate se contulit. Nec semper in itinere fuit, sed substitit, quievit, latuit, cibo tamen interim non egens ex divino miraculo.

V. 9. QUID HIC AGIS ELIA? Modus interrogationis satis ostendit, non divino iussu, sed naturali timore urgente, Eliam latebras illas quæsivisse.

V. 10. ZELO ZELATUS SUM, &c. occidendo prophetas Baal, &c. DERELICTUS SUM EGO SOLUS. Vel est hyperbole, quam Dominus temperat num. 18. significans se multos habere qui a vera religione non defecerint. Vel ait se relictum solum qui palam, & publice honorem Dei tueatur.

V. 11. CORAM DOMINO, Angelo, qui Dei vicem gerebat, & illum referebat. SPIRITUS GRANDIS, &c. ventus adeo vehemens ut montes subversurus, & saxa contriturus videretur. Non tamen dum flaret ventus hic Dominus se videndum exhibuit Eliæ. COMMOTIO, terræmotus.

V. 13. OPERUIT VULTUM SUUM PALLIO, ita Domino reverentiam exhibens, ut quondam Moyses abscondit faciem suam, non audens aspicere contra Deum, Exod. III. & Isaiæ Cherubini duabus alis velabant faciem suam, cum throno Dei assisterent, Isaiæ VI. 2.

V. 15. REVERTERE IN VIAM TUAM, a meridie, scilicet septemtrionem versus. PER DESERTUM IN DAMASCUM. Quod iter longum futurum erat, & per regiones Ammonitarum, & Moabitarum. Brevius fuisset per regnum Achab, sed noluit Dominus hoc periculum adiri a Prophetа iam metu perculso. UNGES AZAEL REGEM SUPER SYRIAM, &c. Torniellus putat, Azael, & Iehu vere unctos fuisse ab Elia, licet huius unctionis historiam non habeamus in Scriptura. Salianus existimat vocem *unges*, idem esse quod *designabis*, aut *declarabis* Reges Azael, & Iehu, & Eliseum Prophetam.

V. 16. IEHU FILIUM NAMSI, id est nepotem Namsi, filius enim erat Iosaphati, ut patet ex IV. Reg. IX. 2. ABELMEULA. Fuit ea urbs in tribu Manasse cis Iordanem, ut tradit Adrichomius in tribu Manasse num. 3.

V. 17. INTERFICIET EUM ELISEUS. Non legimus tamen aliquos ab Eliseo interfectos. Nisi quis illos quadraginta duos pueros filios idololatrarum intelligi velit, quos iuxta Bethel duo ursi egressi de saltu, Elisei voluntate laceraverunt. Aliquos tamen alios præsertim de pseudoprophetis ab Eliseo interfectos credit Abulens. quæst. XXIII.

V. 18. DERELINQUAM MIHI, reservabo, sive reservavi mihi. SEPTEM MILLIA, multa hominum millia. OSCULANS MANUM, vel tacto idolo manum osculando, vel certe versus illud dexteram porrigendo, & ad osculum referendo. Erat enim antiquis, ut & nunc, osculum manus signum venerationis, & ex huiusmodi ritu nata putatur vox *adorandi*, id est manum propriam ad os referendi. Ita accipiendum illud Iob XXXI. 27. *Si osculatus sum manum meam*, &c.

V. 19. IN DUODECIM IUGIS BOUM, scilicet in cœtu duodecim aratorum, quorum ipse unus erat, ut patet ex sequentibus. MISIT PALLIUM SUUM SUPER ILLUM: fortasse significans Eliseo deinceps & habitum, & vitæ statum mutandum esse.

V. 20. OSCULER PATREM MEUM, &c. id est, rogo ut liceat patri, ac matri vale dicere. QUOD MEUM ERAT, FECI TIBI: executus sum divinam erga te iussionem: iam tuum est ut Dei quamprimum obtemperes voluntati.

V. 21. REVERSUS AB EO, a colloquio Eliæ. IN ARATRO BOUM COXIT CARNES. Non deerant alia ligna coquendis carnibus, sed mysterio id factum est, ut se priori vitæ, ac vivendi rationi plane renuntiare significaret. DEDIT POPULO, instructo scilicet epulo cognatis & amicis.

TIRINI.

Vers. 3. TIMUIT ERGO ELIAS. Qui pridie nec Regem iratum, nec regios satellites, nec populum offen-

offenſum, nec furentes ſacerdotes timuerat, nunc ad unius feminæ minas timet, horreſcit, fugit: nec uno alterove die fugit, ſed totis quadraginta diebus: neque ad Berſabee ſolum fugit, hoc eſt ad ultimos Iſraeliticæ terræ fines, ſed & procul extra fines, in deſertum, in Horeb, ſeu montem Sinai, *a* cuius ſeptemtrionalis pars vocabatur Horeb. Et quaſi nec ibi quidem tutus eſſet, in ſpeluncam iſtic ſeſe abdit. Voluit nempe Deus palam facere Eliæ, quam nullus eſſet exſe, quam nihil poſſet per ſe: quæcumque ſtupenda patraſſet, & patraturus eſſet, a ſola eſſe gratia, favore, & potentia divina, hac una etiam infirmum homuncionem contra Reges tyrannoſque omnes inſtar leonis fortem & imperterritum reddi: abſque hac, ne robuſtiſſimum quidem uni femellæ aut puello reſiſtere poſſe. Ita ſanctus Chryſoſtomus *b*, Theodoretus, Rabanus, Angelomus, & Sanctius.

V. 8. AMBULAVIT IN FORTITUDINE CIBI ILLIUS QUADRAGINTA DIEBUS. Id eſt, vi panis iſtius ſubcinericii non ſolum nutritus, ſed & ad iter totis 40. diebus agendum corroboratus fuit. Hinc patet, vim iſtam extraordinariam pani iſti manibus Angelorum confecto ſupernaturaliter inditam fuiſſe a Deo, inquit S. Auguſtinus *c*, Caietanus, & alii.

Allegorice. Vi Euchariſtiæ tendimus in cælum ad claram viſionem Dei, inquiunt Rupertus, Paſchaſius, Algerus, Lanfrancus contra Berengarium.

V. 9. QUID HIC AGIS ELIA? quaſi dicat: Non hic in obſcuro antro, procul a tuis civibus, in hoc horrido monte egeo opera tua, ſed in Iudæa, in regia urbe Samaria, in regia Damaſco.

V. 11. EGREDERE, ET STA IN MONTE CORAM DOMINO. Id eſt, prodi e tuis latibulis in lucem: & in ipſo latebrarum adhuc oſtio ſenties præſentem tibi Dominum, vireſque animoſque priſtinos reddentem, ſimulque nova in rem tuam documenta, nova in bonum publicum mandata proferentem. Rabbi Salomon apud Lyranum putat Eliam non in eodem ſolum monte, ſed & in eadem ſpelunca latuiſſe, in qua Moyſes olim incluſus vidit gloriam Dei Exodi XXXIII. Et Ioſephus *d* tradit, eumdem locum etiam *ante Moyſis ætatem ita antiquis viſum ſacrum, ut paſtores religione quadam prohiberentur greges eo appellere, quia ibi divinum eſſe aliquid opinabantur*.

V. 12. SIBILUS AURAE TENUIS. Scopus Dei in hac viſione fuit, Eliam tædio ac mærore deiectum, ira quoque & zelo vehementiore inflammatum ob Iezabelis ceterorumque idololatrarum impunitatem ſolari ſimul & erudire. Unde obiicit oculis illius primo validiſſimum ventum, terræmotum, & ignem; quo deſignet, ſibi omnia elementa, ceteraſque creaturas, imas, medias, ſummas, ad manum eſſe, ut idololatras reliquoſque impios perdat, ſi velit, at non eſſe hunc uſitatum ſuæ providentiæ & miſericordiæ modum, nec velle ſe iam iis uti: unde addit: *Non in ſpiritu Dominus, non in commotione, non in igne Dominus*. Igitur ſecundo loco offert auribus eius ſpiritum lenem, quo deſignet divinam patientiam, manſuetudinem, & lenitatem ad punienda peccata, quam imitari, & induere oporteat Eliam, & omnes electos. Ita Tertullianus, Irenæus, Chryſoſtomus, Macarius, Gregorius, Theodoretus *e*, Procopius, & alii. Tertio, ſpiritus hic etſi lenis, efficacem tamen ſe prodit, & omnia adverſa penetrantem, ac ſuperantem. Quare & modum ſuggerit vindictæ adverſus idololatras brevi exercendæ per Azael Regem Syriæ, per Iehu Regem Iſrael, per Eliſeum Prophetam, ſimulque erigit afflictum, puſillanime, ac turbatum cor Eliæ, qui putabat ſe unum ex tot millibus, Dei cultorem ſupereſſe. *Derelinquam* enim *mihi ſeptem millia*, &c. Ita Caietanus.

V. 18. QUORUM OS NON ADORAVIT Baal, OSCULANS MANUS. Neque enim ſola genuflexione colebantur idola, ſed & oſculo: & hoc vel ore applicito proxime ſimulacro, vel manu ad ſimulacrum ſeu vere, ſeu ſimulate admota, ac deinde ad os relata, oſculoque excepta, tamquam ex contactu rei ſacræ iam ſanctificata. Cuius ritus etiam Plinius meminit, & Minutius *f*, & alii Gentiles. Et hoc indicat Iob cap. XXXI. cum ait: *Si vidi ſolem cum fulgeret, & oſculatus ſum manum meam ore meo*, nempe prius ad ſolem quaſi contingendum protenſam.

V. 19. MISIT Elias PALLIUM SU-

PER Eliſeum. Hoc ſigno illum vocat ad ſuum inſtitutum, & cœtum diſcipulorum ſuorum, quaſi inveſtiens illum habitu Monachali; ſed unctione ſeorſim adhibita Prophetam conſecravit. Ita Innocentius III. *g* Gaſpar Sanctius, & alii.

(*a*) Eccl. XLVIII. verſ. 7.
(*b*) Chryſ. ad Metaphraſtem, & Surium Tom. IV. ad vincula S. Petri.
(*c*) S. Aug. Lib. II. de Mirabilibus S. Script. cap. XIX.
(*d*) Ioſeph. Lib. II. Antiq. cap. XVII.
(*e*) Tertull. Lib. de Patientia cap. XV. Chryſ. ſup. Macarius homil. VI. Greg. Lib. VIII. Moral. cap. XXVIII. Theod. hic quæſt. LVII. &c.
(*f*) Plin. Lib. XXVIII. cap. II. Minutius in Octavio.
(*g*) Innoc. III. cap. unico de ſacra Unctione.

GORDONI.

Verſ. 1. HAEc fuga Eliæ contigit eodem illo anno decimo Achabi. Venit in Berſabee extremum Iudææ terminum verſus meridiem: ſed nec ibi hæret, timens ſorte ne aIoſaphato (amico Achabi) traderetur Iezabelæ: inde in deſertum, ad iuniperum, Hebr. רתם *rotwem*, aliqui *geniſtam* vertunt.

V. 2. HAEC MIHI FACIAT DEUS. Iezabel minas ſuas in Eliam confirmat, hac ſolita iurandi formula. Anima hic eſt vita.

V. 4. SUBTER UNAM IUNIPERUM. Septuag. ὑποκάτω βαθὺμ. Chald. *geniſtam*, & Pagninus. Providet ei Deus de ſubcinericio pane, inter cineres & prunas cocto.

V. 8. Excitatus iterum ab Angelo ad iter quadraginta dierum uſque ad montem Horeb; qui eſt mons Sinai, ubi data eſt lex (vide Exodum cap. XIX. & cap. XXXIV.) & ubi Deus in rubo apparuit Exod. III. ibi hæſit ſine cibo & potu; ſed quamdiu neſcitur. Quæret aliquis quomodo per quadraginta dies ambulet, cum a Berſabee ad Sinai vix ſit iter paucorum dierum? Dicendum eſt, Eliam in itinere hoc nec ſciviſſe, nec ab Angelo monitum fuiſſe, veniendum ſibi eſſe ad Horeb: vago ergo, & longo itinere, ex verſ. 3. eo ventum eſt. Denique Deo per Angelum ductore omnia hæc geruntur.

V. 10. & 11. SOLUS, ut ſupra cap. XVIII. verſ. 22. Prædicitur adfutura maieſtas Dei. Hinc præeunt ſonitus, & montis commotio.

V. 15. VADE, ET REVERTERE IN VIAM TUAM PER DESERTUM IN DAMASCUM, &c. Mittitur ad conſtituendum Iehu Regem; non tamen recta per Iudæam ne periclitaretur, ſed per deſertum, & Galaaditidem: quæ via ut ſecurior, ita longior erat. In itinere vocat Eliſeum. At verſ. 16. quæſtionem habet an hi duo Reges fuerint uncti, idque ab Elia, aut ab Eliſeo (quem pallio deſignat Prophetam) probabilius eſt unctos fuiſſe, ut ſonat textus: nec fuiſſe neceſſe profano capiti Hazaelis imponi oleum ſacrum, ſed profanum: a quo vero & quando uncti, non parum diſcrepant Interpretes. Aliqui cum Ianſenio illud, *Unges in Reges*, interpretantur, declarabis eſſe Reges: & ſic ſatis eſt hoc declaratum fuiſſe ab Elia. Poſtea ungi poterant, quando iterum denuntiati ſunt Reges, IV. Reg. cap. VIII. & IV. Reg. VI. 9. nempe ſub Eliſeo.

V. 17. INTERFICIET EUM ELISEUS. Forte non eſt hic Propheta, ſed dux quidam Eliſeus nomine, ut inquit Mariana. Verum Angelomus, Hugo, & Rabanus putant ſpiritualiter occiſos ab Eliſeo Propheta. Commodius Caietanus, Abulenſis, Lyranus, & quidam alii intelligunt a Propheta plures occiſos, ut IV. Reg. cap. II. verſ. 24. quod ſæpe in aliis contigiſſe potuit: non enim omnia exprimit Scriptura.

V. 18. OSCULANS MANUS. Chald. *Adoravit*. Sic Pſal. II. *Oſculamini*, id eſt adorate. In adoratione id moris erat oſculari manus.

V. 19. ARANTEM IN DUODECIM IUGIS. Unus erat e duodecim aratoribus, & præcipuus. τὸ *boum*, licet non ſit in Hebr. tamen bene ſuppletur ab Interprete.

V. 21. COXIT CARNES. Eliſeus dat epulum populo. En alacritatem Eliſei, eligentis meliorem vitam. Mactat boves & comburit aratrum, renuntians mundo. Septuag. ἐν τοῖς σκεύεσι, in inſtrumentis, & aratro combuſtis coxit carnes.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. BERSABEE. Extrema Iudæ urbs verſus meridiem.

V. 4. POTUIT, ne cogeretur iterum videre idola, & inde nata mala.

V. 10.

V. 10. SOLUS, qui palam & publice ſe exponeret pro vera religione.

V. 11. NON IN COMMOTIONE DOMINUS ſe videndum exhibet. COMMOTIO, terræmotus.

V. 16. ABELMEULA: urbs in tribu Manaſſe cis Iordanem.

V. 21. REVERSUS AB EO, a colloquio Eliæ.

CAPUT XX.

Syri Samariam obſidentes cæduntur a pueris principum provinciarum, rurſumque anno altero in campeſtribus cæduntur: Rex autem Achab a Prophetæ reprehenditur, quod fœdus cum Benadad Rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiſerit.

1. PORRO Benadad Rex Syriæ congregavit omnem exercitum ſuum, & triginta duos Reges ſecum, & equos, & currus: & aſcendens pugnabat contra Samariam, & obſidebat eam. 2. Mittenſque nuntios ad Achab Regem Iſrael in civitatem, 3. ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum eſt: & uxores tuæ, & filii tui optimi, mei ſunt. 4. Reſponditque Rex Iſrael: Iuxta verbum tuum, domine mi Rex, tuus ſum ego, & omnia mea. 5. Revertenteſque nuntii, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui miſit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum, & uxores tuas, & filios tuos dabis mihi. 6. Cras igitur hac eadem hora mittam ſervos meos ad te, & ſcrutabuntur domum tuam, & domum ſervorum tuorum: & omne quod eis placuerit, ponent in manibus ſuis, & auferent. 7. Vocavit autem Rex Iſrael omnes ſeniores terræ, & ait: Animadvertite, & videte, quoniam inſidietur nobis: miſit enim ad me pro uxoribus meis, & filiis, & pro argento & auro: & non abnui. 8. Dixeruntque omnes maiores natu, & univerſus populus, ad eum: Non audias, neque acquieſcas illi. 9. Reſpondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo Regi: Omnia propter quæ miſiſti ad me ſervum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non poſſum. 10. Reverſique nuntii retulerunt ei. Qui remiſit, & ait: Hæc faciant mihi dii, & hæc addant, ſi ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui ſequitur me. 11. Et reſpondens Rex Iſrael, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus æque ut diſcinctus. 12. † Factum eſt autem, cum audiſſet Benadad verbum iſtud, bibebat ipſe & Reges in umbraculis, & ait ſervis ſuis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam. 13. Et ecce Propheta unus accedens ad Achab Regem Iſrael, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidiſti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce, ego tradam eam in manu tua hodie: ut ſcias, quia ego ſum Dominus. 14. Et ait Achab: Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pediſſequos principum provinciarum. Et ait: Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu. 15. Recenſuit ergo pueros principum provinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recenſuit poſt eos populum, & omnes filios Iſrael, ſeptem millia: 16. & egreſſi ſunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo ſuo, & Reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. 17. Egreſſi

ſunt

sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria. 18. Et ille ait: Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos: sive ut prælientur, vivos eos capite. 19. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur: 20. & percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat: fugeruntque Syri, & persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad Rex Syriæ in equo cum equitibus suis. 21. Nec non egressus Rex Israel percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna. 22. (Accedens autem Propheta ad Regem Israel, dixit ei: Vade, & confortare, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet contra te.) 23. Servi vero Regis Syriæ dixerunt ei: Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos: sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. 24. Tu ergo verbum hoc fac: Amove Reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis: 25. & instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, & equos secundum equos pristinos, & currus secundum currus quos ante habuisti: & pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita. 26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel. 27. Porro filii Israel recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum: Syri autem repleverunt terram. (28. Et accedens unus vir Dei, dixit ad Regem Israel: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.) 29. Dirigebantque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum: percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. 30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem: & cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum: 31. dixeruntque ei servi sui: Ecce, audivimus quod Reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israel: forsitan salvabit animas nostras. 32. Accinxerunt sacceis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad Regem Israel, & dixerunt ei: Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est. 33. Quod acceperunt viri pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt: * Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, & levavit eum in currum suum. 34. Qui dixit ei: Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam: & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum. 35. Tunc vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere. 36. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit. 37. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulneravit. 38. Abiit ergo Propheta, & occurrit Regi in via, † & mutavit aspersione pulveris os & oculos suos. 39. Cumque Rex transisset, clamavit ad Regem, & ait: Servus

tuus

tuus egreſſus eſt ad præliandum cominus: cumque fugiſset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. 40. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, ſubito non comparuit. Et ait Rex Iſrael ad eum: Hoc eſt iudicium tuum, quod ipſe decreviſti. 41. At ille ſtatim abſterſit pulverem de facie ſua, & cognovit eum Rex Iſrael, quod eſſet de Prophetis. 42. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: (a) Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. 43. Reverſus eſt igitur Rex Iſrael in domum ſuam, audire contemnens, & ſuribundus venit in Samariam.

(a) Infra XXII. 38.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 33. *Frater tuus Benadad*. Non eſt addendum *vivit*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 12. *Factum eſt autem cum audiſſet Benadad verbum iſtud*. Alii libri, cum Hebraicis & Græcis, relinquunt ſubaudiendum *Benadad*.

V. 38. *Et mutavit aſperſione pulveris os & oculos ſuos*. Quidam libri omittunt *os &*, conſentanee Hebræo & Græco.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 5. QUI MISIT NOS AD TE. Hebr. Chald. & LXX. *Quia miſit ad te dicens*.

V. 7. INSIDIETUR. Hebr. Chald. & LXX. *Malum quærit*.

V. 9. FACIAM, ſcilicet ut ſim tibi tributarius: id enim intellexerat, cum primum reſpondit.

V. 10. PUGILLIS, ſcilicet implendis.

V. 11. ACCINCTUS, ſcilicet ad prælium. DISCINCTUS, ſcilicet ſoluto balteo, parta victoria.

V. 13. CERTE. Hebr. & Chald. *Nonne*.

V. 14. PEDISSEQUOS, ſcilicet pueros nobiles, qui educabantur in aula Achab. Hebr. Chald. & LXX. *pueros*, ſeu *adoleſcentes*. QUIS INCIPIET PRAELIARI? quaſi dicat: Quis aciem inſtruet, ut dux? Hebr. *Quis ligabit aciem*, ſeu *prælium*? Chald. *Quis ordinabit prælium*? LXX. *Quis coniunget prælium*?

V. 16. UMBRACULO SUO. Hebr. & Chald. *tabernaculis*. CUM EO, ſcilicet inebriati.

V. 17. MISIT, ſcilicet exploratores.

V. 21. EGRESSUS, ſcilicet intelligens hoſtes terga vertiſſe.

V. 24. PRINCIPES. Hebr. *Duces*. Chald. *Imperatores*. LXX. *Satrapas*.

V. 27. ACCEPTIS CIBARIIS. Chald. *parati*.

V. 34. PLATEAS, id eſt fora rerum venalium, ex quibus vectigalia.

V. 35. IN SERMONE DOMINI, id eſt iuſſu Domini.

V. 36. PERCUTIET. Chald. *Occidet*. PERCUSSIT. Chald. *Occidit*.

V. 38. MUTAVIT ASPERSIONE PULVERIS OS. Hebr. *Mutavit ſe, poſito pileo*, ſeu *velo ſuper*. Chald. *Et operuit panno*. LXX. *Et ligavit vitta*; alii tamen *pulverem* vertunt, alii *capitis amictum*.

V. 39. PRAELIANDUM COMINUS. Hebr. & Chald. *in medium belli*. LXX. *ad exercitum, ut prælietur*. LAPSUS FUERIT, id eſt evaſerit. ANIMA TUA, &c. quaſi dicat: Pro eo occideris.

V. 40. TURBATUS. Id additum ab Interprete.

V. 41. ABSTERSIT PULVEREM. Hebr.

Hebr. *Amovit velum*. Chald. *Amovit pannum*. LXX. *Amovit vittam*, ſeu *faſciolam*.

V. 42. DIGNUM MORTE. Hebr. *anathematis mei*, id eſt morti obnoxium. LXX. *pernicioſum*.

V. 43. AUDIRE CONTEMNENS, ET FURIBUNDUS. Chald. *Turbatus*, & *dolens*. LXX. *Confuſus*, & *flens*.

ESTII.

Verſ. 11. ET RESPONDENS REX ISRAEL, AIT: DICITE EI: NE GLORIETUR ACCINCTUS AEQUE UT DISCINCTUS. Prima facie videri poteſt, quod tantum ſignificetur, quoque is qui accinctus eſt gladio, magis gloriari poſſit quam qui non eſt accinctus, ut pote paratior ad ſe defendendum. Sed hic plus aliquid innuitur, videlicet per diſcinctum intelligitur qui iam parta victoria gladium vel baltheum depoſuit, per accinctum vero qui accinctus gladio vel baltheo procedit ad bellum, incertus adhuc de belli eventu. Ait igitur Rex Iſrael ad Regem Syriæ gloriantem, quaſi iam victoria parta: *Ne glorietur accinctus æquæ ac diſcinctus*; quaſi dicat: Ne glorietur quaſi victor armis depoſitis, utpote qui ſit adhuc in expectatione eventus belli. Vide Cajetanum.

V. 35. & 36. QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM DIXIT .... PERCUTE ME. AT ILLE NOLUIT PERCUTERE. CUI AIT: QUIA NOLUISTI AUDIRE VOCEM DOMINI... ET PERCUTIET TE LEO. Notandum eſt quod percuſſus ſit ille propter inobedientiæ peccatum. Noverat enim eum qui hoc iubebat eſſe Prophetam Domini, nec cauſam dubitandi habebat, quin iuſſu Domini diceret ei ut ipſum percuteret. Domino autem in omnibus obediendum eſt, cum ſit Dominus vitæ & mortis, ſicut & Abraham obedivit, paratus immolare filium ſuum.

V. 42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE, ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA ILLIUS, ET POPULUS TUUS PRO POPULO EIUS. Oſtenditur hic locus, quam graviter peccent ii qui in adminiſtranda iuſtitia ſocordes ſunt & negligentes, & præpoſtera quadam clementia utentes in eos qui toti reipublicæ ſunt pernicioſi, quales in primis ſunt hæretici. Hic neglectus iuſtitiæ adeo grave peccatum hic offenditur, ut non tantum ipſe iudex, ſed univerſus populus ob eam cauſam punitioni addicatur. Poteſt quidem Rex ex cauſa aliquando remittere ſupplicium, ſed hic Benadad toti regno infeſtum erat, ac præterea in deum montium & non vallium, propter quam cauſam denuntiata fuerat victoria contra eum a Propheta, atque adeo ſic pugnabat contra populum Iſrael, ut etiam conſequenter religionem & cultum veri Dei opprimere vellet.

MARIANAE.

BEnadad obſidet Samariam, omnia quæ habet Achab, ſua eſſe nuntiat. Reſpondet:

V. 4. TUUS SUM EGO, ET OMNIA MEA. Molli reſponſo hoſtis ferociam frangere volebat. Quid nuntii Benadad?

V. 5. QUI MISIT NOS AD TE. Hebr. *Quia miſit ad te dicens: Argentum tuum & alia mihi dabis*; quaſi dicat: Ne putes verbis mihi ſatisfacere, non ita erit.

V. 6. CRAS IGITUR HAC EADEM HORA MITTAM SERVOS MEOS. Heb. *Quin potius ſecundum tempus cras*. Chald. *Sed tempore hoc cras*. Experimento ſic probabo an ex corde mihi pollicearis quæ dixiſti. Non ſufficiet pulvis Samariæ pugillis populi

V. 10. QUI SEQUITUR ME. Hebr. *Qui eſt in pedibus meis*, id eſt mihi ſubditus. Sept. *Si ſuffecerit pulvis Samariæ peditibus meis*: ſcilicet ut ſinguli manipulos ex eo ſumant. Hæc dixit Benadad. Reſpondet Achab:

V. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS, ſcilicet gladio, nondum finito bello, cuius varii ſunt caſus. AEQUE UT DISCINCTUS. Hebr. *ſicut aperies*. *Aperientem* vocat, qui arma diffibulat, & deponit, quod Noſter dixit *diſcinctus*; quaſi dicat: Finito bello, poſitis armis poſt partam victoriam gloriari licet. Benadad:

V. 12. CIRCUMDATE CIVITATEM. Hebr. *Tonite*, & *poſuerunt ſuper*, id eſt contra *civitatem*, ſcilicet belli machinas ad impugnandum. Propheta ad Achab: Tradam tibi hos,

V. 13. UT SCIAS. Hebr. *Et ſcies*

nunc

nunc ; quia ego ſum Dominus . Achab : Per quem id fiet? Propheta:

V. 14. PER PEDISSEQUOS PRINCIPUM PROVINCIARUM. Sic Sept. Hebræus *per miniſtros* . Hebr. *per pueros* : qua voce & famulos intelligere poſſumus, & filios, quod placet magis : nam ſolent Procerum filii in aula educari inde ſeminarium exiſtere bello paceque . Hoc tangit Vatabl. Chald. *adoleſcentes* dixit. QUIS INCIPIET PRAELIARI? Hebr. *Quis ligabit* (ſcilicet currus) *bellum* , id eſt ad bellum? quis erit dux? Propheta: Tu.

V. 16. IN UMBRACULO SUO erat Benadad . Hebr. *in tentoriis* , quæ ſcilicet ob æſtum erexerant . ET REGES TRIGINTA DUO CUM EO. Hebr. non eſt *cum eo* : & vero diviſi per tentoria convivia inſtruebant quaſi victoria parta.

V. 20. QUI CONTRA SE VENIEBAT Hebr. non eſt , ſed bene ſuppletur . FUGIT QUOQUE BENADAD . Hebr. *Et evaſit Benadad* . Propheta ad Achab:

V. 22. CONFORTARE ; id eſt, undique vires & copias collige , ne putes bellum confectum eſſe. SEQUENTI ENIM ANNO. Hebr. *ad reverſionem anni* , id eſt vertente anno , cum ſe ſcilicet tempus aperuerit, aut fine anni , ſcilicet menſe martio , adſcendet Rex Syriæ . Miniſtri eius dicunt :

V. 22. SED MELIUS EST UT PUGNEMUS CONTRA EOS IN CAMPESTRIBUS . Hebr. *Et verumtamen pugnemus cum eis in planitie , ſi non eis prævalebimus :* oratio ecliptica : ſcilicet non credas nobis. Aut *ſi non* , pro certiſſime , ut verſ. 25. Amove Reges:

V. 24. PONE PRINCIPES PRO EIS. Hebr. *duces* ; quaſi dicat : Reges ſunt molles , oneri potius quam uſui : ſubſtitue duces belli expertos.

V. 25. ET VIDEBIS QUOD OBTINEBIMUS EOS . Hebr. *Si non obtinebimus* ; id eſt, certiſſime obtinebimus . Adſcendit Benadad

V. 27. IN APHEC . Nempe ex dictis conſtat, Samariam in montibus eſſe , Aphec in planitie. Iſraelitæ numerati ſunt :

V. 27. ET ACCEPTIS CIBARIIS PROFECTI EX ADVERSO, ſcilicet contra Syros. Alii , *Et ad calculos redacti* . Vox Heb. *colchelu* , & *numerare* poteſt ſignificare , unde calculandi vox Latinis deduci videtur ; & *alere* , ut cap. XVIII. verſ. 4. ubiidem verbum eſt : quam ſignificationem Hieronymus eſt ſecutus : idque videtur Chald. velle , cum ait : *Et filii Iſrael numerati ſunt atque parati commeatu* , ſcilicet inſtructi .

V. 28. DIXIT AD REGEM ISRAEL vir Dei . In Hebr. bis ponitur *dixit* : ſic etiam Chald. ut magis in pectus Regis dictum deſcenderet , Victor eris.

V. 29. DIRIGEBANTQUE SEPTEM DIEBUS. Hebr. *Et caſtrametati ſunt hi e regione illorum ſeptem diebus* . COMMISSUM EST BELLUM. Hebr. *Acceſſit bellum* ; pro, *milites ad pugnam acceſſere* , ut Chald.

V. 30. FUGERUNT AUTEM QUI REMANSERANT IN APHEC. Nempe eam urbem , ceperant Syri : ſic quaſſati tormentis muri , Syros qui in ea erant oppreſſere . Syri:

V. 31. FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS ponamus. Hebr. *in capite noſtro* ; id eſt, colla laqueis implicati ad victorem procedamus . Sic ſolent ſupplices in periculo , eo habitu fatentes ſe extrema promeritos. Id ſervi dicunt Benadad. Achab : An vivit frater meus Benadad ?

V. 33. QUOD ACCEPERUNT VIRI PRO OMINE . Hebr. *Et viri illi augurati ſunt* ; id eſt, ex bono reſponſo conjecerunt ſe voti fore compotes, ideo feſtinant ex Regis Achab ore id audire ; nam forte per miniſtros ante reſponderat.

V. 34. QUI DIXIT EI. Benadad verba. PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO ; id eſt, fora rerum venalium , ius commercii ibi habeto. Fortaſſe etiam vectigalia ex rebus venalibus, & Iudices de ſua gente, qui Hebræis mercatoribus iura darent , ponebat . ET EGO FOEDERATUS RECEDAM A TE. Hebr. *Et ego in fœdere dimittam te* , id eſt facto fœdere : verba Achab : ſic Sept. & Chald. Hieronymus vertit verba , ac ſi eſſent Benadad.

V. 35. VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM. Chald. *de diſcipulis* . Sic etiam Græce παίδες ἰατρῶν, pro *medicorum diſcipulis* . IN SERMONE DOMINI, id eſt Dei verbis & iuſſu. Dixit cuidam : Percute me .

V. 38. MUTAVIT ASPERSIONE PULVERI S. OS ET OCULOS SUOS ,

ſcilicet ille vir Dei. Hebr. *Mutavit ſe in pileo ſuper oculos ſuos*. Sept. *in vitta*. Chal. *panno*: & per *oculos* faciem intelligit. Ergo ſanguis, & pulvis, ſive pileus, ad diſſimulandam faciem pertinebant, ne agnoſceretur a Rege.

V. 39. SERVUS TUUS EGRESSUS EST AD PRAELIANDUM COMINUS. Hebr. *in medio prælii*, aut *in conflictu prælii*. קרב *Kereb*, *acceſſio*, ſignificat etiam *conflictum*, ut & verſ. 29. Tradidit mihi captivum cuſtodiendum.

V. 40. DUM AUTEM EGO TURBATUS HUC ILLUCQUE ME VERTEREM. Hebr. *Et fuit ſervus tuus faciens huc & illuc*. Chald. *Cum ſervus tuus reſpiceret huc & illuc*: fugit, ſcilicet captivus. Rex reſpondet reum eſſe. Tunc vir Dei:

V. 42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE. Hebr. *Quia anathema meum dimiſiſti*, cuius ſcilicet ſanguinem mihi conſecraram. DE MANU TUA. Hebr. *de manu*, ſcilicet dimiſiſti, morieris.

V. 43. AUDIRE CONTEMNENS, Rex abiit. Hebr. *turbatus*, ſive *alienatus*. סר *ſar*, *recedens*, a ſe ſcilicet. ET FURIBUNDUS. Sic Hebr. at Sept. *ſiens*. Chal. *triſtis*. Rebus proſperis increpationes graves exiſtunt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PORRO BENADAD REX SYRIAE. Vel is eſt de quo ſupra cap. XV. verſ. 18. nam tempora non repugnant: vel alter ciuſdem nominis, & prioris illius filius, ut indicatur inf. verſ. 34. ut ſane alter eſt a duobus ille de quo II. Reg. XIII. verſ. 3. filius Hazaelis.

V. 3. ARGENTUM TUUM, ET AURUM TUUM, &c. Senſum huius verſus ita concipiunt: Id eſt, plane meo arbitratui perſonas & facultates tuas dedito, ac proinde iam mihi dato, & tranſmittito per famulos meos, quidquid eſt in manu tua: ut ipſe intelligendum oſtendit infra verſ. 5. Sed hæc verba benignius Achab interpretatus eſt infra verſ. 7. & 9.

V. 4. TUUS SUM EGO, ET OMNIA MEA. Exponunt: Id eſt, ego me ipſum dedo, ut tuus ſim cliens ac beneficiarius, ſeu tributarius, quem vaſſallum vocant.

V. 5. REVERTENTESQUE NUNTII, nempe a Ben-Hadad ad Regem Iſraelis. Hunc verſum, & ſequentem nos verbatim ex Hebr. expreſſimus.

(*Verſ.* 5. *Et reverſi fuerunt nuntii, & dixerunt: Sic dixit Ben-Hadad, ad dicere: Quia miſi ad te, ad dicere: Argentum tuum, & aurum tuum, & mulieres tuas, & filios tuos mihi dabis.*

Verſ. 6. *Quia ſi ſecundum tempus craſtino mittam ſervos meos ad te, & nudabunt domum tuam, & domos ſervorum tuorum: & erit, omnem expetitionem oculorum tuorum ponent in manibus ſuis, & accipient.*) Alii dilucidius ita reddiderunt.

Verſ. 5. *Rurſus autem redeuntes nuntii, aixerunt: Sic ait Ben-Hadad, dicens: Quia miſeram ad te qui dicerent: Argentum tuum, & aurum tuum, & feminas tuas, & filios tuos mihi dato, amplius non dicam*; hoc eſt, quia edixeram per famulos meos, ut iam iam tu ipſe omnia ea dares mihi re ipſa, non expectans, donec per meos involem, nihil amplius edicam.

Verſ. 6. *Sed hoc ipſo tempore cras mittam ſervos meos ad te*; id eſt, quandoquidem non dediſti: *ut ſcrutentur domum tuam, & domos ſervorum tuorum: eritque, ut quidquid deſiderabile eſt oculis tuis, poſitum in manu ſua accipiant.*

V. 6. CRAS IGITUR HAC EADEM HORA. Hebr. *Quia ſi ſecundum tempus cras*. Quidam: *Quid ſi ſicut tempore craſtino*? interrogative, ut æquivaleat affirmationi. Alii: *Niſi hoc tempore cras*; ſubaudi, diſpereram, aut non ſit mihi propitius Bahal. Nonnulli: *Sed hoc ipſo tempore cras*; quaſi dicat: Quia miſi ad te ut dares, & non dediſti ſtatim, non amplius agam nuntiis aut legationibus: ſed hoc ipſo tempore cras rem per meos exequar. Aliqui: *Quinimmo, verumtamen, cras iuxta id tempus*; quaſi dicat: Dabis illa quidem, ſed non propterea ſatisfeceris mihi, aut his contentus ero, quinimmo cras hoc ipſo tempore, &c. Hic Ben-Hadad videbatur quærere occaſionem belli. ET OMNE QUOD EIS PLACUERIT. Hebr. *Et omnem appetitionem, deſiderium, concupiſcentiam, oculorum tuorum*; id eſt, quidquid erit tibi cupitum, deſiderabile, expetibile oculis tuis. Nec dubito ad hunc locum reſpexiſſe Ioannem, I. Epiſt. cap. II. verſ. 16. cum dixit *concupiſcentia oculorum*. Sic Thren. II. verſ. 4.

V. 7.

V. 7. ET NON ABNUI, quo minus ea omnia fidei, & clientelæ eius subiicerentur: cum me ei in vasſallum tradiderim.

V. 10. HAEC FACIANT MIHI DII, ET HAEC ADDANT. Vide de hac locutione ſupra cap. IX. verſ. 2. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIAE PUGILIS OMNIS POPULI, QUI SEQUITUR ME. Id eſt, tam numeroſum exercitum ducam in Samariam, ut non ſatis eſſe poſſit tota humus Samariæ, ut tollat quiſque ex meis militibus unum pugillum ex ea; ac ſi dicat: Pugillis totam terram auferent, & exhaurient. Notant comparationem eſſe a maiore, ſed hyperbolicam, atque thraſonicam; quaſi dicat: Tota terra veſtra auferetur pugillo a meis: quanto magis homines veſtri? Similis hyperbole eſt II. Samuel. XVII. verſ. 13. QUI SEQUITUR ME. Hebr. *in pedibus meis*; id eſt, qui ſequitur veſtigia mea. Vide eamdem locutionem Exod. XI. verſ. 8. & Iudic. IV. verſ. 10.

V. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS ATQUE UT DISCINCTUS. Quidam: *Ne iactet accinctus*, *ſicut ſolutus*; id eſt, ne glorietur qui iam primum accingit arma initurus prælium, ſicut is qui iam adepta victoria deponit arma; quaſi dicat: Qui induit arma pugnaturus, ne ita gloriator, ac ſi victoria parta illa deponeret: ne canat, quod aiunt, triumphum ante victoriam. Nonnulli: *Ne glorietur accinctor*, *ſicut ſolutor*, vel *apertor*, id eſt accinctus ad prælium, ſeu victoriam; ſicut gloriatur ſolvens ſeu aperiens, id eſt qui iam vicit & aperit theſauros, ſolvitque ſaccos aut ſarcinas eorum qui fuere victi: multa enim intercedere poſſunt inter os & offam. Alii: *Ne glorietur qui accingit* balteum, ſeu zonam militarem, *ut qui iam ſolvit*. Aliqui: *Ne iactet ſe qui accingit ſe*, *ut qui diſcingit*.

V. 12. CIRCUMDATE CIVITATEM. ET CIRCUMDEDERUNT EAM. Heb. *Ponite*. *Et poſuerunt ſuper urbem*. Quidam: *Admovete* inſtrumenta bellica. *Et admoverunt contra civitatem*. Vel, *Admovetote machinas*, *& caſtra tota*. *Et admoverunt*, &c. Alii: *Inſiſtite*. *Et inſtiterunt adverſus civitatem*; id eſt, promoverunt machinas. Vel *premite*, *& urgete obſidionem*.

V. 14. QUIS INCIPIET PRAELIUM? ET ILLE DIXIT: TU. Notant, ex ſubiuncta executione verſ. 17. 20. & 21. non quæſiviſſe Achab, quis ex nobis Iſraelitis incipiet prælium? ſed quis incipiet, an Rex Syriæ, an ego? quaſi dicat: Quis primum aggredietur, Rex Syriæ, an ego? Nam pueri præfectorum provinciis aggreſſi ſunt Syros, & illos ſubſecutus eſt Achab cum reliquo exercitu. A parte Achab cœptum eſt prælium: ſed non is in primo agmine. Quidam reddunt: *Quis accinget*, ſeu *inibit prælium?* id eſt, quis prior belli aciem inſtruet, atque comparabit. Metaphora ſumpta ab equis & bobus quos ad opus ineundum accingentes ad currum, plauſtrum, vel aratrum ligare & iungere ſolemus. Et vero curruum maximus olim fuit uſus in præliis. Gallice vertere poſſis: *Qui attaquera la bataille*? Vide II. Paralip. XIII. verſ. 3.

V. 22. ET SCITO, ET VIDE QUID FACIAS; quaſi dicat: In cura & ſollicitudine eſto, ne parta victoria ſecurum hoſtium, & incautum Syrus invadat. SEQUENTI ENIM ANNO. Hebr. *Quia reverſioni anni*, vel *ad converſionem*, ſeu *in revolutione*, *anni*: vertente, evoluto, anno. Vide de hac locutione II. Samuel. XI. verſ. 1. Sic infra verſ. 26.

V. 24. AMOVE REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO. Videntur ii reguli delicati & ignavi fuiſſe, e verſ. 12. & 16. & qui primi forte fugerunt, ſecum ſuos trahentes. Alii exiſtimant, eos minus dicto audientes fuiſſe; ideo adhibitos loco eorum alios duces e ſubditis ſuis, qui fidelius parerent. *Amove*; id eſt, ne adhibeto ut antea.

V. 25. ET INSTAURA NUMERUM MILITUM, QUI CECIDERUNT DE TUIS, ET EQUOS SECUNDUM EQUOS PRISTINOS, &c. Hebr. *Et tu numerabis virtutem ſecundum virtutem cadentem*, *de apud te*, *& equum ſecundum equum*, &c. Quidam: *Tu tamen numerato tibi copias ex tecum*, vel *ex tuis*, *prout erant copiæ illæ*, *quæ ceciderunt*, *& equos prout erant illi equi*, *& currus prout illi currus erant*, &c. Id eſt, numera, conſcribe, tibi tantum exercitum, quantus primum fuit, nempe tot milites, tot equos, & currus, quot ante: atque copiæ ipſæ erunt ex tuis, id eſt non ex auxiliario milite, qui lucrum & mercedem tantum ſpectat.

V. 26. IN APHEC. De Aphek plura diximus in Iosue XII. vers. 18. & in cap. XIII. vers. 4. Quidam hanc putant Aphekam Iudaicam, de qua Iosue XV. vers. 53. & I. Samuel. IV. vers. 1. Alii Asseriticam potius existimant, de qua Iosue XIX. vers. 30. & Iudic. I. vers. 31. quam occupasse videtur Syrus in hoc bello. Vide infra vers. 30.

V. 27. ET ACCEPTIS CIBARIIS. *vecolcelu*, ex formula Puhal, quidam a כלכל *calcal*, deducunt, redduntque: *Et ominati*, *universitati sunt*, si sic liceat loqui; id est, fuerunt omnes ipsi, ne unus quidem desideratus est, quemadmodum fuerant in priori bello: quot fuerunt in priori bello, tot omnino interfuerunt in hoc secundo, nullus defuit. Quidam: *Et summati fuerunt*. Possis voce consentiente reddere: *Et calculati sunt*, seu *in calculum redacti*; id est, ad calculum, & numerum exactissime recensiti. Alii a כול *cul* quadrato: *Et alti*, *sustentati*, *cibati*, *fuerunt*. Quidam: *Et per omnia sustentati fuerunt*. Aliqui: *Et commeatu*, & *omnibus ad bellum necessariis instructi fuerunt*. QUASI DUO PARVI GREGES CAPRARUM. Hebr. *Quasi duæ nudationes*, seu *nuditates*, *caprarum*. Quidam: *Quasi duo nudi*, id est *vasi*, *parvi*, *greges caprarum*. Erant enim distributi in duas acies, sed parvas, respectu Syrorum. Aliqui: *Sicut duæ distinctiones*, seu *strigæ*, *ordines*, *caprarum*. Quid sint strigæ, docebit te Festus.

V. 30. ET CECIDIT MURUS, &c. vel impetu tot millium irruentium; vel potius miraculo, quo viginti septem millia illa opressa sunt, perspicuæ divinæ virtutis ostensione.

V. 31. PONAMUS ITAQUE SACCOS IN LUMBIS NOSTRIS. Exponunt: Id est, liceat nobis servis tuis lugubri sontium habitu misericordiam implorantium, Regem Israelis adire, ut pro salute tua intercedamus. ET FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS. Quidam: *Et capita nostra restibus inseremus*. Alii: *Et funes indamus capitibus nostris*, testantes nimirum hoc symbolo nos ultimum supplicium apud Regem Israelitarum promeritos esse; sed humillime coram ipso deprecari, ut tua causa & nostra. Sentica nota etiam hac memoria nostra.

V. 32. FRATER MEUS EST; id est, fraterno amore, & officiis prosequar illum.

V. 33. QUOD ACCEPERUNT VIRI PRO OMINE, ET FESTINANTES RAPUERUNT VERBUM EX ORE EIUS, ATQUE DIXERUNT: FRATER TUUS BENADAD. Hanc periculum nos totidem verbis ordine, ex Hebraico in nostra Translatione reddidimus (*Et homines augurabantur*, & *festinaverunt*, & *propriaverunt illud*, *an de ab eo*, & *dixerunt*: *Frater tuus Ben-Hadad*.) Diversimode alii. I. *Viri autem illi augurati sunt*: vel *more augurum diligenter observabant*: & *festinaverunt*, & *rapacrunt*, esset *an ab eo*: & *dixerunt*: *Frater tuus Ben-Hadad*. II. Nonnulli Hebræorum traiectionem esse volunt, & illud, *an ab eo*, trahiciunt a verbo *rapuerunt* ad verbum *augurati sunt*, ita: *Et homines illi augurabantur*, *num ab eo*; id est, num ex ore eius excipere possent aliquod verbum amicum: & audito *Frater meus est*, *festinaverunt*, & *rapuerunt* verbum *illud*, & *dixerunt*, *Frater tuus Ben-Hadad*. III. *Et viri observabant*, & *festinabant rapere hoc ab eo*: vel, *Et viri observabant*, & *festinantes statim arripuerunt an ex eo aliquid*; id est, an ex eo aliquid pro se arriperent. IV. *At viri illi fausum omen interpretati*, *arripuerunt confestim hoc ab eo*, *dixeruntque*: *Frater tuus Ben-Hadad*. V. *Et viri illi augurati sunt*, *festinaverunt que*, & *rapuerunt id ab eo*, & *dixerunt*, *Frater tuus Ben-Hadad*. Et est sensus, ut ipsi apud se statuerint: Cum nos diximus, Servus tuus Ben-Hadad, si ille mox placide responderit ad auditum huius nominis; signum erit piæ acceptationis, & quod nos vivere finet: Cum igitur audissent ab Achab: *Vivitne adhuc frater meus?* rapuerunt hoc responsum ex ore eius veluti omen, & sacrum oraculum: prius quam ille suam complesset orationem, ipsi festinanter responderunt, *Frater tuus Ben-Hadad*. VI. *Et homines isti experiebantur*, & *festinabant*, & *propriabant*, *an ex ipso* esset res *ista*; id est, festinabant, ut experimento cognoscerent, & proprie ac præcise explorarent, an ex animo Achab parceret Ben-Hadado: & *dixerunt*, *Ben-Hadad frater tuus*; quasi dicant: Capimus libenter omen, *Frater tuus est Ben-Hadad*. VII. Clarius adhuc alii: *Homines autem isti experimento discebant*, & *festinabant*, & *præcidebant ex eo*. Vel, *Experimento discere*

ſcere feſtinabant, & præciſe cognoſcere, an ex ipſo eſſet; id eſt, fagaciter & ſtudioſe intenti erant, ut animum Achabi explorarent geſtu, & ſermone, qui erga Ben-Hadadum eſſet: *dixerunt itaque: Frater tuus ergo eſt Ben-Hadad?* Verbum חַי *chalat*, quod hic tantum, nec alibi legitur in Bibliis, ex notione Chaldaica aiunt eſſe, *arripere*, ut Noſter & plerique ſunt interpretati. Alii volunt eſſe *excidere, præcidere*, ex Chaldæo Interrete, Levit. XIII. verſ. 15. inde, *præciſe & proprie aliquid facere, proprium facere, appropriare, præciſe, ſimpliciter, proprie diiudicare, adiudicare, cognoſcere, pronuntiare*, ex eodem Chaldæo Levit. XIII. verſ. 11. in quo ſignificato utuntur eo vulgo Rabbini. Nec deſunt qui exponant *advertere: Et adverterunt an ab eo*: excideret amicum verbum: Id eſt, cum Rex Iſrael diceret de Ben-Hadad, *Frater meus eſt*, ipſi advertentes repetiverunt verbum hoc, *Frater tuus Ben-Hadad*. Sed nemo melius Noſtro, & Chaldæo, & LXX. *Et rapuerunt, arripuerunt, collegerunt illud* verbum *de ab eo*. Hiſpanice: *Le cogieron aquella palabra, Frater meus eſt*. Hiſpanicus Interpres: *Eſto tomaron aquellos varones por buen aguero: y tomaron preſto eſta palabra de ſu boca, y dixeron: Ben-Hadad tu hermano.* FRATER TUUS BENADAD. Quidam ſubaudiunt *vivit*. Alii, recte, capimus omen, *Frater tuus ſit Ben-Hadad*: cum ante diciſſent, *Servus tuus Ben-Hadad*. Aliqui interrogative, & confirmanter: *Frater tuus ergo eſt Ben-Hadad?* hoc ipſum eſt quod quærimus, eius & noſtræ ſaluti. Nos hunc ſenſum ſubolfecimus: Cum Achab dixiſſet, *Frater meus eſt*; *homines illi coniectabant, obſervabant, & urgebant propriare*, id eſt proprie, præciſe, ac ſimpliciter ſcire, an illud ex animo protuliſſet, & repetendo interrogaverunt: Verene frater tuus eſt Ben-Hadad?

V. 34. QUI DIXIT, nempe ipſe Ben-Hadad. CIVITATES, QUAS TULIT PATER MEUS, de quibus ſup. cap. XV. verſ. 20. A PATRE TUO; id eſt, ut exponunt, anteceſſore tuo, nempe Baaſa, ibidem. ET PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO. Sic omnes fere vocem רְחֹבוֹת *chutzoth* accipiunt: exponuntque. Id eſt, vel fora publica rerum venalium, quaſi publicas nundinas, ex quibus vectigalia & tributa accipies; vel tribunalia dicendi ius plateis, aut exigendi tributa & vectigalia. Poſſis reddere *foranea, externa*, id eſt agros ſeu villas extra civitatem: ſic Iob v. verſ. 10. IN DAMASCO, id eſt in urbe regia: ut hac re te ſuperiorem agnoſcam, & me tuum ſubditum, ac beneficiarium conſtituam. Quidam reddunt: *Et limitanea conſtitues tibi in Damaſco*, id eſt clauſuras ſive aditus in regnum Damaſcenum. Poſſis reddere: *Et circumforanea pones tibi in Damaſco*, id eſt villas, prætoria, & ædificia laxandi animi cauſa, in agro Damaſceno, extra urbem. IN SAMARIA. Exponendum ut paulo ante, *in Damaſco*, id eſt vel in urbe ipſa Samariæ, vel foris circum urbem, vel in regno Samariæ. ET EGO FOEDERATUS RECEDAM A TE. Hebr. *Et ego cum fœdere dimittam te*. Noſter intellexit verba eſſe Ben-Hadadi; & illud dimittam te, accepit abibo, recedam liber a te. Alii volunt eſſe verba Achabi, ac ſubaudiendum verbum: *Dixit Achab: Et ego cum hoc fœdere dimittam te*. Notant eſſe ecliſſim inſolentem verbi, etiam in diverſo membro ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendi; ut II. Reg. IX. 27. & X. 15. Vide Matth. V. 22. & XXIII. 18. & Lucæ VII. 41.

V. 35. DE FILIIS PROPHETARUM. Vide de his in I. Samuel. X. 5.

V. 37. QUI PERCUSSIT EUM, ET VULNERAVIT. Hebr. *Et percuſſit eum vir percutiendo & vulnerando*. Quidam: *Quare percutiebat vir ille indefinenter, ac vulnerabat*. Alii: *Vir autem ille cæcidit eum, & vulnus cædendo inflixit*. Nonnulli: *Et percuſſit eum valide & acriter, ac vulneravit*.

V. 38. ET MUTAVIT. Hebr. *Et nudavit ſeſe*, id eſt veſtitu, ſeu habitu, honorato, honeſto, & decoro Prophetæ, & alium induit viliorem & ignotum. Vide hoc verbo I. Samuel. XXVIII. verſ. 8. Quidam reddunt: *Et diſſimulavit ſeſe*.

V. 39. QUI SI LAPSUS FUERIT. Hebr. *Si deficiendo deficiebatur*; id eſt, ſi ullo pacto deſiderabitur, ſi omnino defuerit. TALENTUM ARGENTI, id eſt duodecim millia regalia Caſtellana.

V. 40. DUM AUTEM EGO TURBATUS HUC ILLUCQUE ME VERTEREM. Hebr. *Et fuit ſervus tuus faciens hic & hic*. Quidam: *Cumque ſervus tuus agere hic*

hic & illic; id eſt, laboraret, vel eſſet occupatus huc & illuc: aut fatageret huc illucque. SUBITO NON COMPARUIT. Hebr. *Et ipſe non ipſe*: vel *& ipſe non fuit*. Quidam: *Et ille non adeſſet*; id eſt, ut fuga ſibi conſuleret. HOC EST IUDICIUM TUUM. Hebr. *Sic, ita, eſt iudicium tuum*. Aliqui: *Rectum, firmum, conſtans, ſtabile eſt iudicium tuum*. QUOD IPSE DECREVISTI. Hebr. *tu acuiſti*. Verbum חרץ *charatz* omnia iſta complectitur: *Tu ſtrinxiſti, deciſiſti, decreviſti, urſiſti*; id eſt, in te ipſe tuliſti legem, cum accepiſti conditionem illam: præciſe a te ipſo definita eſt ſententia. Quidam reddunt: *Tu pronuntiaviſti*; ſubaudi, ſententiam contra te. Simili parabola admonuit Davidem Nathan Propheta ſceleris admiſſi in Uriiam Chethæum, II. Samuelis XII.

V. 42. VIRUM DIGNUM MORTE. Hebr. *virum anathematis mei*, vel *devotionis, internecionis meæ*, id eſt anathemati, ſeu internecioni devotum. Vide Leviticum XXVII. verſ. 29. Quidam reddunt *virum retis mei*, ſeu *ſagenæ meæ*. Sic enim hæc vox capitur Michææ VII. verſ. 2. & Habacuc I. verſ. 17. nimirum pro reti exitiali, id eſt virum qui inciderat in rete meum, ſeu in meas caſſes exitiales.

V. 43. AUDIRE CONTEMNENS. Participio ſeu nomini סר *ſar* omnia iſta ſubſunt, *contumax, perverſus, inobediens, immorigerus, rebellis, refractarius, incorrigibilis, indiſciplinabilis, intractabilis*. Quidam vertunt *triſtis*; alii *abalienatus* mente præ ira; alii *faſtidioſus, & furibundus*. זעף *zagheph*, *furens, ſæviens, conturbatus, mæſtus, fervens, frendens, attonitus, conſternatus*. Vide in Geneſ. XL. 6. Quidam reddunt *indignabundus, ſtomachabundus*.

MENOCHII.

Verſ. 1. BENADAD filius, aut nepos alterius Benadad, qui ante triginta novem annos, ut computat Salianus, pugnaverat adverſus Regem Iſrael, ut vidimus ſupra capite XV. num. 20. Cauſam belli fuiſſe ſuſpicatur Salianus, quod Achab Benadado recuſaret pendere tributum, quod antea pependiſſe colligitur ex hoc capite infra num. 34. TRIGINTA DUOS REGES SECUM, id eſt ſatrapas vicinarum provinciarum circa Libanum, & Euphratem, quos more ſuo Scriptura Reges appellat. ASCENDENS: quia Samaria in monte poſita.

V. 3. ARGENTUM TUUM, ET AURUM TUUM, &c. quaſi dicat: Hæc omnia volo mihi tradi, & arbitrio, voluntatique meæ permitti, quæ ſi ſponte non dederis, invitus dabis.

V. 4. IUXTA VERBUM TUUM, &c. Ita locutus videtur Achab non ſerio, ſed officioſe, & ut molli reſponſo barbari Regis animum leniret.

V. 5. HAEC DICIT BENADAD, &c. Senſit Benadad reſponſum Achab officioſum eſſe, itaque ut intelligeret rem ſerio agi, alios mittit nuntios, qui ſignificarent omnino velle Benadad, ut illa omnia quæ poſtulaverat ſibi traderentur.

V. 7. ET NON ABNUI. Revera non abnuerat, ſed petitionem ſimulata conceſſione eluſerat, dum clarius appareret quo ceſſatura eſſet iſta poſtulatio.

V. 9. PROPTER QUAE MISISTI AD ME INITIO, ut ſcilicet traderem aurum, argentum, uxores, filios. FACIAM. Officioſe dicitur, non enim animus illi erat ea tradere, ſi Benadad perſtaret in propoſito illa auferendi. HANC AUTEM REM: ut ſcilicet permittam auferri quæ ſunt ſubditorum meorum, quod facere ſe velle ſignificaverat Benadad cum dixit in ſecunda legatione: *Et domum ſervorum tuorum* num. 6.

V. 10. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIAE, &c. Sententia eſt, tam multos milites ſe adducturum, ut illis terræ pulvis defuturus ſit, ſi vel unum illius pugillum quilibet auferre velit, hoc eſt quantum pugno uno capere poſſit.

V. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS AEQUE UT DISCINCTUS. Monet non eſſe canendum triumphum ante victoriam, nec eum qui ſe accingit ad pugnam gloriari debere, ut eum qui, cum victoria ſi potitus, arma diſcingit, & exuit.

V. 12. IN UMBRACULIS, ſcilicet in tabernaculis, & tentoriis. Vel ſententia eſt, eos præ nimia confidentia ſub arboſum comantium umbraculis, quaſi de victoria certos agitaſſe convivia.

V. 13.

V. 13. PROPHETA UNUS. Abulenſis putat fuiſſe Michæam filium Iemla, quod etiam ſentit Lyranus, & alii. UT SCIAS QUIA EGO SUM DOMINUS. Hæc potiſſima cauſa, cur impio Regi victoriam dare voluerit, ut etiam Benadadi ſuperbia, & faſtus comprimeretur.

V. 14. PER PEDISSEQUOS PRINCIPUM PROVINCIARUM. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta habent, *Pueros*, ſive *adoleſcentes*, ſive *famulos*, hoc enim ſignificat vox Hebraica נער *nahar*, & Græca παιδάριον. ET ILLE DIXIT: TU; hoc eſt, tu aggreſſor ſis, & ex urbe tuorum manus prodeat adverſus Benadad.

V. 18. APPREHENDITE EOS VIVOS. Hoc dicitur ex hoſtium contemptu, & virium ſuarum fiducia.

V. 10. FUGERUNTQUE SYRI, Deo illis timorem incutiente.

V. 22. VIDE QUID FACIAS: rebus Regni tui proſpice, & quid facto opus ſit, conſidera.

V. 23. DII MONTIUM SUNT DII EORUM, potentes ſcilicet in regno ſuo. Samaria, & Bethel, & Dan erant in montibus, & omnia excelſa loca Regni Iſraelitici idolis plena erant. OBTINEBIMUS EOS: victoriam conſequemur, cum monticolarum deorum vis ad plana loca, & campeſtria non ſe porrigat.

V. 24. AMOVE REGES, &c. Auctores ſunt, ut mutet Reges in duces inferioris conditionis, vel quia illi in bello ſtatim fugerant, nimium timentes vitæ ſuæ, pretioſas & regias animas ſuas conſervare cupientes, vel quia Reges molliter nutriti, non ut duces inferiores, qui duris militiæ laboribus aſſueverant, periculis obiicere ſe audebant.

V. 26. POSTQUAM ANNUS TRANSIERAT, & evoluta hieme ſe veris initium aperuit. IN APHEC: quæ civitas ab Adrichomio ponitur in tribu Iſſachar, non longe a civitate Iezrael, ubi magna eſt planities, quæ vocatur Galilææ, & campus magnus Eſdrelon, & Mageddo, quæ ſunt civitates in eadem planitie.

V. 27. QUASI DUO PARVI GREGES CAPRARUM. Mirum videtur tam paucos fuiſſe, cum a Propheta monitus fuiſſet Rex ut rebus ſuis provideret. Verum pleræque urbes a Rege Iuda tenebantur, Iſraelitis ab Aſa ereptæ II. Paralipomen. XVII. 2. Alias occupaverat Rex Syriæ, quo tempore ab Aſa evocatus fuerat contra Baaſa III. Reg. XV. 20. & hoc capite numero 34. Permulti etiam ex Iſraelitis, præter levitas, & ſacerdotes ſponte religionis cauſa ad regnum Iudæ transierant, II. Paralipomen. cap. XI. verſ. 16. tam tempore Roboami quam Aſæ patris Joſaphat II. Paralipomen. XV. 9. Itaque apparet quantum pietas, & verus Dei cultus valeat ad regna roboranda, & quantum vice verſa ea deiiciat, & diſperdat impietas.

V. 30. CECIDIT MURUS SUPER VIGINTI SEPTEM MILLIA HOMINUM. Rex fugit, & intra cubiculum ſe abdidit, iuſſitque ſuos murum cuſtodire, & hoſtes arcere. Dum hi partim in muro, & pro pinnis ſtant, partim ad portas, & circa murum, ecce procumbit murus, & viginti ſeptem hominum millia obterit. INGRESSUS EST CIVITATEM. Prius ingreſſus fuerat, ſed Scriptura cladem utramque ſimul narrare voluit, tam quæ ex commiſſo prælio, quam quæ ex ruina muri fecuta eſt.

V. 31. FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS. Septuaginta, Chaldæus, & Ioſephus de funiculis ſuper capita impoſitis interpretantur. Alii ligata volunt reſtibus colla, qui habitus ſupplicium eſt, itaque Italice dicimus ſchemate adagiali, *Andar con la corda al collo*. Idem tamen eſſe videtur ſive dicamus funes in capitibus fuiſſe, ſive circa collum, nam hæc duo propter vicinitatem accipiuntur pro eodem; ſic dicimus alicuius abſcindi caput, cum collum abſcindatur.

V. 32. VIVAT ANIMA MEA, vivere liceat.

V. 33. ACCEPERUNT VIRI PRO OMINE. Iuxta ſuperſtitioſos Ethnicorum ritus, qui curioſe ex augurum diſciplina obſervabant, an quod amicum verbum elaboretur, quod ipſi ſtatim exciperent, & ad quamdam veniæ neceſſitatem traherent, ideoque dixerunt: *Frater tuus Benadad*.

V. 34. QUI DIXIT EI, Benadad ſcilicet Achabo, nolens pro ingenti beneficio ſervatæ vitæ ingratus videri. PATER MEUS A PATRE TUO. Quando hoc acciderit, non memorat Scriptura, niſi dicere velimus ſermonem eſſe de civitatibus Iſraeli ademptis a Syris ſub Baaſa, ut vi-

di-

dimus supra capite xv. vers. 20. dicamusque Baasam patrem Achabi vocari, quia illi Achab in regno successit, ut solent filii parentibus. PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO. Plateas vocat fora rerum venalium, super quas vectigal aliquod constituat, & colligat Achab, quæ est communis interpretatio Abulensis, & Vatabli. Septuaginta habent: *Et exitus pones in Damasco*, ubi ἔξοδος *exitus* videtur poni loco τοῦ προαύλου, scilicet pro reditu. Suspicabar fortasse plateas facere, idem esse quod militare, præsidium constituere, ut loquendi modus similis esset phrasi nostræ Italicæ qua dicimus, *Fa piazza d'arme*.

V. 35. VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM: quem Michæam filium Iemla Iosephus, aliique Hebræi fuisse volunt. IN SERMONE DOMINI, ex Dei mandato. PERCUTE ME; id est, infligе mihi vulnus in capite, aut in facie, ut scilicet videretur in prælio quod commissum fuerat, vulnus illud accepisse.

V. 36. ATQUE PERCUSSIT. Non est omnino certum an occiderit. Plerique tamen occisum putant, & hoc in Scripturis fere significatur nomine percussionis.

V. 38. ASPERSIONE PULVERIS, &c. ne agnosci posset, & prius parabolam proponere posset, quam illam ad se pertinere Rex intelligeret.

V. 39. ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA EIUS: eamdem scilicet subibis conditionem servituris, aut mortis. AUT TALENTUM ARGENTI APPENDES, scilicet tria siclorum argenteorum millia.

V. 40. NON COMPARUIT. Fugasse subduxit. HOC EST IUDICIUM TUUM QUOD IPSE DECREVISTI; id est, tu ipse contra te sententiam protulisti, vel enim reus es mortis, aut servitutis, vel talentum repræsentare debes ei, qui hominem custodiendum crediderat tibi.

V. 42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE, &c. Ex parabola intelligere potuit Achab quanta in culpa esset dimisso sponte Benadado, cum hic eo vel per negligentiam amisso, quem fortasse se custodituram non promiserat, suo ipsius iudicio reus esset. ERIT ANIMA TUA, &c. Cuius denuntiationis veritatem eventus intra tertium annum subsecutus declaravit, nam & ipse a Syris occisus est, & populus eius ab eisdem susus & fugatus, ut patet ex cap. XXII. huius Libri.

TIRINI.

Vers. 6. OMNIA PROPTER QUAE MISISTI AD ME IN INITIO, FACIAM: nempe ut tibi sim servus & tributarius, hanc autem, quam nunc postulas, actualem spoliationem ferre non possum.

V. 10. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIAE PUGILLIS OMNIS POPULI QUI SEQUITUR ME; quasi dicat: Excindam stirpitus Samariam, nec vel pulvisculum in ea relinquam, neque aliud quidquam præter nudum saxum, super quo fundata est. Eritque hoc mihi factu facillimum, qui tantam mecum traho militum copiam, ut si illorum quisque pugillum rapiat pulveris, res momento temporis peragenda sit. Simile exitium urbi Tyro minatur Ezechiel cap. XXVI. vers. 4. *Radam pulverem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram*. Ita fere Abulensis, & Sanctius.

V. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS, adhuc balteo & armis, AEQUE UT DISCINCTUS, qui parta iam victoria depositi arma; quasi dicat: Ne triumphum canat ante victoriam, valde anceps est fortuna belli, & ab exiguis sæpe copiis victi prostratique sunt ingentes exercitus.

V. 14. PER PEDISSEQUOS PRINCIPUM, id est per servos honorarios & principibus familiares, qui proprie vocantur pedissequi. QUIS INCIPIET PRAELIARI? Hebraice, Græce, Chaldaice: *Quis instruet aciem? quis ordines constituet?* Tu ipse Rex Achab.

V. 23. DII MONTIUM SUNT DII EORUM, IDEO SUPERAVERUNT NOS. Adulatorum ea vox est, qui nolunt Regem Syriæ victum videri ab hoste mortali, quod erat ei probrosum, sed a sola manu divina; nitunturque vulgato illo gentilium errore, quo credebant, pro locorum & operationum varietate, varia etiam numina constituta esse, quæ in isto certo loco, in isto rerum genere cui præsunt, valeant plurimum; extra vero vel nihil prorsus, vel parum admodum. Exemplo sit terræ filius Antæus, qui cum ter-

ræ

ræ allideretur ab Hercule, ſuperari non poterat, matre terra vires ſemper novas ei ſufficiente: at ſublatus a terra, cum in aere non haberet qui opitulari poſſet, facili compreſſione exſtinctus eſt. Sic Faunos, & Silvanos ſilvis, montium iugis *Iugatinum* deum, collibus *Collatinam*, vallibus *Valloniam* deam præficiebant, teſte ſancto Auguſtino, & aliis. Nominatim vero Hebræorum Deum vocant *montium deum*, partim quod terra Iſraelitica cui dominabatur, montoſa fere eſſet; partim quod prodigia fere omnia populo Iſraelitico exhibita, quæ vicinis paſſim innotuerant, in montibus contigiſſent; verbi gratia, fulmina, tonitrua, ignis, &c. in monte Sinai dum lex promulgaretur, & recens in monte Carmelo ignis in ſacrificium Eliæ delapſus, &c. Partim denique quod Iſraelitæ vel in monte Moria, ubi erat templum, vel in aliis montibus, ubi erant excelſa, ſolerent Deo ſuo ſacrificare.

V. 24. AMOVIT REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO. Erant hi numero triginta duo, qui vel prece, vel pretio inducti fuerant, ut cum auxiliaribus copiis ſuis in hoc bello adeſſent. Verum cum iam experientia doceret, Reges illos & in aliena cauſa negligentiores eſſe, & in re bellica minus expertos; quin potius aſſuetos molliori vitæ, & menſæ lautiori, militibus malo exemplo atque impedimento eſſe, ſuadetur Regi Syriæ, ut illis domi relictis, illorum loco *principes*, Hebraice *ducer* in re bellica præſtantes, ferendo oneri, & bello adminiſtrando aſſuetos, exercitui præficiat.

V. 26. IN APHEC: non illa Iudæ, Ioſue xv. & I. Reg. iv. ſed altera in tribu Aſer, Ioſue xix.

V. 30. ET CECIDIT MURUS civitatis, vel divina virtute, ut olim in Iericho, vel arietum impulſu, SUPER VIGINTI SEPTEM MILLIA HOMINUM, qui propugnatores pro mœnibus ſtabant, ut Hebræos irruentes ſubmoverent. PORRO BENADAD... INGRESSUS IN CUBICULUM, QUOD ERAT INTRA CUBICULUM, id eſt in abditiſſimum cubiculum. Hac phraſi deſignant Hebræi quaſvis ſecretiores latebras, etiam in ſpecubus & foveis ſubterraneis. Et eadem phraſi utitur infra Michææ xxii. 25. *Viſurus es in die illa, quando ingrederis cubiculum intra cubiculum, ut abſcondaris.*

V. 32. ACCINXERUNT SACCIS LUMBOS SUOS: ſervili ſago profitentes ſe ſervos eſſe velle, & quodque ſervile officium ſubire paratos. ET POSUERUNT FUNICULOS IN CAPITIBUS SUIS; id eſt, laqueos collo indiderunt: quo ſigno fatebantur ſe promeritos infamem ſtrangulationis vel ſuſpendii mortem. Haud dubie addiderunt & alias conſuetas ſupplicum cæremonias, ut ambarum manuum coniunctionem (ut nos inter orandum ſolemus) qua deſignatur, quaſi ultro ligari & ſpontaneis vinculis conſtringi nocentes & impias manus. Incurvatione cervicis, ad ſervilem ſubiectionem conteſtandam, promptitudinemque ad iugum & onus, quodcumque victor imponere voluerit, acceptandum. Humi proſtrationem, & terræ quam victor calcat exoſculationem, qua fateantur, ſe ne quidem terra, & aqua, & aere communi dignos, & pro magno beneficio habituros, ſi vel pedibus victoris conculcati ſinantur vitam ignobilem & fordidam ſub eius imperio ducere. Vide hac de re Ioſephum, Tertullianum, & Nicolaum Papam *a*.

V. 34. PLATEAS FACTI TIBI IN DAMASCO. In regia urbe Syriæ, totiuſque regni metropoli, habeas & tu, tamquam alter Syriæ Rex, fora publica, e quibus & vectigalia tibi quotannis colliges, & alia emolumenta: & in quibus Iſraelitis tuis ſua ſint tribunalia, ſui iudices. Multa promittit captivus Benadad; ſed liber fidem feſellit: tantumque abeſt, regalia illa iura conceſſerit Iſraeli in Damaſco, ut nec erepta quidem eis oppida reddere voluerit. Ut patet ex Ramoth Galaad, in tribu Gad, pro qua urbe recuperanda, iterum Achab eidem Benadad novum bellum intulit, cap. xxii. verſu 3.

V. 35. VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM. Sanctius putat hunc fuiſſe Michæam filium Iemla, quem ob audaciorem hanc reprehenſionem videtur Achab in vincula compegiſſe: e quibus triennio poſt eductus ſtetit ſe duobus Regibus Ioſaphato, & Achabo de Ramoth Galaad recuperanda deliberantibus, cap. xxii verſ. 8. & ſeqq. PERCUTE ME, ſeu vulnera ſa-

ciem meam. Causæ cur id expetat Propheta, sunt hæ. Prima ut quasi miles in prælio de Rege bene meritus, accessum obtineat ad Regem: nam si agnitus fuisset Propheta, non fuisset admissus ad Achab. Secunda ut proprii capitis vulnere repræsentet Regi vulnus ipsius animæ, adeoque & toti populo inflictum, partim ex idololatria, partim ex dimissione Benadad iurati hostis Israelitarum. Ita Caietanus, & Abulensis, qui ex S. Chrysostomo *b* addit, verisimile esse quod Deus vulnus inflictum Prophetæ, paulo post supernaturali virtute curarit, ut palam fieret quanti meriti sit cæca obedientia.

V. 42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE: Hebraice, *virum anathematis mei*: seu quem volueram de medio tolli tamquam anathema mihi offerendum.

Petes: Ubi id præcepit Deus? Respondeo: Non legimus ispiam id expresse præcepisse; sed vers. 28. videtur id insinuasse, cum dicit, se propter insignem Syrorum blasphemiam *daturum omnem multitudinem* illam *grandem in manu* Achab, utique pro meritis plectendam. Quod quia neglexit Achab, censetur divinam voluntatem sibi sat perspectam contempsisse, saltem neglexisse. Ita Hebræi, Rupertus, *c* Dionysius, & Lyranus.

(a) Ioseph. Lib. VIII. Antiquit. cap. IV. Tertull. de Corona cap. VII. Nic. ad Consultationes Bulgaro-rum.
(b) Chrysost. orat. I. contra Iudæos Tom. V.
(c) Rupert. Lib. V. cap. XIII.

GORDONI.

Vers. 1. HIc annus gesti belli Syriaci, est tertius annus ante mortem Achabi; proinde regni annus decimus octavus complectus: nam post hoc bellum stetit pax integro triennio, III. Reg. XXII. renovato autem post triennium bello, occisus est Achab regni anno vigesimo secundo. Quis sit hic Benadad certatur an filius, vel nepos alterius Benadad, vel alius, dubia res est.

V. 3. ARGENTUM TUUM, ET AURUM TUUM, MEUM EST. Nuntiat superbus Benadad, omnia sua esse, quæ habet Rex Israel.

V. 10. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIÆ; id est, non sufficiet pulvis Samariæ, ut singuli ex meis manipulum accipiant: non sufficiet pugillis implendis.

V. 11. & 12. NE GLORIETUR ACCINCTUS AEQUE AC DISCINCTUS; hoc est, accinctus in bello, & armis, ne glorietur, velut post posita arma victor triumphus esset ante victoriam. *Umbracula* hic sunt tabernacula.

V. 13. ET ECCE PROPHETA. Quis fuerit iste Propheta, incertum est. Certum tamen est, verum fuisse vaticinium.

V. 14. PER PEDISSEQUOS. Septuag. *ἐν τοῖς παιδαρίοις*, Heb. *per pueros*, Chald. *adolescentes*.

V. 18. Dum vivos apprehendere nituntur, exponunt se Syri vulneribus: hinc turbatus temulentus Benadab infeliciter pugnat. Hunc Prophetam, de quo sæpe hoc capite, putant aliqui esse Michæam.

V. 30. FUGERUNT. Fugiunt in civitatem Aphec viginti septem millia Syrorum. Hi ruina murorum oppressi perierunt: an quia miraculo eversis mœnibus sic occubuerunt; an quia tormentis quassati muri eos oppresserunt, dum muros Syri propugnant. Latebat Benadab in cubiculo INTRA CUBICULUM. *Cubiculum intra cubiculum* erat penetrale, & maxime abditum cubiculum. Latebræ sunt.

V. 33. & 34. PRO OMINE, pro optato responso. PLATEAS, fora rerum venalium, unde erant vectigalia.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. TRIGINTA DUOS REGES. Sunt reguli aut satrapæ circa Libanum & Euphratem.

V. 23. Sane Samaria Bethel, & Dan montosa loca scatebant idolis.

V. 24. AMOVE REGES: quia timidi sunt, & sunt primi in fuga.

V. 26. APHEC urbs est in tribu Issachar, ubi prope Iezrahel stat campus seu planities Galilææ, Esdrelon, & Mageddo.

V. 27. Ne mireris paucitatem in Israel: nam sub Roboam, Asa, & postea sub Iosaphat multi defecerunt ad Iudam, occupatis urbibus, partim ab Asa, partim a Syro.

CA-

CAPUT XXI.

Naboth ob negatam Regi Achab vineam a falsis testibus iussu Iezabel accusatus lapidatur: quo facto, ipsi Achab ad occupandam vineam properanti Elias plurima comminatur mala, quæ tamen Achab se humiliando evadit.

1.† POst verba autem hæc, tempore illo * vinea erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab Regis Samariæ. 2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, *argenti pretium, quanto digna est. 3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. 4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proiiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. 5. Ingressa est autem ad eum Iezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? & quare non comedis panem? 6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Iezrahelitæ: & dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, † dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Iezabel uxor eius: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel. Surge, & comede panem, & equo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. 8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab: & signavit eas annulo eius, & misit ad maiores natu & optimates, qui erant in civitate eius, & habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, 10. & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum, & Regem: & educite eum, & lapidate, sicque moriatur. 11. Fecerunt ergo cives eius maiores natu & optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Iezabel, & sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos: 12. prædicaverunt ieiunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & Regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. 14. Miseruntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, & mortuus est. 15. Factum est autem, cum audisset Iezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab: Surge, & posside vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. 16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Iezrahelitæ, ut possideret eam. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: 18. Surge, & descende in occur-

cursum Achab Regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam: 19. & loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: (*a*) In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20. * Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. 21. (*b*) * Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & ultimum in Israel. 22. Et dabo domum tuam sicut (*c*) domum Ieroboam filii Nabat, & sicut domum (*d*) Baasa filii Ahia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, & peccare feceris Israel. 23. (*e*) Sed & de Iezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel. 24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli. 25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Iezabel uxor sua, 26. & abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. 27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. 28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: 29. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed (*f*) in diebus filii sui inferam malum domui eius.

(*a*) Infr. XXII. 38. (*b*) IV. Reg. IX. 8. (*c*) Sup. XV. 29. (*d*) Sup. XVI. 3. (*e*) IV. Reg. IX. 36. (*f*) IV. Reg. IX. 26.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Vinea erat Naboth Iezrahelita, qui erat in Iezrahel*. Alii libri habent relativum femininum *quæ*, referens *vineam*: Correctores prætulerunt masculinum *qui*, referens Naboth.

V. 2. *Argenti pretium, quanto digna est*. Non mutes ablativum *quanto*, cum accusativo *quantum*.

V. 20. *Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi?* Vetus Interpres vertit *inimicum tibi*, accusativo casu: alii verterunt vocativum *inimice mi?*

V. 21. *Ecce ego inducam super te malum*. Non præponas *Hæc dicit Dominus*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 1. *Post hæc autem verba, tempore illo*. Multi Latini libri omittunt *tempore illo*, suffragantibus Hebræis, & Græcis.

V. 6. *Dabo tibi vineam meliorem pro ea*. Vox *meliorem* ignoratur a multis Latinis libris, quibus Hebræa consentiunt, Græca eius loco legunt *aliam*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. VERBA, id est res, seu acta.
Vers. 3. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS. Hebr. *Absit mihi a Domino*; id est, avertat id Dominus a me.

V. 4. INDIGNANS, ET FRENDENS. Supra eadem verba Hebraica vertit: *Audi-*

dire contemnens, & furibundus. LXX. *Confusus, & contristatus.* Chald. *Conturbatus, & dolens.*

V. 7. GRANDIS AUCTORITATIS, &c. Ironia est.

V. 8. MAIORES, scilicet quosdam sibi notos & obsequentes.

V. 9. PRAEDICATE, id est indicite. IEIUNIUM. Scilicet diebus ieiunii crimina indicabantur, & puniebantur, forte ut sanctius res tanti momenti fieret.

V. 10. FILIOS BELIAL, id est improbos, seu impios.

V. 13. DIABOLI. Hebr. *Belial.* DIABOLICI. Hebr. *Belial.* BENEDIXIT, pro maledixit. Chald. *Blasphemavit.* REGEM. Chald. *Maledixit Regi.*

V. 19. ADDES, scilicet quod sequitur. LOCO, id est regione, seu civitate.

V. 20. INIMICUM TIBI; quasi dicat, Quem soles semper carpere. Hebr. & LXX. *inimice mi*; quasi dicat: Invenisti quod in me reprehenderes, qui mihi semper adversaris. VENUMDATUS, id est totus in id deditus.

V. 21. POSTERIORA, id est posteros.

V. 24. ACHAB. Hebr. Chald. & LXX. *ipsi Achab*; quasi dicat, Aliquis de familia Achab. Vide simile quid sup. cap. XVI. in principio.

V. 27. CILICIO. Hebr. Chald. & LXX. *sacco*: sic & inf. DEMISSO CAPITE: sic etiam LXX. at Chald. *discalceatus*. Alii, *fensim*, scilicet more poenitentium.

V. 29. MEI CAUSA. Hebr. & LXX. *a facie mea.* Chald. *ante me.*

ESTII.

Vers. 1. DA MIHI VINEAM TUAM, DABOQUE TIBI PRO EA VINEAM MELIOREM, AUT SI COMMODIUS TIBI PUTAS, ARGENTI PRETIUM, &c. Ex hoc loco manifestum est, quod Reges eo solo titulo quod Reges sunt, non habeant ius occupandi agros & fundos subditorum pro suo arbitrio. Nam si ita esset, haud dubie Achab Rex eo iure usus fuisset; & non calumniam struxisset in Naboth, qui ei vineam negabat. Proinde quod dicitur I. Reg. cap. VIII. inter cetera, quae pertinent ad ius Regis: *Agros vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis*: non est intelligendum de iure vero, & rationi consentaneo, sed de iure praesumpto & usurpato. Vide I. Reg. cap. VIII. & X.

V. 13. BENEDIXIT NABOTH DEUM, ET REGEM. Forte dixerunt *Maledixit Deum & Regem*; sed scriptor facer vitans atrocitatem sermonis, ob reverentiam Dei, per antiphrasim posuit *benedixit* pro *maledixit*. Et similes locutiones sunt *Iob* I. & II. & alibi: ubi de hoc iterum erit agendum.

V. 29. NONNE VIDISTI HUMILIATUM ACHAB CORAM ME? QUIA IGITUR HUMILIATUS EST MEI CAUSA, NON INDUCAM MALUM IN DIEBUS EIUS. Certum est ex hoc loco, quod Deus poenam intentatam ipsi Achab distulerit in tempora filii eius, idque intuitu humiliationis, seu poenitentiae ipsius Achab. Unde dici non potest illa poenitentiae opera, quae Achab fecit, fuisse peccata, quia Deus peccatis nullo modo placatur. Dubium tamen est, utrum haec eius poenitentia profecta fuerit ex amore Dei, an tantum ex timore gehennae, sive suppliciorum temporalium? Chrysostomus sermone de reparatione lapsi, dicit quod Achab ita erga se misericordiam Domini provocaverit, ut eum a cunctis absolverit peccatis. Sermo LV. de tempore apud Augustum. (sed est Caesarii) dicit eum obtulisse sacrificium cordis contriti, & humiliati. Item Gratianus de poenitentia, dicit eum per poenitentiam Deo satisfeciisse. Sed paulo plenius videtur explicare D. Gregorius homilia decima in Ezechielem, dicens, Deo placuisse poenitentiam in reprobo, qui timebat perdere praesens saeculum, qui adhuc displicebat Deo. Et haec plurium sententia est, & probabilior.

MARIANAE.

Vers. 1. POST VERBA AUTEM HAEC; id est, postquam haec accidederunt. Narrat de vinea Naboth.

V. 2. DA MIHI VINEAM TUAM, UT FACIAM MIHI HORTUM OLERUM. Sic omnes. Hebr. tamen vox ירק *iarak*, pro qua *olera* ponunt, significat *herbam virentem & odoratam*: sic Hebraeus; sed singulare pro plurali; ac si diceret: In hortum herbarum odoratarum da vineam.

V. 3.

V. 3. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS. Hebr. *Absit mihi a Deo*; id est, non id Deus permittat. NE DEM, neque pretio, neque permutatione.

V. 4. INDIGNANS. Hebr. *alienatus*, scilicet a se Rex, emota mente, eadem vox quæ cap. xx. vers. 43. Et vide Regum voluntates quam sint vehementes, & quomodo illos crucient. AD PARIETEM. Non est in Hebr. solum hoc: *Et avertit faciem suam*: sed bene tamen suppletur. Quid Iezabel?

V. 7. GRANDIS AUCTORITATIS ES. Hebr. *Tu nunc facies regnum super Israel*; quasi dicat: Bellus. Rex es tu: ironice. Chald. *Tu nunc prosperabis in regno*.

V. 8. AD MAIORES NATU scripsit Iezabel: aut ad omnes scripsit, aut ad quosdam, quos obtemperaturos sciebat: homines pravos calumniæ assuetos, quos rebus præfecerat. Quid scripsit?

V. 9. PRAEDICATE IEIUNIUM, id est indicite: quod fiebat cum de re magna iudicare volebant, præsertim de blasphemia. INTER PRIMOS POPULI. Hebr. *In capite populi sedere facite Naboth*.

V. 10. FILIOS BELIAL; id est, *homines nequam subrnittite*: sic Chald. & Septuag. aut *diaboli filios*, sic Hieronymus vers. 13. DICANT: BENEDIXIT DEUM, ET REGEM; pro maledixit. Chald. *Coram Deo blasphemavit, & Regi maledixit*; id est, illi est convitiatus. Occiso Naboth Iezabel ad Achab:

V. 15. POSSIDE VINEAM. Hebr. ירש *res, hereditare*, quasi tui iuris factam fiscoque addictam: sic vers. 16. illis verbis: *Ut possideret eam*; id est, ut hereditate obtineret. NON ENIM VIVIT NABOTH, SED MORTUUS EST. Satis erat dixisse *non vivit*; addit tamen *mortuus est*, ut intelligatur, non ex morbo periisse, sed iudicio, propter delicta. Elias ad Achab:

V. 19. OCCIDISTI, INSUPER ET POSSEDISTI. Hebr. *Num occidisti*. ET POST HAEC ADDES. Hebr. *Et loqueris ad eum, dicens*: Eo loco morieris. Verba sunt Dei ad Eliam. Quid Achab?

V. 20. NUM INVENISTI ME INIMICUM TIBI? Hebr. *Num invenisti me inimice mi?* sic Sept. quasi dicat: Num inveniſti occasionem ad perdendum me? Rursus Elias: EO QUOD VENUMDATUS SIS, UT FACERES MALUM; id est, te, & cogitationes tuas tradidisti improbitati, o Achab.

V. 21. DEMETAM POSTERIORA TUA. Hebr. *Auferam post te*, id est posteros tuos. CLAUSUM ET ULTIMUM. Hebr. *clausum & derelictum*. Pretiosa claudimus, alia relinquimus in agro, ut pecora. Ergo maiores, & minores percutiam, nullus evadet. Plura cap. XIV. vers. 10.

V. 23. IN AGRO IEZRAHEL. Sept. *in antemurali*, alii *in fossa* quæ scilicet circum mœnia ducitur: sic Hebræus. Vox Hebr. בחל *bel* non satis est nota.

V. 24. SI MORTUUS FUERIT ACHAB IN CIVITATE. Hebraice: *Qui mortuus fuerit Achab in urbe*, id est e familia Achab: sic Sept. & Chald. Simile huic cap. XVI. initio.

V. 25. CONCITAVIT ENIM EUM IEZABEL: scilicet ea fuit mali causa. Chald. *seduxit*. Vox Hebr. *hasethab* utrumque potest significare. Uxor prava, magna est calamitas.

V. 27. OPERUIT CILICIO, Achab scilicet. Hebraice, *facco*. AMBULAVIT DEMISSO CAPITE. Chald. *nudis pedibus*: alii, *Sensim ambulavit*, scilicet more lugentium. Deus ad Eliam:

V. 29. HUMILIATUS EST MEI CAUSA. Hebr. *coram me*, sic Chald. Sept. *a facie mea*. Ultio differetur. Filius punietur.

MALVENDAE.

Vers. 1. VINEA ERAT NABOTH. Brocardus: *Iezrael in pede montis Gelboe ad occidentem sita est*: *ante cuius introitum est ager Naboth*. Alter Burchardus: *Iezrael in pede occidentali montis Gelboe sita est, ubi adhuc vidi agrum Naboth*.

V. 3. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE DEM. Hebr. *Profanatio mihi*, vel *violatio mihi a Iehovah*, *ut dem*; id est, nefas mihi secundum Deum. Alii: *Absit mihi a Iehova*, *ut dem*; id est, prohibeat hoc a me Iehova, ut dem: vel precor Iehovam, ut tamquam rem profanam, & abſurdiſſimam a me id arceat, & averrat, ut dem, &c. Vide de hac locutione in Geneſ. XVIII. 25. Quidam reddunt: *Servet me Dominus, ne dem*. NE DEM HEREDITATEM PATRUM MEORUM. Quidam notant, lege prohibitum poſſeſſionem terræ illius alienari lege mancipii. Vide Levitici XXV. vers. 23. &

Nu-

Numer. XXXVI. 7. & ſeqq. Neque ego abnuo potuiſſe Nabothum lege ea divina commoveri, ne vineam venderet. Sed quis novit Achabum voluiſſe emere lege mancipii, & non tantum uſque ad Iubilæum? Amor, & reverentia avitæ hereditatis eum a venditione potius abſtraxiſſe videtur. Miranda ſunt antiqua exempla de vineis, vi, & per iniuriam poſſeſſoribus ademptis: apud Leonem Auguſtum in Vita S. Chryſoſtomi, de vinea viduæ Theognoſti: item aliud apud Cæſarium Monachum, Lib. VI. Dialogorum, cap. XXIII. Sed pulchram, & ingenioſam emendi agellum a nolente Domino, citra vim, & iniuriam, Antiſthenis Agrigentini artem, leges apud Diodorum Siculum Lib. XIII. Numero 376. alias 84.

V. 7. GRANDIS AUCTORITATIS ES, ET BENE REGIS REGNUM ISRAEL. Hebr. *Tu nunc facies regnum ſuper Iſraelem?* Varie exponunt. I. Id eſt, Tibi non eſt animus cum iniuria unius civis habere vineolam unam; quanto minus poſſes comparare, & ſervare regnum, quod per omne fas & neſas quærendum eſt: notiſſimo Euripidis verſiculo: *Si violandum eſt ius, regnandi gratia violandum eſt.* II. Tunc ſic, vel hac via, nempe rogando faceres opus Regis, ſeu exerceres imperium, ſive regnares ſuper Iſraelem? quaſi dicat: Non eſt Regis rogare, ſed iubere. Sic Caligula dicebat: *Omnia mihi, & in omnes licere.* III. *Tune nunc exerceres regnum ſuper Iſraelem?* irata ironia; quaſi dicat: Indignus eſt regno. Reprehendit in marito animi abiectionem, & conſilii inopiam, tamquam Rege indignam. IV. quaſi dicat: Fieri nequit ut diu regnes, ſi ita ad ſtudium ſubditorum tuorum te dimiſeris: non eſt Regis precari, ſed imperare.

V. 8. ET OPTIMATES. חורים *chorim*. Vide de hac voce Geneſ. XIV. verſ. 6. Hic varie reddunt: *Heroes, generoſos, candidos, candidatos, ſpectabiles, illuſtres, clariſſimos, togatos, nobiles, proceres.*

V. 9. PRAEDICATE IEIUNIUM. Hebr. *Vocate, inclamate, indicite ieiunium.* Explicant: Id eſt, cœtum indicto ieiunio convocate, ut pro more, publico conventu de maleficiis inquiſitio habeatur. Nam ieiuniorum dies inſumebantur in reconciliando Deo, maleficiis tollendis, & iure dicundo. ET SEDERE FACITE NABOTH INTER PRIMOS POPULI. Quidam reddunt: *Et collocate Nabothum in principiis populi*; hoc eſt, iubete ut e medio turbæ procedens ſiſtat ſe coram magiſtratu. Alii: *Et ſtatuite Nabothum inter primos*, ſeu *primates populi*, honoris ſpecie, ut facilius eum incautum arripiant.

V. 10. ET SUBMITTITE DUOS VIROS. Hebr. *Et ſedere facite duos homines.* Quidam, *Et ſtatuite.* Alii, *Et collocate.* Nonnulli, *Et conſiſtere facite*, &c. DUOS VIROS FILIOS BELIAL. Hebr. *duos homines filios Beliiahal*, id eſt nequiſſimos & perditiſſimos. Vide Deuteron. XIII. verſ. 13. Quidam putant, verba illa, *filios Beliahal*, eſſe non Izebelæ, ſed auctoris Libri exegetice deſcribentis teſtes ab Izebela ſubmiſſos. Nec enim veriſimile eſt, Izebelam tam proiectæ fuiſſe impudentiæ, ut flagitium ſuis litteris profiteretur: quamquam nec id prorſus incredibile eſt in femina furente, & extreme perdita. BENEDIXIT DEUM, ET REGEM. Notant, ut Latinis *ſacrum* contraria ſignificat, & vere ſacrum, & execrabile, ſceleſtum, ſacrilegum, ut apud Virgilium:

Auri ſacra fames ....

AEneidos III. ita Hebræis eſſe quædam verba, quæ interdum contrariis ſignificationibus uſurpantur; קדש *kadeſch*, *ſcortum maſculum*; & קדשה *kedeſchah*, *meretrix*, a ſanctitate, contrario ſenſu dicuntur. Sic verbum ברך *barach*, *benedicere*, aliquando ſumi in deteriorem partem, & quodammodo in ſignificatione contraria ſeu ironice, pro *illudere*, *deridere*, vel *detrahere*, *blaſphemare*, *maledicere*. Qua ratione ſumi volunt Iob I. 5. & cap. II. verſ. 9. & Pſal. X. ſecundum Hebræos, verſ. 3. Unde hic reddunt: *Maledixiſti Deum*, & *Regem*; id eſt, deriſiſti, illuſiſti, blaſphemaſti Deum, & Regem. Secunda perſona *maledixiſti* maiorem vim hic habet quam tertia; quaſi in faciem, audacter, & intrepide ei obiecerint blaſphemiam. Quidam exponunt *Benedixit Deum*, & *Regem*; id eſt, vale dixit Deo, & Regi; valere eos iuſſit; longum eis vale dixit, nuntium eis remiſit: avertit ſe, deſeruit, deſecit a Deo, & Rege. Verbum *benedicere* pro *valedicere*, Geneſ. XLVII. verſ. 10. Vel, ut Latini dicunt, *vixit*, pro *mortuus eſt*: ſic *benedixit Deum*, & *Regem*; id eſt, deſcivit a religione

ne in Deum, & a fide in Regem. SICQUE MORIATUR, tamquam reus minutæ maiestatis divinæ & humanæ. Vide legem Levit. XXIV. vers. 15. & seqq. & Exodi XXII. 28.

V. 15. POSSIDE VINEAM NABOTH. Quidam reddunt: *Hereditario iure posside vineam Nabothi*, cuius bona fisco tuo annotata sint, omnibus heredibus eius cum ipso devotis anathemati. Ita obtendebat religionis speciem; perinde ac si iudicio divino in Dathanem & Abiramum, Numer. XVI. & in Hacanem Iosue VII. se se confirmaret. Nam nedum ipsum Naboth, sed etiam filios eius crimini innexos, fuisse interfectos, indicatur II. Reg. IX. vers. 26. SED MORTUUS EST. Exponunt, Ipse cum heredibus, e II. Reg. IX. 26.

V. 19. IN LOCO HOC, IN QUO LINXERUNT CANES SANGUINEM NABOTH, LAMBENT QUOQUE SANGUINEM TUUM. Hebr. *In loco quo linxerunt canes*, &c. Vide executionem infra cap. XXII. vers. 38. Difficultas est, quod canes linxerunt sanguinem Nabothi in Iezrahel, ubi lapidatus fuit: at sanguinem Achabi linxerunt canes in piscina Samariæ, infra cap. XXII. vers. 38. quæ octo leucis distat a Iezrahel, si Brocardo, & aliis sacris topographis fides est adhibenda. I. Conciliant: currum Achabi cum sanguine lotum fuisse in piscina Samariæ, arma vero respersa sanguine delata in Iezrahel, ubi ea linxerint canes. Vide Com. infra in cap. XXII. vers. 38. II. In eodem loco, non particulari; sed universali, id est in eadem regione, patria, aut regno Israelitico. Ridiculum. III. Quidam vertunt: *In loco eius*, vel *loco eius, quod linxerunt*, &c. vel *pro eo quod linxerunt*: aut *propterea quod linxerunt*. Sed insolens ea vocis מקום *mekom*, *loci*, usurpatio.

V. 20. NUM INVENISTI ME INIMICUM TIBI? Hebr. *Num inveniſti me, inimice mihi?* Exponunt: *Num deprehendisti me?* subaudi, in aliquo delicto? Id est, numquid invenisti in me quod carpere possis, tu qui mihi semper adversaris? Alii: *Tunc aggressus es me, inimice mi?* Nonnulli: *Tene invenire me, inimice mihi?* quasi dicat: An non conveniebat, te inimicum meum, a me conspectu abstinere? Hispanice: *Tu me avias de venir delante, enemigo mio?* EO QUOD VENUMDATUS SIS, UT FACERES MALUM IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *Quia vendidisti te ad facere malum in oculis Iehovæh*. Explicant: Id est, quasi vendideris te ipsum, dedisti operam, & studuisti semper malefacere: fuisti semper animo proclivi & propenso ad peccandum: tamquam servus venumdatus, & addictus, obnoxius, & destinatus malefaciendo. Simili loquendi more Tacitus Historia II. de Vitellio: *Luxui, fagineque mancipatus, emptusque*. Alii reddunt: *Eo quod dedisti, tradidisti, te ad faciendum, quod malum videtur in oculis Iehovæ*. Nec desunt qui: *Quia vendidisti te*, seu *tradidisti te*; subaudi, uxori tuæ; quasi dicat: Factus es mancipium uxori tuæ, *ad faciendum malum*, &c. Sic infra vers. 25. & II. Reg. XVII. 17.

V. 21. ECCE EGO INDUCAM, &c. Interruptum ab Achabo sermonem repetit, ac prosequitur. ET DEMETAM POSTERIORA TUA, &c. Similis est hic versus alteris duobus supra cap. XIV. vers. 10. & cap. XVI. vers. 3. & II. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide I. Samuel. cap. XXV. vers. 22. ET CLAUSUM, ET ULTIMUM IN ISRAEL. Vide de hac phrasi in Deuteron. XXXII. vers. 36.

V. 22. SICUT DOMUM IEROBOAM. Vide supra cap. XIV. vers. 10. & II. & cap. XV. vers. 29. ET SICUT DOMUM BAASA. Vide supra cap. XVI. vers. 3. 4. 11. & 13.

V. 23. CANES COMEDENT IEZABEL. Vide executionem II. Reg. IX. vers. 35. & 36. IN AGRO: de voce חל *chel* vide II. Samuel. XX. 15. Hic varie reddunt, *In munitione, propugnaculo, antemurali, fossa*, quæ circum mœnia urbis duci solet: vel *ad murum, ad præmunitionem, ad propugnaculum, iuxta antemurale Iizrehelis*.

V. 24. SI MORTUUS FUERIT ACHAB IN CIVITATE. *Achab* est dativus. Heb. *Morientem*, vel *mortuum, ipsi Achabo*, id est ex posteris Achabi, in urbe, &c. Similem versum habes supra cap. XIV. vers. 11. & cap. XVI. vers. 4.

V. 25. NON FUIT ALTER TALIS SICUT ACHAB, &c. confer cum cap. XVI. vers. 30.

V. 26. ET ABOMINABILIS FACTUS EST, &c. Heb. Verbum est activum ex Pihel:

Et

Et abominatus eſt valde. Quidam : *Et abominationem fecit valde*. Alii: *Rem enim fecit abominabilem valde*. Nonnulli : *Nam commiſit res valde abominandas*. Aliqui: *Is enim fecit ſupra modum res abominandas*. AMORRHAEI. Synecdochice, & univerſe omnes habitatores terræ Chenahan.

V. 27. SCIDIT VESTIMENTA SUA, &c. Notant, temporariam fuiſſe pœnitentiam, ut ex hiſtoria ſequente infra cap. XXII. verſ. 8. apparet : veram, non dubitaverim. ET AMBULAVIT DEMISSO CAPITE. Vocem יחפ *at* varie exponunt, *Senſim*, *quiete*, *pedetentim*, *lente*, *leniter*, *abſcondite*, *latenter*, *clam*, *occulte*, *tacite*, *arcane*, *ſecreto*. Geſtus lugentium ac mœrentium, qui ſenſim, ac lente incedunt ſine ſtrepitu, aut impetu ; & publicum vitant, ſecretum quærunt. Poſſis vertere : *Et ambulavit adopertus*, *tectus*, ſcilicet capite, qui habitus eſt mœrentium II. Samuel. XV. verſ. 30. Aliqui ſecuti Chaldæum Interpretem reddunt : *Et ambulavit diſcalceatus*, ſeu *nudis pedibus*, vel *nudipes*.

V. 29. QUIA IGITUR HUMILIATUS EST MEI CAUSA. Hebr. *Propterea quod humiliatus fuit a facie mea*, id eſt timore, ſeu metu mei. Quidam : *Eo quod abiecit ſe ante faciem meam* ; quaſi dicat : Hanc temporariam pœnitentiam beneficio temporario compenſabo.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUI ERAT IN IEZRAHEL. Ubi fuerit vinea non exprimit ſacer textus; ex capitis tamen huius verſ. 18. videtur vinea Naboth Samariæ fuiſſe; at ex IV. Reg. IX. 21. potius fuiſſe in Iezrahel.

V. 3. NE DEM HEREDITATEM PATRUM MEORUM TIBI. Religioni ducebat quaſi divinitus ad ſe per maiorum ſuorum manus tranſmiſſam hereditatem, in familia ſua non conſervare, quam ſi venderet, cum in hortum regium convertenda eſſet, numquam eam, ne in iubilæo quidem, ut Iſraelitarum iura ferebant, recuperare potuiſſet.

V. 4. INDIGNANS ET FRENDENS. Nolunt ſibi quidquam Principes negari, ne videantur quodammodo accuſari imprudentiæ, quod ea poſtulaverint quæ merito negari poſſint, vel certe contemni ab hominibus inferioris conditionis. PROICIENS SE IN LECTULUM. Fortaſſis animi ægritudo redundavit in corpus. AVERTIT FACIEM SUAM AD PARIETEM, abſtinens a ſuorum conſuetudine, quod ſignum mœroris erat, ut etiam quod comedere noluerit.

V. 7. GRANDIS AUCTORITATIS ES, &c. qui ſcilicet rem tantulam pro arbitratu conficere non poſſis. BENE REGIS REGNUM ISRAEL: cui ſubditi ita audent obſiſtere.

V. 9. PRAEDICATE IEIUNIUM. Refert Vatablus in die ieiunii ſolitos Hebræos inquirere facinora, & flagitia populi, & de ipſis, & perditis hominibus pœnas ſumere. Abulenſis quæſt. IV. putat ſolitos fuiſſe iudices ieiunare in ſignum commiſerationis adverſus reum morte afficiendum ; aut ad ſignificandum ſe ex Dei, & iuſtitiæ zelo, & non ex perturbatione aliqua ſententiam ferre. SEDERE FACITE NABOTH INTER PRIMOS POPULI, ut ſcilicet crimen, quod mox debebat in eum intendi, ignotum iudicibus, atque improviſum videretur, & ipſe tanto gravius pudefieret, dum de iudice ſe reum criminis graviſſimi factum videret. DUOS VIROS FILIOS BELIAL. Vide dicta Deuter. XIII. verſ. 13.

V. 10. BENEDIXIT DEUM. *Benedicere* hoc loco, ut etiam num. 13. eodem modo ſumitur, quo accipitur Iob I. 5. & II. 9. ſcilicet per antiphraſim, ut idem ſit *benedixit* quod *maledixit*, aut *blaſphemavit*. EDUCITE EUM, ET LAPIDATE, ut iubet Levitici lex cap. XXIV. 15.

V. 13. FILIIS DIABOLI. Idem eſt quod dixit num. 9. *filios Belial*. EDUXERUNT EUM EXTRA CIVITATEM. Nam ut in deſerto extra caſtra educebantur qui lapidibus obruendi erant, ut patet Levit. XXIV. 23. & Ioſue VII. 24. ita poſtea extra urbes.

V. 17. FACTUS EST SERMO DOMINI AD ELIAM THESBITEN. Recte electus eſt Elias ſpiritu fervens, & Regis Achab ſupercilium non formidare ſolitus.

V. 19. OCCIDISTI: cum Iezabelis conatibus obviam non iviſti. POSSEDISTI: animo enim poſſeſſionem inierat, quam-

vis adhuc eſſet in via vineam verſus. IN LOCO HOC, communi tamen non proprio: neque enim præciſe idem locus fuit, nam Naboth in Iezrahel lapidatus eſt, Achab vero ſanguinem canes linxerunt in Samaria.

*V.*20. NUM INVENISTI ME INIMICUM TIBI? quaſi dicat: Qua in re tibi moleſtus fui, quod me infauſtis, & ominoſis vaticiniis perſequeris? VENUMDATUS SIS, UT FACERES MALUM; quaſi dicat: Totus in hoc poſitus es, & traditus, aut proditio conductus ut malum facias. Nam ſæpe in Scriptura idem eſt venumdatum eſſe quod traditum, quæ enim venduntur, traduntur emptoribus: ſic Pſal. XLIII. 13. dicitur: *Vendidiſti populum tuum ſine pretio*.

V. 21. POSTERIORA TUA, poſteros tuos, filios tuos. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide dicta I. Reg. XXV. num. 22. CLAUSUM. Vide ſupra cap. XIV. num. 10.

*V.*22. PECCARE FECISTI ISRAEL. Peccatum ſcandali publici ſæpe inculcat Dominus, quia graviſſimum, & plurimorum malorum origo.

V. 25. VENUMDATUS EST. Vide dicta num. 20.

V. 26. QUAE FECERANT AMORRHAEI: quæ Iezabel Sidone detulerat.

V. 29. NONNE VIDISTI ACHAB HUMILIATUM CORAM ME? Abulenſ. quæſt. XIV. exiſtimat probabilius Achabum vere, & ex caritate pœnituiſſe, licet ad hoc præcipue incitatus fuerit propter comminationem Eliæ, nec pœnam promeritam evaſerit. Idem ſentit Divus Ambroſ. in Pſalm. XXXVII. & S. Chryſoſtomus homil. v. ad populum Antiochenum, Theodoretus, Procopius, & alii ei tantum timorem tribuunt ſervilem, poſt quem ſtatim aiunt ad priſtinam impietatem rediiſſe. HUMILIATUS EST MEI CAUSA, ſive *in conſpectu meo*, ut habent Septuaginta.

TIRINI.

Verſ. 1. VINEA ERAT NABOTH IEZRAHELITAE, QUI. Hebraice, Chaldaice, & Græce *quæ*, refert enim non virum, ſed vineam.

V. 3. NE DEM HEREDITATEM PATRUM MEORUM TIBI. Nempe Levit. XXV. 23. lege expreſſa cautum erat, ne venderentur hereditates, ſed ſemper remanerent apud dominos primos; quin & venditæ cogente neceſſitate, debebant anno iubilæi ad primos dominos reverti. At Naboth nulla tum premebatur neceſſitate: neque venditam ſemel Achabo vineam ſpes erat in poſterum recuperandi. Hinc patet, hunc Naboth ut legis divinæ, ita ſinceræ quoque religionis in medio idololatrarum tenacem fuiſſe, ut qui mallet a vita ſupplicio perinfami (cuius ſciebat ſe certum adire periculum) quam a divina lege & patria religione vel tantillum decedere. Divus Ambroſius *a* ſanctum eum appellat, & miris laudibus extollit.

V. 9. PRAEDICATE, id eſt publicum indicite, IEIUNIUM; ut fieri ſolet, cum grave aliquod flagitium admiſſum, & Deum graviter offenſum conſtat; quaſi dicat: Iniuſto ſceleratoque homicidio, quod vobis impero, prætexite pietatem, & zelum divini honoris offenſo Numini redhibendi: quaſi Naboth Deum *benedixerit*, euphemiſmo pro *b maledixerit*, & *blaſphemarit*. En quot in uno facto crimina, hypocriſis, mendacia, periuria, empta teſtimonia, corrupti iudices, inverſa iudicia, innocenti per ſummam iniuriam ſublata hereditas, honor ademptus, vita ſubtracta. Quis hæc auderet niſi femina, quam inflat potentia, audacem facit ſuperbia, rapit cupiditas, inflammat iracundia, deſerit pudor? Vide ſanctum Ambroſium, Chryſoſtomum, & Senecam *c* contra divites, avaros, rapaces. Lib. IV. Reg. IX. 26. inſinuatur, non ſolitarium Naboth, ſed ſimul cum filiis ſuis necem illam indignam ſubiiſſe: ut factum vidimus in Achan Ioſue VII. & Deo iubente ſubinde fieri ſolebat in ſceleribus horribilioribus, ne qua remaneret ex impio ac maledicto ſemine poſteritas.

*V.*15. POSSIDE VINEAM NABOTH, quia MORTUUS EST, reus læſæ maieſtatis tum regiæ, tum divinæ: unde & vinea, & reliqua illius bona ad regium fiſcum devoluta ſunt. Ita Caietanus. Porro ex IV. Reg. IX. 26. conſtat, ſequenti die a cæde Naboth egreſſum Achab ad poſſeſſionem vineæ capeſſendam, cum ei in cur-


image
not
available

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Quamvis ex vers. 18. appareat vineam Naboth fuisse Samariæ; tamen clarius apparet ex IV. Reg. IX. 21. sitam fuisse in Iesrahel.

V. 10. DUOS! VIROS FILIOS, BELIAL: viros pessimos, & ad malum paratos. De voce *Belial* alibi.

V. 20. VENUMDATUS, traditus, quasi translatione dominii.

CAPUT XXII.

Achab & Iosaphat Reges, pseudoprophetarum vaticinio decepti ad pugnam procedunt in Ramoth Galaad, ac vincuntur, occiso Achab, qui Michæam vera prophetantem carcere incluserat: impio Achab succedit filius impius Ochozias, pio autem Iosaphat succedit impius filius Ioram.

1. IRansierunt (*a*) igitur tres anni absque bello inter Syriam & Israel. 2. In anno autem tertio, descendit Iosaphat Rex Iuda ad Regem Israel. (3. Dixitque Rex Israel ad servos suos: Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu Regis Syriæ?) 4. Et ait ad Iosaphat: Venies ne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad? 5. Dixitque Iosaphat ad Regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu: populus meus, & populus tuus, unum sunt: & equites mei, equites tui. Dixitque Iosaphat ad Regem Israel: Quære, oro te, hodie sermonem Domini. 6. Congregavit ergo Rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis. 7. Dixit autem Iosaphat: Non est hic Propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? 8. Et ait Rex Israel ad Iosaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla. Cui Iosaphat ait: Ne loquaris ita Rex. 9. Vocavit ergo Rex Israel eunuchum quemdam, & dixit ei: Festina adducere Michæam filium Iemla. 10. Rex autem Israel, & Iosaphat Rex Iuda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area iuxta ostium portæ Samariæ, & universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. 11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dcit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. 12. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere, & tradet Dominus in manus Regis. 13. Nuntius vero, qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore uno Regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona. 14. Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 15. Venit itaque ad Regem, & ait illi Rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prælandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, & vade prospere, * & tradet eam Dominus in manus Regis. 16. Dixit autem Rex ad eum: Iterum atque iterum adiu-

adiuro te, ut non loquaris mihi niſi quod verum eſt, in nomine Domini. 17. Et ille ait: Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes paſtorem: (b) & ait Dominus: Non habent iſti dominum: revertatur unuſquiſque in domum ſuam in pace. (18. Dixit ergo Rex Iſrael ad Joſaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum?) 19. Ille vero addens, ait: Propterea audi ſermonem Domini: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, (c) & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris: 20. & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſrael, ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba huiuſcemodi, & alius aliter. 21. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? 22. Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita. 23. Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum. 24. Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Me ne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi? 25. Et ait Michæas: Viſurus es in die illa quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abſcondaris. 26. Et ait Rex Iſrael: Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem civitatis, & apud Ioas filium Amelech; 27. & dicite eis: Hæc dicit Rex: Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, donec revertar in pace. 28. Dixitque Michæas: Si reverſus fueris in pace, non eſt locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes. 29. Aſcendit itaque Rex Iſrael, & Joſaphat Rex Iuda, in Ramoth Galaad. 30. Dixit itaque Rex Iſrael ad Joſaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis. Porro Rex Iſrael mutavit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum. 31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, niſi contra Regem Iſrael ſolum. 32. Cum ergo vidiſſent principes curruum Joſaphat, ſuſpicati ſunt quod ipſe eſſet Rex Iſrael, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamavit Joſaphat. 33. Intellexeruntque principes curruum quod non eſſet Rex Iſrael, & ceſſaverunt ab eo. 34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael inter pulmonem & ſtomachum. At ille dixit aurigæ ſuo: Verte manum tuam, & eiice me de exercitu, quia graviter vulneratus ſum. 35. Commiſſum eſt ergo prælium in die illa, & Rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros, & mortuus eſt veſpere: fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus, 36. & præco inſonuit in univerſo exercitu antequam ſol occumberet, dicens: Unuſquiſque revertatur in civitatem, & in terram ſuam. 37. Mortuus eſt autem Rex, & perlatus eſt in Samariam: ſepelieruntque Regem in Samaria, 38. & (d) laverunt currum eius in piſcina Samariæ, & linxerunt canes ſanguinem ejus, & habenas laverunt, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat. 39. Reliqua autem ſermonum Achab, & univerſa quæ fecit, * & domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 40. Dormivit ergo Achab cum patribus ſuis, & regnavit Ochozias filius eius pro eo. 41. Joſaphat vero filius Aſa regnare cœperat ſuper Iudam anno quarto Achab Regis Iſrael. 42. Triginta

ta quinque annorum erat cum regnare cœpiſset, & vigintiquinque annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Azuba filia Salai. 43. Et ambulavit in omni via Aſa patris ſui, & non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conſpectu Domini. 44. Verumtamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in excelſis. 45. Pacemque habuit Ioſaphat cum Rege Iſrael. 46. Reliqua autem verborum Ioſaphat, & opera eius, quæ geſſit, & prælia, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? 47. Sed & reliquias effeminatorum, qui remanſerant in diebus Aſa patris eius, abſtulit de terra. 48. Nec erat tunc Rex conſtitutus in Edom. 49. Rex vero Ioſaphat fecerat claſſes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum: & ire non potuerunt, quia confractæ ſunt in Aſiongaber. 50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Ioſaphat: Vadant ſervi mei cum ſervis tuis in navibus. Et noluit Ioſaphat. 51. Dormivitque Ioſaphat cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in civitate David patris ſui: regnavitque Ioram filius eius pro eo. 52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat ſuper Iſrael in Samaria, anno ſeptimodecimo Ioſaphat Regis Iuda, regnavitque ſuper Iſrael duobus annis. 53. Et fecit malum in conſpectu Domini, & ambulavit in via patris ſui & matris ſuæ, & in via Ieroboam filii Nabath, qui peccare fecit Iſrael. 54. Servivit quoque Baal, & adoravit eum, & irritavit Dominum Deum Iſrael, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.

(a) II. Paralip. XVIII. 1. (b) Num. XXVII. 17. Matth. IX. 36. (c) Iſai. VI. 1. (d) ſupra XXI. 19.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 13. *Et tradet eam Dominus in manus Regis.* Non eſt ommittendum pronomen *eam.*

V. 19. *Et domus eburnea quam ædificavit.* Quidam pro caſu primo *eburnea*, ſcribunt ſecundum *eburnea.*

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. TRES, ſcilicet fere: idque a fœdere cum Benadad.

V. 10. AREA, ſcilicet quadam: nam areæ prope urbem erant ob hoſtium incurſiones, ut quidam notant. Forte platea aliqua ſignificatur, ſeu planities in modum areæ.

V. 11. DOMINUS. Hebr. eſt *Iehova*, ut mirum ſit idololatras eum ſic nominare, eique deferre. Vide ſupra Iudic. XVII. VENTILABIS. Hebr. & LXX. *cornupetes.* Chald. *occides.*

V. 15. ASCENDE. Ironice.

V. 20. VERBA HUIUSCEMODI, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Iſte ſic, & iſte ſic*; quaſi dicat, Unus uno modo, alius alio.

V. 21. EGRESSUS, ſcilicet de loco ſuo: non enim erat inter Angelos.

V. 22. SPIRITUS, ſcilicet quidam malus. EGREDERE. Permiſſio eſt, non præceptum.

V. 24. MENE? Hebr. & Chald. *Quando me.*

V. 25. INTRA CUBICULUM. LXX. *de cubiculo in cubiculum.* ABSCONDARIS, ſcilicet ne te occidant, quod mortis Regis cauſa fueris per falſam prophetiam.

V. 26. AMALECH. LXX. *Regis.*

V. 27. TRIBULATIONIS, id eſt modico. Hebr. *angustiæ.* ANGUSTIAE, id eſt exigua.

V. 30. SUME ARMA, ET INGREDERE. Hebr. *Mutandum, & ingrediendum*; quaſi dicat: Mutabo habitum, & in-

ingrediar. Chald. *Cooperiam me, & ingrediar*. ET INDUERE; pro, & tu induere.

V. 34. PULMONEM ET STOMACHUM. Hebr. *coniunctura & loricam*; quasi dicat, inter laminas pendentes a lorica, & loricam, scilicet in inguine. LXX. *inter pulmonem & pectus*.

V. 35. COMMISSUM EST. Hebr. *Ascendit*, id est crevit, seu incaluit. SINUM, id est medium.

V. 38. HABENAS. Chald. *vasa armorum*.

V. 46. OPERA. Hebr. & Chald. *fortitudo*.

V. 47. EFFEMINATORUM, id est scortorum masculorum.

V. 48. REX: sed scilicet Prorex constitutus a Rege Iuda, ut indicant Hebr. & Chald. EDOM, id est Idumæa, quæ tunc Regi Iuda subiecta erat.

V. 49. CLASSES. Hebr. *naves*. IN MARI. Hebr. & Sept. *Tharsis*, id est marinas. Chald. *Africanas*.

ESTII.

Vers. 15. IRE DEBEMUS IN RAMOTH GALAAD AD PRAELIANDUM, AN CESSARE? CUI ILLE RESPONDIT: ASCENDE, ET VADE PROSPERE, &c. In his verbis Prophetæ nullum est mendacium. Quod enim ista ab eo non sint dicta serio & assertive, sed ironice, manifestum est ex sequentibus. Dicunt quidam esse verba optantis; quasi dicat: Utinam sic posses pugnare, ut hostes in manus tuas traderentur. Sed potius dicendum est, esse locutionem ironicam, & mimicam, seu imitatoriam. Ironica quidem, quia cum quadam irrisione, quæ ex modo loquendi deprehendi poterat, hoc dicit quod minime futurum existimabat. Mimica, quia iisdem verbis usi fuerant falsi prophetæ, propterea quasi consentiens cum illis, eadem ipsorum verba decantat, sed ita, ut dixi, ut ea gestu & modo loquendi etiam ipse Achab intelligeret, eum non serio locutum fuisse. Cuius rei etiam signum erat, quod non adiecerit, *Hæc dicit Dominus*, aut aliquid simile, uti solent quando vaticinantur; & sicut addit in verbis posterioribus.

V. 20. ET AIT DOMINUS: QUIS DECIPIET ACHAB REGEM ISRAEL? Et postea dicit Dominus spiritui, vers. 22. Et postea dicit Dominus spiritui, vers. 22. Spiritus qui se obtulit, ut esset spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab, nequaquam fuit Angelus bonus, quia mendacem se pollicetur; spiritus autem boni non loquuntur falsa, & proinde non pertinet hic spiritus ad exercitum cæli, assistentem Domino a dextris & sinistris, sed postea accessit, sicut & apud Iob de eo dicitur: *Cum venissent filii Dei, & starent coram Domino, affuit inter eos Satan*. Et propter eamdem causam quoque non fuit spiritus Naboth defuncti, sicut fabulantur Iudæi. Nam spiritus ille iustus fuit, quia Naboth innocens lapidatus est. Sed fuit spiritus nequam, qui non ex mandato Dei, sed ex eius tantum permissione potestatem accepit decipiendi Achab, per hoc quod falsam prophetiam inspiraret prophetis Baal, quorum prædictioni Deus præsciebat Achab creditarum. Sed quomodo spiritus nequam steterit coram Domino, assistente eidem Domino exercitu cæli, cum malis angelis non sit in cælum reditus; vide Annotat. Iob 1.

MARIANAE.

Vers. 3. NEGLIGIMUS TOLLERE EAM, scilicet Ramoth, quam Syri occuparant. Hebr. *Tacemus*, id est *negligimus*, ut dixit Hieronymus.

V. 5. QUAERE, ORO TE, HODIE SERMONEM DOMINI, id est consule Dominum. Id Iosaphat dixit Achabo.

V. 7. NON EST HIC PROPHETA DOMINI? Cognovit Iosaphat in eo numero eorum prophetarum, quos Achab congregavit, nullum esse verum Prophetam. Achab: Remansit unus, sed odi eum. Iosaphat:

V. 8. NE LOQUARIS ITA REX. Hebr. *Ne loquatur ita Rex*; quasi dicat: Regem non decet in Prophetam irasci. Aut, Non adversa, sed prospera nuntiabit Michæas.

V. 9. FESTINA ADDUCERE. Heb. *Festinare fac Michæam*. Sedebant duo Reges.

V. 10. VESTITI CULTU REGIO. Hebr. *vestiti vestibus*: sic Chald. sed bene

in-

intelligitur pretiosis, regiis. IN AREA IUXTA OSTIUM: sive quod areæ erant prope urbem, propter incursus hostium: sive forum ipsum, quod ad portas erat, vocatur *area*, quod magis puto. Sedecias ad eos:

V. 11. HAEC DICIT DOMINUS. Nomen Dei quadrilitterum est. Falsi prophetæ bonos imitantur & veros Prophetas. VENTILABIS SYRIAM. Sic Sept. Chald. *Occides*. Hebr. *Impetes, feries*. Nuntius ad Michæam:

V. 13. SIT ERGO SERMO TUUS SIMILIS EORUM, o Michæa. Hebr. *uni eorum*: sic Sept. & Chald. ET LOQUERE BONA. *Et*, pro id est, loquere bonum. Hebr. *Locutus es*, pro loqueris, præteritum pro futuro: *loqueris*, pro loquere, indicativus pro imperativo.

V. 15. ASCENDE. Ironice dictum; aut timuit initio vera dicere. Id suspicatus Achab, præsertim quia non dixit, ut solent Prophetæ, *Hæc dicit Dominus*; ideo Rex addit:

V. 16. ITERUM ATQUE ITERUM ADIURO TE. Hebr. *Usque quot vicibus adiuro te*: sic Sept. & Chald. in sententia; pro, sæpe sæpius adiuro te. IN NOMINE DOMINI. Hoc iungitur cum *adiuro te*. Quid Michæas? Vidi populum dispersum.

V. 17. NON HABENT ISTI DOMINUM. Hebr. *Non domini his*. Chald. *magistri*. Id in visione dicit Deus, & addit:

V. 20. QUIS DECIPIET ACHAB? Sic Sept. & Chald. Quidam vertunt: *Quis persuadebit?* Alii: *Quis excitabit Achab?* Est hypothypposis, non res gesta. Diabolus: Ego decipiam. Deus subdit:

V. 21. IN QUO? id est, quo pacto id facies, o spiritus nequam?

V. 22. ERO SPIRITUS MENDAX. Hebr. *spiritus mendacii e pravorum*, scilicet numero: inspirabo illis mendacium. Quod si lux tenebræ fiunt, quid sequetur, nisi ut populus corruat? Grave id malum. EGREDERE. Permissio, non præceptum. Michæas: Dedit Dominus spiritum mendacii

V. 23. IN ORE OMNIUM PROPHETARUM TUORUM, QUI HIC SUNT. Hebr. *Horum in ore dedit spiritum mendacii Deus*.

V. 26. APUD IOAS FILIUM AMELECH. Omnes alii vertunt *filium Regis*: idque verba Hebraica significant. Apud eum Michæam mandat Achab detineri.

V. 27. SUSTENTATE EUM PANE TRIBULATIONIS, id est modico pane. Idem AQUA ANGUSTIAE significat; id est, modica aqua sustentate. Achab ad Iosaphat:

V. 30. SUME ARMA, ET INGREDERE PRAELIUM. Hebr. *Mutare se*, & *ingredi in bellum*. Verum omnes Interpretes infinitivos sumunt pro prima persona futuri; quasi dicat: Mutabo me ego Achab, & ingrediar. Sic solent duces, cum periculum imminet, paludamentum ponere. Et fortasse cognoverat Syro stare, illum petere solum in pugna. Sed vide, Dei consilium turbari non posse, verumque esse quod quidam dixit: *Multi ad fatum venere suum, dum fata timent*. ET INDUERE VESTIBUS TUIS. Hebr. *Et tu induere vestibus tuis*, o *Iosaphat*. Volebat specie honoris Achab in illum periculum vertere. Alia expositio huius loci II. Paral. XVIII. 29. est posita. Ex curru, & vestibus Iosaphat,

V. 32. SUSPICATI SUNT QUOD IPSE ESSET REX ISRAEL. Hebr. *Et ipsi dixerunt: Verumtamen* (id est vere) *Rex Israel ipse*. ET EXCLAMAVIT IOSAPHAT, quis esset declarans scilicet, aut Dei opem implorans: II. Paral. XVIII. vers. 32.

V. 34. QUIDAM TETENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS. Hebr. *Tetendit arcum in simplicitate sua*, id est in incertum. ET CASU PERCUSSIT REGEM ISRAEL INTER PULMONEM ET STOMACHUM. Sept. *inter pulmonem & pectus*. Hebr. *inter iuncturas & loricam*; id est, inter iuncturas armorum, qua parte inter se connectuntur. Quidam *in inguine*, quoniam ibi sunt armorum iuncturæ.

V. 35. COMMISSUM EST ERGO PRAELIUM. Hebr. *Ascendit*, pro incaluit.

V. 36. ET PRAECO INSONUIT. Hebr. *Et transivit clamor* (scilicet præconis) *per castra*. Aut sic ut Kimhi, *Et transire fecit* (supple, præco,) *clamorem per castra*. Quid clamavit? UNUSQUISQUE REVERTATUR IN CIVITATEM; quasi dicat: Receptui cecinit.

V. 37.

V. 37. ET PERLATUS EST IN SAMARIAM. Hebr. *Ivit*, ſcilicet cadaver Achab.

V. 38. ET HABENAS LAVERUNT. Hebr. *Et arma laverunt*, ſcilicet quibus id eſt mandatum. Ioſaphat evaſit.

V. 46. ET OPERA EIUS, QUAE GESSIT, ſcilicet Ioſaphat, ſcripta ſunt. Heb. *Et fortitudo eius*.

V. 48. NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM. Hebr. *Et Rex non* (erat) *in Edom* (ſed) *præfectus Regis*, id eſt a Rege Iuda conſtitutus, & eius nomine imperans. Inter alias felicitates Ioſaphat ponit Idumæam illi fuiſſe ſubiectam, quod ſecus contigit ſub Ioram filio eius, IV. Reg. VIII. verſ. 21.

V. 49. FECERAT CLASSES IN MARI. Hebr. *Fecit naves Tharſis*. Sed *Tharſis* hic pro mari ſumitur; quaſi dicat, naves marinas. Chald. *naves Africæ*. Tunetum *Tharſis* Arabice vocatur. Et forte naves Tunetanas ſolutas in partes tranſtulit in mare rubrum, ubi eſt portus Aſiongaber, ubi ſunt confractæ, & qua ib atur in Ophir. Aſiongaber hodie Suez vocatur. De *Ophir* & *Tharſis* multa aliis locis III. Reg. IX. verſ. 22. & cap. X. item verſ. 22.

MALVENDAE.

Verſ. 2. DESCENDIT IOSAPHAT: de quo ſupra cap. XV. verſ. 24. Quidam notant, deſcendiſſe inſtituto Prorege Ierohamo filio ſuo: nam pacem inierat cum Rege Iſraelis, infra verſ. 45.

V. 3. QUOD NOSTRA SIT RAMOTH GALAAD. Exponunt. nimirum cum ex prima diſtributione terræ, tum ex fœdere cum Benhadado, ſup. cap. XX. verſ. 34. De Ramoth Ghilhad vide in Deuteron. IV. 43.

V. 4. ET AIT AD IOSAPHAT; id eſt, incitavit eum, ut communem in hoc bellum operam conferret, ut exponitur II. Paralip. XVIII. verſ. 2. & ſequentibus.

V. 5. SICUT EGO SUM, ITA ET TU. Hebr. *Sicut ego, ſicut tu*; quaſi dicat: Ego & tu unum ſumus: idem ſum facturus quod tu, &c.

V. 6. PROPHETAS. Quidam Dei veri Prophetas accipiunt, nimirum ex illis qui filii Prophetarum dicuntur, qui erant magno numero. Alii pſeudoprophetas intelligunt: quod eſt rectius, nam verſu ſequenti Ioſaphat requirit aliquem Prophetam IHUH.

V. 8. NE LOQUARIS ITA, REX. Explicant: Hoc eſt, neque perſonam oderis, neque verbum Dei ratione perſonæ ſpernas.

V. 9. FESTINA ADDUCERE MICHAEAM. Hebr. *Feſtina*, ſeu *feſtinare fac Michaiehu*. Quidam: *Feſtinanter adduc*. Alii: *Adduc confeſtim Michæam*.

V. 11. CORNUA FERREA, ET AIT, nempe de more Prophetarum adiiciens ſymbolis externis rerum, explicationem verbo.

V. 13. ORE UNO REGI BONA PRAEDICANT. Hebr. *Ore uno bonum ad Regem*; ſubaudi, annuntiant, vel prophetant: vel, *Ore uno bono ad Regem ſunt*.

V. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, &c. Ironice pſeudoprophetas fingit, ac ipſa totidem eorum verba reddit, ſupra verſ. 12.

V. 16. ITERUM ATQUE ITERUM ADIURO TE. Hebr. *Uſque ad* quot vices *ego adiurans te*. Quidam: *Quoties tandem ego adiuraturus ſum te*. Alii: *Quoties te iureiurando adigam*. Animadvertit Rex Prophetam non ſerio locutum: ideo iusiurandum iniicit. IN NOMINE DOMINI. Poteſt traiici: *Adiuro te in nomine Domini*, vel *veritatem in nomine Domini*.

V. 17. DISPERSUM IN MONTIBUS. Subaudiunt, ſi in iſtam expeditionem proficiſcentur. Montes autem intelligit Ghilhadis, ubi ſitæ erant Ramothæ, ut ex ipſo nomine apparet. IN PACE; id eſt, omiſſa omni cura ac cogitatione belli. Alii, *Salvus*, *incolumis*. Sic infra verſ. 27. 28.

V. 19. PROPTEREA AUDI SERMONEM, &c. Exponunt: Id eſt, quia nunc ludificaris conſilium Dei, & incredulitatem palam teſtatam facis, iam tibi certam Dei ſententiam denuntio. Sic II. Paralip. XXV. verſ. 16. VIDI DOMINUM SEDENTEM, &c. Aliqui volunt revera fuiſſe hanc viſionem imaginariam oblatam Prophetæ in divina revelatione. Alii parabolam eſſe putant; ac ſi dicat: Ita decretum eſt adverſum te conſilium Dei, ac ſi Deus ſedens ſuper thronum, atque auditis variis ſententiis, hoc malum in te ſtatuiſſet.

V. 21. EGRESSUS EST AUTEM SPIRITUS. Quidam: E cœtu ſtantium a ſiniſtris exivit, ac prodiit in medium: quaſi cœtus malignorum ſpirituum Deo a ſiniſtris aſtaret. Alii: E loco ſuo, aliunde adveniens: non enim erat inter Angelos.

V. 22. ET PRAEVALEBIS. Hebr. *Et etiam poteris.* Quidam: *Simulque efficies*; id eſt, habebis efficacitatem ad decipiendum.

V. 25. CUBICULUM, INTRA CUBICULUM, id eſt in intimum, & penitiſſimum conclave. Sic ſup. cap. xx. verſ. 30.

V. 26. ET MANEAT APUD AMON. Hebr. *Et reducito eum*, ſubaudiunt in urbem, nam ipſi Reges erant in area prope urbis portam ſupra verſ. 10. Alii, in carcerem, in quo anteaquam eo vocaretur conjectus fuerat ab inſenſo ei Achabo. ET APUD IOAS FILIUM HAMELECH. Putavit nomen proprium eſſe *Hamelech*. Alii pro appellativo capiunt, & *He* eſſe articulum notitiæ: *Et ad Ioas filium Regis.*

V. 27. ET SUSTENTATE EUM PANE TRIBULATIONIS, ET AQUA ANGUSTIAE. Hebr. *Et cibate eum pane oppreſſionis, & aqua oppreſſionis.* Quidam: *Et nutrite eum pane arctio, exiguo, & aqua arcta, exigua.* Alii: *Et alite eum pane anguſte, & aqua anguſte.* Nomen pro adverbio. Nonnulli: *Et date ei cibum panem, & aquam*, ut ſolet afflictis. Hiſpanice: *Dalde a comer muy eſcaſſamente, por onças, del pan y de la aqua.*

V. 28. ET AIT: AUDITE, POPULI OMNES; id eſt, & dixit Michaiehu: Vos omnes conteſtor, quotquot adeſtis, huius mei vaticinii, ut cum reipſa evenerit, intelligatis me illud dixiſſe inſpiratione divina.

V. 30. SUME ARMA, ET INGREDERE PRAELIUM. Hebr. *Ndare facere, & venire in prælio.* Sunt duo infinitiva, quidam notant eſſe eclipſin particulæ *Betb, in*, pro gerundiis: *In diſſimulando ſe, & veniendo in prælium*; id eſt, cum diſſimularet ſe, proceſſurus in prælium. Alii: *Mutabo me veſtibus, & ingrediar bellum.* Nonnulli: *Mutandus eſt habitus, & eundum in bellum.* Aliqui: *Mutari, & venire in prælium*: vel *mutandum, & ingrediendum in bellum*; id eſt, oportet, decet me mutato habitu inire prælium. Prudenter annotant, hoc feciſſe Achabum ſpecie quidem, ut honorem Ioſaphato ſocio exhiberet imperatoriæ dignitatis, ut is ſolus in exercitu videretur Rex; re tamen ipſa, timore Syrorum, quos acceperat, ſe unum perituros: vel potius ut imminens vitæ exitium ſibi a Propheta denuntiatum, habitus mutatione devitaret. Verbum התפשט *chaphas* in Hithpahel, ſignificat proprie *nudare ſe veſtibus propriis, & notis, & alias induere alienas & ignotas*, id eſt *diſſimulare habitum.* Vide ſup. cap. xx. verſ. 38. Sic ſtatim.

V. 31. NON PUGNABITIS CONTRA MAIOREM, &c. id eſt, ne pugnando contendite, &c. ſolum Regem perite.

V. 32. ET IMPETU FACTO PUGNABANT CONTRA EUM. Hebr. *Et diſceſſerunt ſuper eum*, vel *contra eum*; id eſt, ab aliis divertentes in eum contenderunt. Quidam reddunt: *Et acceſſerunt contra eum.* Alii: *Et conceſſerunt ad eum.* Plerique: *Et declinaverunt, diverterunt ſuper eum.* Vide II. Paralipom. xviii. 31. ET EXCLAMAVIT IOSAPHAT, nimirum ad Iehovam, cius opem implorans, ut exponitur II. Paralip. xviii. verſ. 31. Alii, ut audita voce eius, intelligerent Syri ipſum non eſſe Regem Iſraelis. Utrumque potuit eſſe.

V. 34. TETENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASU PERCUSSIT. Hebr. *Traxit in arcu ad conſummationem ſuam*, vel *eius, & percuſſit.* Quidam: *Iaculatus eſt arcu in ſimplicitate ſua*, vel *ſimplici animo*, aut *in puritate ſua*, ſeu *corde puro*; id eſt, citra intentionem animi, ac ſine ullo delectu, citra propoſitum feriendi Regem: nihil minus cogitans quam Achabum percutere. Alii לתמי *letummo* hic non ad animum aut mores referunt, ſed ad vires corporis; redduntque: *Et quidam extendit arcum pro integritate ſua*, id eſt pro virili ſua, omnibus viribus ſuis, omni niſu. Aliqui: *Intendit arcum quam maxime potuit.* Poſſis reddere: *Iaculatus eſt arcu in rectitudine ſua*; id eſt, quam maxime recta ſagittam dirigere potuit. Vel *in conſummatione, integritate, perfectione ſua*; id eſt, traxit arcum integre, perfecte, conſummate, ut magis trahi non poſſet, ut capita ipſa coirent, quantum trahi potuit. Ut illud Virgilianum XI. AEneidos

....*cornuque infenſa tetendit*

Et

Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, & manibus iam tangeret æquis.

INTER PULMONEM ET STOMACHUM. Varie Hebr. convertunt. I. *inter squamas*, & *loricam*. Habebat, inquiunt, super loricam armaturam de laminis ferreis in modum squamarum factis, & una ex squamis fuit elevata, vel amota a loco suo, quo penetravit sagitta per foramen aliquod loricæ. II. *inter conjunctiuras*, & *inter loricam*, id est inter coniuncturas corporis cum cruribus, seu loca confinii inter loricam & crura. III. *inter iunctiuras*, & *inter loricam*, id est inter annulos quibus constabat loricæ; quasi dicat: Forte fortuna allapsa est sagitta in foramen quod erat inter annulos loricæ. IV. *inter laminas*, & *inter loricam*, id est inter laminas quæ dependent a solida lorica; quasi dicat: Fuit percussus in inguine, ubi laminæ inhærent loricæ solidæ, qua totum corpus munitur. V. *inter iunctiuras thoracis*, & *inter loricam*. VI. *inter adhæsiones*, id est ligamina, & *inter loricam*, id est inter ligamina quibus adhærebat corpori lorica. VII. *inter commissuras*, & *loricæ partes*, id est ad latus, ubi est commissura anterioris cum posteriore parte. VIII. *inter iunctiuras galeæ & loricæ*. דבקים *debakim* proprie significat *adglutinationes*, *conglutinationes*, *connunctiones*, *coniunctiuras*, *iunctiuras*, *ferruminationes*, *commissuras*, *adhæsiones*; שבירין *schirian* vero omnes interpretantur *loricam*, scilicet nodolam & concatenatam. Vide I. Samuel. XVII. 5. QUIA GRAVITER VULNERATUS SUM. Hebr. *Quia ægrotavi*, vel *ægrotare factus sum*, aut *ægrotus factus sum*, seu *dolore affectus sum*. Quidam exponunt: *Quia morbo correptus sum*. Noluit, inquiunt, indicare quod vulneratus esset, sed simulavit ægritudinem, seu morbum sibi supervenisse, ne exterreretur exercitus audiens Regem vulneratum. Et eo magis occultare suum vulnus sperabat, quo in curru erat ignoto, utpote sine apparatu regio. Alii: *Et dolere factus sum*; id est, vehementer ex vulnere doleo. Non dissimulat se vulnus accepisse. Coniugatio Hiphil intendit significatum, & maximum vulnus & dolorem indicat.

V. 35. ET REX... STABAT IN CURRU SUO CONTRA SYROS. Exponunt: Id est, quamvis graviter vulneratus, constantissime tamen persistebat pugnans contra Syros. Sed hoc non quadrat, quia dixerat aurigæ ut eum e castris eiiceret, versu præcedente: nisi forsan ut fugam suorum sisteret, mutata sententia persistit. Alii notant, auctorem hic supplere quod antea omiserat, nimirum Achabum e curru suo constantissime pugnasse contra Syros, antequam vulneraretur. Nonnulli reddunt: *Quoniam autem invalescebat prælium eo die, Rex distinebatur propter currus suos contra Syros*; id est, occupatus erat, ut suos fugam molientes sisteret: qui sensus iuvatur e II. Paralip. XVIII. vers. 34. Aliqui: *Porro Rex sustultus stabat in curru prope Syros*, quasi suorum manibus, aut sinteis, suffultus propter vulnus. Ego hunc sensum concipio, Regem detentum in curru propter obiectos Syros, quos auriga perrumpere non poterat acriter instantes; quasi dicat: Non potuit auriga currum educere extra prælium instantibus undique Syris. IN SINUM CURRUS. Aliqui, *In capsum currus*, id est ad eum usque locum ubi auriga, seu vector currus sedet, qui est veluti gremium & sinus currus.

V. 36. ET PRAECO INSONUIT. Hebr. *Et transivit acclamatio*. Sed non cohæret: nam *transivit* est masculeum, & *acclamatio* femineum. Quidam subaudiunt: *Et transivit vox clamoris*, quod *vox* sit masculeum: vel *transivit vox*, quæ est synonimum רנה *rinnah*. Alii volunt esse enallagem generis. Nonnulli: *Et transire fecit* præco *præconium*. Sed verbum non est transitivum. Aliqui: *Et transivit clamoris*, subaudi *vir*, id est præco: quam ecliptim ostendit genus verbi, ut Genes. IV. 7.

V. 37. MORTUUS EST AUTEM REX, ET PERLATUS EST IN SAMARIAM. Hebr. *Et mortuus fuit Rex, & venit Someron*. Quidam: *Rex vero mortuus pervenit Somronem*.

V. 38. ET LAVERUNT CURRUM EIUS IN PISCINA SAMARIAE. Hebr. *Et lavit currum eius*; subaudi, quidam, aliquis, vel auriga: aut *lotus, inundatus, submersus fuit currus eius super piscinam Samariæ*. Sic enim usitatum est in hac lingua tertiam personam activam præteriti, passive seu impersonaliter usurpari, ut sunt exempla passim obvia. ET HA-

BENAS LAVERUNT. Vocem Hebræam זנות *zonoth* plerique a זון *zun* deducentes reddunt: *Et lotrices, hospitæ, cauponariæ, meritoriæ, meretrices, ablucrunt*. Quod duplicem sensum habet. I. Et conduxerunt mulierculas lotrices & mercenarias, quæ currum lavarent. II. Nedum canes linxerunt sanguinem eius, sed & vilissimæ mulierculæ seu scorta in ea piscina, in qua ablutus est sanguis eius, suas sordes & immunditias laverunt, miscentes eas cum sanguine Achabi: quæ fuit maxima ignominia. Alii: *Et arma laverunt*. Nonnulli: *Et instrumenta laverunt*. Aliqui voce consona: *Et zonas laverunt*. Ubi habenæ intelliguntur, & alia currus instrumenta. Quidam notant, arma tunc deportata in Iezrahel, & ibi sanguinem eorum linxisse canes. IUXTA VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS FUERAT. Vide supra cap. XXI. vers. 20.

V. 39. ET DOMUS EBURNEA, QUAM AEDIFICAVIT. Mirabilis plane ac sumptuosa fabrica quamlibet postea Romanam magnificentiam in ea materia superans, quam nos in Antichristo Lib. V. cap. VI. describimus. Quidam tamen non totam domum crustis eboris opertam, sed cellam aliquam, aut cœnationem, seu aulam intelligunt. NONNE HAEC SCRIPTA SUNT IN LIBRO SERMONUM DIERUM REGUM ISRAEL? Vide supra cap. XIV. vers. 19. & cap. XI. vers. 41. Sic infra vers. 46.

V. 42. VIGINTI QUINQUE ANNIS REGNAVIT IN IERUSALEM. Exponunt, comprehensis filii Ierohami gubernatione, & quatuor primis annis regni illius: quamobrem hic liber decimo septimo anno Iehosaphati desinit, unde cœpit Ierohami gubernatio. Vide II. Reg. I. 17. & VIII. 16.

V. 44. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. Hebr. *Verumtamen excelsa non discesserunt, recesserunt, destiterunt, non sunt amota*, aut *sublata*. Vide supra cap. XV. vers. 14. Ceterum contrarium his dici videtur II. Paralipomen. XVII. 6. Conciliant, quod initio regni relicta fuerant ab Asa patre, vel de novo invecta aliqua excelsa, quæ Iosaphat confirmatus in regno, curaverit abolenda. Vide Comm. in eum locum Paralipom. & in II. Paralipom. XX. vers. 22.

V. 45. PACEMQUE HABUIT IOSAPHAT CUM REGE ISRAEL, id est cum Achabo, supra vers. 2. & seqq. & cum filio eius Ierohamo, II. Reg. III. 7. quod similiter reprehensione dignum fuit: unde II. Paralipomen. XIX. 2. obid a Propheta reprehenditur.

V. 46. RELIQUA AUTEM VERBORUM, id est rerum gestarum. Vide II. Paralipom. XX.

V. 47. SED ET RELIQUIAS EFFEMINATORUM, &c. Vide supra cap. XV. 12. & XIV. 24.

V. 48. NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM. Varie alii Hebræa convertunt. I. *Porro Rex nullus erat in Edom, præfectus erat Rex*; quasi dicat: Tempore huius Iehosaphati Idumæa erat subiecta Regibus Iehudæ: tantum is præerat illis, quem præficiebat Rex Iehudæ: eratque Prorex, sive vicarius Regis Iehudæ. II. *Tunc non fuit Rex in Edom qui præfectus esset regno*. III. *In Edomæa tunc non erat Rex, sed Prorex*. Inde iam a temporibus Davidis. Vide II. Samuel. VIII. 14.

V. 49. REX VERO IOSAPHAT FECERAT CLASSES IN MARI. Hebr. est gemina lectio: *Iehosaphat decem naves Tharsis*; subaudi, fecit, vel habuit: aut, *Ipsi Iehosaphato* fuerunt *decem naves Tharsis*: &, *Iehosaphat fecit naves Tharsis*: nempe pluranunc exemplaria in textu habent עשו *ghasar*, *decem*, & in margine עשה *ghasah*, *fecit*, levi unius litteræ mutatione. Sumi autem hic Tharsis, pro mari magno, oceano Erythræo, seu Indico, iam supra cap. X. vers. 22. observavimus. Unde hic quidam reddunt: *Iehosaphat fecit naves Tharsis*, id est naves tales qualibus uti solent in mari illo magno. Alii: *Iehosaphato decem fuerunt naves oceani*. Chaldæus dixit *naves Africæ*. Non quod tunc naves in Africam irent; sed quod essent tales, quales erant quibus solebant Iudæi in Africam navigare. IN OPHIR; id est, in Auream Chersonesum, & oram orientalem Sinus Gangetici. Vide supra cap. IX. vers. 28. Voluit enim Iehosaphat navigationem Ophiricam a Salomone institutam, instaurare. IN ASIONGABER. Vide de hoc loco supra, cap. IX. vers. 26.

V. 50. ET NOLUIT IOSAPHAT. Exponunt, Primum; sed postea tandem acquievit: ut exponitur II. Paralipom. XX.

36. & male ceſſit. Alii e contra conciliant: *Et noluit*, ſecunda vice: nam prima vice conſenſit ut ſimul irent, & fractæ ſunt naves, ut dicitur in loco Paralipomenon: voluit enim Achaziah iterum tentare navigationem, quia primum male ceſſerat; ſed non acquievit Iehoſaphat.

V. 52. ANNO SEPTIMODECIMO IOSAPHAT. Intelligunt, complero. DUOBUS ANNIS, ſeu biennio. Supple, inquiunt, imperfecto: nam prior annus fuit cum Achabo, poſterior cum Ierohamo communis.

V. 54. SERVIVIT QUOQUE BAAL. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 32.

Valentiæ 7. Novembris, 1623. ætatis meæ 58.

MENOCHII.

Verſ. 2. DESCENDIT IOSAPHAT, &c. Viſitationis huius cauſa non alia fuiſſe videtur quam mutua inter utrumque amicitia, atque affinitas ex Ioram filii Ioſaphat cum Athalia filia Achabi, & Iezabelis coniugio, cuius amicitiæ cauſa poſtea Iehu Propheta reprehenſus eſt. Dicitur Ioſaphat deſcendiſſe, quia Ieruſalem editiore loco erat quam Samaria.

V. 3. RAMOTH GALAAD. Erat urbs hæc trans Iordanem in tribu Gad, eademque ſacerdotalis, & una de urbibus perfugio deſtinatis. Dicitur *Ramoth Galaad*, quod eſſet in Galaaditide provincia, nam alia etiam erat Ramoth in tribu Iſſachar, cuius mentio eſt I. Paralip. VI. 73. DE MANU REGIS SYRIAE. Obſcurum eſt quandonam illam Syri occuparint. Fortaſſis fuerit una ex illis quas Syri invaſerunt dum Baaſa Ramam ædificaret adverſus Aſam, ſupra cap. XV. num. 20. licet ibi non nominetur. Ex hoc loco conſtat Regem Syriæ non ſtetiſſe promiſſis factis cap. XX. num. 34. ſcilicet de urbibus occupatis reddendis.

V. 5. SICUT EGO SUM, ITA ET TU; id eſt, eadem eſt voluntas, idem animus utriuſque noſtrum. UNUM SUNT. Unum conflabunt exercitum, eumdem una hoſtem petent. QUAERE HODIE SERMONEM DOMINI. Conſultatio merito tarda videatur, ſi verum eſt quod Ioſephus tradit Lib. VIII. cap. VI. rem eo uſque progreſſam, ut utriuſque Regis exercitus iam circa Samariam conveniſſent, & extra mœnia militibus ſtipendia numerarent. Deus enim re integra conſulendus erat, ea animi diſpoſitione, ut quod ipſe iuberet, effectum daretur, non ita agendum, ut conſiliorum ſuorum approbatorem, quæcumque illa eſſent, omnino habere vellent.

V. 6. PROPHETAS Baal, & idolorum. Mirum tam multos extitiſſe pſeudoprophetas poſt plurimos illos qui ſupra cap. XVIII. recenſentur, occiſos ab Elia. Sed ipſi ſe pro Prophetis, cum non eſſent, venditabant; & Regis, & Iezabelis propenſio in idololatriam, hanc peſtem mirum quantum augebat. IN MANU REGIS, in manus tuas.

V. 7. PROPHETA DOMINI. Verus aliquis Propheta, qui veram Dei religionem ſequatur.

V. 8. REMANSIT VIR UNUS. Solus fortaſſe Michæas habitabat hoc tempore in Samaria, alioqui alii plures vivebant Prophetæ, Elias, Eliſeus, & quicumque degebant in monte Carmelo. NON PROPHETAT MIHI BONUM, SED MALUM. Videtur bona aliquando Achabo prænuntiaſſe. Vide dicta cap. XX. 13. NE LOQUARIS ITA REX; quaſi dicat: Sana conſilia, etiamſi non placeant, admittenda ſunt, quia non iucunda & grata, ſed ſalutaria quærere debemus.

V. 11. HIS VENTILABIS SYRIAM. Non raro veri Prophetæ ad verba prophetica, Dei iuſſu facta quoque, & ſigna addebant, ut Ieremias, qui collo ſuo catenam ligneam circumpoſuit, quam Hananias pſeudopropheta confregit, Ierem. XXVII. 2. & XXVIII. 10. Hos imitatur Sedecias. Quod dicitur, *Ventilabis*, vertunt Septuaginta κερατίεις, *cornu petes*: quæ vero tauri cornibus petunt, ea in altum attollunt, & quodammodo ventilant.

V. 13. SIT ERGO SERMO TUUS SIMILIS EORUM: inepte, quaſi ex verbis, & voluntate Michææ bonus, maluſve.

V. 14. QUODCUMQUE DIXERIT MIHI DOMINUS LOQUAR. Ex quo apparet nondum ei a Domino revelatum fuiſſe quid Achabo reſponſurus eſſet.

V. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, &c. Ironice loquitur Prophetæ, ideoque non addidit ſolemne illud, *Hæc dicit*

dicit Dominus: & revera intellexit Achab eum ex propria mente, sensuque non loqui, quare iterum interrogat, addita etiam adiuratione.

V. 17. QUASI OVES NON HABENTES PASTOREM. Quibus verbis significat exercitu fuso, Rege etiam privandum populum, quod etiam significat illud: *Non habent isti Dominum*. REVERTATUR UNUSQUISQUE, &c. Significatur Rege Israelis mortuo, ad sua pacifice, re desperata, redituros universos.

V. 19. ADDENS AIT, Michææas scilicet. VIDI DOMINUM, visione imaginaria. EXERCITUM CAELI, Angelos.

V. 20. QUIS DECIPIET ACHAB REGEM ISRAEL? Hæc consultatio revera non est a Deo institura, nam quis eius consiliarius fuit? ut ait Isaias cap. XLI. sed in Prophetæ phantasia, quo modo huiusmodi res inter homines contingunt, depicta fuit. Nec res ita accipienda est quasi Deus auctor sit peccati, & spiritum malum iubeat Regem decipere; sed de permissione tantum explicanda est, qua malum male agere permittit, & Achabo lumen non dat quo mendacium a veritate discernat. Vide Bellarm. Lib. II. de amissione gratiæ cap. XIII. UNUS DIXIT VERBA HUIUSCEMODI, &c. ut fieri solet in deliberationibus, aliis in alias sententias abeuntibus.

V. 21. EGRESSUS EST SPIRITUS. Prodit spiritus malus, qui prius in bonorum cœtu non apparebat. EGO DECIPIAM ILLUM. Ipse spiritus offert se ad decipiendum Regem, nec tam imperio, quam permissione divina opus habet, cum ex se ad omne malum promptissimus sit, & nocendi cupiditissimus.

V. 24. ME NE ERGO DIMISIT SPIRITUS DOMINI, ET LOCUTUS EST TIBI? qui videlicet fum te multo præstantior. In II. Paralip. XVIII. 23. eodem sensu dicitur: *Per quam viam transivit spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?*

V. 25. IN DIE ILLA, quam scilicet ego prævideo, & prænuntio tibi. CUBICULUM, INTRA CUBICULUM, interius cubiculum, abditissimum cubiculum. UT ABSCONDARIS, & te subtrahas a Regis domesticis quærentibus te ad necem, ut vaniloquentiæ tuæ pœnas luas.

V. 27. PANE TRIBULATIONIS, ET AQUA ANGUSTIAE. II. Paral. XVIII. 26. dicitur: *Date ei panis modicum, & aquæ pauxillum*. DONEC REVERTAR IN PACE: cum scilicet convictum mendacii, merito supplicio afficiam.

V. 28. AUDITE POPULI OMNES; quasi dicat: Diligenter quæ dixi notate, & an prædictionem meam eventus frustretur, attendite.

V. 30. INDUERE VESTIBUS TUIS. Quod Achab dicit ut simul Iosaphat honoraret, quasi eum solum utriusque exercitus Ducem esse vellet, & se tutum redderet, territus fortasse Michææ vaticinio, aut consilium Syrorum odoratus, unum scilicet Regem Israel telis petendi.

V. 31. NON PUGNABITIS CONTRA MINOREM ET MAIOREM QUEMPIAM. Non prohibet Benadab omnino a cæde Israelitarum abstinere, sed omnem conatum intendere in Achabi occisionem.

V. 32. EXCLAMAVIT IOSAPHAT. Hebræi in suo Chronico, quod Seder Olam appellant cap. XVII. aiunt hunc clamorem fuisse invocantis Dominum.

V. 33. INTELLEXERUNT QUOD NON ESSET REX ISRAEL; vel ex sono vocis aliquibus cognito; vel quia Deum Israel invocavit, non Baal, aut idola, quod facturus videbatur Achab illorum cultor; vel quia ut se periculo eximeret, se Achabum non esse professus est; vel tandem quia Achabum nomine vocabat, ut auxilium ferret. Secundam expositionem confirmant quæ habemus II. Par. XVIII. 31. ubi dicitur *exclamasse ad Dominum*.

V. 34. INTER PULMONEM ET STOMACHUM. II. Par. XVIII. 33. dicitur, *Inter cervicem, & scapulas*: quod significare videtur vulnus ad utramque partem corporis eodem telo pervadente pertinuisse, & per anteriorem armorum commissuram ingressum, sursum versus, eo quod ex inferiore loco missum esset iaculum, inter scapulas & cervicem prorupisse. ECCE ME DE EXERCITU. Non plane voluit exire de exercitu, ut ex sequentibus liquet, cum dicitur eum stetisse in curru suo contra Syros; sed voluit solum aliquantulum retrocedere, ut tutius, & extra teli iactum, vulneri remedium aliquod adhiberet.

V. 35.

V. 35. COMMISSUM EST. Hebr. *Ascendit*, id est crevit, seu incaluit. STABAT IN CURRU SUO CONTRA SYROS, præsentia nimirum sua continens suos, ne se in fugam darent. SINUM CURRUS, id est medium currus.

V. 36. ANTEQUAM SOL OCCUMBERET. In II. Par. XVIII. 34. dicitur mortuus *occidente sole*: est ergo extinctus Achab antequam sol omnino occumberet. UNUSQUISQUE REVERTATUR, &c. Sic divina prædictio, quam supra vidimus num. 17. finem habuit.

V. 38. HABENAS LAVERUNT. Alii vocem Hebræam זנה *zonah* verterunt *arma*, alii *zonas*, alii *meretrices*, *lotrices*, aut *cauponas*, quod hæ fere male audiant, a radice זנה *zanah*, quod est fornicari. Itaque Iosephus ὁ ταριχοπώλας dixit, id est *meretrices*, quod Vulgatus *habenas* vertit.

V. 39. DOMUS EBURNEA, multo scilicet ebore renidens. IN LIBRO SERMONUM, &c. Qui liber intercidit, ut supra dictum est.

V. 44. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. Hic locus in speciem pugnat cum eo, quod II. Paralipom. XVII. 6. de eodem Rege dicitur: *Excelsa & lucos de Iuda abstulit*. Dicendum cœpisse quidem auferre excelsa, sed difficultatibus aut populari seditione impeditum, in bene cœpto pergere non potuisse. Vel abstulit excelsa, in quibus idolorum cultus exercebatur, reliquit ea in quibus verus Deus, sed alieno loco, & contra divinum præscriptum colebatur.

V. 47. RELIQUIAS EFFEMINATORUM. Vide quæ de effeminatis diximus supra cap. XIV. num. 24.

V. 48. NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM. Id est, Idumæi parebant Regibus Iuda, qui provinciam illam per Proreges gubernabant, vel certe per Reges Idumæos, qui pleno iure regnum non tenebant, sed pendebant tributum Regi Iuda. Vigebat enim tempore Iosaphat id quod cœptum erat sub Davide, de quo dicitur II. Par. VIII. 14. *Posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium, & facta est universa Idumæa serviens David.*

V. 49. OPHIR. De Ophir, & Asiongaber dictum est supra cap. IX. num. 26. & 28. CONFRACTAE SUNT IN ASIONGABER, in ipso scilicet portu, priusquam solverent, quæ pœna fuit peccati fœderis facti cum Rege Israel, ut aperte dicitur II. Par. XX. 37.

V. 50. VADANT SERVI MEI, &c. instauratis navibus, navigationis consilio repetito. Sed malo doctus Iosaphat a fœdere abstinuit, quod Deo cordi non esse intelligebat.

TIRINI.

Vers. 2. DESCENDIT IOSAPHAT REX IUDA AD REGEM ISRAEL, occasione recentis amicitiæ & affinitatis paulo ante contractæ: nam Ioram filius Iosaphat filiam Achabi & Iezabelis duxerat uxorem, II. Paralip. XVIII.

V. 11. SEDECIAS, qui inter pseudoprophetas Baal principem tenebat locum, FECIT SIBI CORNUA FERREA. Quibus hieroglyphicis signis designare volebat, duorum istorum taurorum seu Regum in expugnanda Syria eam futuram esse potentiam, ut nihil sit in ea tota ditione quod in illorum potestatem venturum non sit.

V. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, &c. Ironice loquitur Michæas, quod vel ex gestu, vel ex modo illius loquendi statim percepit Achab. Unde gravissime adhuc Prophetam, ut sepositio loco, aperte loquatur in nomine Domini; id est, responsum det quodcumque demum a Deo acceperit.

V. 17. VIDI CUNCTUM ISRAEL DISPERSUM, QUASI OVES NON HABENTES PASTOREM. Indicat moriturum Achab pastorem populi Israelitici, & quidem in primo congressu & certamine, nihilque gravius passurum Israelem a Syris; sed amisso Rege suo, cunctos pacifice ad propria regressuros. Quod ut hic prædictum, ita præcone iubente, & quidem iisdem prorsus verbis vers. 36. completum fuit.

V. 20. QUIS DECIPIET ACHAB? Visio hæc omnis imaginaria fuit, & in sola Prophetæ phantasia. Deinde accommodata fuit hominum captui, qui priusquam quid serium statuant, deliberationem ac consultationem præmittunt, in qua variæ sententiæ dicuntur, varia media proponuntur. Quia ergo decreverat Deus, impium,

pium, ingratum, & poſt nuperam veniam recidivum Achab, violenta morte de medio tollere, ſedere fingitur tamquam iudex, cui & conſiliarii, & lictores neceſſarii ad manum ſint, boni quidem Angeli a dextris, mali a ſiniſtris. De modo tollendi de medio Regem inquiruntur ſententiæ: variis varia ſuggerentibus, mali ſpiritus ſuadent decipiendum Achab, ut bello laceſſat Regem Syriæ, prætextu recuperandæ Ramoth urbis Galaad, nuper quidem promiſſæ, ſed necdum redditæ Iſraeli. Hoc vero belli ſuſcipiendi conſilium ideo urgebant dæmones, quod hac via præter unum Regem, multa inſuper millia (ut fit in bello) interitura ſperarent. Iudex, non reiecto conſilio, rogat, quis id executurus ſit, & qua via? utroque comperto, permittit ita ut fiat. *Egredere*, per me licet, & *fac*, non impediam.

V. 22. DECIPIES, ET PRÆVALEBIS. Sed nolo, præter unum Achabum, quemquam aliorum neci dari: illo occiſo, *revertatur unuſquiſque in domum ſuam.*

V. 30. SUME ARMA, ET INGREDERE PRÆLIUM, ET INDUERE VESTIBUS TUIS. In Hebræo, Chaldæo & Græco eſt: *Sumo arma, & ingredior prælium*; *tu autem induere veſtibus tuis*, &c. Et ita cohærent ſequentia.

V. 31. REX AUTEM SYRIAE (en divinam providentiam, qua parcitum fuit toti reliquo populo) PRAECEPERAT PRINCIPIBUS..... NON PUGNABITIS CONTRA QUEMPIAM, NISI CONTRA REGEM ISRAEL SOLUM. Videtur eo ſpectaſſe Benadad, ut capto Rege Achabo, labem ſibi ante triennium inuſtam, cum captus & precario dimiſſus, libertatem vitamque gratis accepit, ſimili iam modo Achabum, ſi vivum nanciſci potuiſſet, tractando detergeret. Hinc ducibus ſevere indicit, conentur, neglectis aliis omnibus, unum Achabum in ſuam redigere poteſtatem. Suboluit haud dubie imperium iſtud Achabo: quare non regio, ſed vulgari habitu in prælium deſcendit: Ioſaphato affini ſuo regiis armis & inſignibus conſpicuo cedens primas in exercitu adminiſtrando partes. Et hoc quidem ſtratagemate eluſit Syros, ſed divinam ultionem non effugit Achab, incerto telo, & quaſi a ludibundo ſagittario in altum emiſſo, ſed a Deo qui numquam a ſcopo aberrat, in impium pectus directo, miſerabiliter in oculis ſuorum traiectus.

V. 32. ET EXCLAMAVIT IOSAPHAT, utique ad Deum, ut habes II. Paralipom. XVIII. 31. *& auxiliatus eſt ei, atque avertit* Syros *ab illo. Cum* enim, ut ibidem dicitur, *vidiſſent duces equitatus* Regem *Ioſaphat*, dicerentque: *Rex Iſrael eſt iſte*: & ſæpius idem ingeminantes *circumdarent eum* undique, & iam iam potiturі viderentur; ipſe, veriſimiliter inſpirante quem invocabat Deo, perſonam ſuam detexit, clamans ſe non eſſe Regem Iſrael, ſe non eſſe Achab: atque ita defertus a Syris periculum evaſit.

V. 39. DOMUS EBURNEA QUAM AEDIFICAVIT Achab, ſicut Salomon ſupra cap. X. verſ. 18. feciſſe dicitur *thronum de ebore grandem*: & Amos cap. III. verſ. 15. de domo item eburnea prædicit funditus perituram. Non erant hæc ædificia e ſolido ebore, ſed eburneis cruſtis aut tabellis hinc inde ornata, opere vermiculato. Quo ſenſu Plinius, Strabo *a*, Plautus, & alii eburneos vocant lectulos & vehicula, portas & tecta, quia ebore ſectili diſtincta, & cruſtis laminiſque eburneis tecta, auro ſubinde, vel argento, vel marmore interludente.

V. 47. De reliquiis effeminatorum dixi cap. XIV. verſ. 24. De auro Ophir dicam cap. II. Paralip. VIII. verſ. 18. De Tharſis II. Paralip. IX. verſ. 21.

V. 48. NEC ERAT TUNC REX, proprius, CONSTITUTUS IN EDOM. In Hebræo, Chaldæo, & Græco additur, *Sed præfectus*, ſeu gubernator, qui nomine Regis Iuda eos gubernabat. Tunc enim ſuberant Idumæi Iudæis, iam pridem ſubiugati per Davidem II. Reg. VIII. 14. ubi etiam dicitur *præſidium & cuſtodes* ſeu præfectos ex Iudæorum gente conſtitutos fuiſſe in Idumæa: quia (iuxta oraculum Gen. XXV. verſ. 23. *Maior ſerviet minori*) univerſa Idumæa ſerviebat Iudæis uſque ad tempora Ioram filii Ioſaphat, nam regnante Ioram *receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituto ſibi* proprio *Rege*, Iudæorum iugum excuſſit, IV. Reg. VIII. verſ. 20.

(*a*) Plin. Lib. XVI. cap. XLIII. Strabo Lib. XVI. de Arabibus.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 2. & 3. STabat affinitas, quia Ioram filius Ioſaphat Athaliam uxorem habebat filiam Iezabelæ. Ramoth erat trans Iordanem in tribu Gad: in Galaaditide provincia erat altera Ramoth in tribu Iſſachar.

V. 11. CORNUA FERREA. Solebant interdum Prophetæ his, & ſimilibus ſignis uti dum futura prædicebant, & ſignis fere appoſite ad rem futuram. VENTILABIS. χερατιεῖς τῶι Συριαν. Chald. *Occides*.

V. 15. Quod primo reſpondet Michæas falſum eſt; ſed, ut multi ſentiunt, primum ironice locutus eſt; poſtea adiuratus, vere & candide: ironiam ex modo loquendi collegit Achab, adiuratque proinde.

V. 20. QUIS DECIPIET ACHAB REGEM? Cædem ſane ut pœnam Deus omnino hic voluit; at deceptionem tantum permiſit, ut non eſt auctor peccati, quod paſſim docent Theologi, dum agunt de cauſa peccati: hinc illud verſ. 22. *Egredere, & fac ita*, ſolum dat permiſſionem, & conniventiam, quam ſolet aliquoties Scriptura proponere per modum imperii; ac ſi diceretur, Fiat quod futurum eſt. Dici etiam poteſt imperativum poni pro futuro: ſicut Deuter. cap. XXXII. verſ. 49. ubi eſt imperativum *morere*, ſenſus eſt, Morieris in monte. LXX. καὶ τελεύτα, *morere*, & Hebr. explicat per futurum ומות *umuth*, radix מות. Theodoretus vocat proſopopœiam permiſſionis: non quærit conſilium ab alio. Addit Abulenſis poni imperativum de re futura, quatenus Deus futuram rem intuetur ut iam factam. Vide de vi permiſſionis Ezech. XIV. verſ. 9.

V. 25. Repetitio cubiculi deſignat intimum cubiculum, quod eſt ſcilicet ingreſſurus ut abſcondatur.

V. 30. INDUERE VESTIBUS TUIS. Volebat Achab ſpecie honoris vertere periculum in Ioſaphat. Ceterum Rege Achab occiſo Iſraelitæ canunt receptui: nec Syrus eſt eos perſecutus, vel quia dies inclinata erat, vel quia cognitum eſt obiiſſe Achab.

Bib. Sac. Tom. VI.

V. 38. IUXTA VERBUM DOMINI: De hoc dixit Propheta cap. XXI. verſ. 23. & 24. At Achab non eſt mortuus in Iezrahel, ſed in Samaria; vel in agro Samariæ; nec eum comederunt canes. Dici hic poteſt cum aliquibus, canes linxiſſe ſanguinem Achab, ut hic dicitur; idque non extra territorium Iezrahel, quod ad amplificatam Samariam iam pertinere poterat. Ita Vatablus, Lyra, Abulenſis & Hiſtoria ſcholaſtica. Dices: Saltem Achab ex verſ. 37. ſepultus eſt in Samaria, nec proiectus canibus in agro Iezrahel. Reſponderi poteſt, vel eſſe imminutam pœnam illam, de qua cap. XXI. Deo temperante acerbitatem illam, propter pœnitentiam Achab, ut ibidem dixi; vel impletam fuiſſe pœnam in ſanguine filii Achab, quando ex IV. Reg. cap. IX. Ioram filius occiſus obiicitur feris in agro. Huic interpretationi omnino favet textus Hebr. cap. XXI. verſ. 24. המת לאחאב *hameth leachab, qui mortuus fuerit ipſi Achab*; quaſi diceret, ex familia eius.

V. 48. & 49. NEC ERAT REX. Hæc adduntur ad verſ. 47. ut plene conſtet de regni ſtatu ſub Ioſaphat: nam præter alia recenſita a tempore Davidis ad Ioram hunc filium Ioſaphati, conſtitui ſolebat dux Iudæus qui præeſſet Idumæis. At defecerunt ſub Ioram ex IV. Reg. VIII. 20.

V. 49. ASIONGABER portus eſt maris rubri.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. DE MANU REGIS. Hinc apparet Regem non ſtetiſſe promiſſis (de quibus cap. XX. verſ. 34.) de urbibus reſtituendis.

V. 8. REMANSIT, in Samaria ſcilicet: nam alibi erant Elias, Eliſeus, &c.

V. 11. VENTILABIS: cornu petes, & evertes.

V. 19. ILLE VERO, Michæas.

V. 21. Prophetæ repræſentatur res per modum conſultationis.

V. 34. INTER PULMONEM ET STOMACHUM. At II. Paralip. XVIII. verſ. 33. *inter cervicem & ſcapulas*. Sane vulnus videtur utramque partem corporis attigiſſe, forte ab inferiore loco proiecta ſagitta.

V. 44. NON ABSTULIT. At II. Paral. XVII. dicitur abſtuliſſe? Certe plurima

abſtulit; & ſaltem ea in quibus immolabatur idolis.

V. 49. CONFRACTAE, in portu, ſeu ſtatione: pœna peccati & fœderis cum Rege Iſrael.

V. 50. VADANT, reſtauratis navibus.

LIBER REGUM QUARTUS, QUI HEBRAICE DICITUR MELACHIM SECUNDUS.

Hoc libro acta Regum Iſrael & Iuda uſque ad utriuſque regni excidium & ad captivitatem Babylonicam continentur.

CAPUT PRIMUM.

Ochozias Rex Iſrael ſuper ægritudine ſua Beelzebub conſulere volens ab Elia increpatur, ac morituras prædicitur: duos quinquagenarios principes ad Eliam miſſos ignis cæleſtis devorat cum ipſorum militibus, tertio principe ſua modeſtia ſervato, cum quo Elias ad Ochoziam deſcendit: cui mortuo, ſuccedit frater Ioram.

1. PRævaricatus eſt autem Moab in Iſrael, poſtquam mortuus eſt Achab. 2. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotavit: miſitque nuntios, dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. 3. Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & aſcende in occurſum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron? 4. Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. Et abiit Elias. 5. Reverſique ſunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reverſi eſtis? 6. At illi reſponderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini ad Regem, qui miſit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Iſrael, mittis ut conſulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. 7. Qui dixit eis: Cuius figuræ & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis, & locutus eſt verba hæc? 8. At illi dixerunt: Vir pilоſus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites eſt. 9. Miſitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eum: ſedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, Rex præcepit ut deſcendas. 10. Reſpondenſque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & devoret te,

& quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo. 11. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit Rex: Festina, descende. 12. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta eius. 13. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas servorum tuorum qui mecum sunt. 14. Ecce descendit ignis de cælo, & devoravit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro ut misereris animæ meæ. 15. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad Regem, 16. & locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 17.* Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnavit Ioram frater eius pro eo, anno secundo Ioram filii Iosaphat Regis Iudæ: non enim habebat filium. 18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Israel?

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO. | in *autem*.

V. 17. *Mortuus est ergo*. Non mutes *ergo*

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. PRAEVARICATUS EST: scilicet defecit ab Israel, nolens ei pendere solitum tributum. Vide cap. III. Chald. *Rebellaverunt Moabitæ.*

V. 2. CANCELLOS, scilicet senestræ. COENACULI, id est tabulati superioris. BEELZEBUB, id est *dominum muscæ*: scilicet ita dictus ob muscarum copiam orientium ex sanguine hostiarum: vel, ut quidam volunt, quod pernicios aliquando musceis regionem liberasset. Sunt qui dicant *Beelzebub* appellatum, quasi *idolum muscam*: Accaronitas enim muscam coluisse. *Baal* quidem *idolum*, *zebub*, *musca*.

V. 8. PILOSUS, scilicet capillo oblongo, & horrido.

V. 9. HOMO DEI. Ironice.

V. 13. GENUA. Hebr. Chald. & LXX. *se super genua*. CONTRA, id est ante: ANIMAM, id est vitam, seu me.

V. 17. FRATER EIUS. Id acceptum ex LXX. nam Hebr. non est, nec Chald. SECUNDO, scilicet regni solius, nam cum patre Iosaphat annis fere novem. Vide inf. cap. III.

ESTII.

Vers. 10. SI HOMO DEI SUM; DESCENDAT IGNIS DE CAELO; ET DEVORET TE, ET QUINQUAGINTA TUOS. Quinquagenarius vocabat quidem eum hominem Dei, dicens: *Homo Dei, Rex præcepit ut descendas.* Sed intellexit Elias per spiritum Dei, quod eum ita vocaret, non hoc revera sentiens, sed derisorie; quasi dicat: Qui dicis te esse hominem Dei, & talem te iactitas? Hinc sci-

scilicet Elias respondet: *Si homo Dei sum*, scilicet secundum veritatem, quem irrisorie vocas hominem Dei, *descendat ignis de cælo*. Neque hac in re præter iustitiam, aut rectæ rationis regulam aliquid factum est ab Elia quod Faustus Manichæus obiicit Augustino: quia simile exemplum quoque habemus in Apostolo Petro, qui instincto Spiritus sancti mortis sententiam pronuntiavit in Ananiam, & Saphiram uxorem eius, Act. v. videlicet ut sciat homo non minus iustitiam Dei formidandam esse, quam sperandam misericordiam.

Sed quæres: Cur igitur reprehensi sunt a Domino Iacobus, & Ioannes, cum, Samaritanis eum non recipientibus, dicerent: *Domine, vis dicamus ut ignis descendat de cælo & consumat illos*? Lucæ IX. Respondit enim eis Christus: *Nescitis cuius spiritus estis*. Respondeo itaque & ego, eos reprehensos fuisse, tum quia privato vindicandi studio magis movebantur, quam zelo iustitiæ; unde dicitur eis, *Nescitis cuius spiritus estis*: tum quia Christus agens in terris, quoniam propter salutem hominum descenderat de cælis, magis debuit factis suis clementiam & patientiam, quam iustitiæ & vindictæ, etsi iustæ, severitatem ostendere. Unde consequenter dicit: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Adde quod Elias non absque speciali iussu Dei vocavit ignem de cælo, consumpturum malos, ut satis innuitur in textu. Nam tertia vice Angelus monet eum, ut descendat, nimirum idem ipse qui semel & iterum suggesserat ut contra quinquagenarios irrisores vindictam cælestem invocaret. Petrus quoque eodem spiritu incitante, mortis sententiam denuntiat in sacrilegos, quo suggerente scelus eorum cognoverat. Et expediebat tali exemplo semel Apostolicam auctoritatem stabilire, simul & magnitudinem illius peccati (id est proprietatis in hominibus vitam communem professis) declarare, utpote quæ pestis erat futura cænobiorum, ac vitæ cænobiticæ. Vide divum Thom. II. II. quæst. CVIII. art. 1. ad 4. ubi factum hoc Eliæ defendit, & ostendit recte factum esse, quia iniuria redundabat in Deum, &c.

MARIANAE.

Vers. 2. CONSULITE BEELZEBUB. Id Ochozias præcipit, cum e cœnaculo cecidisset. Hebr. *Inquirite in Beelzebub*. Porro *Beelzebub* significat *deum muscæ*, sive quia muscæ figura erat, sive quod aliquando abegerit muscas ex provincia, quomodo macellum Neapoli extitisse affert ex Helinando Abulensis initio Comm. in Gen. ubi nulla musca esset. Sive a multitudine muscarum sic dicitur ad sacrificia confluentium. Profecto celeberrimum idolum erat, quando in Evangelio dicunt Iudæi Matth. XII. vers. 24. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia*. Occurrit Elias nuntiis. Rex de illo rogat:

V. 7. CUIUS FIGURAE ET HABITUS? Hebr. *Quod iudicium viri*: sic Sept. id est, quod decretum, quo tenduntur eius verba. Iam audierat, sed repeti vult: illi de habitu respondent. Chald. *Quæ dispositio*: eo etiam Hieronymus respexit.

V. 9. HOMO DEI. Ironice dictum videtur a duce, quem ad Eliam misit Ochozias.

V. 11. FESTINA, DESCENDE. Hebr. *Cito descende*. Tertius dux ad Eliam missus

V. 13. CURVAVIT GENUA. Hebr. *Curvavit se super genua*. CONTRA, id est coram Elia. Obsecro,

V. 14. UT MISEREARIS ANIMAE MEAE. Hebr. *Et nunc fit in pretio anima mea in oculis tuis*, id est vitam mihi dona. Elias ad Regem. Misisti ad Beelzebub, quasi non esset Deus,

V. 16. A QUO POSSES INTERROGARE SERMONEM. Hebr. *Quasi non esset Deus ad inquirendum in verbo eius*, id est ipso invocato, nomineque eius. Obiit Rex, & regnavit

V. 17. IORAM FRATER EIUS. Sept. *frater Ochoziæ*. Hebr. *Et regnavit Ioram pro eo*: sic Chald. Sed vere *Ioram* frater illius erat, ideo in interpretatione additur *frater eius*. ANNO SECUNDO, ex quo Ioram filius Iosaphat regnare cœpit cum patre Iosaphat, cum quo regnavit novem annis, cap. III. initio. Itaque Iosaphat regnavit annis viginti quinque. Anno 17. completo, cœpit cum eo regnare Ioram eius filius: anno vigesimo mortuus est Ochozias Rex Israel, & Ioram frater eius cœpit

pit regnare, nempe anno ſecundo alterius Ioram Regis Iuda. NON ENIM HABEBAT FILIUM. Reddit rationem cur Ioram ſucceſſerit, quoniam Ochozias filium non habuit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PRAEVARICATUS EST AUTEM MOAB IN ISRAEL. Alii reddunt: *Defecit autem Moab ab Iſraele*: quem ſcilicet domuerat, & ſubiugaverat David, II. Samuel. VIII. verſ. 2. Vide infra cap. III. verſ. 5.

V. 2. PER CANCELLOS COENACULI SUI. De voce שבכה *ſebachah* diximus in I. Reg. VI. 17. Hic varie convertunt: 1. *per cancellum in cœnaculum ſuum*; 2. *per retiaculum ſuperioris cubiculi ſui*; 3. *per quemdam clathrum in cœnaculo ſuo*. Quidam feneſtram intelligunt, quæ obſtructa erat lignis, & virgis ferreis cancellatim & tranſverſim intextis. Fortaſſe intelligit id quod Hiſpanice dicimus *balcon*. Hiſpanicus Interpres: *Y Ochozias cayo por las rexas de una ſala de la caſa que tenia en Samaria*. Alii aiunt fuiſſe opus reticulatum, & per modum crucis formatum, ut in cœnaculis ſuperioribus fieri ſolet per ligna cancelli, per quos lux in inferiora decidat habitacula, quï cum in aula Regis vetuſtate emarcuiſſent, & Rex ſuper eos graderetur, fractis illis, ipſe deorſum gravi coliſione cecidit. ET AEGROTAVIT. Ac proinde nihil contra Moabitas tentare potuit: quod tamen poſtea præſtitit Ieroham eius ſucceſſor, infra cap. III. verſ. 4. & 5. BEELZEBUB DEUM ACCARON. בעל-זבוב *baghal-zebub* ſignificat *dominum*, *patronum*, *herum*, *deum muſcæ*. Plerique volunt fuiſſe *Myiagron*, ſeu *Myiodem*, aut *Myiothem*, vel *Apomyion deum muſcarum*; ſeu interfectorem, interemptorem, abactorem muſcarum, de quo Plinius Lib. I. cap. XXVIII. & Lib. XXIX. cap. VI. Solinus cap. II. Pauſanias in Arcadicis, ſeu Lib. VIII. num. 258. Alii *deum muſcæ* dictum volunt, quod idola non eam vim haberent a ſacrificiis quæ ſibi immolabantur, muſcas abigendi, ut fiebat in ſacrificiis Domini. Verum iam id nomen pudendum non ipſi Accaronitæ, ſed Scriptura ei idolo indidiſſet. Plures *deum muſcam* interpretantur, quod formam & ſpeciem ingentis muſcæ haberet. Ita LXX. *Baal muſcam deum Accaron*, dixerunt. Ioſephus: *Ad Accaronem, deum muſcam* (*hoc enim nomen deo*) *oraculum ſciſcitaturus mitteret*, &c.) S. Gregorius Nazianzenus invectiva II. in Iulianum: *Nec muſcam quærent deum Acharon, aut ſi quid ea magis eſt ridiculum*. S. Philaſtrius de Hæreſibus cap. XIII. *Muſcam colunt in civitate Accaron, ut in Regnorum Libro ſcriptum eſt: ſicut Rex Ochozias languens miſerat ad muſcam Accaron*. Vide hic Theodoretum, & Procopium. Nonnulli Baal-Zebub volunt eſſe Plutonem, ſeu Iovem ſtygium, & infernum Iovem. Sed neſcio, qua freti ratione. Ioſephus Scaliger divinat, hunc Accaronitarum deum appellatum Bahal-Zebahim, deum victimarum, immolationum, ſacrificiorum: ioculari tamen vocabulo Scripturam vocare eum *deum muſcæ*, quod in templo Ieroſolymitano muſcæ carnes victimarum non liguriebant, cum tamen gentium fana a muſcis infeſtarentur propter nidorem victimarum. Quaſi vero non ob eamdem rationem omnia idola eſſent appellanda *Bahal-Zebahim*, & *Bahal-Zebub*. Nec omiſerim, *Bahal-Zebub* poſſe exponi *deum fluxus*, aut *deum pudendi virilis*, quod *zub*, & *zubub* id Arabice ſignificet, ut forte Priapum indicet. De Bazal-Zebub plura non addimus, quod latiſſime de eo diſſeruerimus Lib. VII. de Antichriſto, cap. IV. UTRUM VIVERE QUEAM. Hebr. *Si vivam*. Quidam: *An convaleſcam*. Alii: *Simne convaliturus*. Nonnulli: *An ſanitatem recepturus ſim*. Sic Numer. XXI. verſ. 8.

V. 3. NUMQUID NON EST DEUS IN ISRAEL. Hebr. *An de neutiquam non Deus in Iſraele?* Quidam: *Nonne ob non eſſe Deum in Iſraele?* id eſt, nonne propterea quod nullus opinione veſtra ſit Deus in Iſraele. Sive, an eo quod Rex veſter non putat ullum eſſe Deum in Iſraele. Alii: *An propterea quod non eſt Deus in Iſraele*. Duæ negationes hic ſignificatum intendunt. Sic verſ. 6. & 16.

V. 4. ET ABIIT ELIAS. Quidam exponunt: Admirabili modo diſparuit: unde putaverunt legati fuiſſe aliquem Angelum Domini, alioqui enim non deſtitiſſent a cœpto itinere. Alii: Id eſt, poſt executionem mandati accepti, abiit in verticem montis.

V. 7.

V. 7. CUIUS FIGURAE ET HABITUS EST VIR? Hebr. *Quid iudicium viri?* Quidam: *Quæ diſpoſitio viri?* vel *qualis eſt diſpoſitio viri?* Alii: *Quis habitus fuit huius viri?* ſeu *illius viri?* Notant quærere Regem de forma vel habitu veſtimentorum eius, ut ex legatorum mox reſponſione apparet.

V. 8. VIR PILOSUS. Hebr. *Dominus pili.* Exponunt, id eſt amictus villoſa veſte, ſeu pilis ſuffulta. Vide I. Reg. XIX. 19. & Geneſ. XXVII. 23. utebantur enim Prophetæ eiuſmodi veſte honoratiore. Alii non ad veſtem, ſed ad corpus referunt, quod Elias ipſe corpore pilоſus, villoſus, & hirſutus eſſet, qualis Eſau, & plures alios videmus.

V. 9. QUINQUAGENARIUM PRINCIPEM. Hebr. *principem quinquaginta*, ſubaudi virorum. Quidam, *præfectum quinquaginta hominibus*. LXX. *pentecontarchon*. Sic inf. verſ. 10. 11. 13. 14. ET QUINQUAGINTA, QUI ERANT SUB EO: nimirum ut vel invitum ac repugnantem Eliam ad ſe traherent, tamquam miniſtri iniuſtitiæ Regis. Quamobrem non prius ad Regem deſcendit, quam tertia legatione audita, ſit ab Angelo confirmatus, inf. verſ. 15.

V. 12. DESCENDIT ERGO IGNIS. (Hebr. DEI) DE CAELO, id eſt ignis acerrimus & vehementiſſimus immiſſus a Deo de cælo. Vox *Dei* apponitur ad vehementiam & magnitudinem rei declarandam. Non eſt appoſita ſupra verſ. 10. quia tunc ignis non fuit adeo vehemens, ut hic in hunc, qui gravius & contumacius peccavit, haud motus prioris exitio & exemplo.

V. 13. NOLI DESPICERE ANIMAM MEAM. Hebr. *Pretioſa ſit, obſecro, anima mea*, vel *vita mea*; id eſt, caram & pretioſam habeas vitam meam: parce vitæ meæ: ne me perdas, ut duos perdidiſti. Solemus parcere rei caræ. Sic Pſalm. CXV. verſ. 15. *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*; id eſt, caram habet eorum vitam, nec temere ſinit eos interfici. Sic verſ. 14.

V. 17. ET REGNAVIT IORAM FRATER EIUS PRO EO. Hebr. non eſt *frater eius*; ſed revera fuit frater eius, infra cap. III. verſ. 1. ANNO SECUNDO IORAM FILII IOSAPHAT. Exponunt fere omnes: *Anno ſecundo*, nimirum ex quo Ieroham gubernare cœpit, vivente adhuc patre, ut Prorex, qui fuit annus decimus octavus Iehoſaphati, infra cap. III. verſ. 1. Confer cum I. Reg. XXII. 42. & infra II. Reg. VIII. 16.

V. 18. RELIQUA AUTEM .... NONNE HAEC SCRIPTA SUNT? &c. Vide I. Reg. XIV. verſ. 19. & cap. XI. verſ. 41. ibidem.

MENOCHII.

Verſ. 1. PRAEVARICATUS EST MOAB IN ISRAEL; id eſt, deſierunt Moabitæ velle pendere ſolitum Iſraelitis tributum. Vide cap. III. Chaldæus habet: *Rebellaverunt Moabitæ.*

V. 2. PER CANCELLOS COENACULI SUI. Pagninus vertit: *Cecidit ex cancellis in cœnaculum*, per feneſtram ſcilicet cancellatam, per quam cœnaculum lumen accipiebat. Cancelli dicuntur fuiſſe cœnaculi, quia feneſtram cœnaculi muniebant. Vel cancelli ſignificant coronam, ſive peribolum, qui circa ſolarium poni ſolebat ex legis præſcripto Deuter. XXII. 8. quod ſi ita fuit, non in cœnaculum deciderit, ſed vel in hortum, vel in impluvium. BEELZEBUB. *Beelzebub*, ſive *Baalzebub*, *dominus muſcæ* vertitur, Deus amoliens lethales, & perniciоſiſſimas muſcas, quæ incolas agri Accaronici infeſtabant, ut ait Vatablus, qui addit alios rationem nominis ſumere a copia muſcarum, quam hoſtiarum copioſiſſimus ſanguis gignebat. LXX. Βααλμύιαν, id eſt *muſcam Baal*, appellant. De Beelzebub vide plura apud Ioan. Ferdinandum in voce Beelzebub num. 3. DEUM ACCARON, quæ eſt civitas Philiſthæorum, & una de quinque præfecturis illorum.

V. 5. REVERSIQUE SUNT NUNTII AD OCHOZIAM. Cum audiſſent Eliam ſibi enuntiantem quo irent, & qua de cauſa irent, etiamſi illum non noſſent, tamen Dei Prophetam eſſe, & veritatem enuntiare crediderunt. Vel etiam ſimul timuerunt ne, quia Ochozias mortis reus factus erat quod miſiſſet in Accaron, ipſi quoque eiuſdem pœnæ participes fierent, ſi porro pergere vellent.

V. 8. VIR PILOSUS. In Hebræo eſt *dominus pili*: quod nonnulli ad pilos capitis

pitis, & barbæ referunt, ut Chaldæus, qui *præditum capillis* vocat. Sa, capillo oblongo, & horrido, promissa nimirum cæsarie, barbaque. Eremitarum in morem. Alii de villosa veste interpretantur: respondebant enim nuntii Regi quærenti quis illius esset habitus. Alii tandem ad utrumque referunt, vestem scilicet, & corpus. ZONA PELLICEA. Alii vertunt *zonam coriaceam*, qualis illa Ioan. Baptistæ, quam sacer textus διφθέρινον appellat, & Latinus Interpres apud sanctum Matthæum, & Marcum, *pelliceam* vertit.

V. 9. QUINQUAGENARIUM PRINCIPEM, scilicet præfectum supra quinquaginta milites. ASCENDIT AD EUM. Ait Vatablus Eliam in Carmeli verticem Regis metu ascendisse. HOMO DEI. Procopius, Vatablus, Serarius, & alii putant per ironiam vocatum a quinquagenario Hominem Dei, quam expositionem pœna mox subsecuta probabilem reddit. REX PRAECEPIT UT DESCENDAS. Accersebat Rex Eliam, aut interficere eum volens, aut cogere ad impetrandam sibi a Deo vitam. Id enim credibile visum fuerit prophano Regi.

V. 10. DESCENDAT IGNIS DE CAELO. Non ex cupiditate vindictæ, sed peculiari divino instinctu ita precatus est Elias.

V. 11. MISIT PRINCIPEM QUINQUAGENARIUM ALTERUM, cum scilicet primus ille non rediret, & quid illi accidisset ignoraretur, Rexque desiderio flagraret habendi Eliam in potestate.

V. 13. PRINCIPEM QUINQUAGENARIUM TERTIUM: quem Abdiam Achabi procuratorem fuisse scribit Ioan. Ierosolymitanus cap. XV. quem ex aulico discipulum Eliæ factum fuisse ait, & prophetico spiritu donatum. CURVAVIT GENUA ANTE ELIAM. Iam enim duplicis miraculi fama pererebuerat, illumque timore perculerat.

TIRINI.

Vers. 1. PRAEVARICATUS EST MOAB. Chald. *Rebellarunt Moabitæ* Israeli. Diviso regno Israelitico sub Roboamo, divisæ quoque fuerunt regiones quas Rex David *a* & Salomon fecerant sibi vectigales: & Moabitæ quidem Ieroboamo, ceterisque Regibus Israelis *b* tributa pendebant, de quibus inf. cap. III. vers. 4. Idumæi vero Regibus *c* Iuda. Sed acciis paulatim utriusque regni viribus, maxime a nupera Syrorum expeditione, quando Achab occubuit, & Iosaphat re infecta domum regressus est, cœperunt & Moabitæ *d* Israeliticum, & Idumæi *e* Iudaicum iugum excutere.

V. 2. OCHOZIAS filius, & successor Achab CECIDIT PER CANCELLOS COENACULI SUI. En incipit vindicta sumi de posteris Achab. Vix regnum inierat Ochozias, & pene fractis cervicibus, sine liberis moritur. *Cœnaculum* pars est domus sublimior, eaque vel tecto operta, ut apud Hispanos, & Italos, ceterosque Europæos; vel sine tecto sub dio, ut apud Palæstinos, omnesque Asianos: dicitur que latine *solarium*, vel *doma*, vel *tectum*, Græce ὑπερῶον. Huic circumcirca inducere solebant, & vero Iudæis ut inducerent præceptum erat Deuter. XXII. 8. cancellos, seu murum cancellatum qui deambulantibus in tecto pro lorica erat, & incautos vendicabat a lapsu. Ita S. Hieronymus *f*, Sanctius, & alii.

V. 3. BEELZEBUB, id est *dominus muscæ*, vel *deus muscarum*: quod muscas locis istis admodum frequentes, & infestas, arcere crederetur: qui Græcis, teste Pausania, ἀπομυῖος & μυαγρος, & Plinio *Myiodis*, id est *Iupiter muscarius* dicebatur; sicut Apollo, teste eodem Pausania, *Parnopius* vocabatur & *Smintheus*, quod parnopas, id est *culices*, & sminthas, id est *mures* Cretenses idiomate, ab illis finibus arcuisset. Porro hunc Beelzebub, Plinius subinde etiam *Achorem g*, quasi *Accaron* deum vocat, quia in Syria nomen istud notius vulgo erat, quod deus ille in Accarone solemnius coleretur. Verosimile ergo est, deum hunc muscarium non alium esse quam qui erat aliis Gentilium populis Iupiter, ut dixi Iudic. II. 13. & fuse probat Lilius Gyraldus. Quare cum Iupiter princeps censeretur deorum, nihil mirum si muscarum deus Beelzebub Matth. XII. & Lucæ XI. vocetur *princeps dæmoniorum*.

V. 8. VIR PILOSUS, non solum alienis pilis, nempe ovina pelle, & zona pellicea, sed etiam propriis: cum enim eremita vitam profiteretur non urbanam & cul-

cultam, ſed ſilveſtrem & aſperam, ſinebat excreſcere incompoſitam cæſariem & barbam. Ita Gregorius Nyſſenus *b*, Hugo, Emanuel Sa, & Sanctius. Quia vero multis poſt ſæculis etiam Ioannes Baptiſta ſimili & veſte, & victu, & zelo prodiit quo Elias, idcirco etiam nomine Eliæ compellatur a Chriſto, & *in ſpiritu ac virtute Eliæ i* veniſſe affirmatur. Neque enim magis ille timuit Herodem, & Herodiadem, quam hic Reges Achab, Ochoziam vel Iezabelem. Ita Theodoretus, Ioannes Epiſcopus Ieroſolymitanus, Caſſianus *k*, Dionyſius, Abulenſis, & Lyranus.

V. 10. SI HOMO DEI SUM, DESCENDAT IGNIS DE CAELO; quaſi dicat: Vos me ironice hominem ſeu ſervum illius Dei eſſe dicitis, quem nihil poſſe exiſtimatis; ſed reipſa experiemini iam, terribilem illum atque omnipotentem eſſe: nam ignem de cælo in vos immittet, quo blaſphemos momento abſumet. Ita Lyranus, Dionyſius, Hugo, Caietanus, & Emanuel Sa.

V. 13. Tertius quinquagenarius princeps CURVAVIT GENUA. Ex multorum ſententia, quam in proœmio Abdiæ Prophetæ examinabimus, hic exiſtimatur fuiſſe Abdias ille, qui centum Prophetas gladio Iezabelis ſubtraxit, ut dixi III. Reg. XVIII. 3. Sed quiſquis fuit ille, certe prudens fuit, qui maluit ſupplex orare Eliam, quam pro imperio iubere, ut ad Regem accedat. Interim Deus iratum Regis animum, & Iezabelis, utique Regi filio ſuo in tanto vitæ periculo coram adſtantis, immane in Prophetam odium furoremque compeſcuit, ne quid durius in adventantem Eliam ſtatuere, vel proloqui auderent, quin potius minas reprehenſioneſque illius acerrimas æquis auribus exciperent.

(*a*) I. Reg. VIII.
(*b*) IV. Reg. III. verſ. 4.
(*c*) II. Paralip. XXI. verſ. 8.
(*d*) Hic & cap. III. verſ. 5.
(*e*) IV. Reg. VIII.
(*f*) S. Hieron. epiſt. CXXXV. ad Suniam & Fretell. Pauſanias in Arcad. & Atticis. Plin. Lib. XXIX. cap. VI.
(*g*) Plin. Lib. VIII. cap. XXIX.
(*h*) Nyſſen. de laudib. Baſilii.
(*i*) Lucæ I. verſ. 17.
(*k*) Ioannes Ieroſol. cap. XXXVII. Caſſian. Inſtitut. Lib. I. cap. II.

GORDONI.

Verſ. 17. ANNO SECUNDO IORAM FILII IOSAPHAT. Obſcura hic apparet annorum ratio: ac primo quia IV. Reg. VIII. 16. hæc habentur: *Anno quinto Ioram filii Achab Regis Iſrael, & Ioſaphat Regis Iuda, regnavit Ioram filius Ioſaphat Rex Iuda.* Certe quidam vertunt Hebr. *Cum Ioſaphat eſſet Rex Iuda.* Quidam Latini codices nil habent de Ioſaphat. Ita etiam legit Toſtatus. In Bibliis regiis, Græcis, & Latinis non ſunt; at ſunt in Hebræo, & Græco Sixti, cuius Latinus Interpres putat redundare. Verum explicatur concordia temporum ex diagrammate Regum ſupra poſito *, & conſiderando tum Ochoziam regnaſſe cum patre, tum Ioramum Iudaicum itidem cum patre vocatum Regem, ut occurrebant nova bella, novæque occaſiones, aut proxima mors patris. Atque hinc vides ex diagrammate Ioram Iudaicum regnaſſe anno quinto alterius Ioramí; & quomodo etiam regnare potuiſſet anno quinto patris ſui Ioſaphat, quod attigi in Chronolog. Qq. cap. XI. num. 6. Sane ſi nominatus fuit Rex etiam illo quinto anno patris ſui, ſic omnino regnaſſet viginti annis cum patre, & octo annis ſolus. Tota res eo reducitur quod non ſemper notet Scriptura annos chronologicos, ſed aliquando hos, aliquando alios: nec novum eſt, filium ſæpius nominari & approbari Regem. Bis Saul unctus eſt, & ſæpe David Rex receptus. Iterum de hac re ad cap. III. verſ. 1. & cap. VII. verſ. 16. Certe Ioram Iudæus ſecundum Rex vivente patre nominatus videtur, quia mors patris non longe aberat: ut vides in Salomone.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 1. PRAEVARICATUS EST. Deſiit pendere ſolitum tributum Iſraelitis. Vide cap. III.

V. 2. PER CANCELLOS. Aliqui intelligunt peribolum ſolarii, de quo Deut. XXII. verſ. 8.

V. 9. QUINQUAGENARIUM. Præfectum ſupra quinquaginta milites mittitur ad Carmelum montem, ubi erat Elias.

V. 10. Hoc non dicit ex vindicta; ſed nuntians quid Deus facturus erat.

* Vide in Prolegomenis.

CAPUT II.

Eliseus individuus Eliæ comes, Iordanem, aqua Eliæ pallio divisa, cum illo transit; Elia autem in cælum igneo curru rapto, duplicem eius spiritum accipit, ac pallio Eliæ rursum Iordanis aquas dividit. Elias quæsitus non invenitur, aquæ Iericho ac terræ sterilitas immisso per Eliseum sale sanantur: puerique Eliseum irridentes, ab ursis lacerantur.

1. FActum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis. 2. Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel, 3. egressi sunt filii Prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit: Et ego novi: silete. 4. Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me in Iericho. Et ille ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Iericho, 5. accesserunt filii Prophetarum, qui erant in Iericho, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: silete. 6. Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Iordanem. Qui ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, 7. & quinquaginta viri de filiis Prophetarum secuti sunt eos, qui & steterunt e contra, longe: illi autem ambo stabant super Iordanem. 8. Tulitque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo per siccum. 9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. 10. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. 11. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque: & (*a*) ascendit Elias per turbinem in cælum, 12. Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. 13. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam Iordanis, 14. & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt divisæ, & dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & divisæ sunt huc atque illuc, & transiit Eliseus. 15 Videntes autem filii Prophetarum, qui erant in Iericho e contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum eius, adoraverunt eum proni in terram, 16. dixeruntque illi: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere. 17. Coegeruntque eum, donec acqui-

acquieſceret, & diceret: Mittite. Et miſerunt quinquaginta viros: qui cum quæſiſſent tribus diebus, non invenerunt. 18. Et reverſi ſunt ad eum: at ille habitabat in Iericho, & dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere? 19. Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliſeum: Ecce habitatio civitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe domine perſpicis: ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. 20. At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent, 21. egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. 22. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc, iuxta verbum Eliſei, quod locutus eſt. 23. Aſcendit autem inde in Bethel: cumque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende calve, aſcende calve. 24. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 25. Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reverſus eſt in Samariam.

(a) I. Macch. II. 58. Eccli. XLVIII. 13.

COMMENDARIA

SA.

Verſ. 2. SEDE, id eſt mane.

Verſ. 3. FILII. Chald. *diſcipuli*. Forte ita vocantur Prophetæ, ut homines *filii hominum*, & Homero Achivi, *filii Achivorum*. Vide inf. cap. IV.

V. 5. NOVI, ſcilicet Dei revelatione.

V. 6. SEDE HIC: ſcilicet volebat facere periculum amoris erga ſe Eliſei.

V. 7. SUPER, id eſt iuxta.

V. 9. DUPLEX, id eſt magnus, ſeu eximius. Sept. *dupliciter*. Alii, *duæ partes ſpiritus tui*; quaſi dicat, Bona pars.

V. 11. TURBINEM, ſcilicet ſimul cum curru: vel currus tantum diviſerat ab Eliſeo, non ſuſtulerat. CAELUM, id eſt aerem. Ubi vero deinde collocatus, incertum: in Paradiſo terreſtri putatur a multis.

V. 12 AURIGA. Hebr. *equites*. Sept. *eques*. Chald. *Qui plus proderat Iſraeli oratione ſua, quam currus & equites*. SCIDIT ſcilicet præ mœrore.

V. 14. ETIAM NUNC? ſcilicet cum tantopere opus eſt eius auxilio. Hebr. *Etiam ipſe*.

V. 15. E CONTRA, id eſt e regione.

V. 16. QUI POSSUNT IRE, ET QUAERERE. Hebr. & Chald. *Eant, quæſo, & quærant*. Sept. *Euntes iam quærant*.

V. 17. AQUIESCERET. Heb. & Sept. *erubeſceret*, ſcilicet negare.

V. 19. STERILIS, id eſt inſalubris. Hebr. & Chald. *orbatrix*; quaſi dicat, interficiens.

V. 21. SANAVI, id eſt reddidi ſalubres.

V. 24. IN NOMINE DOMINI, id eſt invocato Dei nomine. LACERAVERUNT. Ita puniti parentes qui filios illa docuerant. Iuſtinus quæſt. LXXX. Auguſtinus ſerm. CCIV. de Tempore.

ESTII.

Verſ. 9. & 10. POSTULA QUOD VIS UT FACIAM TIBI. DIXITQUE ELISEUS: OBSECRO UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. Quidam hoc ſi exponunt: Fiat, id eſt præſta, ut duæ partes tui ſpiritus, diviſi in tres partes, ſint mecum, id eſt ut habeam duas tertias tui ſpiritus; quaſi dicat, ex quadam modeſtia: Non cupio eſſe tantus quantus tu es; ſed ſufficit mihi, ſi de tribus partibus ſpiritus tui, duas habeam. Verum huic parum conſentit quod ſubiicit Elias: REM DIFFICILEM POSTULASTI: quia illa petitio Eliſei modeſta fuiſſet. Hebræi fere hoc modo: Fac ut habeam ſpiritum tuum duplicatum, id eſt duplo maiorem quam

tu habeas. Id probant; quia duplo plura miracula legitur Eliseus fecisse quam Elias. Nam Elias fecit octo, Eliseus vero sexdecim. Huic sententiæ obiicitur illud ex Evangelio Matth. x. *Non est discipulus supra magistrum*. Et proinde temeraria & arrogans videretur Elisei petitio.

Idcirco Christiani expositores hanc fere interpretationem sequuntur; ut Eliseus petierit sibi donari duplicem spiritum; id est, duplicem gratiam spiritus quæ erat in Elia, nimirum gratiam miraculorum, & gratiam prophetiæ: quæ quidem sunt distincta dona Spiritus sancti, teste Apostolo I. Corinth. XII. Atque ita non aliud petivit, quam ut magistro suo similis esset. Hunc sensum reddit Glossa ordinaria. Interim Lombardus I. Sententiarum distinct. XVII. ex Augustino tract. LXXIV. in Ioannem, secundam sententiam probare videtur. Quam & Rupertus tradit Lib. II. in Matth. & talem petitionem Elisei a præsumptione excusat his verbis: *Illi maxime laudabiles sunt, qui dilectionis instinctu ob salutem proximorum semetipsos offerunt, sicut & Eliseus se offerens, Oro, inquit, ad Eliam, ut duplicia quæ tu fecisti, signa possim facere, per quæ commoveatur populus, & non obliviscatur dicere illud, quod te agente dixit, Dominus ipse est Deus*. Sententia certe non improbabilis. Cui etiam accedit, quod sub Elia fames fuit trium annorum, & sex mensium, sub Elisæo dupla, scilicet septennis, etiam ab ipso prædicta, ut sequitur cap. VIII.

V. 11. ET ASCENDIT ELIAS PER TURBINEM IN CAELUM, videlicet in cælum aereum; sed ita ut alibi demitteretur in terra conservandus in vita, usque ad tempora novissima. De hoc sic Eccli. XLVIII. *Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis*. Et conversio ad ipsum Elisæum sermone, post alia: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob*. Et similia sunt Malach. IV. ad quem locum Ecclesiastici videtur respexisse. Gregorius in homilia de ascensione Domini, dicit eum in secretam quamdam terræ regionem ductum. Utrum autem ibi pascatur, an sine cibo conservetur, vide Augustinum dubitantem, Lib. de peccato orig. XIX. cap. XXIII. An sit in paradiso illo ex quo eiectus Adam, vide Genes. II. 8.

MARIANAE.

Vers. 1. CUM LEVARE VELLET Eliam Deus. Hebr. *Cum ascendere faceret*: sic Chald. sed bene additur, *cum vellet*: ea est loci sententia. Dixit Elias Elisæo:

V. 2. SEDE HIC; pro, mane hic. Voluit Elias experiri quo eum amore Eliseus prosequeretur.

V. 3. TOLLET DOMINUM TUUM A TE. Id filii Prophetarum ad Eliseum. Hebr. *Tollet desuper capite tuo*, id est a te: pars pro toto. Aut sic dixit, quia doctor est ut corona discipuli. SILETE. Sic omnes vertunt; sed quia vox Hebr. הַחֲשׁוּ *thebesu* potest in præterito esse, quidam Rab. intelligit *siluerunt*; id est, filii Prophetarum ultra non addiderunt verbum. Sic vers. 4. ubi eadem verba repetuntur.

V. 7. SUPER IORDANEM. Iuxta Iordanem steterunt Elias & Eliseus.

V. 8. ET INVOLVIT ILLUD, scilicet pallium Elias: sic Sept. at Hebr. & Chald. *Et involvit*. IN UTRAMQUE PARTEM divisæ sunt aquæ. Hebr. *huc & illuc*, id est in hunc & illum locum. Ita vox *partem* in nostra versione, non aquæ partem significat, sed loci.

V. 9. FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. Insolens postulatum videatur. Hebr. *Os* (id est mensura) *duorum in spiritu tuo* (id est de spiritu tuo;) quasi dicat: Mensuram, qua alios discipulos donas, duplica in me: sic Hebræus. Aut e tribus partibus tui spiritus duas tertias mihi tribue: sic Vatabl. at S. Thom. IV. contra Gentes cap. I. *Fiat in me spiritus duplex, prophetiæ, & miraculorum*. Itaque non vult magistrum superare, sed utroque dono eius instrui.

V. 12. CLAMABAT Eliseus. Vox Hebraica *mezabek* significat *vehementer clamare*, quia est in coniugatione Piel. PATER MI. Doctorem *patrem* vocat, ut discipuli hic & alibi vocantur *filii Prophetarum*. CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Sept. *Currus Israel, & eques eius*. Hebr. *& equites eius*: sic Chald. qui locum sic exponit: Preces tuæ curribus & equitis

equitibus ſunt validiores. Percuſſit Eliſeus aquas,

V. 14. ET NON SUNT DIVISAE. Hoc ex Sept. ſumptum, in Heb. & Chal. non eſt, ſed hoc modo: *Percuſſit aquas, & dixit, Ubi Dominus Deus Eliæ ipſe*; pro, eſt.

V. 15. QUI ERANT IN IERICHO E CONTRA, ſcilicet filii Prophetarum. נגדו *mineghed* ſignificat *e regione* ſcilicet ſtare, ſed procul, quod verſ. 7. etiam poſuit, ſed ibi addidit *a longe*, non quod eſſet opus, ſed ad maiorem expreſſionem: ſic Hebræus. Dicunt Eliſeo: Ecce viri,

V. 16. QUI POSSUNT IRE, ET QUAERERE Eliam. Hebr. *Eant quæſo, & quærant*: ſic Chald. Sept. *Euntes iam quærant*.

V. 17. COEGERUNTQUE EUM, DONEC AQUIESCERET. Sept. *Coegeruntque eum, donec erubeſceret*. Hebr. *uſque ad pudefieri*. Quod ad Eliſeum referri poteſt, ut ille pudefierit illis amplius obſiſtere; vel ad filios Prophetarum, quos repugnando pudore affecerit.

V. 18. HABITABAT IN IERICHO, ſcilicet Eliſeus manebat. NOLITE MITTERE. Hebr. *Ne eatis*, ſcilicet ad quærendum Eliam.

V. 19. TERRA STERILIS: ſic Sept. at Chald. *terra orbatrix*. Id vox Hebr. ſignificat; quaſi dicat, aquarum inſalubritas facit ut terra vaſta habitatoribus ſit. Dixit Eliſeus:

V. 20. AFFERTE MIHI VAS NOVUM. Aliis uſibus non inficiatur, in quem ſal iniicitur. *Bonum eſt viro, cum portaverit iugum ab adoleſcentia ſua*. Thren. III. verſ. 27.

V. 21. NON ERIT ULTRA IN EIS AQUIS MORS, NEQUE STERILITAS. Hebr. *mors neque orbatrix*; id eſt, non erit cauſa quæ orbet terram incolis, quod aquæ faciunt inſalubres. Pueri irridenti Eliſeum.

V. 24. MALEDIXIT EIS pueris IN NOMIME DOMINI, id eſt invocato Dei nomine. Duo urſi occiderunt QUADRAGINTA DUOS PUEROS. Non magnum peccatum, præſertim in ea ætate: ſed eorum clade ſancire voluit reverentiam erga ſenes, & viros ſacratos. Aut in illis parentes punivit qui filios illa docuerant. Sic luſtinus Martyr quæſt. LXXX. Auguſtinus ſerm. CCIV. de Tempore.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DE GALGALIS. Hebr. *de Gilgal*. Vide de hoc loco in Ioſue v. 9.

V. 2. USQUE IN BETHEL. De hac urbe vide in Geneſ. XXVIII. verſ. 19.

V. 3. FILII PROPHETARUM, id eſt diſcipuli Prophetarum, vel Prophetæ. Sic filii hominum dicuntur homines, & filii Achivorum ſæpius apud Homerum, pro Achivis. De his filiis Prophetarum vide I. Samuel. X. verſ. 5. Sic infra verſ. 5. 7. 15. DOMINUM TUUM. Hebr. pluraliter *dominos, heros, tuos*. Sic loquuntur honoris, & auctoritatis gratia. Sic infra verſ. 5. & 16. A TE. Heb. *de ſuper caput tuum*, vel *a capite tuo*. Quidam, *de cum capite tuo*, id eſt *de*, vel *a te*: ſynecdoche. Aliqui reddunt: *Ne ſit poſtbac magiſter tuus*, quia doctor eſt diſcipulo veluti caput, ſeu corona & ornamentum capiti; quaſi dicat: Tollet dominum tuum, qui tibi non aliter ornamento eſt atque corona capiti. Nonnulli notant, illud *de*, vel *a ſupra caput tuum*, indicare modum quo raptus fuit Elias, nempe ſupra caput Eliſei verſus cælum, non a latere. Sic infra verſ. 5. ET EGO NOVI. Et filii Prophetarum, & Eliſeus ipſe divina revelatione cognoverunt, rapiendum mox Eliam. SILETE. Verbum ex Hiphil magnum ſilentium imperat. Alii: *Silere facite*; id eſt, date operam ut inter vos de ea re ſit altum ſilentium: ne inter vos de eo colloquamini. Videtur Elias non intellexiſſe, ſuum raptum Eliſeo, & filiis Prophetarum divinitus revelatum. Quidam Hebræorum volunt eſſe præteritum *filuerunt*; ut ſit ſenſus: Cum eis dixiſſet, Etiam ego novi; illi ſilverunt, nec ultra ad illum ea de re ſunt locuti. Sic infra verſ. 5.

V. 4. IN IERICHO. De hac inſigni urbe vide Ioſue II. verſ. 1.

V. 7. ET STETERUNT E CONTRA, LONGE. Hebr. *Et ſteterunt de præſentia de longiquo*. Quidam: *Conſtiterunt e regione procul*. Sic erant procul, ut tamen recte obſervare, & intueri potuerint quid de eo fieret.

V. 9. ANTEQUAM TOLLAR A TE. Quidam reddunt: *Cum nondum aſſumor abs te*;

te; id eſt, dum adhuc verſor in extremo actu adminiſtrationis propheticæ, in qua tu mihi ex Dei mandato ſucceſſurus es, I. Reg. XIX. 16. OBSECRO UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. Hebraica nos verbatim reddidimus (*Et fuit, obſecro, os duorum in ſpiritu tuo ad me.*) Alii diverſimode. I. *Sit, obſecro, menſura duorum*, ſeu *menſura duarum partium ſpiritus tui ſuper me*; id eſt, da ut duæ partes tui ſpiritus, diviſi in tres partes, id eſt gratiæ quam Deus tibi contulit, ſint in me. Noluit petere tantam ſibi fieri gratiam, quantam magiſtro; quaſi dicat: Noli in me efficere tantum quantus tu es; ſed ſolum da mihi duas partes tui ſpiritus. II. *Sit ergo, quæſo, portio dupla de tuo ſpiritu penes me*, id eſt donorum ſpiritualium prærogativa inter Prophetas, prout ad functionem novam mihi neceſſaria futura eſt. Translata locutio a iure corporali primogenitorum, quibus dupla portio hereditatis obveniebat, Deuteronom. XXI. 17. ad dona ſpiritus; quaſi dicat: Affice me iure primogeniti tui inter alios filios tuos Prophetas, ut iure hæreditatis mihi dupla portio tui ſpiritus obveniat, quo aliis Prophetis præſtem, & excellam, ut primogeniti aliis fratribus, quia primogenitus ſum inter diſcipulos tuos, & primus diſcipulorum. Alii, *duplex ſpiritus*, id eſt prophetiæ, & miraculorum. Nonnulli, *duplex ſpiritus*, id eſt copioſus, uber, amplus, abundans, eximius. Sic apud Latinos, ut Virgilium AEneidos I.

.... *duplicem gemmis, auroque coronam,*

Servius: *Duplicem, id eſt latam, ut I. Georgicor.*

... *duplici aptantur dentalia dorſo.*

Item III. Georgicor.

.... *aut duplex agitur per lumbos ſpina.*

Sic Iſaiæ XL. 2. Sapient. XI. 13. & alibi. Sed nullus ſenſus ſecundum æquat.

V. 10. REM DIFFICILEM POSTULASTI. *Perplexare feciſti, intricare feciſti, ad poſtulandum.* Quidam: *Duruiſti poſtulando*; hoc eſt, duram petitionem feciſti; quaſi dicat: Numquam putavi te tantum poſtulaturum, nimirum prærogativam primogenituræ doni prophetici, ſed ordinarium tantum donum prophetiæ. Alii: *Rem arduam petiiſti*, id eſt quæ non humanitus datur, ſed divinitus, & raro. ATTAMEN, SI VIDERIS ME QUANDO TOLLAR A TE, ERIT TIBI QUOD PETISTI. Quidam reddunt: *Si videris me aſſumi a te, futurum eſt tibi ſic*: exponunt quaſi dicat: Ne expectato a me, ſed ab eo qui me aſſumpturus eſt; ac proinde ſignum eius attente obſervato, ut de donis ad vocationem tuam confirmeris.

V. 11. ET ASCENDIT ELIAS PER TURBINEM IN CAELUM. Hebr. *Et aſcendit Eliahu in borribili tempeſtate*, ſeu *procella in cælos*. Satis indicat Spiritus ſanctus, Eliam vehementi aliqua circumvolutum procella, curru igneo, & equis igneis abreptum: ut tempeſtas illa procul etiam videntes quinquaginta illos filios Prophetarum, ac præſertim prope adſtantem Eliſeum, terrore & admiratione compleverit. Raptum autem Eliam per aera in curru illo igneo, atque in hortum Eden, ſeu paradiſum terreſtrem devectum; atque ibi depoſitum, vivum, ut raptus eſt, adhuc ibi conſervari uſque ad tempora Antichriſti, quando inde cum Henoch proditurus eſt; latiſſime ex ſenſu Patrum & Theologorum, atque adeo ex ipſo verbo Dei, docuimus Lib. X. de Antichriſto, a cap. II. uſque ad XI.

V. 12. PATER MI, PATER MI: Volunt eſſe apoſiopeſin. Quo pergis? Quid nos deſeris? Quid iſtud eſt? deinde excla. met, Tu currus, &c. CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Hebr. *Currus Iſraelis, & equites eius*. Exponunt: Id eſt vis & robur Iſraelis: metaphora, quod præcipuum tunc belli robur eſſet in curribus falcatis, & equitatu. Ex occaſione præſenti videns currum igneum, & igneos equos abducentes Eliam, uſus eſt metaphora currus, & equitum; quaſi dicat: Qui plus iuvabas Iſraelem oratione quam currus falcati, & equites: eras Iſraeli præſidio inſtar multorum curruum, & equitum. Sic infra cap. XIII. verſ. 14. ET SCIDIT ILLA IN DUAS PARTES, lugens ac mærens ob ſublatum magiſtrum: de quo more vide Geneſ. XXXVII. 34. & Joſue VII. 6.

V. 14. PERCUSSIT AQUAS: ſubaudiunt, cum Noſtro, *Et non ſunt diviſæ*. UBI EST DEUS ELIAE ETIAM NUNC? PERCUSSITQUE AQUAS. Qui-

Quidam Hebræa reddunt: *Ubi eſt Iehova, Deus Eliiahu, etiam ipſe? Et percuſſit aquas*; ſubaudiunt, ſecundo. Notant, Eliſeum primum nihil dicentem percuſſiſſe aquas pallio Eliæ, ut ipſe fecerat Elias, ſupra verſ. 8. fretum nimirum virtute pallii Eliæ; ſed Deum retudiſſe eius confidentiam, ac ſecuritatem, detentione miraculi; ne ſibi nimium ſumeret, ac diſceret humiliter implorare divinam opem in patrandis miraculis. Aliqui reddunt: *Ubi eſt Iehova Deus Eliiahu, atque ipſemet?* (ſcilicet Eliiahu. Invocat Eliam: mirabilis locus pro invocatione ſanctorum. Hebræorum accentuum interpunctio poſtulat, ut Hebræa reddantur hac diſtinctione: *Ubi Iehovah Deus Eliiahu? etiam ipſe, & percuſſit aquas*; id eſt, etiam ipſe Eliſah & percuſſit aquas, ut ante percuſſerat Eliiahu. Unde quidam vertunt totum verſum: *Ubi cum accipiens togam Eliæ, quæ ceciderat ab eo, percuſſiſſet aquas illas, dicens, Ubi es Iehova Deus Eliæ? etiam iſte cum percuſſiſſet aquas, diviſæ ceſſerunt huc & illuc, & tranſivit Eliſab.* Illud, *Ubi es Iehova, Deus Eliæ*, exponunt, id eſt qui adfuiſti Eliæ in ſimili actione, ſupra verſ. 8. Quare iuxta hanc interpretationem non bis, ſed ſemel tantum percuſſit aquas Eliſeus. Nonnulli convertunt: *Ubi Iehova, Deus Eliæ & etiam ipſi*, id eſt in gratiam ipſius Eliſei; ſubaudi, factum eſt miraculum, ut dividerentur aquæ: *percuſſit enim aquas*, ſecundo, *& diviſæ fuerunt*, &c.

V. 15. FILII PROPHETARUM, de quibus ſupra verſ. 7. ADORAVERUNT EUM PRONI IN TERRAM. Quidam: *Inclinaverunt ſe ei in terram*. Alii: *Incurvaverunt ſe in terram uſque, honorem exhibentes ei*, ut Prophetarum patri. Nonnulli: *Procideruntque in terram coram eo*, honoris videlicet cauſa.

V. 16. QUAERERE DOMINUM TUUM: NE FORTE TULERIT EUM SPIRITUS DOMINI, &c. Quidam ſubaudiunt: *Ut quærant Dominum tuum: videndum, ne forte ſuſtulerit eum ſpiritus Iehovæ*, &c. Eclipſis, qualis eſt Geneſ. III. 22. Solebat enim ſpiritus Domini interdum Eliam mirabiliter abducere, I. Reg. XVIII. 12. & ſupra cap. I. verſ. 4.

V. 17. COEGERUNTQUE EUM DONEC ACQUIESCERET. Verbatim nos Hebræa transfudimus (*Et ruperunt in eo uſque ad pudefieri.*) Varie alii. I. *Et coegerunt eum uſque ad tardare*; id eſt, quamdiu tardavit dicere ut mitterent, tamdiu cogebant, & inſtabant ei. II. *Et coegerunt eum tamiſper dum tardavit*, vel *cunctabatur*; ſubaudi, dicere, ac permitterent illis ut mitterent. III. *Tandem inſtantibus apud eum, dum differebat, dixit, Mittite.* IV. *Et inſiſterunt in eum uſque ad pudefieri*, vel *donec pudefieret.* V. *At illi flagitarunt eum donec pudore propelleretur, ut diceret, Mittite*; id eſt, rogaverunt vehementer tamdiu dum coactus eſt permittere illis, ut mitteret: nam non ſtatim annuit illis. ET DICERET: MITTITE. Hebr. *Et dixit*, vel *tandem dixit, Mittite.* Per conceſſionem, importunitate ipſorum victus.

V. 19. ECCE HABITATIO CIVITATIS HUIUS OPTIMA EST. Hebr. *bono*; id eſt, ſitus urbis commodus, & elegans eſt, & ſolum uber, cælumque benevolum. Aliqui: *Ecce iam habitatio huius civitatis bona eſſet*, ſi aquæ non eſſent malæ, id eſt noxiæ, & inſalubres. ET TERRA STERILIS. Hebr. *Et terra orbare faciens*, ſive *abortiens*. Sic verſ. 21. Quidam: *Et terra habitatores orbans*; id eſt, regio orbat, perimit, perdit habitatores ſuos, ob noxias fontis aquas. Aliqui: *Quapropter regio facit abortum*; hoc eſt, neque hominum, & animantium fetus, neque terræ fructus ad iuſtam maturitatem pervenire ſinit: nam in toto tractu Ierichuntino unus tantum fons erat. Illuſtrant optime hunc locum verba Ioſephi Lib. V. Belli Iudaici, cap. IV. *Ad ipſam vero Iericho largiſſimus fons eſt, rigandiſque arvis uberrimus, iuxta veterem ſcaturiens civitatem. Hunc fontem aliquando ferunt, non ſolum terræ, atque lignorum fructus, ſed etiam feminarum partum obtundere ſolitum, cunctaque pariter morbo ac peſte corrumpere. Poſtea vero manſuevisſe, contraque ſaluberrimum ac feraciſſimum eſſe factum ab Eliſeo Prophcta. Receptus enim hoſpitio a Ierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipſos, & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus eſt: progreſſuſque ad fontem, lagenam fictilem ſalis plenam in proſluentem aquam miſit: inxta deinde ad cælum dexteram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipſum quidem precabatur, ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum vero ut fecundioribus auris flumina*

mina temperaret, orabat: tamque ubertatem fructuum quam ſucceſſionem prolis daret indigenis, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quo ad iuſti manerent. Ad has preces, ex diſciplina manibus quoque multa operatus, ſontem immutavit: & qui antea cauſa erat iis orbitatis ac famis, idem victus, & fecunditatis auctor effectus. Hæc Joſephus.

V. 20. VAS NOVUM. צלוחית *tzelochith* varie interpretantur: *Frixorium*, cui carnes, paſtilli, & alia immiſſa, celeriter tranſeunt, friguntur, & torrentur; ſeu quod immiſſa in id, pervadat & perrumpat celeriter. Alii *ſcutellam, phialam, paropſidem, lancem, lebetem, lecythum, gabatam*. Hiſpanicus Interpres, *Una botiia nueva*.

V. 21. AD FONTEM AQUARUM. Hebr. *ad egreſſionem*, ſeu *ad exitum aquarum*, id eſt ad ſcaturiginem ipſam fontis.

V. 23. ET ILLUDEBANT EI. Verbum קלס *kalas* ponitur in Hithpahel, & ſignificatum intendit; quaſi dicat: Multum & procaciter illudebant ei. Verbum hanc habet vim: *Et ſubſannare, vilipendere, ſpernere ſe faciebant in eo*, vel *in eum*. Ex verbo: *Et contumelioſos ſe fecerunt in eo*; id eſt, conviciis, & contumeliis impudenter inſultabant in eum. DICENTES: ASCENDE, CALVE, ASCENDE, CALVE. Quam inique antiqui tulerint deformitatem calvitii, ut pro probo & contumelia haberent, ſi quis eam loco obiiceret, vide apud Hadrianum Iunium Commentario de Coma, cap. XI. Illud mirabile, quod de Seiano ſcribit Dio rerum Romanarum Lib. LVIII. *Seianus Floralibus ad ridendum Tiberium (calvus enim erat) omnia calvorum miniſterio ad noctem uſque peregerat: lumen quoque deſcendentibus a theatro per puerorum raſis capitibus quinque millia præbuerat*. Extat inſigne calvitii encomium a Sineſio conſcriptum.

V. 24. QUI CUM RESPEXISSET, VIDIT EOS. Hebr. *Et reſpiciens poſt tergum ſuum, vidit eos*. Vel, *Et reſpexit retro, & vidit eos*. A tergo ergo pueri inſultabant Prophetæ. IN NOMINE DOMINI. Per nomen Domini, vel invocato nomine Iehovah, cui ipſi illudebant in Propheta. Quidam, Auctoritate Iehovæ; ut non privata ira, ſed a Spiritu ſancto motum intelligamus Eliſeum ad maledicendum puerulis. ET LACERAVERUNT EX EIS QUADRAGINTA DUOS. Erant ii omnes filii idololatrarum, & ipſi idololatriam ab ipſis incunabulis imbiberant; quod in Bethel eſſet alter vitulus aureus, quem ibi ad cultum idololatricum conſtituerat Ieroboam: atque pueruli iſti nedum in contemptum perſonæ, ſed etiam functionis propheticæ, ac veræ religionis, tamquam idololatræ, & male imbuti a parentibus Eliſeo illudebant, & conviciabantur: & forſan ad id inducti fuerant, ut fieri ſolet. Unde merito ab urſis iuſto Dei iudicio diſcerpti ſunt.

V. 25. IN MONTEM CARMELI: de quo vide Joſue XII. verſ. 22.

MENOCHII.

Verſ. 1. CUM LEVARE VELLET DOMINUS ELIAM. In cælum aſcendiſſe clare dicit textus hoc 1. verſiculo, ſed per cælum aerem quidam intelligunt, ut per eum in alia loca tranſierit, voluntque nonnulli eſſe paradiſum terreſtrem. Ita Irenæus, Iuſtinus, Iſidorus, Divus Thomas. Alii in ſecretam aliquam terræ regionem. Ita Divus Gregorius, & Rupertus. Alii in cæleſtem aliquem locum, prout cælum ab aere diſtinguitur. Ita Divus Hieronymus, Ambroſius, Dorotheus, Alcimus. Alii aiunt locum eſſe incertum. Ita Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alii. Porro Elias raptus eſt ut redeat, & det gentibus pœnitentiam extremis temporibus: hoc enim eſt quod habemus in Eccleſi. cap. XLVIII. 10. *Qui ſcriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob*. Plura vide apud Suarez Tom. II. in tertiam partem D. Thomæ quæſt. LIX. art. 6. diſp. LV. PER-TURBINEM IN CÆLUM. Angelorum enim miniſterio excitavit Dominus ventum vehementem (qui inſ. num. 16. *ſpiritus Domini* vocatur) quo tolleretur Elias, ipſi vero Angeli venti vim moderabantur, ut in locum deſtinatum ferret Prophetam. DE GALGALIS. De hoc loco vide quæ diximus Joſue *V.* 9. IN BETHEL: qui locus erat ab antiquo religioſus, ibique collegium erat Propheratum, ſive diſcipulorum Eliæ, ut mox patebit.

V. 2. SEDE HIC, &c. Fortaſſe volebat Elias Eliſeum a ſe dimittere humilitatis

tatis cauſa, nolens glorioſæ translationis ſuæ quemquam habere teſtem. Dicere etiam poſſumus, noluiſſe quidem Eliam a ſe dimittere Eliſeum, ſed eius deſiderium obnitendo magis ac magis accendere, & eius in ſe benevolentiæ periculum facere.

V. 3. FILII PROPHETARUM, diſcipuli videlicet, qui ab eis inſtituebantur. NUMQUID NOSTI QUIA HODIE DOMINUS TOLLET DOMINUM TUUM A TE? Id illorum aliquibus fuerat revelatum. ET EGO NOVI: SILETE; quaſi dicat: Mihi quoque Dominus idem revelavit; ſed nos hoc ſcire, neſciat Elias.

V. 7. QUINQUAGINTA VIRI DE FILIIS PROPHETARUM SECUTI SUNT ILLOS, præter voluntatem Eliæ, illoque inſcio, ducti deſiderio videndi finem, cuius rei ſignum eſt quod ſteterunt a longe. SUPER IORDANEM, ad Iordanis ripam.

V. 8. PALLIUM SUUM. *Melotem* vocant LXX. ex pelle videlicet ovilla factum. INVOLVIT ILLUD, in formam ſcilicet oblongam, & rotundam aptam ad percutiendum. PERCUSSIT AQUAS, addita ſcilicet ad Deum oratione.

V. 9. FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. Pagninus, & Vatablus vertunt: *Sit obſecro menſura duarum partium de ſpiritu tuo ſuper me*: ut ſenſus ſit: Ex tribus partibus ſpiritus tui, duas mihi a Domino impetres. Alii petiiſſe putant duplicem gratiam ſpiritualem, gratiam ſcilicet miraculorum, & gratiam prophetiæ, quibus ornatus erat Elias, ut magiſtro ſuo quam ſimillimus evaderet. Tertia explicatio communior, & verior eſt, ut petierit Eliſeus ſpiritum duplo maiorem ſpiritu Eliæ.

V. 10. REM DIFFICILEM POSTULASTI. Merito dubitavit Elias tantam ne gratiam Dominus concedere vellet Eliſeo. SI VIDERIS ME QUANDO TOLLAR A TE, &c. Factus eſt ergo voti compos, nam vidit Eliam aſcendentem, ut patet ex ſequentibus.

V. 11. CURRUS IGNEUS, &c. Nubes rutila equorum, & currus ſpeciem referens, ſuper planitiem decurrens, in qua ambulans inter utrumque pertranſiit, & alterum ab altero ſeparavit, raptuſque eſt Elias ad currum igneum, quem conſcendit, ſtatimque co ſurgens ventus vehemens e terra paulatim extulit equos, & currum, donec ab oculis Eliſei ſpectantis, & clamantis ſubduceretur.

V. 12. CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Hebræus textus pro *auriga*, habet *equites*; LXX. vero *eques*, quia ſcilicet curruum bellicorum aurigæ equites erant. Sententia eſt: Vale præceptor, qui plus iuvabas Iſraelem oratione, quam magna curruum, & equitum multitudo. SCINDIT IN DUAS PARTES, quaſi lugens iacturam, & ſolitudinem ſuam. Solebant enim olim in ſignum mœroris lacerare veſtes.

V. 13. LEVAVIT, e terra ſuſtulit. QUOD CECIDERAT EI, Eliæ in cælum aſcendenti.

V. 14. ET NON SUNT DIVISAE. Ait Abulenſis quæſt. XXVIII. ſapienter factum divina providentia ut aquæ Iordanis prima palliі percuſſione non dividerentur, ne novus Propheta ſpiritu prophetico recens acceptо, vanitati, inanique lætitiæ ſuccumberet. UBI EST DEUS ELIAE. Sententia eſt: Quomodo non adeſt nobis Dominus, qui Eliæ paulo ante in ſimili actione adfuit, ſi in me reſedit ſpiritus Eliæ; quem abeuntem vidi? ETIAM NUNC, ſcilicet cum tantopere eius auxilio opus eſt. In Hebræo eſt, *Etiam ipſe*.

V. 15. QUI ERANT IN IERICHO E CONTRA, videlicet verſus Iericho, in eo loco in quo paulo ante ſubſtiterant, qui videtur fuiſſe collis aliquis, e quo liceret longe proſpicere. Sane ex Iericho videre non poterant Eliſeum aquas dividentem, cum ex Adrichomio urbs hæc diſtet a lordane itinere duarum horarum.

V. 16. CUM SERVIS TUIS SUNT QUINQUAGINTA VIRI, &c. Salianus putat de ſe ipſis in tertia perſona locutos fuiſſe, erant enim quinquaginta.

V. 17. DONEC AQUIESCERET. Aſſenſus eſt eorum voluntati, ne ſi perſtaret in ſententia nonnullum daret illi ſuſpicioni locum, nolle ipſum Eliam redire, ut deinceps illo excluſo, in Prophetarum cœtu ipſe principatum obtineret.

V. 18. HABITABAT IN IERICHO; id eſt, ſubſtitit in Iericho interim dum Eliam quærebant.

V. 19. HABITATIO CIVITATIS HUIUS OPTIMA EST: ſalubris eſt aer, ſitus commodus, &c. TERRA STERILIS, non tota, ſed pars illa tantum quæ vi-

vitium ex aquis præterfluentibus trahebat.

V. 20. VAS NOVUM, ne si aliquo fuisset prius liquore imbutum, liquori illi vis aquarum sanatrix tribui posset. MITTITE IN ILLUD SAL. Non ipse mittit sal in vas, ut omnem a se fraudis, & præstigiarum suspicionem amoliretur.

V. 21. SANAVI AQUAS HAS, divino miraculo: nam alioqui loca quæ salsis alluuntur aquis, plane sterilia redduntur. NON ERIT ULTRA IN EIS MORS; id est, ab eis mors in homines, aut animalia, quæ eas potabunt, non infundetur, neque sterilitas in terras, quæ eis inbuentur.

V. 23. PUERI PARVI, doli tamen capaces. ASCENDE CALVE. Est calvitium in homine indecorum, ideoque illud multi aut pileolo, aut alio aliquo artificio tegunt.

V. 24. MALEDIXIT EIS IN NOMINE DOMINI; id est, invocato Dei nomine pueris a Deo punitionem expetiit.

V. 25. ABIIT IN MONTEM CARMELI, suos, qui ibi habitabant, visitaturus, aut etiam populi indignationem propter mortuos pueros ad tempus declinaturus. REVERSUS EST IN SAMARIAM, quo scilicet eum spiritus Domini ducebat, ut imminenti expeditioni contra Moabitas interesset, & Hebræorum Regibus opem ferret.

TIRINI.

Vers. 9. OBSECRO UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. Duplex non comparatione Eliæ (hoc enim ut postularet Eliseus non fuisset verecundia) sed respectu aliorum Prophetarum, quorum Elias pater spiritualis & magister erat, ac proinde duplicem merito portionem supra reliquos acceperat, quorum respectu non solum censebatur primogenitus (cui duplex hereditatis portio iure debebatur) sed & pater erat, ut dixi, cui longe plura præ filiis propria esse solent. Et vero præter spiritum prophetiæ, quo etiam Eliseus, & plures alii gaudebant, habebat Elias etiam spiritum miraculorum: quo Eliseus ad id usque tempus caruit, sed quia iam petiit, impetravit. Ita S. Thomas, Comestor *a*, Eucherius, Angelomus, & pene omnes Interpretes.

V. 11. ECCE CURRUS IGNEUS, ET EQUI IGNEI, id est splendidi instar ignis. Erat enim nubes splendidissima, in currus equorumque similitudinem manu Angeli efformata, quæ excepit Eliam, mediumque amplexa est, ut in eo sedere ac vehi videretur. Ita Caietanus, Abulensis, Sanctius, & alii. Porro ex hac historia Eliæ occasionem sumpsisse putantur poetæ Gentiles, solem currui igneo imponendi, & equis igneis circumagendi. ASCENDIT ELIAS PER TURBINEM IN CAELUM, nempe aereum. Sed ex regione aeris mox translatus est in paradisum terrestrem, si is adhuc supereset, ut probabile dixi Gen. III. & V. & tenent præter ibi citatos *b*, S. Irenæus, Augustinus, Isidorus, Hieronymus, Iustinus, S. Thomas, & Abulensis. Vel, si paradisus interiit (ut volunt Genebrardus, Ianssenius, Oleaster, & Pererius *c*) translatus est in alium illustrem & deliciosum locum, nulli mortalium notum, in quo una cum Henocho in magna spiritus & carnis quiete vivit sine peccato, sine novo merito, sine concupiscentia, sine morbo, sine corruptione, sine ærumna, sine mærore, quousque ad finem mundi adversus Antichristum redeant, & mortis debitum solvant. Ita Tertullianus, Augustinus, Rupertus, & Franciscus Suarez *d*. An aliquo cibo utantur, & quomodo istic suum tempus transigant, dixi Genes. V. vers. 24. De reditu adversus Antichristum vide Malachiæ IV. & Matth. XVII. & Apoc. XI.

V. 12. CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Proverbio isto significant Hebræi summum in adversis præsidium & columen: sicut & Latini cum vocant aliquem *anchoram reipublicæ*, *columen patriæ*, *columnam domus*. Porro sermo hic est de curru non rustico, vel urbano, sed militari seu falcato. Unde pro *auriga* Hebraice est *peraśau*, id est *equites eius*, nempe qui ex curribus in acie depugnabant: quasi unus Elias (sicut & olim unus Moyses, Exod. XVII.) esset Israeli pro integro apparatu militari, qui tropice significatur symbolo currus falcati ad ftragem hostium instructi. Unde Chaldæus, & Vatablus vertunt: *Tu melior eras Israeli ora-*

oratione tua curribus & equitibus : & eodem modo exponunt Theodoretus, & Cajetanus. Iam vero per turbinem subducto Elia, ELISEUS .... VESTIMENTA SUA extima, nempe pallium, & penulam, SCIDIT IN DUAS PARTES, mœroris sui & luctus testandi causa (more gentis suæ) ob sublatum tam carum parentem.

V. 14. UBI EST DEUS ELIAE ETIAM NUNC? Non dubitat de præsentia, vel potentia Dei ; sed miratur, queriturque amice de negata sibi cælesti ope ; quasi dicat : Quid causæ esse potest, cur Deus qui paulo ante in dividendis aquis Iordanis tam promptus adfuit Eliæ, nunc mihi nolit adesse, tamen spiritu Eliæ certo certius donato? Nempe vel plusculum sibi blanditus fuerat Eliseus de duplicato spiritu ; vel curiosius explorare voluit quantum spiritus novus posset. Unde dum mox correcto errore suo, suis diffisus viribus, uni innixus Deo nutuique divino, percutit secundo easdem Iordanis aquas, subito dissiliunt, & in partes abeunt, & transitum sicco vestigio in ulteriorem ripam præbent.

V. 19. CIVITATIS HUIUS Iericho AQUAE PESSIMAE SUNT, ob frequentes, per quas colantur, venas salis, quod in agro Ierichuntino fossile est, vel ex aqua salsa concretum. Unde & *Vallis salis* appellatur Genes. XIV. 3. & *mare* mortuum vicinum *salsissimum*. Unde cum salsugine ista redderetur ager exsuccus, & infecundus, nil mirum, hic *terram sterilem* vocari. Nolim tamen hoc intelligi de omni terra Ierichuntina, quam constat maiori ex parte pinguem & fertilem fuisse, ut bene probat Abulensis ; sed de illa sola quæ Valli salis versus mare mortuum adiacebat, in qua forte domicilium fixerant filii Prophetarum, & discipuli Eliseï, qui hic apud Eliseum quæsti sunt : nam & illi hic intelligi possunt per *viros civitatis* Iericho, ob habitationem quam istic sibi delegerant. Ita Abulensis, & Sanctius : qui addunt, Eliseum ad aquas has in posterum dulcorandas sal expetiisse, & quidem ab Ierichuntinis ipsismet conquisitum, & vasi novo commissum, non aliam ob causam quam ut palam faceret, se non magicis quibusdam præstigiis, herbis veneficis, aut vase intoxicato, neque etiam physico remedio, vel naturali arte, sed sola virtute divina miraculum istud perfeciſſe. Porro ex hoc exemplo Eliseï desumpsit Ecclesia sal quod in aquæ lustralis benedictione admiscet, teste Abulensi, & Guillelmo Durando *e*.

(*a*) S. Thom. IV. contra Gentes cap. XI. Comest. in hist. Scholastica.

(*b*) Iren. Lib. V. contra hæres. cap. I. Augu. Lib. II. de peccato orig. cap. XXII. Isidor. de Vita & obitu SS. cap. III. Hier. epist. LXI. ad Pammachium. Iust. quæst. LXXV. ad Orthodoxos. S. Thom. III. P. quæst. XLIX. a. 5. ad 2. & I. P. quæst. CII. a. 2. ad 3.

(*c*) Genebr. in Chronico. Ianseu. in Concordia cap. CXII. Oleaster in I. cap. Genes. Perer. Lib. III. in Genes. quæst. V.

(*d*) Tertul. de Resurrect. carnis cap. LVIII. Aug. supra, & Lib. I. de Peccat. merit. cap. III. Rupert. Lib. de Trin. cap. XXXIII. Suarez in III. Par. S. Thom. Tom. II. quæst. LIX. disput. IV. sect. I.

(*e*) Durand. de Rat. divin. officiorum Lib. IV. cap. IV.

GORDONI.

Vers. I. NE sim prolixus, rectius instituitur ratio temporis asserendo raptum Eliæ incidisse in annum vigesimum, vel decimum nonum Iosaphati. At quotus tunc fuerit annus Iorami Israelitici, & quotus Iorami Iudaici, pro varietate opinionum dissentiunt Auctores ; ut sane res incerta valde est. Infra cap. VIII. vers. 16. Ceterum Eliam non esse mortuum est Patribus, & Scripturæ conformis sententia. De loco in quo sit, & statu, dixi Gen. V. 24. Dubium non est quin in hoc turbine (συσσεισμὸν vocant LXX.) adfuerit ministerium Angeli.

V. 2. Venit de Galgalis in Bethel, Iericho, & ad Iordanem, suos discipulos visitans : & salutis monita illis proponens, animat hoc extremo colloquio ad omnem pietatem, & constantiam. Loca hæc alibi descripta sunt.

V. 9. Duplicem spiritum petit Eliseus. Hoc varie explicant Interpretes : certant an petierit tantum portionem spiritus ; an totum, scilicet prophetiæ, & miraculorum ; an duplicatum, & maiorem. Duæ posteriores sententiæ sunt probabiliores : nec est unde certa quæstionis petatur decisio.

V. 10. SI VIDERIS ME. Hanc conditionem inspiravit Eliæ Dominus : ut utrique constaret, Eliæ, & Eliseo, similem gratiam & spiritum esse a Deo, & non a voluntate Eliæ.

servis Regis Israel: Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. 12. Et ait Iosaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum Rex Israel, & Iosaphat Rex Iuda, & Rex Edom. 13. Dixit autem Eliseus ad Regem Israel: Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi Rex Israel: Quare congregavit Dominus tres Reges hos, ut traderet eos in manus Moab? 14. Dixitque ad eum Eliseus: Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. 15. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: 16. Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis huius fossas & fossas. 17. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra. 18. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 19. Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus. 20. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta est terra aquis. 21. Universi autem Moabitæ, audientes quod ascendissent Reges ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in terminis. 22. Primoque mane surgentes, & orto iam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras quasi sanguinem, 23. dixeruntque: Sanguis gladii est: pugnaverunt Reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. 24. Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percusserunt Moab, 25. & civitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt: & universos fontes aquarum obturaverunt: & omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent: & circumdata est civitas a fundibulariis, & magna ex parte percussa. 26. Quod cum vidisset Rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad Regem Edom: & non potuerunt. 27. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. DECIMOCTAVO. Vide sup. cap. 1.

V. 2. TULIT, id est abstulit.

V. 7. VENI. Hebr. Chald. & Septuag. *Num venies?*

V. 9. REX EDOM, id est Prorex Idumææ, quæ tunc Regi Iuda subiecta.

V. 10. HEU HEU. Hebr. *Ah ah.*

V. 11. UT DEPRECEMUR. Chald. *Ut interrogemus.* Hebr. *Et inquiremus*, seu *sciscitabimur.* Sept. *Et consulemus.*

V. 12. EST APUD EUM, &c. quasi dicat: Vere Propheta est. Quidam tamen per interrogationem legunt.

V. 13. QUID MIHI ET TIBI EST? quasi dicat: Quid tibi mecum est, quod ad me venis? QUARE. Hebr. *non*, *quia*; quasi dicat: Omitte ista, & adiuva nos, quia videtur Deus congregasse, &c.

V. 14. IN CUIUS CONSPECTU STO, id

id est cui servio. ERUBESCEREM. Hebr. Chald. & Sept. *fusciperem*, id est honorarem, seu revererer.

V. 15. PSALTEM, scilicet qui Dei laudes canendo elevet mentem meam. MANUS, id est virtus, scilicet ad prophetandum.

V. 16. ALVEUM, pro in alveo. FOSSAS ET FOSSAS, id est multas seu varias fossas.

V. 17. FAMILIAE. Hebr. & Chald. *greges*, seu *pecora*. Sept. *acquisitiones*, seu *possessiones*.

V. 19. ELECTAM, id est pretiosam, seu egregiam.

V. 20. SACRIFICIUM, scilicet matutinum.

V. 21. BALTEO; quasi dicat, ense. TERMINIS, id est finibus suæ regionis.

V. 22. EX ADVERSO AQUARUM. Hebr. Chald. & Sept. *super aquas*.

V. 23. CONTRA SE, scilicet ob aliquam inter ipsos discordiam.

V. 25. MURI; quasi dicat: Omnia urbi vicina vastaverant, sola urbs remanebat. FICTILES. Hebr. *Chareseth*, quod quidam dicunt esse nomen urbis regiæ, de qua stat im. MAGNA EX PARTE. Id additum ab Interprete.

V. 27. HOLOCAUSTUM, scilicet Deo suo, ut sic placaret. INDIGNATIO, scilicet ob tantum sacinus, simul etiam miserti sunt calamitatis.

ESTII.

Vers. 15. NUNC AUTEM ADDUCITE MIHI PSALTEM. CUMQUE CANERET PSALTES, FACTA EST SUPER EUM MANUS DOMINI. Causa ob quam Eliseus vaticinaturus psaltem sibi iusserit adduci, a quibusdam redditur, quia spiritus prophetiæ ab eo recessisset, propterea quod acerbius & immodestius locutus esset adversus Regem Israel. Sed hæc causa plerisque non probatur. Et merito. Quia increpando Regem Israel non peccaverat, non magis quam Elias, qui supra dixerat ad Achab, Lib. III. cap. XVIII. *Non ego turbo Israel, sed tu, & domus patris tui*. Uterque enim usus est auctoritate prophetica, quæ in utroque etiam miraculis fuerat comprobata. Igitur respondendum, quod spiritus prophetiæ non semper adsistit Prophetis ad nutum. Unde & seq. cap. dicit Elisæus de Sunamitide: *Anima ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me*. Ut autem cor Prophetæ actu moveatur ad prophetandum, opus est mentis elevatione ad Deum. Porro mens variis modis in Deum excitatur: videlicet vel ipsamet, vel meditatione, vel etiam adhibitis extrinsecis & sensibilibus admiculis, qualis est in primis concentus harmonicus, eorum potissimum instrumentorum quæ solent ad devotionem excitare, cuiusmodi sunt organa: nam varia instrumenta varios affectus in hominibus excitant. Et quædam peculiariter excitant ad devotionem, quale erat psalterium, id est instrumentum quo psalmi decantari solent. Atque hæc fuit causa cur Eliseus psaltem iusserit adduci: ac non improbabiliter psaltes simul ad instrumentum decantabat aliquid sacrum.

V. 19. ET UNIVERSUM LIGNUM FRUCTIFERUM SUCCIDETIS. Hoc Prophetæ Elisei præceptum ad Reges, repugnare videtur præcepto legis Deuteron. XX. ubi in obsidione civitatum prohibentur abscindi ligna fructifera. Quorumdam responsio est, a Deo per Prophetam fuisse in hoc legis præcepto dispensatum: idque propter malitiam populi Moab. Verior solutio videtur, legem Deuteronomii tantum loqui de terra promissionis. Et rationem legis esse, ne filii Israel, abscindentes fructifera ligna illius regionis, sibi ipsis nocerent, quia ipsi terram illam erant possessuri. Regio autem Moab ad terram promissam non pertinebat. Et hæc solutio habetur haud obscure ex ipso textu Deuteron. XX.

MARIANAE.

Vers. 4. MESA REX MOAB NUTRIEBAT PECORA MULTA. Hebr. *erat punctians*: qua voce *pecuarius* significatur & *pastor*, qui vocatur *punctians*, a signis quæ pecudibus imprimebantur, quæ *puncta* vocat. Erat ergo is Rex magnus pastor; id est, habebat multos greges. SOLVEBAT, scilicet annuatim tributi nomine, agnos & arietes. CUM VELLERIBUS SUIS. Hebr. *mille arietes lanæ*, id est cum lana.

V. 7. VENI MECUM. Id Ioram dicit Io-

Ioſaphat: Hebr. *Num venies mecum?* Sept. *Si ibis mecum*. Chald. *Num venies mecum?* Sic caſtigato Latinam Chald. interpretationem eius loci in Regiis. Reſpondet: QUI MEUS EST, TUUS EST. Hebr. *Sicut ego, ſic tu; ſicut populus meus, ſic populus tuus; ſicut equi mei, ſic equi tui.* Poteſt etiam verti e contrario: *Sic ego, ſicut tu*, &c. Chald. *Ego ſicut tu, populus meus ſicut populus tuus.* Sententia in omnibus, nihil ſe habere ab illo ſeiunctum dicit Ioſaphat Rex Iuda.

V. 8. DIXITQUE, ſcilicet Ioſaphat, & reſpondit illi Ioram. Et vide quod ſine libri ſuperioris de morte Ioſaphat dictum per anticipationem eſt.

V. 9. REX EDOM ibat cum duobus Regibus, Prorex potius, nam tunc Idumæa Regibus Iuda ſubdita erat, Lib. III. XXII. 48. Non erat aqua iumentis QUAE SEQUEBANTUR EOS. Hebr. *quæ in pedibus eorum*: ſic Sept. id eſt *cum eis*: ſic Chald. Eſt ne hic Propheta

V. 11. UT DEPRECEMUR DOMINUM PER EUM? Hebr. *Et inquiremus* (conſulemus) *Dominum ab eo*. Reſpondet quidam: Eſt hic Eliſeus, QUI FUNDEBAT AQUAM, id eſt miniſtrabat Eliæ.

V. 12. EST APUD EUM SERMO DOMINI. Sic Ioſaphat: non interrogative, ut Sept. & Pagn. ſed enuntiative, ut Chal. quaſi dicat: Vere ſermo Dei eſt apud illum, tum quia diſcipulus tanti Prophetæ, tum quia cum nobiſcum venerit, non ad bellandum, profecto habet aliquid quod renuntiet nobis. DESCENDITQUE AD EUM REX ISRAEL, e curru ſcilicet, honoris gratia: aut *deſcendit*, id eſt ivit.

V. 13. ET AIT ILLI REX ISRAEL: QUARE CONGREGAVIT? &c. Hebr. *Et ait illi Rex Iſrael, Non* (ſcilicet iſta loquaris, mitte iſta, & reſponde) *quia* (pro quare) *vocavit Dominus*. Chald. *Obſecro, ne memineris peccati huius, roga pro nobis miſericordiam, quia vocavit Dominus*. Itaque oratio eſt ecliptica, & ſupplendum aliquid profecto, ut ſententia conſtet, quam Hieronymus bene expreſſit. Quid Eliſeus?

V. 15. ADDUCITE MIHI PSALTEM. Vis magna concentus, componit affectus, ut tranquillo animo Deus audiatur: & ſane, qui numeris conſtamus, amamus numeros. MANUS DOMINI. Verbum Domini hic *manus* ſignificat. Facta eſt ſuper eum.

V. 16. FACITE ALVEUM, id eſt in alveo foſſas.

V. 17. FAMILIAE VESTRAE bibent. Chald. *greges veſtri*: ſic Hebr.

V. 19. PERCUTIETIS.....OMNEM URBEM ELECTAM. Sic Sept. Chald. *munitam*. Hebr. *urbem electionis*: quod Hebræus refert ad ſenatum, qui ad portas deliberabat de rebus: quod in omni urbe fiebat mœnibus clauſa. LIGNUM FRUCTIFERUM SUCCIDETIS. Hebr. *bonum*: ſic etiam verſ. 25. Infelices arbores vocantur, quæ fructum non ferunt, ulmi, populi. AGRUM EGREGIUM. Heb. *partem bonam*: ſic Sept. Chald. *poſſeſſiones*. Memento poſſeſſiones conſtitui agro diviſo in partes. OPERIETIS LAPIDIBUS. Hebr. *Dolore afficietis in lapidibus*. Metaphora, qua & dicimus *lugere vias*, vel quia poſſeſſores dolore afficient. Sept. *Inutilem reddetis in lapidibus*.

V. 21. QUI ACCINCTI ERANT BALTEO; id eſt, quorum ætas idonea erat ad bellum: *qui geſtabant gladios*, ut Chald. ponit. DESUPER. Deeſt coniunctio, *Et deſuper*, ut Sept. ſive *ſupra*, ut Chald. quaſi dicat: Congregarunt Moabitæ ad reſiſtendum omnes adoleſcentes, & illis maiores.

V. 23. SANGUIS GLADII EST: PUGNAVERUNT REGES. Sic putarunt Moabitæ viſa aqua rubra, quæ repente decurrebat. Hebr. *Digladiando digladiati ſunt Reges*. ET CAESI SUNT MUTUO. Hebr. *Et percuſſerunt vir* (pro quiſque) *proximum ſuum*.

V. 24. VENERUNT IGITUR. Litteræ Hebraicæ id ſignificant, idque ſecuti ſunt Septuag. ſed Maſſorithæ pro *iabu* ſubſtituunt *iacu*, id eſt *percuſserunt in ea*, pro *in eis*, id eſt in ſingulis civitatibus. *Venerunt* QUI VICERANT. Additum ab Interprete. ET PERCUSSERUNT MOAB. Hebr. *Et percutiendo Moab percuſserunt*. Remanſerunt tantum muri

V. 25. FICTILES, ſcilicet ex lateribus facti. Alii *Chareſet* (pro qua voce Hieronymus poſuit *ſtiles*) dicunt eſſe nomen urbis regiæ, quæ ſola relicta eſt, & eius murus. CIRCUMDATA EST CIVITAS, ſcilicet Chareſſet, aut regia. ET MAGNA EX PARTE PERCUSSA.

daretur, & ſpirituali rerum divinarum carmine compararetur ad cæleſtia prædicenda; ſicut aliorum præſentium ad ea percipienda. Nam & cantu quoque incitari quoſdam ad divinationem, Cicero affirmat Lib. I. de Divinat. *Multiſque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent, ut ii qui ſono quodam vocum, & Phrygiis cantibus incitantur.* MANUS DOMINI, id eſt vis prophetica, ſive donum prophetandi: metonymia; quaſi dicat: Fuit afflatus ſpiritu prophetico.

V. 16. FACITE ALVEUM TORRENTIS HUIUS FOSSAS, ET FOSSAS. Hebr. *Facere torrentem iſtum foſſas foſſas*; id eſt, facere debetis. Quidam: *Faciendæ ſunt in valle hac multæ foſſæ. Foſſas & foſſas*, id eſt multas & crebras foſſas, id enim indicat vocis repetitio. Similis locutio eſt Geneſ. XIV. 10. Exodi VIII. 14. גבים *gebim* reddunt *foſſas*, *foveas*, *ſcrobes*, *caveas*, *lacunas*. Alii *imbrices*, *canales*, per quos excipiatur aqua.

V. 18. PARUMQUE EST HOC IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *Et leve videbitur hoc in oculis Iehovæh*. Quidam: *Facile autem erit hoc in oculis Iehovæ.*

V. 19. ET PERCUTIETIS OMNEM CIVITATEM, &c. Explicant quaſi dicat: Omnia anathemati ſeu internecioni devovete, ut qui non tantum a regno, ſed etiam a religione deſecerunt. Vide Deuteron. XIII. verſ. 12. & ſequentibus, & infra verſ. 25. OPERIETIS LAPIDIBUS. Hebr. *Dolore afficietis in lapidibus*. Metaphora, inquiunt, ducta eſt a dolore, quem illi ſentiunt qui lapidibus obruuntur, ad agri dilapidationem.

V. 20. FACTUM EST IGITUR MANE, QUANDO SACRIFICIUM OFFERI SOLET. Vide I. Reg. XVIII. 29. ut virtus ſacrificii operata etiam ſit in tanta victoria.

V. 21. OMNES, QUI ACCINCTI ERANT BALTEO DESUPER. Hebr. *Ab omni accingente ſe cingulo*, & *de ſupra*; id eſt, ab ea ætate qua primum geſtari ſolent arma in militia. Quidam: *Ab omni accingente ſe primum cingulo*, & *deinceps*, id eſt ab omni novitio tyrocinium armorum exercente. Alii: *Omnes qui expediti erant*, & *ſupra*.

V. 22. AQUAS RUBRAS QUASI SANGUINEM, ſeu rubentes, aut rubescentes tamquam ſanguinem, nimirum ex colore orientis primum & emergentis ſolis.

V. 23. PUGNAVERUNT REGES CONTRA SE. Nos Hebræa ex verbo expreſſimus (*Exſiccari exſiccati fuerunt Reges.*) Alii: *Deſolando deſolarunt ſe Reges iſti*; id eſt, omnino ſe deſolarunt: vel *digladiando digladiati ſunt*; id eſt, mutuis gladiis ſe ſuſtelerunt. Proprie: *Exſiccando exſiccati ſunt Reges iſti*; id eſt, gladio ſanguine exſiccati ſunt. Nam a verbo חרב *charab*, *exſiccare*, dicitur חרב *chereb*, *gladius*, quod corpus ſanguine exſiccet. Nonnulli: *Vaſtando vaſtati ſunt Reges*; id eſt, prorſus devaſtati ſunt.

V. 24. PERREXERUNT IN CASTRA ISRAEL, nempe ſolutis ordinibus, & incompoſiti, ut qui non ad pugnam, ſed ad prædam irent. VENERUNT IGITUR QUI VICERANT, ET PERCUSSERUNT MOAB. Hebr. eſt gemina lectio: in textu ויבו *vaiabu*, *Et venerunt in ea*, ſcilicet regione Moab, in ora vero eſt ויכו *vaiaccu*, cum Caph: nam eſt maxima ſimilitudo inter Beth, & Caph: *Et percuſſerunt in ea*. Varie hanc partem interpretantur. I. *Et percuſſerunt eam*, *percuſſerunt*, *inquam*, *Moab*. Ter hoc verſu dicitur Moabitas percuſſos ab Iſraelitis, ut repetitio verbi ſignificatum augeat, & maximam atque internecinam eorum ſtragem deſignet. II. *Et percuſſerunt in ea*, *etiam percutiendo Moabitas*: vel & *incutiebant percutiendo Moabitas*. Sic verbum נכה *nachah*, pro *incutere* I. Samuel. II. verſ. 14. *In ea*, exponunt, ſcilicet in ea turma, ſeu loco caſtrorum; quaſi dicat: Et ibi, & in fuga percuſſerunt Moabitas. III. *Et perrexerunt percutere Moabitas etiam in ipſa regione eorum*. IV. *At iſti infecuti eos percuſſerunt Moabitas*.

V. 25. ITA UT MURI TANTUM FICTILES REMANERENT, quod eſſent ex latere coctili firmiſſimi, ut muri Babylonis. Sed Hebræa hic plurifariam reddunt. I. *Uſqueque feceront remanere lapides eius in muro forti*; quaſi dicat: Omnes civitates diruerunt niſi regiam, in qua remanſerunt lapides eius in muro forti; & in qua Rex Moabitarum ſe tutatus eſt murorum firmitudine. II. *Ita ut ſolum reliquerint lapides eius in Kir-Hareſeth*. Aiunt Kir-Hareſeth fuiſſe regiam, & celeberri-

mam Moabitarum urbem, Isaiæ XVI. 11. id est, ita ut tantum relinquerent in Kir-Hareseth lapides eius, hoc est muros eius, nam omnia circum ipsam urbem vastaverant, & perdiderant. Unde explicatius vertunt: *Dumtaxat in Kir-Haresetb reliquos fecerunt lapides eius.* III. *Donec Kir-Charesethæ reliquos faciebant Moabitæ, lapides eius*; id est, reliquiæ Moabitarum in eam urbem se recipientes, impedirent ne sicut cæteræ destruerentur. *Lapides eius*, id est muros eius: metonymia synecdochica: ab illis enim vim Israelitarum propulsabant. IV. *Donec dimitterent lapides eius in paricte testæ*: vel potius, *donec relinquerent in muro lapides eius ut testam*, ut non essent nisi tamquam testæ, quasi oppugnatione essent confracti ac contriti excusso calce ac cæmento, ut manerent quasi testæ. קיר חרשת *kir-charesetb* sonat *paries*, vel *murus testæ*, seu *cocti lateris*: & potest esse nomen proprium urbis, quod magis existimamus. A FUNDIBULARIIS. Notant vocem קלעים *kallaghim* non solum significare eos qui funda lapides iaciunt, sed etiam eos qui machinis & tormentis contorquent ingentia saxa in muros: quod genus oppugnationis olim fuisse valentissimum, & efficacissimum, abunde te docebunt qui de machinis bellicis nuper conscripsere, ac seorsim Lipsius Lib. II. Poliorceticon, dialog. III. Quidam reddunt: *Quapropter divertentes funditores quatiebant eam.*

V. 26. PRAEVALUISSE SCILICET HOSTES. Hebr. *Quia obtinuit ab eo præl.* Quidam: *Quod bellum gravius esset, quam quod ipse sustinere posset.* Alii: *Prævalere sibi huius belli milites*, seu *hos bellatores*; ac proinde fore ut brevi potirentur oppido, ipsumque interciperent, nisi aliquo stratagemate sibi contuleret. EDUCENTES GLADIUM, seu *evaginantes*, *stringentes*, *gladios*, id est magnanimos & bellicosos. UT IRRUMPERENT. Heb. *ad discendere facere*; *ad disecare facere*; *ad perrumpere*, ut eruptione facta elaberentur.

V. 27. ARRIPIENSQUE FILIUM SUUM PRIMOGENITUM .... OBTULIT EUM HOLOCAUSTUM, &c. In summa rerum suarum desperatione, summum diis suis sacrificium obtulit primogeniti sui, ut eos propitios sibi redderet. Philo Byblius Lib. I. Historiæ Phœnicum, apud Eusebium Lib. IV. Præparationis Evangelicæ, cap. VII. ad hoc factum Regis Moab, non sat bene sibi perspectum, forte alludens, ita scribit: *Morem, inquit, priscis in magnis calamitatibus atque periculis fuisse, ut civitatis aut gentis princeps dilectissimum ex liberis ulciscenti dæmoni quasi redemptionis præmium traderet, & sic traditum mystice ingularet. Sic igitur Saturnus Rex regionis, quem Phœnices Israelem vocant, qui postea quam hominem exuit, ad Saturni stellam adductus est; cum ab Anobret nympha unicum haberet, atque carissimum filium Iehud, a re ipsa dictum (sic enim etiam nunc Phœnices unicum filium appellant) quia maximo ac periculosissimo bello civitas premebatur, regio indutum ornatu super constructam ad hæc præparatamque aram immolavit.* ET FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL. Viso tam atroci & immani facinore, magna indignatione & horrore, immo & commiseratione tam crudelis facti affecti sunt Israelitæ, ut statim obsidionem solverint, & in regionem suam se receperint. Quidam dicunt ortam indignationem, quod Israelitæ idololatræ desperaverint de victoria, quod existimarent deos Moabitarum eo sacrificio ipsis fore admodum propitios, atque defensuros urbem; cum contra alii persistendum in obsidione censerent: unde nata est inter Israelitas contentio & indignatio, ac proinde discessum ab obsidione.

Munsterus, Robertus Stephanus, Clarius, Tremellius, & Iunius. secuti quosdam Hebræorum, singularem loci huius interpretationem attulerunt, ut primogenitus immolatus, non fuerit filius Regis Moab, sed filius Regis Edom, quem captum ea eruptione, vel antea, Rex Moab in muro sacrificarit: unde totum versum ita reddunt, atque exponunt: *Sed cepit filium eius primogenitum, qui regnaturus erat pro eo. Eius*, puta Regis Edomæorum, cum irrupisset in castra illius, nec potuisset perrumpere. Sensus est: Rediens ex impressione, filium Regis Edomæorum captivum secum abduxit in oppidum: qua ex re consecutum est ut Rex Edomæorum obsidionem deseruerit studio liberandi filium, & contra Regem Israelitarum ira exarserit pertinacius in obsidione persistentem. *Et obtulit eum in holocaustum super*

per murum ipſum, poſt ſolutam obſidionem. Vide Amos II. 1. *Unde extitit fervor magnus contra Iſraelitas*; id eſt, ex captivitate filii huius pergraves rixæ Edomæi Regis, & Iſraelitarum exortæ ſunt. *Quare profecti ab eo reverſi ſunt in regionem ſuam*; id eſt, cum ex indignatione Edomæi a caſtris diſcederent, & te, relicto Iſraelis Rege, domum reciperent, ac proinde Iſraelitæ de potiunda urbe deſperarent, ab imperato anathemate perficiendo deſtiterunt diffidentia. Hanc explanationem Hebræa non reſpuunt: nam בנה *beno* recte transferri poteſt, *filium ſuum*, & *filium eius*. Sed Ioſephus, Græci, & Latini omnes Explanatores, filium Regis Moab immolatum intellexere. STATIMQUE RECESSERUNT AB EO. Nonnulli intelligunt, receſſiſſe renovato fœdere cum Rege Moab de pendendo ſolito tributo Regi Iſraelis, qui erat finis ſuſcepti belli. Sed id incertum.

MENOCHII.

Verſ. 2. TULIT STATUAS BAAL QUAS FECERAT PATER EIUS. Suſpicatur Salianus id Ioſaphati impulſu factum eſſe, qui ſoram affinitate iunctus erat, & qui fortaſſe negavit ſe auxilium illi præbiturum, niſi idolorum, ac præſertim Baal cultum abiiceret. Reprehenſus enim fuerat Ioſaphat a Iehu Propheta II. Paralip. XIX. 2. ob datum Achabo impio Regi auxilium. Facilius autem fuit Baalis ſtatuas tollere, quam vitulos a Ieroboam erectos: quia Baalis cultus recens, & nuper ab Achabo invectus erat; vitulorum vero iam inveteratus, & longo uſu ab Iſraelitis uſurpatus.

V. 4. CUM VELLERIBUS SUIS; id eſt, prius quam tonderentur.

V. 5. PRAEVARICATUS EST FOEDUS: tributum pendere recuſavit.

V. 7. QUI MEUS EST, TUUS EST, &c. quaſi dicat: Uteris peditatu, atque equitatu meo perinde ac tuo. Liberaliter ſane, & prudenter. Vidit enim rem quoque ſuam agi in hac expeditione contra Moabitam; qui ſi deſectionem impune tuliſſet, illico Idumæus Iudæ tributarius, eius ſecutus eſſet exemplum.

V. 8. PER QUAM VIAM ASCENDEMUS? Duplex eſſe poterat via: altera brevis & expedita, tranſmiſſo ſcilicet Iordane ad Galgala, & per tribum Ruben in fines Moabitarum irrumpendo; altera longior per deſertum Idumææ. Hanc vero eligunt ut ſibi Idumæum ſocium adiungant, & ut ab illa parte Moabitam aggrediantur, a qua ſibi ille minus timebat.

V. 9. REX EDOM. REX, ſive Prorex Idumææ. Vide dicta ſupra III. Reg. XXII. num. 48.

V. 11. UNUS DE SERVIS REGIS ISRAEL. Sæpius enim viſus fuerat Eliſeus in Regno Iſrael quam in regno Iuda, cum etiam ex illo eſſet oriundus, nimirum ex Abelmeula civitate tribus Manaſſe. QUI FUNDEBAT AQUAM SUPER MANUS ELIAE: quia Eliæ diſcipulus erat, illique famulabatur.

V. 12. EST APUD EUM SERMO DOMINI; quaſi dicat: Erit ſine dubio apud eum ſermo Domini, qui magni Eliæ fuerit individuus comes. Aliqui legunt cum interrogatione: nomine enim Eliſei audito, cuius nondum fama increbuerat, quærit an ſit apud eum ſermo Domini; hoc eſt, an ſpiritum habeat prophetiæ.

V. 13. QUID MIHI ET TIBI EST? Quid mihi tecum commune eſt, qui Prophetas Domini conſulere non ſoles, ſed vitulorum ſacrificulos? PATRIS TUI, ET MATRIS TUAE, Achabi, & Iezabelis.

V. 14. IN CUIUS CONSPECTU STO; cui ſervio. ERUBESCEREM, revererer.

V. 15. ADDUCITE MIHI PSALTEM. Requirebat hunc cantorem genere Levitam, qui aliquid in Dei laudem ex Davidis pſalmis concineret, ut ait Theodoretus, & Procopius; tum ut harmoniæ ſuavitate ad devotionem excitaretur, & tranquillior fieret animus, aptiorque ad accipiendam propheticam illuſtrationem; tum ut Deus laudum ſuarum celebratione, cui Eliſei preces adiungebantur, moveretur ad revelandum quid facto opus eſſet. FACTA EST SUPER EUM MANUS DOMINI; id eſt, ſpiritu prophetico afflatus eſt.

V. 16. FACITE... FOSSAS ET FOSSAS; id eſt, replete multis ſcrobibus, & foſſis totum hunc locum, in quo ſolet torrens decurrere.

V. 17. NON VIDEBITIS VENTUM, auſtrum ſcilicet pluviæ conciliatorem. ALVEUS REPLEBITUR AQUIS, Deo

aquas de theſauris ſuis promente, & abſque pluvia per alveum torrentis effundente.

V. 19. PERCUTIETIS OMNEM CIVITATEM MUNITAM. Non præcipit Eliſeus, ſed quid facturi ſint prænuntiat. LIGNUM FRUCTIFERUM SUCCIDETIS. Non peccaverunt arbores fructiferas ſuccidendo, quamvis id legi repugnare videatur Deuter. xx. quia lex de Chananitide intelligitur, quæ Moabitas non comprehendit. FONTES AQUARUM OBTURABITIS, humo ſcilicet ingeſta in eorum capita, & alveos. OPERIETIS LAPIDIBUS. Id quomodo factum ſit, dicitur num. 25. ſequenti.

V. 20. QUANDO SACRIFICIUM OFFERRI SOLET, ſacrificium ſcilicet matutinum, de quo vide Exod. xxix. 38.

V. 21. QUI ACCINCTI ERANT BALTEO; quaſi dicat, enſe: omnes milites, aut omnes qui per ætatem arma ferre poterant, & militare. IN TERMINIS, in regni finibus.

V. 22. AQUAS RUBRAS QUASI SANGUINEM. Matutino enim tempore aqua ſolis radiis icta rutilat, & fortaſſe etiam arena torrentis ei colori ſerviebat, accedente etiam nonnulla turbatione ex parte Dei, qui eos deſtinarat ad victimam, ut vult Abulenſ. quæſt. xxi.

V. 25. MURI FICTILES, civitatis vicinæ regiæ, quæ lateritia habebat mœnia, ad quam ſe Rex Moabitarum receperat cum iis qui ſe eo proripere potuerant. A FUNDIBULARIIS, qui ſaxorum grandine propugnatores a muris deturbarent, interim dum ſui muros quaterent, & per ruinas in urbem irrumperent. MAGNA EX PARTE PERCUSSA, id eſt eo deducta ut parum abfuerit quin caperetur.

V. 23. UT IRRUMPERENT AD REGEM EDOM, id eſt qua parte Rex Idumææ obſidebat urbem.

V. 27. OBTULIT HOLOCAUSTUM SUPER MURUM, Chamos ſcilicet Deo Moabitarum: idque factum vel ad impetrandum a Deo auxilium immolatione rei cariſſimæ, vel ad flectendos miſericordia animos Iſraelitarum: frangit enim intuentium animos dira illa neceſſitas, quæ parentem invitum cogit, eoque adigit, ut filii ſui primogeniti ſanguine manus cruentet. FACTA EST INDIGNATIO MAGNA. LXX. habent μετάμελος μέγας *pœnitentia magna*: quæ verſio favet proximæ dictis, ut ſententia ſit: Doluerunt miſerum Regem ad huiuſmodi neceſſitatem deſperatione adactum, quaſi in ipſos pars aliqua tanti criminis redundaret. Vulgatæ vero noſtræ verſionis ſententia eſt Iſraelitas viſo tali ſpectaculo doluiſſe ſuper tam indigno facinore, & agnoſcentes illum ſatis graves dediſſe pœnas, obſidionem ſolviſſe.

TIRINI.

Verſ. 2. FECIT Ioram Rex MALUM CORAM DOMINO, dum vitulos aureos in Dan, & Bethel retinet, & adorat. Non tamen peccavit tam graviter & impudenter ſicut Achab & Iezabel parentes eius, qui priſtinæ vitulorum idololatriæ ſuperinduxerant novam Sidoniorum ſuperſtitionem, nempe ſacra Baal. Nam ſtatuas illius ſuſtulit Ioram. Quod ſane mirum, vivente, videnteque matre Iezabele filium auſum fuiſſe. Verum cum bellum cogitaret adverſus Moabitas, quos rumor erat, in pœnam novæ idololatriæ per Iezabelem inductæ, permiſſu Numinis rebellaſſe Iſraeli, voluit offendiculum tollere potius quam belli aleam ſubiret.

V. 9. ET REX EDOM: potius Prorex, ut patet ex iis quæ dixi in fine Lib. III. & huius Lib. IV. 1. 1. Nam vicarium ſibi ſubſtituebat Rex Iuda in Idumæa quem volebat, iam inde a tempore Davidis. Unde & Ioſaphat hic compellit eumdem ſeu Regem, ſeu Proregem, cum ſubiecto ſibi populo arma ſumere, ſecumque adverſus Moabitas in bellum venire. Rurſum hæſitante Ioramo qua via ducendus eſſet exercitus in terram Moabitidem, Ioſaphat decernit, per Idumæam, regionem ſibi iam pridem ſubditam, traduci.

V. 11. EST HIC in caſtris ELISEUS... QUI FUNDEBAT AQUAM SUPER MANUS ELIAE; id eſt, qui famulus fuit Eliæ. Eſt enim familiare non modo ſacræ, ſed & profanæ litteraturæ, ut actio aliqua ſingularis totum officium ſeu miniſterium deſignet. Sic *ſolvere corrigiam calceamenti a* idem quoque eſt quod *ſervire*. Notas pecoribus inurere *b* quibus diſtinguantur ab aliis, eſt paſtoritium opus exercere. *In militum capita frangere vites*, eſt

est tribunum agere. *Cubito sese emungere*, est salsamentarium esse.

V. 15. ADDUCITE MIHI PSALTEM. Levitam aliquem accitum dicit Theodoretus, qui suavi psalmorum Davidicorum modulatione excitaret animum Prophetæ ad intemam recollectionem, pietatem ac devotionem: atque ita disponeret ad divinas inspirationes ac revelationes excipiendas. Quantum in hoc genere valeat musica, testatum in se reliquit S. Augustinus *c*, & fuse probant quæ dixi I. Reg. XVI. vers. 23. de Davide sua cithara furibundum Saulem refocillante.

V. 16. FACITE ALVEUM TORRENTIS HUIUS FOSSAS ET FOSSAS; id est, in sinu isto aridi torrentis fodite foveas plurimas, & scrobes, quibus aquæ miraculo mox submittendæ excipiantur, & detineantur.

V. 22. ORTO IAM SOLE... VIDERUNT AQUAS RUBRAS QUASI SANGUINEM, nempe ex reflexione radiorum solis matutini, qui ob vapores accensi videntur & rubri, sicut cum transeunt per vitrum rubrum. Ita Hebræa, Chaldæa, Iosephus, & ex eo Abulensis. Et II. Reg. XXIII. vers. 4. expresse dicitur, *lux auroræ oriente sole mane* etiam *absque nubibus rutilare, seu rubricare*.

V. 25. UT MURI TANTUM FICTILES REMANERENT. Nomen est regiæ civitatis Moabitarum, *Kir Chareseth d*, quod significat *murum lateritium*. Et forsan ob ingentes e cocto latere moles pro muris erectas, nomen hoc inditum fuit regiæ urbi. Item nomen habes etiam Isaiæ XVI. vers. 7.

V. 27. PRIMOGENITUM SUUM OBTULIT HOLOCAUSTUM, nempe idolo suo Moloch, seu Saturno, ut dixi III. Reg. XI. vers. 5. quod, teste Eusebio *e*, familiare erat Gentilibus. Et tentavit etiam Sennacherib, infra cap. XIX. Voluit vero Rex Moabitarum ferali hoc holocausto partim offensum sibi placare idolum, eiusque opem advocare: partim infestos Reges & exitio urbis imminentes ad misericordiam provocare, aut certe desperatione percellere. Ideo super murum civitatis obtulit, & exuslit filium suum videntibus Israelitis. ET FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL. Nempe subirati sunt Reges sibi ipsis, quod miserum patrem coegissent in filium tam indigne sævire, & in sua pene viscera ferrum adigere. Unde miserti illius, ne ad ulteriorem desperationem & suimet necem cogerent, ab urbis obsidione recedunt, innovatoque cum Rege fœdere de tributo pristino ex fide pendendo, ad sua redeunt. Ita Iosephus, Vatablus, Abulensis, & Lyranus.

(*a*) Ioan. I. vers. 17.
(*b*) Virg. I. Georgic. & Festus ibid.
(*c*) August. Lib. IX. Confess. cap. VI.
(*d*) Proleg. de Idiotis. Hebr.
(*e*) Euseb. Lib. IV. de Præpar. cap. VII.

GORDONI.

Vers. 1. REgnat Ioram iste Israeliticus anno circiter decimo nono Iosaphati, ut habet diagramma. Sed qui sunt hi duodecim anni Ioram Israelitæ? sane sunt ab anno decimo nono Iosaphat usque ad Athaliæ annum primum, ad quem protraxit vitam Ioramus Israelita, quando Iehu cœpit res novas moliri, qui regnat postea annis viginti octo. Ceterum non male ad hos & similes explicandos scrupulos, observatum est, non solum in sacra chronologia, annos excurrentes & imperfectos censeri interdum pro integris; sed etiam notari annos non chronologicos, ex hoc maxime capite, quod filii non raro regnaverint cum patre: & nunc solius patris, nunc filii cum patre regnantis anni notentur. Hinc si filius duobus annis regnet cum patre, & postea solus decem annis, dici poterit regnasse vel decem, vel etiam duodecim annis.

V. 4. Domuit has gentes David II. Reg. VIII. sed nunc rebellant, ut ibid. & Lib. III. cap. ult. notavi tributum hoc quotannis, agnos, arietes, & vellera, seu lanam.

V. 9. ET REX EDOM. Sicut enim Moab pendebat tributum Israeli, ita Regi Iuda Edom, seu Idumæa.

V. 16. FACITE ALVEUM TORRENTIS, &c. Exaruit torrens: iubet ibi fieri fossas ad venturam aquam capiendam.

V. 15. ADDUCITE MIHI PSALTEM, sed genere Levitam, qui aliquid canat in Dei laudem, ex Procop. & Theodoreto: ut suavitate concentus excitaretur animus, & aptior esset ad Dei donum prophetiæ.

V. 20.

V. 20. REPLETA EST TERRA AQUIS. En aquas quæ in torrentis locum, & foſſas decurrunt, ſine vento, aut pluvia. Mirabilia ſatis vides.

V. 22. PRIMOQUE MANE. Dum Moabitæ progrediuntur ad bellum, vides aquas rubras evaſiſſe: ſuſpicantur tres Reges illis adverſarios mutuis vulneribus, & exercitum occiſos: hinc Moabitæ læti hortantur ſe ad prædam.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Abſtulit quidem ſtatuas Baal erectas ab Achab patre, non tamen vitulos, quos fecit Ieroboam.

V. 5. PRAEVARICATUS EST, recuſans pendere promiſſum tributum.

V. 19. FRUCTIFERUM. Lex illa Deut. cap. 11. verſ. 2. intelligi videtur de Chananitide: hic de Moabitis agitur.

V. 25. MURI FICTILES, urbis regiæ, opere latericio extructi.

V. 26. & 27. IRRUPERENT, qua parte Rex Edom obſidebat urbem. INDIGNATIO. Iſraelitæ viſo ſpectaculo, indignoque facinore, dolentes receſſerunt.

CAPUT IV.

Eliſeus viduæ pauperculæ oleum impetrat quo ſolvat creditoribus; Sunamitidi hoſpitæ ſuæ filium, quem poſtea mortuum ſuſcitat, farina quoque pulmento infuſa, ipſius aufert amaritudinem, & paucis panibus multos ſatiat.

1. MUlier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſeum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſervus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi. 2. Cui dixit Eliſeus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei, quo ungar. 3. Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca. 4. Et ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu, & filii tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc: & cum plena fuerint, tolles. 5. Ivit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerebant vaſa, & illa infundebat. 6. Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit: Non habeo. Stetitque oleum. 7. Venit autem illa, & indicavit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filii tui vivite de reliquo. 8. Facta eſt autem quædam dies, & tranſibat Eliſeus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem: cumque frequenter inde tranſiret, divertebat ad eam ut comederet panem. 9. Quæ dixit ad virum ſuum: Animadverto quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. 10. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. 11. Facta eſt ergo dies quædam, & veniens divertit in cœnaculum, & requievit ibi. 12. Dixitque ad Giezi puerum ſuum: Voca Sunamitidem iſtam. Qui cum vocaſſet eam, & illa ſtetiſſet coram eo, 13. dixit ad puerum ſuum: Loquere ad eam: Ecce, ſedule in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, & vis ut loquar

Regi,

Regi, ſive principi militiæ? Quæ reſpondit: In medio populi mei habito. 14. Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, & vir eius ſenex eſt. 15. Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata ſuiſſet, & ſtetiſſet ante oſtium, 16. dixit ad eam: In tempore iſto, & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa reſpondit: Noli quæſo domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. 17. Et concepit mulier, & peperit filium, in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Eliſeus. 18. Crevit autem puer. Et cum eſſet quædam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum, ad meſſores, 19. ait patri ſuo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem ſuam. 20. Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua uſque ad meridiem, & mortuus eſt. 21. Aſcendit autem, & collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium: & egreſſa, 22. vocavit virum ſuum, & ait: Mitte mecum, obſecro, unum de pueris, & aſinam, ut excurram uſque ad hominem Dei, & revertar. 23. Qui ait illi: Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbatum. † Quæ reſpondit: Vadam. 24. Strato aſinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age quod præcipio tibi. 25. Profecta eſt igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidiſſet eam vir Dei e contra, ait ad Giezi puerum ſuum: Ecce Sunamitis illa. 26. Vade ergo in occurſum eius, & dic ei: Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ reſpondit: Recte. 27. Cumque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & acceſſit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine eſt, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. 28. Quæ dixit illi: Numquid petivi filium a domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me? 29. Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi: & pones baculum meum ſuper faciem pueri. 30. Porro mater pueri ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & ſecutus eſt eam. 31. Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus: reverſuſque eſt in occurſum eius, & nuntiavit ei, dicens: Non ſurrexit puer. 32. Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: 33. ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum: & oravit ad Dominum. 34. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius: & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. 35. At ille reverſus, deambulavit in domo, ſemel huc atque illuc: & aſcendit, & incubuit ſuper eum: & oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos. 36. At ille vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. 37. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adoravit ſuper terram: tuliſque filium ſuum, & egreſſa eſt, 38. & Eliſeus reverſus eſt in Galgala. Erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo, dixitque uni de pueris ſuis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum. 39. Et egreſſus eſt unus in agrum ut colligeret herbas agreſtes: invenitque quaſi vitem ſilveſtrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium ſuum, & reverſus concidit in ollam pul-

men-

menti: nesciebat enim quid esset. 40. Infuderunt ergo sociis, ut comederent: cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. 41. At ille, Afferte, inquit, farinam. † Cumque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. 42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei * panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat. 43 Respondit ei minister eius: * Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit. 44. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 42. *Panes primitiarum, viginti panes hordeaceos.* Redundat & coniunctio quæ a quibusdam interponitur.

V. 43. *Quantum est hoc, ut apponam centum viris.* Non addas *coram*, quod quidam libri præponunt voci *centum*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 23. *Qui respondit: Vadam.* Alii pro *vadam* legunt *vale*, quod Hebraice est *pax*.

V. 41. *Cumque tulissent, misit.* Alii libri hoc solum habent, *& misit*.

COMMENTARIA

S. A.

Vers. 1. PROPHETARUM. Hebr. *filiorum Prophetarum*. Chald. *discipulorum Prophetarum*. Vide supra cap. II. AD SERVIENDUM. Hebr. Chald. & Sept. *in servos*.

V. 2. PARUM OLEI. Hebr. Chald. & Sept. *vas olei*, scilicet lecythus.

V. 4. ET CUM PLENA, &c. Chald. & Sept. *Ubi unum fuerit plenum, tolle inde, & imple aliud.*

V. 5. SUPER SE, id est post se; vel quasi dicat, se includens intus. Sic & infra.

V. 8. FACTA EST AUTEM QUAEDAM DIES. Hebr. Chald. & Sept. *Fuit autem die quadam*; quasi dicat: Accidit vero ut, &c. SUNAM. Hebr. & Chald. *Sunem*. Sept. *Sonam*. MAGNA, id est dives, vel insignis. Chald. *timens peccata*.

V. 10. COENACULUM, id est cubiculum.

V. 13. IN MEDIO POPULI, &c. quasi dicat: Nulla re indigeo, vel non desunt qui me adiuvent.

V. 14. NE QUAERAS: FILIUM ENIM. Hebr. Chald. & Sept. *profecto filium*.

V. 16. IN TEMPORE ISTO, scilicet elapso anno. SI VITA COMES FUERIT. Hebr. *vivente te*. Sept. *vivens tu*. Chald. *superstites eritis*. Vide Gen. XVIII. vers. 14. MENTIRI, id est decipere.

V. 19. DOLEO, scilicet ob solis radios.

V. 23. CALENDAE, NEC SABBATUM: scilicet his diebus solebant Prophetas consulere. VADAM. Heb. Chald. & Sept. *pax*; quasi dicat, vale: vel, Bene quidem habent nostra, sed est cur velim illum convenire.

V. 24. MINA, id est duc. NE MIHI MORAM FACIAS, &c. Hebr. Chald. & in Sept. sensus est: Duc asinam propere, nec mea causa moreris, ut ego equitem, nisi ego dixero tibi: scilicet volebat illum præcedere cum asina, ipsa pedes sequi: asinam vero ducebat, ut Propheram veheret.

V. 29. NON SALUTES, &c. quasi dicat: Ne immoreris ulla in re, etiam salutandi aut respondendi causa.

V. 35. SEMEL HUC ATQUE ILLUC. Hebr. & Chald. *semel huc, & semel illuc*.

V. 38. UNI DE PUERIS SUIS. Heb. Chald. & Sept. *puero suo*.

V. 39. COLOCYNTHIDAS AGRI, id est agrestes cucurbitas.

V. 40. MORS: scilicet putabant esse venenum.

V. 42.

V. 42. BAALSALISA. Chald. *terra australi*. PRIMITIARUM, id est ex novis frugibus, vel in oblationem primitiarum. FRUMENTUM NOVUM, scilicet in spicis. Chald. *manipulos*. Sept. *palathas*. Hebr. *spicas recentes*. PERA. Sic etiam Sept. at Hebr. & Chald. *veste*: quod quidam referunt ad granorum thecas seu folliculos.

V. 44. VERBUM DOMINI, id est prophetiam.

ESTII.

Vers. 29. SI OCCURRERIT TIBI HOMO, NON SALUTES EUM: ET SI SALUTAVERIT TE QUISPIAM, NON RESPONDEAS ILLI. Ad eumdem modum Lucæ x. præcipit Dominus discipulis suis, quos ad prædicandum mittebat, ut neminem per viam salutarent. Qua verborum forma, neque Propheta, neque Prophetarum Dominus prohibet officium humanitatis, cum in Evangelio præcipiatur etiam inimicos salutare, & salutem precari. Sed utrobique est sermo hyperbolicus, quo præcipitur, ut summa diligentia & celeritate negotium sibi commissum exequantur, & excludatur omnis occasio quæ moram itineri, seu profectioni iniicere posset. Hebraice hoc loco pro *salutare* est *benedicere*, id est bene precari. Quo modo etiam vertunt Septuag.

V. 31. GIEZI AUTEM PRAECESSERAT ANTE EOS, ET POSUERAT BACULUM SUPER FACIEM PUERI, ET NON ERAT VOX, NEQUE SENSUS. Quæritur quare Giezi per baculum Elisei non potuerit puerum suscitare. Responsio quorumdam est, quia Giezi non observasset præceptum Elisei, sed passim occurrentibus sibi hominibus iactabundus dixisset, se missum esse ad suscitandum mortuum: & propterea ad baculi contactum per eius ministerium nullum esse consecutum effectum. Sed etiamsi concedatur Giezi in hoc contra magistri mandatum feciſſe (de quo Scriptura nihil commemorat) constat tamen hanc non esse totam, aut præcipuam rationem: quin potius in baculo mysterium requirendum est. Nam Elisæus ipse paulo post suscitaturus eumdem puerum mortuum, non est usus baculo, sed longe alia ratione: nimirum applicatione carnis suæ, & singulorum membrorum ad carnem, & membra singula pueri defuncti. Per baculum igitur quem Giezi portarat, lex Moysi significata est, quæ quidem præmissa fuit a Deo ante Christi adventum, sed vivificare mortuos non potuit; testante Apostolo, Gal. III. *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset iustitia*. Ceterum post baculum venit ipse Elisæus, post legem Christus, qui per incarnationem suam quodammodo corpus suum corpori nostro, & membra membris aptavit; id est, totum se inclinavit ad nostram humilitatem, ut nos a morte peccati, & æternæ damnationis liberaret. Sic Augustinus in Psalm. LXXVIII. conc. I. & serm. XI. de verbis Apostoli.

MARIANAE.

AD Elisæum clamat mulier, & succurrit ei.

V. 1. ET ECCE CREDITOR: fortasse fenerator. Sept. δανειστὴς, quæ vox *mutuantem* absolute, sæpius *cum fenore mutuantem* significat. AD SERVIENDUM SIBI. Heb. *Sibi in servos filios tollere vult*.

V. 2. NON HABEO...NISI PARUM OLEI. Hebr. *vas olei*. QUO UNGAR: Additum ex Sept. Pete vasa,

V. 4. CUM PLENA FUERINT, TOLLES. Hebr. & *plenum amovebis*. Clausit ostium

V. 5. SUPER SE; id est, post se clausit ostium. Plena vasa fuerunt:

V. 6. STETITQUE OLEUM, id est augeri desiit.

V. 7. REDDE CREDITORI TUO: Sept. δάνιον *usuram*: sic puto vocem Hebr. נשך *nischech*, *creditori tuo*, a *nascch* deducendam, quæ *usuram* significat, quod sit morsus quidam rei familiaris. Litteræ haud dubium vitiatæ huc videntur dirigendæ, ut est in Masoreth. Cum Hieronymo tamen plerique consentiunt, *creditori tuo* vertentes.

V. 8. ERAT AUTEM IBI MULIER MAGNA, id est opulenta. PANEM, id est cibos ut comederet. Elisæus divertebat ad illam.

V. 10. COENACULUM PARVUM faciamus Elisæo: sic Sept. Hebr. & Chald. *cœnaculum muri parvum*; id est, non ex

ramalibus, non ex tabulis, sed parietibus factum. Est autem *cœnaculum* cubiculum in superiori domus parte, quod ipsa vox Hebr. *halhab* indicat, *superius* significans.

V. 12. DIXITQUE AD GIEZI PUERUM SUUM. Famuli quacumque ætate *pueri* vocantur. Pueros senibus ministrare est consentaneum.

V. 13. SEDULO....MINISTRASTI NOBIS. Hebr. *Trepidasti ad nos*, id est pro nobis. Metaphora, ad significandam diligentiam & solicitudinem. Quid vis? Illa: IN MEDIO POPULI MEI HABITO; quasi dicat: Non desunt patroni, nec tua ope egeo, ut Regi pro me loquaris. Giezi:

V. 14. NE QUAERAS. Hebr. *sed filius non ei*. Oratio defectiva; quasi dicat: Tua opera alioqui non eget; sed filium, si per te posset impetrare, quo caret.

V. 16. IN TEMPORE ISTO, ET IN HAC EADEM HORA. Hebr. *in statuto hoc tempore*, scilicet elapso anno. SI VITA COMES FUERIT. Hebr. *secundum vitæ tempus*, id est quo cuncti vivemus. Quidam explicant, secundum tempus puerperæ, scilicet ad nonum mensem: sic Hebræus. HABEBIS IN UTERO FILIUM. Hebr. *tu amplectens filium*. Puer ad messores egressus ait:

V. 19. DOLEO. Hebr. solum est *caput meum, caput meum*: sed bene suppletur *doleo*. Poterat etiam omitti, ut omittunt Sept. & Chald.

V. 23. NON SUNT CALENDAE. Heb. *non mensis*, id est initium mensis, ut scilicet ferieris, & relicta domo vadas ad virum Dei: sic maritus. Atila: VADAM. Hebr. *Pax*; id est, bene habent res, bonam ob causam ire volo. Mulier puero:

V. 24. ET HOC AGE QUOD PRAECIPIO TIBI. Hebr. *Nisi dixero tibi*, scilicet ne moreris.

V. 25. E CONTRA. Hebr. *Mineghed*, significat *a longe*, vidit eam Elisæus.

V. 28. NUMQUID NON DIXI TIBI: NE ILLUDAS ME? Sept. *fefucas*. Chal. *Non dixi tibi, Si datur mihi filius, vivat; sin minus, ne turbes me?* Elisæus ad Giezi: Festina: si quis occurret,

V. 29. NON SALUTES EUM. Hebr. *ne benedicas ei*. Sed *benedicere* pro *salutare*. Hyperbole. Elisæus incubuit super puerum:

V. 35. ET OSCITAVIT. Sic Chald. Alii *sternutavit*. Vox Hebr. *iezorer* ambigua, aut certe utrumque significat.

V. 38. UNI DE PUERIS SUIS. Heb. *puero suo*: ministro suo dixit Elisæus.

V. 39. HERBAS AGRESTES. Chald. & Sept. dicunt *olera*; sed vox Hebr. *oroth*, *herbas virentes* significat. INVENITQUE QUASI VITEM SILVESTREM. Hebr. non est *quasi*, sed tantum *vitem silvestrem*. Sed ea vitis silvestris non est illa quam Dioscorides posuit, quæ nascitur inter rubos, & fert botros rubros; sed potius ipsa colocynthis silvestris, seu cucurbita, hic vocatur *vitis*, a foliorum similitudine, quæ lata sunt & incisa ut vitis. Itaque herbam ipsam *vitem* vocat Hieronymus, cum videret hanc herbam differre ab ea quæ a Latinis vocatur vitis silvestris, de suo addidit adverbium *quasi*, id est herbam viti silvestri similem. ET COLLEGIT EX EA COLOCYNTHIDAS AGRI, id est cucurbitas silvestres, ovi scilicet magnitudine, & forma, quæ sunt amarissimæ. Hebr. *pakuboth*. Ergo herbam ipsam vitem silvestrem, aut *quasi vitem* Hieronymus vocavit, cum ei fructu certe non sit similis; poma quæ fert, dixit *colocynthidas*. Græci hac voce tum herbam cucurbitam, tum fructum promiscue sativum & silvestrem significant. NESCIEBAT ENIM QUID ESSET. Heb. *Quoniam non cognoverunt*, scilicet neque qui collegit, neque socii.

V. 40. MORS IN OLLA. Putabant esse venenum. Id dicunt filii Prophetarum. Misit farinam, & non fuit in olla

V. 41. QUIDQUAM AMARITUDINIS. Hebr. *verbum malum*; id est, non fuit mali amplius in olla: sed malum amaritudo est.

V. 42. PANES PRIMITIARUM detulit quidam ad Elisæum. Hebr. *panem*. VIGINTI PANES HORDEACEOS. Expositive sumi potest, ut illi essent panes primitiarum. Porro in Syria is est communis panis. ET FRUMENTUM NOVUM. Chald. *Et manipulos in vestimento suo*. Sed *carmel* frumentum novum significat tostum & contusum, scilicet in usum pultis. IN PERA SUA. Hebr. *in veste sua*, quod referri potest ad vestem frumenti folliculum, ut plerique faciunt; aut ad vestem portantis, quam eo frumento implevit.

MAL-

MALVENDAE.

Vers. 1. DE UXORIBUS PROPHETARUM. Hebr. *de uxoribus*, aut *mulieribus filiorum Prophetarum*. De his filiis Prophetarum vide sup. cap. II. vers. 3. & I. Samuel. X. 5.

V. 3. NON PAUCA. Hebr. *Ne pauciſices*. Quidam: *Ne pauca petito*; id eſt, ſive a te, ſive ab aliis, cura ut vaſorum copia inſtructa ſis. Poſſis reddere: *Ne parvefacias*; id eſt, ne ſint vaſa parva, ſed magna & capacia: quod Deus liberaliter largiatur.

V. 4. TOLLES. Hebr. *Amoveri iubeto*; id eſt, per filios tuos ſeponito. STETITQUE OLEUM: vel, *Et conſtitit oleum*; id eſt, augeri deſiit.

V. 8. SUNAM. Vide de hac urbe Ioſue XIX. verſ. 18. MULIER MAGNA. Exponunt, genere & facultatibus inſignis, prædives, & opulenta; ut ſequentia oſtendunt.

V. 10. COENACULUM PARVUM. Hebr. *cœnaculum parietis parvum*. Quidam exponunt *cœnaculum*, *vel cubiculum* ex continuo pariete fornicatum, in quo nulla ſit feneſtra. Hiſpanice *alcova*. Alii *cameratum parietis*, vel *pariete*, ſeu *muro*; id eſt, non ex ligno, ſeu tabulis aut ramalibus, ſeu periſtromatis, ſed ex iuſto pariete lateritio, vel lapideo. Nonnulli *cœnaculum paritis*; id eſt, ex quatuor parietibus conſtans, ſemotum ab aliis ædificiis domus, ut liberius poſſit Deo vacare. De voce עלית *ghaliah* vide Iudic. III. 20. eſt proprie *aſcenſus*, *ſuperius conclave*.

V. 13. ECCE SEDULE IN OMNIBUS MINISTRASTI NOBIS. Varie ex Heb. convertunt. I. *Ecce ſolicitaſti nobis omnia ſolicitudine iſta*: vel *ecce ſolicita es pro nobis omni ſolicitudine iſta*; id eſt, tu ſedulo miniſtras nobis: ſive, tu magnum laborem ſumis ut miniſtres nobis. II. *Ecce tremuiſti erga nos cum omni tremore iſto*; id eſt, pia & officioſa tumultuatione circa nos tumultuata es: *cum omni tremore iſto*; id eſt, religione, obſervantia, reverentia. III. *Ecce anxia fuiſti erga nos omni anxietate iſta*. IV. *Ecce trepidaviſti ad nos tota trepidatione iſta*. V. *Adhibuiſti erga nos totam hanc ſolicitudinem*, *curam*, *anxietatem*: vel *in nos omni hac ſolicitudine uſa es*. VI. *Inſeruiſti nobis omni ſtudio iſto ac diligentia*. Exiſtimant Chriſtum iſto verbo ſimili in phraſi uſum eſſe: quod tamen explicandi cauſa Lucas cap. X. verſ. 41. duobus verbis exprimere ſtuduit: *Martha Martha ſolicita es*, *& tumultuaris circa multa*. Vide Geneſ. XXVII. 33. IN MEDIO POPULI MEI HABITO. Exponunt: Non ſum vaga, non exoſa, aut inquieta popularibus meis; ſed quieſco nedum inter conſanguineos, ſed etiam cum univerſo populo meo; ac propterea non egeo interceſſore apud Regem, aut apud principem militiæ. Alii quaſi dicat: Inter conſanguineos meos habito, qui poſſunt mihi eſſe interpretes apud Regem, aut cauſam meam agere, ſi quid negotii habuerim propter quod is conveniendus ſit. Nonnulli: Id eſt amice cum popularibus meis vivo: adeo ut illorum cauſa nihil habeam, quod apud iſtos conquerar.

V. 14. NE QUAERAS. אבל *abal* reddunt *ſed*, *equidem*, *profecto*. Poſſis reddere *luctus*; id eſt, tota domus eſt in luctu ac mœrore, quod filius non eſt ei. Vide in Geneſ. XLII. verſ. 21.

V. 15. ET STETISSET ANTE OSTIUM. Hebr. *Et ſtetit in oſtio*; ſcilicet cubiculi viri Dei: ut etiam intelligendum ſup. verſ. 12. Commendatur mulieris modeſtia ac reverentia, quæ non auſa eſt ingredi conclave: adde etiam verecundiam & honeſtatem.

V. 16. IN TEMPORE ISTO, ET IN HAC EADEM HORA, SI VITA COMES FUERIT. Hebr. *Ad tempus ſtatutum*, *ſecundum tempus vitæ*. Quidam: *Hac ipſa tempeſtate*, *cum hoc tempus vivet*, vel *vigebit*. Vide de hac locutione in Geneſ. XVIII. verſ. 10. & 14. Alii, *Secundum tempus viventis*, vel *animalis*. Nonnulli, *Secundum tempus puerperæ*. Sic verſ. ſeq. NOLI MENTIRI ANCILLAE TUAE. Immodeſta, & inurbana eſſent verba, ſi mulier revera exiſtimaſſet Prophetam mentiri. Notant eſſe verba deprecantis effectum, ne Prophera illudat iocans; quaſi dicat: Faxit Deus, ut quod dixiſti, irritum non fiat.

V. 23. HODIE NON SUNT CALENDAE: Hebr. *novilunium*: qui dies ordinarii ſunt ad conſulendum Deum, & verbum eius audiendum. Nam in regno Iſ-

raelis, ubi religio corrupta erat, pii huc illuc ad consulendum Prophetas discurrebant. QUAE RESPONDIT: VADAM. Hebr. *Et dixit, Pax.* Varie explicant. I. quasi dicat: Recte se habent omnia, bona causa me movet ut adeam Prophetam. II. *Pax*, id est vale. III. quasi dicat: Ibo ad imprecandum ei pacem, sive ad salutandum eum. IV. Id est, *Quieto animo esto*. Prudenter causam dissimulat mulier, ne viro dolorem afferat: & tantummodo veniam excurrendi ab eo postulat. V. *Pax*; id est, propter salutem eo.

V. 24. NE MIHI MORAM FACIAS IN EUNDO. Hebr. *Non prævalebis mihi ad vehendum*, vel *equitandum*. Varie alii. I. *Ne prævaleas mihi vehendo;* id est, ne sis mihi in mora. II. *Ne moram nectas mihi quo minus vehar*. III. *Equitando ne inhibeto mea causa*, subaudi cursum; id est, continenter pergito. Proprie verbum significat, ne valide concludas, coerceas, cohibeas me ad equitandum. IV. *Nec facias eam tarde incedere, eo quod ego insideo illi*; id est, ne tardius facias incedere asinam, quam si vir illi insideret. Alii exponunt: Duc asinam propere, nec mea causa moreris ut ego equitem, nisi ego dixero tibi, scilicet volebat famulum præcedere cum asina, ipsa pedes sequi; asinam vero ducebat ut Prophetam veheret. Ita Hispanicus Interpres. ET HOC AGE QUOD PRAECIPIO TIBI. Sensum apposite expressit, nam Hebr. ex verbo: *Quia si dixit tibi:* vel *quinimmo dixi tibi;* ut sit gravis affirmatio. Alii: *Nisi edixero tibi*: vel *nisi cum dicam tibi*.

V. 26. QUAE RESPONDIT: RECTE, &c. Hebr. *Et illa dixit, Pax*. Videtur certa fiducia in Deo de resurrectione filii ita respondisse: alioqui filio non erat incolumitas; nec sibi, nec viro prosperitas extincto filio. Quidam aiunt, recte prudentem mulierem indicasse, id factum a divina providentia sibi conducere. Alii reddunt: *Quieto animo esto*.

V. 27. APPREHENDIT PEDES EIUS. Vide I. Samuel. XXV. vers. 24.

V. 28. NUMQUID PETIVI FILIUM A DOMINO MEO? Explicant quasi dicat: Priore conditione mea contenta, non petebam filium, sed ultro a te promissum mihi divinitus dari, & conservari petieram: nunc autem quia recepisti te præstiturum petitionem meam, supra vers. 13. & sequentibus, in eadem petitione perstо. NE ILLUDAS ME? Verbum שלה *schalach* in Hiphil, hic varie reddunt. I. *Ne errare facias me?* II. *Ne fallas me?* utrumque ex usu Chaldaico, in quo significato id verbum usurpatur. III. *Ne otiosam, securam facias me?* tuis promissis. IV. *Ne secundes, prosperes, fortunes me?* V. *Ne securam, tranquillam, salvam, pacificam, pacatam facias me*, vel *reddas me?* VI. ex verbo: *Non salvabis me?* Quidam Hebræorum, a שלה *schiliah*, *secundina*, vel *secunda*, Deuteron. XXVIII. vers. 57. exponunt: *Ne secundines me*; id est, ne ponas semen in secundina mea, ne concipere me facias, ne des mihi prolem; quasi dicat: Mallem non edidisse, quam quod mortuus est natus. Sed id remotum alii putent.

V. 29. ACCINGE LUMBOS TUOS: ut expedite iter facias, accinge te ad iter. Festinationem indicat. Sic infra cap. IX. vers. 1. SI OCCURRERIT TIBI HOMO, NON SALUTES EUM, &c. Notant, duplicem causam esse huius mandati: alteram ad amputandum moras, quæ inter mutuas has salutationes esse solent; alteram ut minister cum religioso silentio, ac devote intentus procederet ad patrandum miraculum, nec obviis salutationibus distraheretur. Alii volunt esse synecdochen; id est, ne misceto cum eo colloquia, quod tibi sit in mora. Sic Luc. X. vers. 4. ET PONES BACULUM MEUM SUPER FACIEM PUERI. Notant, hoc signo Gehazi confirmatum de virtute Dei ipsi adfutura ad preces Elisæi, cuius erat scipio.

V. 31. ET NON ERAT VOX, NEQUE SENSUS. Exponunt: Id est, nullum apparuit in puero restitutæ vitæ signum: non quod Elisæi falsus fuerit opinione sua, cum baculum tradidit ministro; sed quia ad importunum mulieris iuramentum, consilium mutare Propheta coactus est, ut ipse præsens potius puerum revocaret in vitam. Alii existimant, nec matris, nec Prophetæ plenam fiduciam miraculo baculi suffragatam.

V. 34. ET ASCENDIT, ET INCUBUIT SUPER PUERUM. Quidam reddunt: *Deinde concendens lectum, incubuit puero*: alii, *incuit super puero*. Vide simile

mile factum Eliæ I. Reg. XVII. verſ. 21. ET CALEFACTA EST CARO PUERI. Plerique intelligunt fotu, & incubatione Prophetæ. Alii calore nativo, qui paulatim redibat in corpus. Utrumque ſimul verum eſſe potuit.

V. 35. AT ILLE REVERSUS, DEAMBULAVIT IN DOMO, SEMEL HUC, ATQUE ILLUC. Varie reddunt, & exponunt. I. Id eſt, *reverſus* ex lectulo ad pavimentum aulæ ſeu cubiculi, bis *deambulavit*, *ſemel huc*, & *ſemel illuc*, orando, nec mora longa fuit. II. *Et averſus deambulabat indomo, modo huc*, & *modo illuc*; id eſt, averſus a puero, viciſſim & per intervalla relicto puero, inambulabat huc & illuc cogitabundus, vel orans: & poſtea extendebat ſe ſuper puerum. III. *Poſtea rurſus ibat per domum, modo huc, modo illuc*, & *conſcendens extendebat ſe ſuper illum*, ſcilicet alternis incumbens, & ambulans, ſeu orans. ET OSCITAVIT PUER SEPTIES. Verbum quadratum ex Pihel זרר *zorer*, exponunt, *averſatus eſt*, *exhorruit*, ut ſit in ſternutatione: *Et ſternutavit puer ſepties*. Sic ſere omnes. Proprie: *Et conſtrinxit*, *compreſſit ſe puer ſepties*: quia qui ſternutat, ſeſe comprimit. Poſſis reddere: *Et alienavit*, *diſtraxit ſe*, *puer ſepties*; ut motu corporis ſeſe alienaverit, & extenderit ſepties. Nec prorſus abſurde expoſueris: *Et conſtrinxit*, *compreſſit*, *puerum ſepties*; id eſt, Eliſeus compreſſit puerum, ſive incubuit ſuper puerum ſepties: ut ſit ei ſimile de Elia I. Reg. XVII. 21. *Et commenſuravit ſe ſuper puerum tribus vicibus*; ut in hoc minor inveniatur Eliſeus magiſtro ſuo Elia, qui ter tantum, ipſe vero ſepties puero incubuerit. Conſer utrumque factum.

V. 37. CORRUIT AD PEDES EIUS, &c. cum ſubmiſſione ac veneratione gratias agens pro filio a morte recepto.

V. 38. REVERSUS EST IN GALGALA, unde cum Elia profectus fuerat, ſupra cap. II. verſ. 1. HABITABANT CORAM EO. Videtur in Ghilghal fuiſſe collegium Prophetarum, ubi habitabant cum Eliſeo. Vide I. Samuel. X. 5. Alii: *Et ſedebant coram eo*, tamquam diſcipuli ad pedes illius; ut Paulus de ſe loquitur Actor. XXII. 3.

V. 39. QUASI VITEM SILVESTREM. Hebr. *vitem agri*, ſeu *agreſtem*, id eſt colocynthidem, quam Hebræi a forma ſic vocabant. NESCIEBAT ENIM QUID ESSET. Hebr. *Non enim noverant* qua natura eſſent: de qua Plinius Lib. XX. cap. III.

V. 40. MORS IN OLLA, VIR DEI; quaſi dicant: Lethale nobis venenum propinatum eſt. Fructum colocynthidis eſſe vehementer amarum, Dioſcorides tradit, unde Perſæ, teſte Meſue, colocynthidem *fel terræ* appellavere.

V. 42. DE BAALSALISA. Hebr. *de Baghal Saliſah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Baal Saliſa*, *unde venit homo cum muneribus ad Eliſeum Prophetam*. *Eſt autem villa in finibus Dioſpoleos* (Lyddæ) *quindecim ferme ab ea millibus diſtans*, *contra ſeptemtrionem in regione Thamnitica*. Quidam reddunt, *In plantitie Saliſæ*: & putant hanc *Saliſam* eſſe, cuius extat mentio I. Samuel. IX. 4. Ibi vide Comm. ET FRUMENTUM NOVUM. Hebr. & *carmel*: de qua voce egimus in Levit. II. verſ. 14. Hic quidam reddunt, *Et ſpicas plenas virides*: alii *ſegetem*, ſeu *frumentum recens* & *pingue*, quale naſcitur in valle carmeli. IN PERA SUA. Vocem צקלון *tziklon* exponunt, *In veſte*, *veſtimento*, *tunica ſua*; non hominis, ſed frumenti; id eſt, cum tunica ſua, nempe ſpicas aliquot triticeas, nondum excuſſis granis: unde alii vertunt, *In*, vel *cum folliculo*, *gluma*, *theca*, *ſua*, quæ ei velut veſtis eſt, ac tunica.

V. 43. COMEDENT, ET SUPERERIT. Hebr. utrumque eſt infinitum, *comedere*, & *ſupereſſe*: vel per gerundia, ut moris eſt, *comedendo*, & *ſuper relinquendo*, vel *relinquere faciendo*. Quidam iungunt cum ſuperioribus, *Ut comedant*: & illud, *Hæc enim dixit Dominus*, parentheſi includunt, in hunc modum: *Ut comedant* (*ſic enim edixit Iehova*) *comedendo*, id eſt abunde, & *reliquum faciant*. Infinitiva maiorem vim habent; quaſi dicat: Quantumvis multum comedant, multum adhuc ſupererit: ut Hiſpanice, *Comer*, *y ſobrar*.

MENOCHII.

Verſ. 1. TIMENS DOMINUM, vidolicet a populari ſcelere idololatriæ abhorrens, ut reliqui Prophetæ.

tæ. AD SERVIENDUM SIBI, inſtar mancipiorum venalium: quatenus liceret apud Hebræos debitores in ſervitutem rapere, & qualis, & quam diuturna ſervitus illa eſſe poſſet, vide Levit. xxv. num. 39. & ſequentibus.

V. 2. PARUM OLEI QUO UNGAR. Uſitatum erat in terra promiſſionis, & vicinis locis, ut homines valetudinis, aut etiam deliciarum cauſa caput, aut corpus ungerent, quod Chriſti Domini tempore factitari ſolitum docet illud Matth. VI. 17. *Cum ieiunas unge caput tuum*, &c. Vel ergo vidua hæc modico illo oleo uti volebat ad neceſſariam ſanitati unctionem; vel ſignificat adeo parum eſſe olei ut unicæ unctioni ſatis eſſe poſſit.

V. 4. CUM PLENA FUERINT, TOLLES; id eſt, ut quodque plenum fuerit ſepones.

V. 5. ET ILLA INFUNDEBAT, oleo ſcilicet ſemper ex lecytho manante, donec quodque vas impletum eſſet.

V. 8. PER SUNAM. Fuit ea urbs in tribu Iſachar, quam adibat homo Dei iter faciens de Carmelo in Iericho, aut Bethel, aut Galgala, inviſens collegia Prophetarum. MULIER MAGNA, pietate ſcilicet, & opibus. Chald. *timens peccata*. COMEDERET PANEM: cibum caperet.

V. 10. COENACULUM PARVUM, id eſt domunculam ſeparatam a reliquis ædibus: ſic enim explicat Vatablus quod in Hebræo legitur, *cœnaculum parietis parvulum*, quatuor ſcilicet parietibus conſtans, aut pariete a noſtra habitatione ſeclusum, ut ibi a ſtrepitu domeſtico liber Deo vacare commodius poſſit.

V. 13. DIXIT AD PUERUM SUUM: LOQUERE AD EAM. Mirum videtur vocatam fuiſſe mulierem, atque adeo ſtetiſſe coram eo, & tamen cum ea quaſi idiomatis ignara, per interpretem fuiſſe locutum Eliſeum. Fortaſſe præ reverentia viri ſancti cubiculum ingreſſa non erat: illudque, *Coram eo*, idem eſt ac coram cubiculo eius, aut oratorio, abſque mutuo conſpectu, ad quem paulo poſt admiſſa eſt: quod exemplum modeſtiæ, ac verecundiæ ſingularis eſt in muliere, & paternæ gravitatis in Propheta. VIS UT LOQUAR REGI, SIVE PRINCIPI MILITIAE? Gratia enim valebat Eliſeus, apud Ioram Regem Iſraelis, & principem militiæ eius, utique ex bello Moabitico collecta. IN MEDIO POPULI MEI HABITO: id eſt, mihi placet otium, & nullis exercendi negotiis; placide vivo, & tranquille; nec ullas cum ullo controverſias exerceo. Ita Theodoretus, & Procopius. Vel, In conſanguineos meos habito, qui poſſunt mihi eſſe interpretes apud Regem, ſi quid negotii habuerim propter quod ſit conveniendus. Ita Comeſtor, Lyranus, Vatablus. Vel, Mulier e media plebe ſum, non aulica, ut ibi mihi ſit opus advocatis. Ita Abulenſis.

V. 14. NE QUAERAS, &c. Bene coniecit Giezi: quodnam enim aliud ſit opulentæ mulieris votum, quam ut prolem ex coniuge ſuſcipiat?

V. 15. STETISSET ANTE OSTIUM. Hoc etiam eſt modeſtiæ argumentum, quod vocata, & domi ſuæ, ultra tamen limen cubiculi, in quo agebat Propheta, progreſſa non eſt.

V. 16. IN TEMPORE ISTO, &c. In Heb. eſt: *Ad ſtatutum tempus iſtud, ſecundum tempus puerperæ*, id eſt menſibus geſtationis puerperæ evolutis: vel, ut habet Paguninus, *vivente te, amplexaberis filium*, ſignificans intra annum filium ei naſciturum, quem ipſa ſuis brachiis amplecteretur. SI VITA COMES FUERIT. In Hebræo, & Græco non ponitur illa particula conditionalis *Si*; D. vero Hieron. illam addidit ex communi formula loquendi. NOLI MENTIRI ANCILLAE TUAE. Illud patiebatur quod tanto poſt Apoſtoli, de quibus dicitur Lucæ XXIV. 41. *Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio, & mirantibus*. Putavit fortaſſe hæc non ſpiritu prophetico dicta ab Eliſeo, ſed ſpiritu humano, ut illam bono rei optatæ augurio exhilararet.

V. 19. DUC EUM AD MATREM SUAM: Vel, ut alii vertunt, *fer eum*: ſic enim habent LXX. & Chaldæus: parvulus enim erat, & æger.

V. 21. COLLOCAVIT EUM SUPER LECTULUM HOMINIS DEI, &c. ſive ſperans aliquod inde auxilium ob contactum viri Dei; ſive ut evocatus Eliſeus ibi reperiret, & excitaretur ad orandum pro eo; ſive ut eum abſconderet, ut ait Toſtatus quæſt. XXIX. ne mors patri innoteſceret, graviſſimoque eum mærore con-

conficeret, & matris profectionem, filiique ſuſcitationem fidei defectu impediret; ſive ne interim dum ipſa aberat ſepulturæ traderetur.

V. 23. HODIE NON SUNT CALENDAE, NEQUE SABBATUM: qui erant feſti dies, quibus populus ſolebat adire ſynagogas, aut Prophetas, peritoſque legis, ad audiendum verbum Dei. Et apparet non tunc primum eo adiiſſe mulierem, ciuſdem rei cauſa. Calendæ vero, & ſabbatum pro pervigilio eorum dierum videntur ſumi, quia diebus feſtis, & maxime ſabbato, tam longum iter confici non poterat: aberat enim Suna a monte Carmelo itinere octo, aut novem horarum, ut patet ex Adrichomio in typo tribus Zabulon. VADAM. Hebr. Chald. & Græc. habent: *Et dixit*, *Pax*, ſcilicet tibi ſit, vale. Diſſimulat mulier profectionis cauſam, ne maritus dolore angatur.

V. 24. MINA, duc, age aſinum.

V. 26. QUAE RESPONDIT, RECTE, non uſa mendacio, ſed ironia; ne ſi rem pateſaceret non per ſe ipſum reſponderet Eliſeus, ſed per Giezi, illamque dimitteret, atque ita non poſſet ipſum Prophetam ad ſe adducere, quod illa in primis cupiebat, & ſperabat ſe conſecuturam, ſi per ſe ipſam cauſam ageret.

V. 27. DIMITTE ILLAM, neque afflictæ afflictionem addas, eam repellendo.

V. 28. NUMQUID PETIVI FILIUM A DOMINO MEO? &c. quaſi dicat: Satius fuiſſet non habuiſſe filium, quam eo tam brevi tempore privari.

V. 29. ACCINGE LUMBOS TUOS, ut ſcilicet ad iter expeditus ſis, veſtes ad pedes uſque fluentes, cingulo colligens. TOLLE BACULUM MEUM, &c. ut illud imponas ſuper defuncti cadaver, ſi forte Deus velit illo inſtrumento uti ad miraculum, ſicut olim virga Moſis, & nuper pallio Eliæ. NON SALUTES EUM; quaſi dicat: Cum nemine miſceas ſermones, aut moras nectas; ſed quo te mitto, feſtinus propera. Iubet vero famulum properare, quia qui cito dat bis dat; & quia prius ſuſcitari volebat filium quam pater cognoſceret illum mortuum; tandem quia ſe accommodabat Propheta populari hominum captui, quibus videtur facilius ſuſcitare recens defunctum, quam eum qui a multo iam tempore extinctus ſit.

V. 30. NON DIMITTAM TE, niſi ipſe mecum veneris.

V. 31. NON ERAT VOX, NEQUE SENSUS: nulla apparebant vitæ argumenta.

V. 33. CLAUSIT OSTIUM, ut ſemotis arbitris orare poſſet quiete, & cadaveri incubare.

V. 34. INCUBUIT SUPER PUERUM, donec a vivente caro mortua calefieret.

V. 35. DEAMBULAVIT IN DOMO, orans Dominum pro vita pueri. OSCITAVIT, ſive *ſternutavit*, ut alii ex Hebræo vertunt. Quidam explicant, *ſinguſtivit*.

V. 37. ADORAVIT SUPER TERRAM, virum ſanctum, & benefactorem ſuum ſubmiſſe honorando.

V. 38. REVERSUS EST IN GALGALA. Citoſe inde proripuit, humanas laudes propter patratum miraculum fugiens. ERAT AUTEM FAMES IN TERRA, divinitus immiſſa propter peccata, præſertim vero idololatriam, nam de hac eadem fame dicitur infra capite VIII. num. 1. *Vocavit Dominus famem*, &c. HABITABANT CORAM EO, vel, ut explicat Vatablus, *verſabantur apud eum*. Hebraice eſt, *Sedebant coram eo*, ſcilicet ut diſcipuli, quo modo fatetur D. Paulus ſe ad pedes Gamalielis eruditum fuiſſe. UNI DE PUERIS SUIS. In Hebræo, & Græco eſt, *Dixitque puero ſuo*, nimirum Giezi. PONE OLLAM GRANDEM: multis enim parabatur cibus.

V. 39. HERBAS AGRESTES; iam enim hortenſes, & domeſticæ herbæ defecerant. COLOCYNTHIDAS AGRI, id eſt cucurbitas agreſtes, quæ ob amaritudinem ſolent fel terræ appellari. Vide Vaſeſium de ſacra Philoſophia cap. XXXVI.

V. 40. MORS IN OLLA. Putaverunt enim noxium cibum, & mortem quaſi venenum afferentem. Docet Valeſius loco citato, colocynthidem adeo perniciosam eſſe, ut ſi ſupra quatuor obolos, etiam emendata ſumatur, poſſit ſuperpurgationes, & exulcerationes ventris, & mortem afferre.

V. 41. NON FUIT AMPLIUS QUIDQUAM AMARITUDINIS, divino miraculo, non naturali farinæ illius facultate; quamvis etiam poſſit aliquid conferre farina: nam medici inter ea quibus co-

lo-

locynthis emendatur, enumerant lenta, & glutinantia, cuiuſmodi eſt farina, & amylum. Vide Valeſ. cap. XXXVI.

V. 42. DE BAALSALISA, quam urbem ponit Adrichomius in tribu Ephraim in campeſtribus Saronæ regionis fertiliſſimæ. FRUMENTUM NOVUM IN PERA. Non multum fuit frumentum quod in pera ferri potuit. DA POPULO, UT COMEDAT: erat enim eis menſa communis, ut religioſis viris.

V. 43. QUANTUM EST HOC, &c. ſic poſtea ille Chriſti diſcipulus Ioan. VI. 9. *Quid hæc inter tantos?*

V. 44. IUXTA VERBUM DOMINI, quod ſcilicet prædixerat Eliſeus Domino revelante.

TIRINI.

Verſ. 1. VIR MEUS. Hunc fuiſſe Abdiam, qui centum Prophetas capitis ſui periculo adverſus Iezabelis furorem occultavit, ſuoque ære nutrivit, unde & debita contraxerit, quibus immortuus eſt, & vidua ſolvendo non ſuit; putant Joſephus, & alii a me citati III. Reg. XVIII. 3. Sed hoc examinabimus in proœmio prophetiæ Abdiæ. ET ECCE CREDITOR VENIT UT TOLLAT FILIOS MEOS AD SERVIENDUM SIBI. Ita moris erat tum apud Hebræos, ut patet Iſaiæ I. 1. & Matth. XVIII. 25. tum apud Athenienſes, & Romanos, teſte Plutarcho, Dionyſio Halicarnaſſæo, & S. Ambroſio, qui & oculis id ſuis ſpectavit; & Iuſtiniano in codice *a*.

V. 2. PARUM OLEI, QUO UNGAR, non elegantiæ ſtudio, aut philocalia (procul id ab honeſta vidua, & inope) ſed valetudinis cauſa, inquit Abulenſis: nam id uſitatiſſimum erat in Iudæa, & omnibus Syriæ locis. Quamvis illud, *Quo ungar*, non ſit in Hebræo, vel Chaldæo, ſed in ſolo Græco, & Latino textu.

V. 6. STETITQUE OLEUM. Tropologice. *Charitas, quæ in ſe creſcit dum aliis erogat, non creſcit ſed ſtat, quando non erogat*, inquit S. Auguſtinus *b*. *Oleum cæleſtis ſuavitatis, & ſpiritualis gratiæ tum ceſſat influere*, ait S. Bernardus *c*, *cum vas animæ non vacuum, ſed plenum eſt vanis deſideriis & curis.*

V. 8. TRANSIBAT ELISEUS PER SUNAM. Hæc patria erat adoleſcentulæ Abiſag, quæ ſuo complexu ſenilia Davidis membra vegetabat III. Reg. I. 3. Oppidum erat in tribu Iſſachar, ad radices montis Carmeli. Colligitur ex verſ. 23. ubi inſinuatur, uſitatum fuiſſe perſonis piis, & ſalva religione licuiſſe, ſabbato, & calendis ex Sunam proficiſci ad cœnobium Eliſei in Carmelo; utique ut divinis iſtic laudibus & ſanctis exhortationibus intereſſent: ergo intervallum non erat niſi ſabbati iter, ſcilicet bis mille cubitorum *c*. ERAT IBI MULIER MAGNA, id eſt locuples & nobilis, & magno loco inter ſuos. Unde merito de ſe dicit:

V. 13. IN MEDIO POPULI MEI EGO HABITO. Id eſt, non peregrinor in terra aliena, ſed in propria domo & ditione, in medio amicorum, affinium & cognatorum potentium & divitum, quorum ope ac patrocinio, ſi quæ moleſtia ingrueret, tutari me commode poſſem.

V. 19. ACCINGE LUMBOS TUOS. Phraſis eſt Hebræis quaſi proverbialis, qua ſtrenuam expeditamque operam ab aliquo exigunt, quaſi a ſervo, qui, dum maturandum eſt, accingit ſe arctius, & lacinias ad cingulum reducit, ne properantem morentur, aut impediant. Similis eſt & illa quæ ſequitur: SI OCCURRERIT TIBI HOMO, NON SALUTES EUM; quaſi dicat: Ne tantillum quidem volo interponas moræ, quanto opus eſſet ad aliquem ex itinere ſalutandum. Simili phraſi uſus eſt Chriſtus Lucæ X. *Nemmem per viam ſalutaveritis*, ſubeas Apoſtolis, a reliquis omnibus negotiis abſtinere, & Evangelio prædicando totos incumbere. Ita S. Ambroſius, Auguſtinus, & Theodoretus *e*, qui addit, idcirco Eliſeum tantam a Giezi famulo ſuo acceleracionem exegiſſe, primo ut res ſecreto perficeretur, & prius puer reviviſceret quam mors patri innotuiſſet; ſecundo ut ne vana ſua gloriola, quam Giezi captare narrando obviis cauſam ſui itineris adeo ſpecioſam potuiſſet, impedimentum afferret perficiendo miraculo. Et quidem de facto attuliſſe, idem affirmat, uti & Rabbi Salomon apud Lyranum: dicuntque hanc cauſam fuiſſe, cur baculo Eliſei puer non revixerit. Verum potuit ad hoc impediendum ſufficere, quod Eliſeus prece Sunamitidis inductus mentem mutarit de modo reſuſcitandi

di pueri, revocatoque inſtrumento baculi, decreverit id per ſe & propriis manibus perficere. Porro de applicatione ſingulorum membrorum ad membra pueri, aliaque huc ſpectantia, vide in ſimili facto Eliæ III. Reg. XVII. 21.

V. 39. & 40. COLOCYNTHIDAS. Herba eſt agreſtis, admodum ſimilis labruſcæ, ſeu viti ſilveſtri: fructus habet rotundos, qui proxime ad cucurbitæ ſimilitudinem accedunt, qui ſane amariſſimi ſunt. Sed hi Prophetarum diſcipuli ex inſolito ſapore ſuſpicati ſunt etiam mortiferas eſſe herbas: unde clamant, MORS IN OLLA. Sed mortem illam, & omnem amaritiem pauxillo farinæ hordeaceæ Propheta momento ſuſtulit, non vi farinæ naturali, ut vult Lævinus Lemnius *f*; ſed virtute ſupernaturali, ut optime ex ſubita mutatione probat Franciſcus Valeſius *g*, & eſt communis Interpretum.

(a) Plut. in Vita Solonis: qui legem illam abrogavit. Halicarn. Lib. II. Antiquit. Rom. Ambroſ. Libro, de Iob cap. VIII. Iuſtin. Lib. IV. Cod. tit. 43. Lib. II. de patribus qui filios diſtraxerunt.
(b) Auguſt. ſerm. CCVI. de Temp.
(c) Bern. ſer. VI. de Aſcenſ.
(d) Proleg. de Menſur. longitud.
(e) Ambr. Lib. I. in Lucam. Auguſt. ſer. XLII. de Sanctis. Theod. hic quæſt. XVIII.
(f) Lev. Lemnius cap. VII.
(g) Valeſ. Sacræ Philoſophiæ cap. XXXVII.

GORDONI.

Verſ. 1. MAritus huius viduæ e Prophetarum numero fuiſſe putatur, illorum quos in collegiis ſuis alebat Eliſeus. Hoc quidem de oleo, & alterum de filio Sunamitidis miraculum, conſignare poſſumus ad annum vigeſimum primum Joſaphati, & tertium Iorami Iſraelitici.

V. 8. & 14. Ibat viſitans collegia Eliſeus e Carmelo per Sunam in Silo, Iericho, & Galgala. Suna urbs erat in tribu Iſachar, ex qua erat Sunamitis illa quæ data fuit Davidi ſeni, III. Reg. I. Habitat hæc Sunamitis, ut ait (verſ. 13.) in medio populi; hoc eſt, cum ſit locuples, non eget patrocinio erga homines.

V. 16. IN TEMPORE ISTO, id eſt tempore certo, & elapſo, vita comite, te vivente, & ſuperſtite. HABEBIS ..... FILIUM. Vide Gen. XVIII. 14.

V. 23. HODIE NON SUNT CALENDAE. Nempe in uſu erat, ut calendis, aut ſabbato, ſeu feſtis diebus, Hebræi adirent loca ſacra & religioſa, aut cænobia, orationis cauſa. Cur ergo, inquit maritus, adis Carmelum? Hinc apparet Sunam non longe, aut non ſupra iter ſabbati abeſſe a Carmelo.

V. 27. & 29. DOMINUS CELAVIT ME. Non enim habent Prophetæ donum hoc per modum habitus. ACCINGE LUMBOS... SI OCCURRERIT TIBI HOMO NON SALUTES, &c. Proverbialis modus eſt loquendi, de ſuſcipiendo itinere cum feſtinatione.

V. 34. Dum ſic Propheta membris membra componit, hiſtoria facilem habet ſenſum. At vero myſterium denotatum eſt de Chriſto qui ſe homini voluit commenſurari. Ceterum alternatim membra membris compoſuit, ut incaleſceret; nec aliud patiebatur ſtatura pueri: ſic ſupra in ſimili de Elia.

V. 38. & 39. Novum hic fit miraculum in diſcipulorum edulio in Galgalis: hanc vero famem matri prædixit diſcedens, IV. Reg. VIII. I. Ceterum nomen vitis plura ſignificat quam quod communiter denotat: hinc Hebræus habet פקעת *pekuhoth*, *quaſi vitem:* & ſane colocynthides colliguntur e planta quæ ſimilis eſt viti viniferæ: nec diſſentit vulgata editio a reliquis codicibus. Subiungitur novum miraculum (res clara eſt) de multiplicatis panibus primitiarum.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. CREDITOR VENIT UT TOLLAT DUOS FILIOS MEOS, ad ſerviendum inſtar mancipii, quantum patiebatur lex Levit. XV. 39.

V. 2. Solebant Iudæi uti unctione etiam ad ſanitatem, & aliter, ex Matth. VI. 17.

V. 13. Vocatam ad ſe mulierem, & præſentem alloquitur per interpretem, quia ob reverentiam ſtabat ante oſtium, non ingreſſa cubiculum.

V. 16. SI VITA COMITE. *Si*, non eſt in Græco, aut Hebræo. Modus eſt loquendi, non infirmans promiſſionem.

V. 37. ADORAVIT. Procidit honorando virum ſanctum.

V. 42. BAALSALISA. Urbs in tribu Ephraim.

CAPUT V.

Scidit Rex Iſrael veſtimenta ſua, quod inſſiſſet Rex Syriæ ut Naaman leproſum curaret; quem Eliſeus ſeptena in Iordane lotione mundat a lepra, quæ Giezi propter munera ſuſcepta, ab Eliſeo ſpreta, perpetuo adhæſit.

1. NAaman princeps militiæ Regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ; erat autem vir fortis & dives, ſed leproſus. 2. Porro de Syria egreſſi fuerant latrunculi, & captivam duxerant de terra Iſrael puellam parvulam, quæ erat in obſequio uxoris Naaman, 3. quæ ait ad dominam ſuam: Utinam ſuiſſet dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria: profecto curaſſet eum a lepra, quam habet. 4. Ingreſſus eſt itaque Naaman ad dominum ſuum, & nuntiavit ei, dicens: Sic & ſic locuta eſt puella de terra Iſrael. 5. Dixitque ei Rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad Regem Iſrael. Qui cum profectus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talenta argenti, & ſex millia aureos, & decem mutatoria veſtimentorum, 6. detulit litteras ad Regem Iſrael, in hæc verba: Cum acceperis epiſtolam hanc, ſcito quod miſerim ad te Naaman ſervum meum, ut cures eum a lepra ſua. 7. Cumque legiſſet Rex Iſrael litteras, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Numquid Deus ego ſum, ut occidere poſſim, & vivificare, quia iſte miſit ad me, ut curem hominem a lepra ſua? animadvertite, & videte quod occaſiones quærat adverſum me. 8. Quod cum audiſſet Eliſeus vir Dei, ſciſſe videlicet Regem Iſrael veſtimenta ſua, miſit ad eum, dicens: Quare ſciſti veſtimenta tua? veniat ad me, & ſciat eſſe Prophetam in Iſrael. 9. Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Eliſei: 10. miſitque ad eum Eliſeus nuntium, dicens: Vade, & lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. 11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. 12. Numquid non meliores ſunt Abana & Pharphar, fluvii Damaſci, omnibus aquis Iſrael, ut laver in eis, & munder? Cum ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, 13. acceſſerunt ad eum ſervi ſui, & locuti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis? 14. (*a*) Deſcendit, & lavit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt. 15. Reverſuſque ad virum Dei cum univerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Vere ſcio quod non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantum in Iſrael. Obſecro itaque ut accipias benedictionem a ſervo tuo. 16. At ille reſpondit: Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit. 17. Dixitque Naaman: Ut vis: ſed, obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino

mino. 18. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo; quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. 19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore. 20. Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro iſti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. 21. Et ſecutus eſt Giezi poſt tergum Naaman: quem cum vidiſſet ille currentem ad ſe, deſiliit de curru in occurſum eius, & ait: Rectene ſunt omnia? 22. Et ille ait: Recte: dominus meus miſit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filiis Prophetarum: da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. 23. Dixitque Naaman: Melius eſt ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portaverunt coram eo. 24. Cumque veniſſet iam veſperi, tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, dimiſitque viros, & abierunt: 25. ipſe autem ingreſſus, ſtetit coram domino ſuo. Et dixit Eliſeus: Unde venis Giezi? Qui reſpondit: Non ivit ſervus tuus quoquam. 26. At ille ait: Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas. 27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, uſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.

(a) Luc. iv. 27.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. ET DIVES. Id additum ab Interprete.

V. 2. LATRUNCULI. Hebr. *exercitus*, ſeu *agmina*. Chald. *turmæ*. LXX. *milites*.

V. 5. MUTATORIA, ſcilicet ad mutandum, ſeu induendum, cum in publicum proditur; quaſi dicat, decem veſtes pretioſas.

V. 7. SCIDIT, ſcilicet velut audita blaſphemia, vel ex indignatione ob petitionem rei impoſſibilis.

V. 12. UT LAVER IN EIS, ET MUNDER. Chald. *Numquid ſi me illis lavero, ſanabor?*

V. 13. PATER. Chald. *Domine mi.*

V. 15. BENEDICTIONEM, id eſt munus. Chald. *oblationem.*

V. 17. BURDONUM. Hebr. Chald. & LXX. *mulorum*. DE TERRA: ſcilicet ſuper hanc volebat Deum adorare, velut in loco ſancto, ſeu hoſtias offerre erecto ex ea altari.

V. 18. DEPRECERIS DOMINUM PRO. Hebr. Chald. & LXX. *Ignoſcat Dominus*, ſcilicet per tuas preces. ADORAVERO, id eſt me incurvavero, dum Rex, qui mihi innititur, ſe incurvat. ADORANTE EO. Sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *adorante me*, id eſt me flectente adorantis ſpecie.

V. 19. VADE IN PACE; quaſi dicat, Ignoſcet. ELECTO TERRAE TEMPORE. Hebr. & Chald. *quaſi unum milliare terræ*. Vide Gen. xxxv. ubi eamdem vocem Hebræam vertit, *vernum tempus*.

V. 20. PEPERCIT, ſcilicet abſtinuit.

V. 21. RECTENE SUNT OMNIA. Hebr. *Eſtne pax?* RECTE. Hebr. *Pax*.

V. 22. MUTATORIAS, id eſt pretioſas. Vide ſupra.

V. 24. IAM VESPERI. Heb. *in locum editum*, ſeu *in arcem*. Chald. & LXX. *in locum obſcurum*. Alii, *in locum ſecretum.*

V. 26. IN PRAESENTI, id eſt præſens.

ESTII.

Vers. 17. OBSECRO, CONCEDE MIHI SERVO TUO, UT TOLLAM ONUS DUORUM BURDONUM DE TERRA: NON ENIM FACIET SERVUS TUUS ULTRA HOLOCAUSTUM, AUT VICTIMAM DIIS ALIENIS, NISI DOMINO. Nota quod Naaman Syrus miraculo ſuæ curationis converſus ad fidem unius veri Dei, petit ab Eliſeo, ut liceat ei de terra Iſrael auferre onus duorum burdonum, ſcilicet ut de terra illa altare faceret ad ſacrificandum Deo vero: quia terram illam tamquam ſanctam venerabatur propter cultum unius veri Dei, qui in ea terra exercebatur & vigebat. Non eſt igitur improbanda devotio eorum qui de terra ſancta partem aliquam olim in Europam attulerunt pro veneratione, & pia recordatione. Etenim terra Paleſtina, ubi Ieruſalem eſt, dicitur Terra ſancta propter repræſentationem, & memoriam rerum ſanctarum, quæ a Salvatore noſtro ibi geſtæ ſunt. Quidam putant Naaman petiviſſe ab Eliſeo diſpenſationem, ut ſibi liceret ſacrificare extra templum Ieroſolymitanum. Sed falluntur: quia lex illa de non ſacrificando extra locum illum conſtitutum & certum, ubi arca Domini erat, ad ſolos Iudæos pertinebat, non ad gentiles. Neque Naaman tamquam proſelytus lege tenebatur, quia non legitur, nec creditur fuiſſe circumciſus.

V. 18. HOC AUTEM SOLUM EST, DE QUO DEPRECERIS DOMINUM PRO SERVO TUO, QUANDO INGREDIETUR DOMINUS MEUS TEMPLUM REMMON, UT ADORET, ET ILLO INNITENTE SUPER MANUM MEAM, SI ADORAVERO IN TEMPLO REMMON, ADORANTE EO IN EODEM LOCO, UT IGNOSCAT MIHI DOMINUS SERVO TUO PRO HAC RE. Putant quidam, Eliſeum diſpenſaſſe cum Naaman, tamquam neophyto in religione veri Dei, ut licite poſſet ſimulare adorationem idoli Remmon. Sed id dici non poteſt: quia non tantum adorare idolum, ſed & ſimulare talem adorationem per ſe malum eſt: in quo non habet locum diſpenſatio. Unde quod ait Eliſeus, *Vade in pace*, non eſt diſpenſantis, ſed declarantis licitum eſſe quod faciebat. Id autem erat adorare, hoc eſt procumbere, & inclinare ſe ad ſuſtentandum Regem, volentem adorare in templo Remmon. Græce enim pro adorare eſt προσκυνῶ, hoc eſt procumbere, ſeu advolvi. Id autem Naaman non ſolum ibi, ſed alibi faciebat, quotieſcumque Rex ſuper eum volebat inclinare. Quod igitur alibi licite poterat facere, id non erat illicitum facere in templo Remmon, maxime quia non erat periculum ſcandali. Solus enim Naaman, aut certe cum ſola ſua familia fidelis erat. Et aliunde conſtare poterat eum eſſe veri Dei cultorem, quia ſuis temporibus ſacrificabat Deo vero. Ad hoc enim attulerat ſecum terram, ut inde ſibi faceret altare ad ſacrificandum Deo Iſrael, ut dictum eſt verſ. præced.

MARIANAE.

Verſ. 1. FORTIS ET DIVES. Hebr. *Potens robore.* Chald. *Robuſtus virtute*, erat ſcilicet Naaman.

V. 2. LATRUNCULI. Hebr. *turmæ*. Vox *ghedudim*, *latrones* etiam ſignificat. Ii puellam captivarunt. Quæ dixit:

V. 3. UTINAM FUISSET DOMINUS MEUS. Sic Sept. & Pagn. Aliqui tamen vertunt, *orationes domini mei coram Propheta*; id eſt, quas fundit ad idola, funderet ad Prophetam. PROFECTO CURASSET. Hebr. *Tunc colligeret eum a lepra ſua.* Sed quæ colligimus, ea tollimus. Sic verbum *colligendi* pro *tollere*, & *ſanare* ſumitur. Tulit ſecum Naaman

V. 5. SEX MILLIA AUREOS. Chald. *ſex millia denarios auri.* MUTATORIA, id eſt veſtes pretioſas, quas diebus feſtis mutamus, & induimus. Rex Iſrael:

V. 7. QUOD OCCASIONES QUAERAT movendi bellum, quando ea petit quæ in mea poteſtate non ſunt, ut leproſum ſanem. Eliſeus ad Naaman:

V. 10. LAVARE SEPTIES .... ET RECIPIET SANITATEM CARO TUA. Hebr. *Et redibit caro tua tibi.*

V. 11. PUTABAM. Hebr. *Dixi*, ſcilicet in corde, quod egrederetur, ET TANGERET MANU SUA. Hebr. *& elevaret manum ſuam*, ſcilicet ut locum lepræ tangeret, aut *ut Deum precaretur*: ſic Hebræus. Meliores ſunt fluvii Damaſci,

V. 12.

V. 12. UT LAVER IN EIS. Hebr. *An non lavabo in eis?* ſcilicet fluviis Damaſci. Famuli ad Naaman:

V. 13. PATER. Hebr. *Pater mi*: nomen honoris. Chald. *Domine mi*. ET SI REM GRANDEM, id eſt arduam. Porro *& ſi* Hebr. non eſt, ſed ſuppletur.

V. 15. BENEDICTIONEM, id eſt munus accipe quod offero, ait Naaman Eliſeo, ob ſanitatem acceptam.

V. 16. VIVIT DOMINUS, ANTE QUEM STO, id eſt ſtare conſuevi in oratione, non accipiam. Quid Naaman?

V. 17. UT VIS. Non eſt Hebr. nec Chald. nec in Sept. ſed: *Et non dabitur obſecro ſervo tuo onus?* DUORUM BURDONUM. Hebr. *paris mulorum*. *Burdo* eſt mulus ex aſina natus. Porro terram eam ſanctam putabat, & ex ea altare conſtituere in patria volebat. Hoc ſolum eſt

V. 18. DE QUO DEPRECERIS DOMINUM PRO SERVO TUO. Hebr. *De verbo hoc parcat Dominus ſervo tuo*, ſcilicet per preces tuas: ſic Sept. & Chald. TEMPLUM REMMON. Idoli nomen, ſic dicti ab altitudine, ut puto, ſive ſtatuæ, ſive potentiæ. Quidam Iunonem putant, quia in Syria maxime colebatur. Lucianus de Dea Syria, & Pauſan. in Corinth. ubi de Mycænis agit, in manu altera habere malogranatum Iunonem ait. Porro *rimon* Hebr. *malogranatum* eſt, coniugalis amoris ſymbolum. SI ADORAVERO. Heb. *ſi incurvavero me*: ſic Chal. nam adoratio illicita erat coram idolo.

V. 19. ABIIT ERGO AB EO ELECTO TERRÆ TEMPORE. Hebr. *Et abiit ab eo quaſi milliare terræ*: ſic Chald. *milliare terræ*. Sept. *ſpatio terræ*. Quid ſibi Hieronymus voluerit, non aſſequor; niſi forte voluit verno tempore eum abiiſſe. Sic enim eamdem vocem *chibrath* vertit Gen. XXXV. 16.

V. 20. DIXITQUE GIEZI, id eſt cogitavit. PEPERCIT DOMINUS. Sic Sept. Hebr. *Prohibuit*. Chald. *Abſtinuit*. Currit ad Naaman. Rogat ille:

V. 21. RECTENE SUNT OMNIA? Hebr. *Eſt ne pax?* ſcilicet domino tuo. Giezi: Venerunt duo adoleſcentes.

V. 22. DA EIS. Hebr. *Da eis nunc*, aut *obſecro, talentum argenti*. Naaman:

V. 23. MELIUS EST, Hebr. *Velis, ſume*. Chal. *Age, ſume*. DUO TALENTA, nempe cuique adoleſcenti unum, ideo ad talenta addit, non ad veſtium numerum. Hebræus oblitus eorum quæ dixerat Lib. III. Reg. cap. IX. verſ. 28. ait talentum profanum appendiſſe ſexaginta libras, minas mallem; ſanctuarii centum & viginti, ſcilicet drachmas 12000. ut certe Moyſis tempore appendebat. IN DUOBUS SACCIS, id eſt marſupiis. Chald. *ſindonibus*: ſic caſtigato in Regiis interpretationem Latinam Chald. vocis *ſaldaſin*. CORAM EO: ſcilicet ante eum portarunt duo pueri Naaman.

V. 24. CUMQUE VENISSET IAM VESPERI. Sic Sept. legerunt, ſcilicet אפל *ophel*: at בעי *bophel*, ut modo eſt, non *tenebras*, ſed *locum ſublimem* ſignificat, quo detulit eas opes, ut tutæ eſſent: aut Eliſeus in loco ſublimi habitabat in aliquo ſuburbano. Eliſeus ad Giezi:

V. 26. NONNE COR MEUM IN PRÆSENTI ERAT? Hebr. *cor meum ivit*; id eſt, cogitatio mea te comitata eſt. UT EMAS OLIVETA. Heb. non eſt *ut emas*, ſed *accepiſti oliveta, & vineas, & oves*. Nimirum omnia in pecunia inſunt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. NAAMAN. Hebr. נעמן *Naaman*. Significat *iucundum, amœnum, gratum, acceptum, decorum*. ET HONORATUS. Hebr. *& elevatus facie*, id eſt prælatus, qui aliis honore & dignitate præfertur, honorabilis facie, qui ob perſonæ dignitatem aliis antefertur. Alii, *acceptus facie*, id eſt acceptus, gratioſus, cuius perſona accepta eſt. Vide in Iob XXII. 8. & Iſaiæ III. 3. SALUTEM SYRIÆ; id eſt, victorias, & regnum ab hoſtibus conſervavit. VIR FORTIS, ET DIVES. Hebr. *Et vir fuit heros ſtrenuitatis*. Quidam: *Erat vero vir potens robore*, id eſt ſtrenuus admodum, aut vir bellicoſus. Alii: *Sed vir iſte valens robore, erat leproſus*.

V. 2. PORRO DE SYRIA EGRESSI FUERANT LATRUNCULI. Varie hunc locum ex Hebr. transfundunt. I. *De Aram autem egreſſi erant exercitus*. II. *De Syria egreſſi fuerant aſſociati*, ad faciendas excurſiones & prædas. III. *Et Syri egreſſi ſunt turmatim*. IV. *Egreſſi autem erant Syri*

ri graſſatores. V. *Cumque Syri turmales egreſſi captivam abduxiſſent*, &c. VI. *Et Syri egreſſi ſunt cuneatim*. VII. *Et Aram egreſſa fuerant agmina*. VIII. *Syri autem egreſſi ſunt cum copiis*, vel *cum aliquot turviis militum*. De voce גדודים *gedudim* vide Geneſ. XLIX. 19. *turmas levis armaturæ* ſignificat, non iuſtum exercitum: nec ad bellum, ſed ad excurſiones & prædas comparatas. Vide infra cap. VI. verſ. 23. & XIII. 20. QUAE ERAT IN OBSEQUIO UXORIS NAAMAN. Hebr. *Et fuit ad facies*, vel *coram*, *uxore Naamanis*; id eſt, erat ei adminiſtra: ſynecdoche, quod ſervi & miniſtri frequenter adſtent coram heris.

V. 3. UTINAM FUISSET DOMINUS MEUS, &c. Hic primum occurrit vox אחלי *achale*, forma ſyntactica plurali. Omnes fere reddunt *utinam*: deducunt a חלה *chillah* in Pihel, quod eſt *enixe precari*, *orare*: eſt enim vox precantis. Quidam reddunt, *Orationes*, *precationes*, *domini mei coram Propheta*, &c. quaſi dicat: Si rogaverit dominus meus Prophetam, qui eſt in Samaria, &c. Aliqui Hebræorum exponunt: *Ita domini mei res poſtulant*, *ut ſpe conferat ad Prophetam*, &c. vel *perfectiones domini mei coram Propheta*, &c. id eſt, nihil poſſet facere ſibi utilius dominus meus, quam ſtare coram Propheta, &c. Aliqui aiunt *achale* proprie eſſe *valetudines*, *precationes*, & *vota valetudinis*, *optiones ſanitatis*; uſurparique tantum in optionibus valetudinis: ut cognationem habeat cum verbo *chillah*, *precatus eſt in ægritudine pro ſanitate*; & cum יחל *iachal*, *expectavit optando*; & verbum Latinum *valeo*, & Græcum ἐλέω, congruere. Unde reddunt: *Valetudines domini mei eſſent*, *ſi apud Prophetam eſſet*, &c. Pluralis numerus, plenam & abſolutam ſanitatem indicat. Alii a *iachal*, *anxie expectavit*, deducunt: *Expectationes domini mei coram*, *apud*, *Prophetam*, *qui eſt in Samaria*, &c. id eſt, omnis ſpes ſanitatis heri mei ſita eſt apud Prophetam, &c. Nonnulli a *chala*, *egrotavit*. *Ægritudines domini mei coram Propheta*, *qui eſt*, &c. id eſt, ſi ægritudines heri mei ſiſtantur, deferantur, coram Propheta, &c. Nec deſunt qui ut forma, ita quoque ſignificatione congruere cum אשרי *aſchre*, *rectitudines*, *beatitudines*, velint: unde exponunt, *Beatitudines*, *felicitates*, *domini mei coram Propheta*, *qui eſt*, &c. vel adverbialiter, *O quam bene*, *beate*, *feliciter*, *proſpere*, *præclare ageretur cum domino meo ſi iret coram Propheta*: vel, *O quam bene erit domino meo coram Propheta*; id eſt, tota felicitas eius conſiſtit in adire Prophetam. QUI EST IN SAMARIA: vel quod puella putaret tunc Prophetam in Samaria urbe degere: vel in Samaria, id eſt provincia, vel regno Iſraelitico, cuius tunc caput, & metropolis erat Samaria: alioqui tunc in Ghilghal Eliſeus fuiſſe videtur. Vide infra verſ. 10. & 24. PROFECTO CURASSET EUM A LEPRA, QUAM HABET. Hebr. *Tunc colliget eum a lepra ſua*, id eſt auferet, abſtrahet: hypallage; id eſt, auferet, tollet ab eo lepram. Quidam: *Tunc colligeret eum a lepra ſua*; id eſt, reciperet in hominum conſortium, a quo excluſus propter lepram eſt: vel *tunc reſtitueret eum a lepra ſua*; id eſt, reſtitueret ſanitati. Sic infra verſ. 6. 7. & 11.

V. 5. DECEM TALENTA ARGENTI. Erant triginta millia ſiclorum argenti, & centum viginti millia regalium Caſtellanorum. Nam talentum tria millia ſiclorum, ſiclus autem quatuor regalia Caſtellana continet; uti ſæpius a nobis eſt annotatum. ET SEX MILLIA AUREOS: ſiclos intelligunt, id eſt viginti quatuor millia aureorum Hiſpanicorum.

V. 6. CUM ACCEPERIS EPISTOLAM HANC. Hebr. *Et nunc ſecundum venire librum iſtum ad te*, &c. Potuit eſſe ut epiſtola nihil aliud continuerit quam quod hic dicitur: & ita barbarus Rex, ſuperbia tumens, faſtuoſe & imperioſe ſcripſerit. Alii paralepſim eſſe volunt, ut ea tantum hic litterarum pars recitetur, quæ petitionis ſummam continet, ut Gen. III. 8. Sic infra cap. X. verſ. 2.

V. 7. ET VIDETE QUOD OCCASIONES QUAERAT ADVERSUM ME. De notione verbi אנה *inneh* in Pihel, egimus in Exod. XXI. 13. Hic ponitur participium Hithpahel, quod ſignificationem auget, & varie ab aliis exponitur. I. *Et videte quomodo ipſe ſe ipſum impellit contra me*. II. *Et videte quomodo iſte ſeſe invehat ad me*. III. *Et videte quam anſam arripit iſte contra me*. IV. ex verbo, *Et videte quod occaſionare ſeſe faciens ipſe mihi*; id eſt,

eſt, quam ſedulo, & maligne occaſiones captat inferendi mihi bellum. V. *Videte iſtum fabricari ſibi occaſiones contra me.*

V. 9. ET STETIT AD OSTIUM DOMUS ELISEI. Hebr. *Et ſtetit oſtio domus ipſi Eliſabo*; id eſt, ubi erat Eliſeus. Quidam: *Subſtitit ad portam, ad Eliſabum*, vel *cauſa Eliſabi*; hoc eſt, ut ipſum videret, alloqueretur, & ſanitatem ab eo obtineret.

V. 10. VADE, ET LAVARE SEPTIES IN IORDANE. Videtur tunc Eliſeus fuiſſe in Galgala, qui locus parum diſtabat a Iordane: nam erat inter Iordanem & Iericho, ubi primum Iſraelitæ tranſmiſſo Iordane caſtra fixerunt, atque a Iordane ſtadia tantum quinquaginta diſtabat, ut auctor eſt Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. 1. Vide in Ioſue IV. 19. & V. 9. Equidem Iordani propior erat quam Iericho, quam conſtat duabus tantum leucis a Iordane abeſſe. Vide infra verſ. 24.

V. 12. ABANA. Hebr. duplex eſt lectio: in contextu אבנה *Abanah*, in margine אמנה *Amanah*. Putant eſſe Adonium fluvium, de quo Strabo Lib. XVI. pag. 755. Plinius Lib. V. cap. XX. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. Lucianus in Dea Syria. Verum id ego non credam, cum Adonis longe abfuerit a Damaſco: & potius Phœniciæ fluvius fuerit. PHARPHAR. Orontem eſſe volunt, qui Antiochiam Syriæ præterlabitur, de quo Strabo Lib. XVI. pag. 752. Plinius Lib. V. cap. XVIII. & XXII. Mela Lib. I. cap. XII. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. congruit nomen, quod Guillelmus Tyrius Lib. IV. Belli ſacri, cap. VIII. tradit, Orontem ſuo tempore vulgo *Pher* dictum: & alii notant, nunc ab incolis *Tarſar*, ſeu *Tarſaro* nuncupari. At hic quoque longe ab urbe Damaſco fluit. Mirum quod eis Chryſorrhoas in mentem non venerit, cum hic prope Damaſci fluvius fuerit, de quo Strabo Lib. XVI. pag. 755. *Chryſorrhoas ab urbe, & regione Damaſcenorum incipiens, totus fere in rivos conſumitur: multa enim loca, & profunda irrigat.* Plin. Lib. V. cap. XVIII. *Damaſcum riguam amne Chryſorrhoa.* Ptolemæus Lib. V. cap. XV. *Et qui Damaſcum præterfluit Chryſarrhoas vocatus.* De his duobus fluminibus Abanah, & Pharphar, Vvilermus Tyrius Lib. IV. Belli Sacri, cap. VIII. hæc ſcribit: *De Oronte quidam ſomniare ſolent quod ſit Pharphar Damaſci fluvius: ſed compertum habemus, quod errore trahuntur qui hoc aſſerunt. Pharphar enim, & Abanah a Libano trahentes originem, per agrum Damaſcenum ſecus ipſam urbem deſluentes, in orientem properant: ubi in arenoſa ſolitudine deficere dicuntur. Orontes vero ſecus Heliopolim, quæ alio nomine appellatur Malbec, primum habens exordium, per Cæſaream & Antiochiam in mare deſcendit mediterraneum.* Beniamin in Itinerario, pag. 53. *Damaſcum duo flumina ex Hermon monte delapſa beant, Amanah, & Pharphar: ſita enim eſt urbs ſub Hermone monte. Amanah urbem ipſam influit, cuius aquæ per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in fora & plateas diducuntur. Pharphar vero urbem ipſam præterfluens, hortos & paradiſos omnes irrigat.* אבנה *Abanah, lapidoſum* ſignificat, quod fortaſſe crebris lapillis & calculis eius alveus, & ripæ abundarint. פרפר *Pharphar* vero nomen accepiſſe videtur a iuvencis, qui permulti in ripis eius paſcerentur; vel quod frugifer eſſet, & terram fructiferam redderet.

V. 15. NISI TANTUM IN ISRAEL; id eſt, niſi eum tantum qui ab Iſraelitis colitur.

V. 16. ANTE QUEM STO. Vide ſup. cap. III. verſ. 14.

V. 17. UT VIS: SED, OBSECRO, CONCEDE MIHI SERVO TUO. Hebr. *Et non: dari fadum erit, obſecro, ſervo tuo,* &c. Quidam: *Saltem detur, quæſo, ſervo tuo,* &c. vel *ſi non accepturus es, detur, quæſo,* &c. Sic II. Samuel. XIII. 26. Alii interrogative capiunt. DUORUM BURDONUM ONUS DE TERRA. Quidam putant, hic Nahamanem de vero Deo perſuaſum, iſtud poſtulare ex zelo Dei profectum; ſed non ſecundum ſcientiam: nam zelus Dei eſt, quo dicit: *Non enim faciet ultra ſervus tuus,* &c. a ſcientia vero alienum eſſe, quod petit ut ſibi terram deportare liceat, ſuper quam ſacrificet: nam neque terræ per ſe hærebat ſanctitas; neque alibi quam Ieruſalaimis ſacrificare faſerat. Alii aiunt, ſanctæ, piæque religionis fuiſſe, poſtulare terram illam ſanctam hereditatis Dei, in qua altare Deo conſtrueret, & ſacrificaret; ut nunc pie ſancteque veneramur terram ipſam, ubi impreſſa fuere veſtigia Dei: nec Naha-

haman alioqui pius ac fidelis aſtrictus erat Ieroſolymis ſacrificare, cum lex illa Iudaicam religionem profitentibus eſſet impoſita, non filiis aliis Dei ex gentibus per mundum ſparſis: nam neque Nahaman circumciſus fuit, neque proſelytus ſactus. Sic legimus ſanctum Iob ſacrificaſſe Deo extra locum Iudæis a lege præſcriptum.

V. 18. TEMPLUM REMMON. Heb. *domum*, ſeu *ædem Rimon*. Incompertum quiſnam hic deus fuerit: quidam Iunonem eſſe ſuſpicantur, quod hæc dea in Syria cum primis culta fuerit, ut auctor eſt Lucianus in dea Syria. Hebraicum nomen, *malogranatum*, ſeu *malum Punicum* ſignificat: fortaſſe quod lucus aliquis malogranatorum circum templum illud extiterit; vel quod deus ipſe cum inſigni aliquo mali Punici repræſentaretur, ut de Simulacro Iunonis apud Mycenas refert Pauſanias in Corinthiacis, num. 59. *Dea*, inquit, *manu altera Punicum malum, altera vero ſceptrum tenet. Quæ de malo Punico arcanis conſignata ſunt ſacris, ſilentio prætereo.* Fortaſſe quod ei deo, inarculo, vel arculo ſacrificarent. Feſtus: *Inarculum virgula erat ex malo Punico incurvata, quam regina ſacrificans in capite geſtabat.* Servius in IV. AEneidos: *Arculum vero eſt virga ex malo Punico incurvata, quæ fit quaſi corona, & ima ſummaque inter ſe alligantur vinculo lanco albo, quam in ſacrificiis certis regina in capite habebat: Flaminica autem dialis omni ſacrificatione uti debebat.* SI ADORAVERO IN TEMPLO REMMON. Hebr. *Et incurvabo me*, vel *procumbere me faciam, in æde Rimon*. Aliqui, ex zelo Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, hanc alteram Nahamanis petitionem profectam volunt, quod petit ut Deus condonet officioſam (ut ipſe exiſtimabat) ſervitutem coram Rege. Alii notant, incurvationem hanc ſeu procubitionem, nempe externam illam corporis inflectionem, non religioſam erga deaſtrum, ſed civilem & officioſam erga Regem fuiſſe. Vide Caietanum hic erudite de ea differentem. Volunt Nahamanum veram ſuam erga verum Deum fidem, & verbo, & re iam publice teſtatum; unde adiaphoram hanc erga Regem ſervitutem & cultum, non potuiſſe in ſcandalum trahi. Hebræorum aliqui obſervant, Regem Syriæ abſtinuiſſe a commercio Nahamanis quamdiu is lepra laboravit: nunc iam mundatum; velle ad illud officium & miniſterium redire.

V. 19. QUI DIXIT EI: VADE IN PACE. Quidam volunt Eliſeum his verbis annuiſſe utrique poſtulato Nahamanis; quaſi dicat: Recte poteris utrumque facere citra conſcientiæ periculum. Alii, verbis tantum communibus, & ambiguis uſum. Nonnulli exponunt quaſi dicat: Quieto animo eſto: & ne ſis ſolicitus de iſtis rebus, quæ nihil ad pacem conſcientiæ tuæ faciunt, ſed potius illam turbaturæ eſſent, & Deum in te provocaturæ. Abſtine ab illis. Sic ſupra cap. IV. verſ. 23. & 26. & I. Samuel. I. 17. Nos priorem explanationem magis probamus. ABIIT ERGO AB EO ELECTO TERRAE TEMPORE, id eſt verno tempore, ut Geneſ. XXXV. 16. Hebr. כברת ארץ *cibrath eretz* varie reddunt: 1. *quaſi milliare terræ*; 2. *funiculum terræ*; 3. *iugerum arvi*; 4. *quaſi per ſtadium terræ*; 5. *exiguum ſpatium terræ*; 6. *prandio terræ*. Hoc eſt, abiit per tantum terræ ſpatium, quantum itur uſque ad prandium, vel quantum itur durante prandio; quaſi dicat: Non longe aberat Nahaman quando ad eum venit Ghehazi. Verum hanc vocem accuratiſſime expoſuimus in Geneſ. XXXV. 16.

V. 20. DIXITQUE GIEZI, cum animo ſuo, intra ſe, apud ſe: ut ſupra verſ. 11.

V. 21. RECTENE SUNT OMNIA? Hebr. *An pax*? Quidam: *Proſperene*? vel, *An incolumitas, integritas*? Num ſalvæ, & integræ ſunt res? Sic verſ. ſeqq.

V. 22. EX FILIIS PROPHETARUM: Vide ſup. cap. II. verſ. 3.

V. 23. IN DUOBUS SACCIS. Vocem חרטים *charithim* varie interpretantur: *In duobus loculis, marſupiis*: alii, *Cum duabus acubus*. Sic locum interpretantur ex Iſaiæ III. 22. fortaſſe intelligit fibulas, quibus marſupia clauduntur. Nonnulli, *In duabus membranis*, ſeu *chartis*, conſentiente voce. Plinius Lib. XIII. cap. XI. *Præparantur ex papyro chartæ, diviſo acu in prætenues, ſed quam latiſſimas plituras*: & cap. XII. *Emporetica charta inutilis ſcribendo, involucris chartarum, ſegeſtriumque in mercibus uſum præbet*. Nihil mirum ſi duo talenta involucris chartarum colligarit. Sic in regno Valentino, *Papeles de dineros, y de reales* dicimus.

V. 24.

V. 24. CUMQUE VENISSET IAM VESPERI. Hebr. *Et venit ad Hophel*. Hic primum vox עופל *ghophel* occurrit in Scriptura, de qua ista Forsterus annotat: *Ghophel, locus intra scopulos seu montes angustus transitus, seu meatus arctus, per quem contendere oportet. Et quia eiusmodi loca apta erant, quibus hostium incursiones arcerentur, turres, seu arces supra extruebant, ut in his collocarentur præsidia. Græci eiusmodi loca Pylas, Latini Fauces, Itali & Germani Clausas appellarunt. Fit autem duarum in Scriptura sacra celebrium mentio: quarum una fuit Ierosolymis intra arcem & templum, quam Nathinæi inhabitabant, qui in eo loco extructam arcem tamquam præsidium tenuerunt, ne vel hostibus, vel grassatoribus pateret ad arcem regiam aditus sive irruptio. Et habent hoc nomen, quod in abdito, & latentiore loco essent, & quodam recessu, per quem contendendum erat. Proinde quidam Hebræorum per* אופל *ophel, cum Aleph, alii per* עלף *ghileph, per Ghain, exposuerunt: quorum utrumque obscuritatem seu caliginem significat. Et ut litterarum tantum positione, ita modo tantum significandi inter se differunt. Et post illos quoque Græci, maxime septuaginta Interpretes, pro loco obscuro & caliginoso sæpe transtulerunt, sicut ex sequentibus exemplis cernere licet. Isaiæ* XXXII. 14. *Recessus, & munitio erunt in speluncas. LXX. reddiderunt, villæ. Michææ* IV. 8. *Et turris gregis Ophel, filiæ Sion usque ad te veniet: pro quo LXX Et tu turris gregis squalida. Sic quoque Hieronymus vertit Nebulosa, ut sit adiectivum nominis turris. II. Paralip.* XXVII. 3. *Et in muro Ophel ædificavit multa. Et II. Paralip.* XXXIII. 14. *Post hæc ædificavit murum exteriorem circa civitatem David, ad occidentem Ghichon, in valle, ubi venitur ad portam piscium: & circumdedit Ophel, & exaltavit illum valde. In his duobus locis LXX. etiam Ophel reliquerunt; similiter Hieronymus. Item Nehemiæ* III. *vers.* 26. *&* 27. *&* *cap.* XI. *vers.* 21. *Et Nethinim habitabant ad Ophel usque ad prospectum portæ aquarum orientem versus, &c. Græci reddiderunt* ὄφλα. *Ex his locis clarum est hoc nomen Ghophel appellativum esse loci, seu arcis in monte. Hinc quoque originem traxisse arbitror, quod (ut Eusebius in Ecclesiastica Historia Lib. II. cap.* XII. *refert) Iacobus frater Domini dictus fuerit Oblias, id est munitio, seu porta; seu clausa angusta in recessu, munitionis causa ædificata, qua aditus præcluditur & patefit: & data quasi opera sic Iacobum appellare voluerint, quod ut Nathinæi olim tenuerunt Ierosolymis portam ad Regem: ita Iacobus frater Domini aditum præbuerit ad Dominum, unde* עבדיה ghobhliiah, vel עבדיעז *ghobhliighaz, porta munitionis dictus sit. Porro altera fuit Ghophel in conterminis Israelis & Syriæ, de qua II. Reg. v.* 24. *Cum venisset in Ophel, accepit de manu eorum, &c. pro quo Chaldæus Paraphrastes: Et ascendit ad locum abscondituum. Rabbi David Kimchi super eo loco annotat, significare locum excelsum, in quo sit extructum aliquod ædificium.* Hæc Forsterus, quæ totidem verbis describere Forerius in XXXII. Isaiæ, vers. 14. & Mercerus in Sanctis Thesauro.

Verum illud obiter, Iosephum Scaligerum in Eusebianis pag. 178. colum. I. sculiter nugari in Hegesippum, & Eusebium de nomine Iacobi, *Oblias*; cum differre ipsi asserant, significare, *Populi præsidium* quod est ipsissimum *Ophliiah, arx*, vel *munitio Dei*.

Ceterum consentiunt omnes, *Ghophel* esse *locum altum, & munitum: arcem, munitionem, turrem, pilam* interpretantur. Haud assentior Forstero, Forerio, Mercero, Avenario, *Ophel* hunc, de quo hic sermo, fuisse in finibus Israelis, & Syriæ: nam nec illuc ivit Ghehazi, cum longe distaret: & statim ipso vespere reversus est ad Prophetam: siquidem non longe a loco, in quo Elisæus manebat, Nahamanem assecutus fuerat, supra vers. 19. Quidam reddunt: *Et venit in locum quemdam secretum*. Alii, *in locum celsum, editum*; ubi ipse videri non posset, nempe interiecto aliquo clivo, a comitibus Nahamanis: Nonnulli: *Sed cum pervenit ad clivum*, id est *ad collem præputiorum*, de quo Iosue v. 3. nam vel erat Ghilghal, vel prope Ghilghal: & Elisæus tunc in Ghilghal habitabat, ut dicitur sup. cap. IV. vers. 38. Nostrer hic ex significato *Ophel* cum Aleph, id est *caligo, obscuritas, ghophel* ad tempus, non ad locum retulit: *Cumque venisset iam vesperi*; id est, cum iam esset obscuritas.

V. 26. NONNE COR MEUM IN PRAESENTI ERAT, QUANDO REVERSUS EST

EST HOMO DE CURRU SUO? &c. Heb. *Non cor meum ivit secundum quod vertit vir de super currum suum*, &c. Quidam interrogative: *Nonne cor meum ivit tecum quando convertit se vir de curru suo?* &c. id est, aderam tunc mente sive animo, & spiritu. Alii affirmative: *Non abierat animus meus, cum converteret se vir a curru suo*, &c. id est, non alio abierat, aut diverterat animus meus, sed præsens aderat, cum converteret se vir a curru suo, &c. supra vers. 21. NUNC IGITUR ACCEPISTI ARGENTUM, &c. Hebr. *An tempus ad accipiendum argentum*, &c. Quidam: *An tempus erat*, id est occasio, causa, ratio, *accipiendi argentum, aut accipiendi vestes, aut oleas, aut vineas*, &c. id est quidquam. Synecdochice pro omnia dona intelligit.

V. 27. SED ET LEPRA NAAMAN ADHAERET TIBI. Quidam: *Idcirco lepra Naamanis adhæreto tibi*; id est, eodem genere lepræ corripitor, quo ille laboravit. Est autem prophetica denuntiatio divini iudicii in eum, & posteros eius, ad detestationem sceleris simoniaci: mentiebatur enim Spiritui sancto, ut Ananias, & Saphira, Actor. v. & rem sacram, seu gratiam Dei vendiderat, ut Simon Magus emebat. LEPROSUS QUASI NIX; id est, præ lepra candidus instar nivis. Alii, *Percussus, affectus, lepra alba sicut nix.*

MENOCHII.

Vers. 1. REGIS SYRIAE, Azaelis: nam cum hæc gesta sunt defunctus erat Benadad, ut tradit Salianus. PER ILLUM DEDIT DOMINUS SALUTEM SYRIAE, regnante Benadad; sed quo in prælio, quo rerum discrimine, contra quos, non habemus in Scriptura.

V. 5. DECEM TALENTA ARGENTI. Talentum unum, ut sæpius dictum est, tria millia siclorum argenti continebat. Siclus unus quatuor Hispanicis regalibus æquivalebat. SEX MILLIA AUREOS, scilicet siclos, hoc est duo talenta auri, quæ efficiunt viginti quatuor millia aureorum. Unicum enim talentum continet uncias mille quingentas auri, drachmas duodecim mille, una vero auri drachma unum aureum nummum nostratem efficit. DECEM MUTATORIA VESTIMENTORUM, *vestes elegantiores*, ait Vatablus, *quibus utimur in publico, & diebus solemnibus, & quas cum quotidianis mutuamus.*

V. 6. CUM ACCEPERIS EPISTOLAM HANC, &c. Sapit hæc epistola superbos, & feroces spiritus Regum Syriæ.

V. 7. SCIDIT VESTIMENTA SUA. Quod faciebant Hebræi cum blasphemiam audiebant, aut cum tristis nuntius ad eorum aures deferebatur.

V. 8. SCIAT ESSE PROPHETAM IN ISRAEL: qui scilicet divino fretus auxilio, hæc possit, & his maiora.

V. 9. STETIT AD OSTIUM DOMUS ELISEI, quæ domus erat in Samaria, ubi Rex Israel habitabat.

V. 10. MISIT AD EUM NUNTIUM, &c. Nec tamen id Elisæus ex contemptu, sed ex divina iussione, & sua humilitate faciebat, qui sibi miraculum tribui nolebat.

V. 12. ABANA ET PHARPHAR. De his fluviis ita scribit Beniamin in suo itinerario: *Abana Damascum influit, cuius aquæ per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in forum, & plateas deducuntur. Pharphar urbem ipsam præterfluit, & hortos, paradisosque omnes irrigat.*

V. 13. PATER. Herum suum appellat patrem, sic olim Romani eum qui toti præerat familiæ, vocabant patremfamilias. FACERE DEBUERAS, ut scilicet a tam fœdo morbo liberareris. QUANTO MAGIS, &c. quasi dicant: Ne quæso tantum bonum tantulæ difficultati posthabeas, fac imperata a Propheta: nec enim est ægroti medico præscribere qualis adhibenda sit curatio.

V. 15. STETIT CORAM EO: ut de accepto beneficio Deo, & Prophetæ gratias ageret. BENEDICTIONEM, munera.

V. 16. VIVIT DOMINUS, per Domini vitam. ANTE QUEM STO, cui servio. PENITUS NON ACQUIEVIT; vel ad castigandam Giezi avaritiam, qui ad Naaman dona inhiabat; vel ut Naaman doceret Dei dona pecunia emi, aut compensari non posse; vel ut relinqueret exemplum ministris Domini, ut abstinerent ab omni specie cupiditatis, dicerentque: *Non vestra quærimus, sed vos*: II. Corinth. XII. 14. Alioqui nihil vetabat

quo

quo minus munera hæc eleemosynæ nomine accipere posset.

V. 17. UT TOLLAM ONUS DUORUM BURDONUM &c. Vult sibi dari de humo Israelitica, quantum par mulorum ferre possit, ut Dominus altare de terra faciat; eam scilicet lapidibus in formam altaris excitatis includendo, vel imponendo. *Burdones* muli sunt ex equo & asina. NISI DOMINO. Factus est enim Naamaan veri Dei cultor, non tamen circumcisus est, nec factus proselytus.

V. 18. TEMPLUM REMMON, quod Damascenorum idolum erat.

V. 19. VADE IN PACE. Concedit Propheta ut cum Rege se idolo submittente, & ipse se incurvare possit, quia non hoc fiebat ab ipso in cultum idoli, sed ut suum exerceret munus ordinarium Regem sustentandi, & brachium præbendi, cui inniteretur, quod obsequium de se malum non erat. ELECTO TERRAE TEMPORE. Hebr. & Chald. habent *quasi unum milliare*. Eamdem vocem quæ hic est in textu Hebræo, noster Interpres Genes. XXXV. 16. vertit *verno tempore*. Vide ibi notata.

V. 22. MODO VENERUNT AD ME DUO ADOLESCENTES, &c. Callide causam novam excogitavit, quæ ad ipsius Syri digressu contigisset, ut mutatio voluntatis Prophetæ probabilis appareret, & causam etiam fingit quæ ipsum Prophetam attingeret, qui Prophetarum horum omnium rectorem agebat, & patrem.

V. 23. COEGIT EUM. Simulabat enim Giezi nolle se nisi talentum unum, ne ab Elisei præscripto discederet.

V. 26. COR MEUM IN PRAESENTI ADERAT; id est, spiritu prophetico aderam, & Deus omnia quæ a te gesta sunt, præsentia mihi exhibuit.

V. 27. LEPROSUS QUASI NIX, lepra quasi nive aspersus, & albicans.

TIRINI.

Vers. 1. NAAMAN PRINCEPS MILITIAE REGIS SYRIAE: puta Benadad, qui bellum varia fortuna sæpius gessit cum Achab, & tandem, ut habes infra cap. VIII. ab Hazaele strangulatus interiit. PER ILLUM (Naaman) DEDIT DOMINUS SALUTEM SYRIAE. Quia ipse is fuit, qui excusso in incertum telo, Regem Achab in ultimo bello prostravit, III. Reg. XXII. 34. inquit Rabbi Salomon: qua fide, ipse viderit.

V. 2. LATRUNCULI, idem hic significant quod milites, ut dixi II. Reg. IV. 2.

V. 5. MUTATORIA VESTIMENTORUM, seu vestes elegantes & lautæ, quibus homines in splendida utuntur fortuna, & festis diebus; & mutant cum vilioribus, quando feriatis diebus ab otio & nitore se rursus ad laborem expediunt.

V. 12. ABANA ET PHARPHAR FLUVII DAMASCI. *Abana* enim, teste Beniaminio *a*, *Damascum influit, ciusque aquæ per trabes* (seu tubos) *in omnes magnatum domos, atque etiam in forum & plateas deducuntur. Pharphar urbem ipsam præterfluit, & hortos, paradisosque omnes irrigat.*

V. 17. DE TERRA Israelitica ONUS DUORUM BURDONUM, seu quantum ferre possunt duo muli: scilicet ut ex terra sancta, & a Deo benedicta, construam in Syria altare, & in eo per legitimum sacerdotem sacrificium offeram Deo Israelis soli & vero Deo. Neque enim illicitum hoc erat Gentilibus extra terram sanctam ad Deum conversis, qui, nisi vellent, cæremoniis Iudaicis non adstringebantur. Vide Abulensem.

V. 18. SI ADORAVERO, id est me incurvavero, seu corpus inclinavero, IN TEMPLO IDOLI REMMON; quasi dicat: Liceat, quæso, mihi, dum Rex meus Benadad sese curvabit ad adorandum idolum excelsum (hoc enim significat *Remmon*) id est primarium totius Syriæ (Venerem, ut puto, iuxta ea quæ de Dagon dixi I. Reg. v. 5.) liceat, inquam, mihi tum in obsequium non idoli, sed Regis mei, etiam me incurvare, quia Rex mihi solet inniti partim commodi sui, partim decoris gratia. Non ergo vult Naaman cooperari ad adorationem idoli, sed ad solam curvationem physicam Regis: quod omnino licebat, inquit Caietanus, & alii.

V. 19. ABIIT AB EO ELECTO TERRAE TEMPORE. Hebraicum כברת *kibrath electum* significat: & potest designare vel electam anni tempestatem, ut hic vernam, aut æstivam: nam alio anni tem-

pore non res levis, sed grandis fuisset Naamano septies aquis immergi.) Et sic vertit hanc vocem Vulgatus noster Genes. XXXV. 16. *tempus vernum*. Vel electum temporis spatium, quo potest certa viæ portio confici: quale antonomastice os erat designatum seu electum a lege spatium magni quadrantis horæ, quo iter sabbatho licitum *b* confici poterat. Et secundum hunc sensum diceretur hic Naaman ab Eliseo recessisse quadrante unius horæ, cum simoniacus Giezi assecutus est abeuntem. Unde Chaldæus, Pagninus, Tigurini, & alii recentiores vertunt *milliare terræ*, puta Italicum, quod quadrante horæ percurri potest.

V. 27. EGRESSUS EST LEPROSUS QUASI NIX; id est, quasi si nive fuisset conspersus: quæ erat lepra omnium teterrima, ad dolorem acerbissima, & curatu difficillima, ut Medici asserunt.

Petes: Cur tam inique tulit Eliseus, quod nomine suo lucrum aliquod per famulum peteretur? Respondeo: Quia eo ipso suspicionem movebat famulus, harum suum non esse sincerum veri Dei Prophetam, nam hi numquam solebant miracula pretio venditare; sed esse unum e pseudoprophetis, qui venalem habebant omnem suam operam, etiam prophetalem, non secus atque aliud quodvis artificium quæstuarium, ut ipsis exprobrat Michæas, Ezechiel *c*, & alii Prophetæ. Quocirca verisimile puto, Eliseum cuncta quamprimum, ut causa scandali tolleretur, & Naaman intelligeret, infidi & avari servi illam fuisse calliditatem, non suum mandatum.

(*a*) Benjamin in suo Itinerario.
(*b*) Proleg. de Mensur. longit.
(*c*) Michæas cap. III, vers. II. Ezech. cap. 22. vers. 27.

GORDONI.

Vers. 1. CErtum est ex textu, hanc historiam contigisse sub Eliseo, tamen totam omisit Josephus: sane plures eam referunt ad ultimum Ioramı Israelitici annum.

V. 2. LATRUNCULI. Sept. μονόξωνοι, *accincti*, *ac milites*, Chald. *turmæ*. Hebr. *agmina exercitus*. Vox Hebraica etiam latrones significat.

V. 5. QUI CUM PROFECTUS ESSET, ET TULISSET SECUM.... SEX MILLIA AUREOS. Chald. *sex millia denarios auri*. MUTATORIA sunt vestes pretiosiores, quas festis diebus induimus, aut cum itur in publicum, a mutando.

V. 12. ABANA ET PHARPHAR duo fluvii sunt, quorum alter interfluit per mediam civitatem, alter abluit muros. Sic Iordanem postponit fluviis Damasci.

V. 15. BENEDICTIONEM, munus, quod offert pro accepta sanitate. Chald. *oblationem*.

V. 17. UT TOLLAM ONUS DUORUM BURDONUM DE TERRA. Sic nuntium remittit patriæ religioni novas aras excitaturus Deo vero, non in pulvere sordido Syriæ, sed super terram Israelitidem, quam petit, & secum defert, quantam duo burdones seu muli gestant.

V. 18. IN TEMPLO REMMON. Idolum Syrorum est Remmon. QUANDO INGREDIETUR DOMINUS MEUS TEMPLUM REMMON, UT ADORET, &c. Solent Reges aliorum humeris inniti. Naaman ergo precatur veniam, si Rege adorante, ipse etiam inclinando adoraverit; hoc est, si incurvaverit se in speciem adorantis præsente idolo, licet minime adoraret.

V. 19. ABIIT ERGO ELECTO TERRÆ TEMPORE. Varie hoc explicant Interpretes. Existimo hic designari per tempus electum, tempus commodum, seu non importunum. Hebr. כברת *kibrath*, *quasi miliare terræ*. Certe Gen. XXXV. 16. est eadem vox quam Glossa vertit *tractus terræ*, & Hieronymus ibidem vertit *verum tempus*. Chald. habet *milliare terræ*. LXX. Indicant esse spatium terræ: ὡς χιλιοστὴ τῆς γῆς; non mutant vocem χιλιοστή: de qua vide quæ dixi Gen. XXXV. 16.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. De valore talenti dixi Lib. III. cap. X. SEX MILLIA AUREOS, scilicet siclos.

V. 9. STETIT AD OSTIUM ELISEI. Hæc domus in Samaria erat, ubi Rex habitabat.

V. 16. Noluit, ut ostenderet dona Dei non emi pecuniis, & damnaret facinus Giezi, de quo vers. 22. & 26.

C A.

CAPUT VI.

Eliſeus ferrum ſecuris natare facit, Regis Syriæ milites ducuntur excæcati in Samariam ab Eliſeo, quem ob Regis ſui ſecreta Regi Iſrael patefacta capere nitebantur: ac poſtmodum Syris obſidentibus Samariam, matres ob inediam filios ſuos comedunt, propter quod Eliſeus a Rege iubetur occidi.

1. DIxerunt autem filii Prophetarum ad Eliſeum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis. 2. Eamus uſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſilva materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. 3. Et ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum ſervis tuis. Reſpondit: Ego veniam. 4. Et abiit cum eis. Cumque veniſſent ad Iordanem, cædebant ligna. 5. Accidit autem, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamavitque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. 6. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monſtravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natavitque ferrum. 7. & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tullit illud. 8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſrael, conſiliumque iniit cum ſervis ſuis, dicens: In loco illo & illo ponamus inſidias. 9. Miſit itaque vir Dei ad Regem Iſrael, dicens: Cave ne tranſeas in locum illum: quia ibi Syri in inſidiis ſunt. 10. Miſit itaque Rex Iſrael ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & obſervavit ſe ibi non ſemel neque bis. 11. Conturbatumque eſt cor Regis Syriæ pro hac re: & convocatis ſervis ſuis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei ſit apud Regem Iſrael? 12. Dixitque unus ſervorum eius: Nequaquam domine mi Rex, ſed Eliſeus Propheta, qui eſt in Iſrael, & indicat Regi Iſrael omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. 13. Dixitque eis: Ite, & videte ubi ſit: ut mittam, & capiam eum. Annuntiaverunt que ei, dicentes: * Ecce in Dothan. 14. Miſit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cum veniſſent nocte, circumdederunt civitatem. 15. Conſurgens autem diluculo miniſter viri Dei, * egreſſus, vidit exercitum in circuitu civitatis, & equos & currus: nuntiavitque ei, dicens: Heu heu heu domine mi, quid faciemus? 16. At ille reſpondit: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis. 17. Cumque oraſſet Eliſeus, ait: Domine, aperi oculos huius, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Eliſei. 18. Hoſtes vero deſcenderunt ad eum: porro Eliſeus oravit ad Dominum, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Eliſei. 19. Dixit autem ad eos Eliſeus: Non eſt hæc via, neque iſta eſt civitas: ſequimini me, & oſtendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: 20. cumque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſeus: Domine aperi oculos iſtorum, ut videant. Aperuitque Dominus oculos

oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. 21. Dixitque Rex Israel ad Elisæum, cum vidisset eos: Numquid percutiam eos, pater mi? 22. At ille ait: Non percutes: neque enim cepisti eos gladio & arcu tuo, ut percutias: sed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad dominum suum. 23. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, & ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. 24. Factum est autem post hæc, congregavit Benadad Rex Syriæ, universum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam. 25. Factaque est fames magna in Samaria: & tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. 26. Cumque Rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me domine mi Rex. 27. Qui ait: * Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam Rex: Quid tibi vis? Quæ respondit. 28. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. 29. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. 30. Quod cum audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 31. Et ait Rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie. 32. Elisæus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: † & antequam veniret nuntius, ille dixit ad senes: Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est. 33. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino?

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 13. *Ecce in Dothan*. Scribendum est *Dothan* dissylabum, non trissylabum *Dothain*, quod legitur Gen. xxxvii. vers. 17.

V. 15. *Egressus vidit exercitum in circuitu civitatis*. Alii scribunt *egressus est, viditque*.

V. 27. *Non te salvat Dominus: unde te possum salvare?* Alii hypostigmate postposito adverbio *non*, scribunt præsens imperativi *salvet*, pro præsenti indicativi *salvat*: forte quia non intellexerunt prioris lectionis sensum, qui est: Dominus non salvat te, unde salvem te ego? Si Dominus non salvat te, unde ego?

Lectionum Varietas.

V. 42. *Et antequam veniret nuntius, ille dixit ad senes*. Hæc legitima videtur esse interpunctio, ut pronomen ille coniungatur verbo *dixit*.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. MATERIAS SINGULAS. Hebr. Chald. & LXX. *trabem unam*.

V. 3. ERGO. Hebr. & Chald. *quæſo*.

V. 6. LIGNUM, id eſt manubrium alterum. NATAVITQUE, ſcilicet coniunctum manubrio novo.

V. 8. ILLO ET ILLO. Hebr. *Peloni almoni*; quaſi dicat, tali & tali. Vide Ruth IV.

V. 10. PRÆOCCUPAVIT. Hebr. & Chal. *monuerat*, ſcilicet Propheta. EUM, ſcilicet Regem. OBSERVAVIT SE IBI, ſcilicet ne inciderent incaute in inſidias. Chald. *Cavit ſibi illinc*. NON SEMEL NEQUE BIS; quaſi dicat, ſæpius.

V. 12. NEQUAQUAM; quaſi dicat: Non ita eſt, ut tu ſuſpicaris.

V. 15. HEU HEU HEU. Hebr. *Ah, ah*. Chald. *Obſecro*. LXX. *O, o*.

V. 17. PUERI, id eſt famuli.

V. 18. AD EUM, ſorte e civitate egreſſum. CÆCITATE. LXX. *ἀόρασία*. *Aoraſia* ſcilicet cæcitas eſt qua videntur quædam, alia non. Vide Gen. XIX. NE VIDERENT. Hebr. Chald. & LXX. *cæcitate*.

V. 19. DIXIT, ſcilicet ab eis interrogatus. OSTENDAM VOBIS. Hebr. & Chald. *Ducam vos ad*.

V. 21. PATER. Chald. *Magiſter*.

V. 23. DIMISIT, ſcilicet Propheta, vel Rex. ULTRA, id eſt per longum tempus, ſcilicet dum ille Rex vixit. LATRONES. Hebr. Chald. & LXX. *exercitus*, ſeu *milites*.

V. 25. ARGENTEIS, ſcilicet ſiclis. LXX. *ſiclis argenti*. CABI. *Cabus* ſexta pars ſati, ſatum vero tertia pars ephi. STERCORIS, ſcilicet ad fovendum ignem.

V. 27. NON, ſcilicet poſſum te ſalvare. Chald. *niſi*. DE AREA, &c. quaſi dicat, Qui nec frumentum habeam, nec vinum.

V. 30. CILICIUM. Hebr. Chald. & LXX. *ſaccum*.

V. 31. ELISEI, ſcilicet qui cum poſſit orationibus, ſame non liberet civitatem.

V. 32. FILIUS HOMICIDAE, ſcilicet Achab, qui occidit Naboth.

V. 35. AIT, ſcilicet Rex. Vide cap. ſeq. QUID AMPLIUS EXPECTABO A DOMINO? quaſi dicat: Nulla eſt ſpes. Chald. *Orabo Dominum*.

ESTII.

Verſ. 9. MISIT ITAQUE VIR DEI AD REGEM ISRAEL DICENS: CAVE NE TRANSEAS IN LOCUM ILLUM, QUIA IBI SYRI IN INSIDIIS SUNT. Scivit hoc Eliſeus divina revelatione. Unde quidam ſervorum Regis Syriæ ad eum verſ. 12. *Nequaquam Domine mi Rex, ſed Eliſeus Propheta indicat Regi Iſrael omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo*. Sic & cap. præced. verſ. 26. Eliſeus ad Giezi mentientem: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo in occurſum tui?* Quæ Scripturæ ſacræ teſtimonia ſatis convincunt, ſanctos qui in cælo cum Chriſto regnant, poſſe preces fidelium cognoſcere, etiamſi localiter apud ipſos præſentes non ſint. Nam ſi Eliſeus adhuc in corpore poſitus abſentis Regis ſecreta cognoſcere, & miniſtri ſui fraudem potuit videre; multo magis animæ ſanctorum corporibus iam exutæ, & Deo præſentes in eo tamquam in ſpeculo, omnia ad ipſos quoquo modo pertinentia, clare & perfecte intuentur.

V. 18. PORRO ELISEUS ORAVIT AD DOMINUM DICENS: PERCUTE OBSECRO GENTEM HANC CAECITATE. PERCUSSITQUE EOS DOMINUS NE VIDERENT. Cæcitas qua Syros Dominus percuſſit, non talis erat qua nihil omnino viderent, ſed qua non hoc viderent quod requirebant, aut ſaltem non agnoſcerent. Unde Septuaginta non habent *cæcitatem*, ſed *ἀοράσιαν*, id eſt *inviſibilitatem*, qua nimirum aliquid oculis eorum redditur inviſibile, vel potius incognoſcibile, ut agnoſcere, & diſcernere non poſſent. Tali cæcitate quoque Sodomitæ percuſſi leguntur, de quibus dicit Scriptura, quod fatigati fuerunt quærendo oſtium

oſtium Lot. Et ſimili cæcitate ter in Evangelio Iudæi percuſſi ſunt. Semel quando Chriſtum de monte voluerunt præcipitare Lucæ IV. tunc enim *Chriſtus per medium illorum tranſiens abibat*, illis eum non agnoſcentibus: ſecundo quando eum Iudæi voluerunt lapidare Ioan. VIII. tertio quando eum voluerunt apprehendere, & Dominus ipſe interrogavit eos, Ioan. XVIII. *Quem quæritis?*

V. 33. ET AIT: ECCE TANTUM MALUM A DOMINO EST: QUID AMPLIUS EXPECTABO A DOMINO? Dubium, an nuntius Regis hoc dixerit, an Eliſeus. Veriſimilius eſt eſſe verba nuntii hæc dicentis nomine Regis, animo iam mutato ſeſe humiliantis. Id enim apparet ex placabili reſponſo Eliſei, quod ſubiungitur capite ſequenti. Obſerva autem, fideles, vel pœnitentes ſolere omnia ſua adverſa referre in Deum, ſicut & Iob dicit cap. I. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt.*

MARIANAE.

Verſ. 2. MATERIAS SINGULAS. Hebr. *trabem unam*: ſic Sept. Chald. *Tignum quiſque tollat*: ſic filii Prophetarum ad Eliſeum.

V. 3. VENI ERGO. Hebr. *Veni quæſo*, aut *nunc*, *cum ſervis tuis.*

V. 5. FERRUM SECURIS cecidit in aquam. Hebr. *ferrum*; ſed *ferrum* pro *ſecuri* ſumitur. Eliſeus

V. 6. PRAECIDIT ERGO LIGNUM, ſcilicet in manubrium conformatum, cui ferrum ſe inſeruit: ſic Hebræus Scholiaſtes. Rex Syriæ contra Regem Iſrael,

V. 8. IN LOCO ILLO ET ILLO. Heb. *in loco peloni almoni*, id eſt tali & tali. Chald. *loco celato & abſcondito*. Id eæ voces *Peloni Almoni* ſignificant, de quo Ruth IV. 1. PONAMUS INSIDIAS. Sic Sept. Chald. *Erit caſtrorum ſtatio*. Hebr. vox *thahanothi*, *caſtra mea* ſignificat. Monuit Eliſeus Regem Iſrael:

V. 9. SYRI IN INSIDIIS SUNT. Hebr. *deſcendentes*, pro deſcenderunt Syri. Chald. *ſunt abſconditi.*

V. 10. ET PRAEOCCUPAVIT EUM, locum. Hebr. *monuerat eum*. *Et miſit ad locum quem dixit vir Dei*: ſic Chald. ET OBSERVAVIT SE IBI; pro, & cavit ſibi ibi. Rex Syriæ:

V. 11. QUIS PRODITOR MEI SIT APUD REGEM ISRAEL? Hebr. *Quis ex nobis ad Regem Iſrael*, ſupple nuntiat, *quæ agere volumus?* Mittit qui capiant Eliſeum. Percuſſit Deus eos qui venerant ad capiendum Eliſeum

V. 18. CAECITATE. Non fuit cæcitas, ſed hebetudo oculorum, quam Græci ἀορασίαν vocant, cum alia quis videns agnoſcit quem quærit, ut Auguſt. ait Lib. XXII. de Civit. Dei, cap. XV. qua cæcitate percuſſi ſunt Sodomitæ, ne ianuam domus Lot invenirent.

V. 21. PATER MI, num percutiam eos? ait Rex Iſrael ad Eliſeum. Chald. רבי *Rabi*, *Magiſter*, aut *Domine mi*. At ille: Non.

V. 22. NEQUE ENIM CEPISTI EOS GLADIO ET ARCU TUO. Hebr. *Num quos captivaſti in gladio tuo & in arcu tuo tu percutiens*, pro percuties? Ironia eſt.

V. 23. APPOSITAQUE EST EIS CIBORUM MAGNA PRAEPARATIO. Hebr. *Paravitque eis præparationem magnam*; id eſt, lautum convivium paravit, ſive Rex, ſeu potius Propheta. ET ULTRA NON VENERUNT, id eſt per longum tempus. LATRONES SYRIAE. Hebr. *turmæ Syriæ*. *Goedud*, *turmam* tum *militum*, tum *latronum* ſignificat. Novum bellum. Obſidio Samariæ, & ex eo fames.

V. 25. OCTOGINTA ARGENTEIS, vendebatur caput aſini. Iotephus Lib. IX. cap. II. *octogenta denariis argenti*. Sept. *octoginta ſiclis argenti*. Rabbini dicunt omne *argentum* in lege eſſe *ſiclos*, in Prophetis (ut hic) *binas*, in Hagiographis eſſe *talenta*. Sed non placet ea ratio. QUARTA PARS CABI. *Cabus* ſexta pars ſati, ſatum tertia pars ephi: porro ſatum modius Italicus. STERCORIS COLUMBARUM. In quem uſum? ut pro condimento eſſet, Ioſephus Lib. IX. cap. II. id eſt pro ſale. In obſidione penuria ſalis graviſſima eſt, & proxima poſt panis, & aquæ inopiam. Verum eo ſtercore agri impinguantur, non eſt ergo ſalſum. David Kimhi, ceſſiſſe in alimentum ignis. Sed ex cabi quarta quis ignis? Ego *ſtercus* vocari puto glandes, & alia quæ in gutturis veſicula columbæ geſtant eſui apta. Sic nonnemo. QUINQUE ARGENTEIS, ſcilicet emebatur ea quarta pars cabi-

cabi. Chald, & Sept. *quinque ficlis argenti*. Verum cum Hebr. tum ſuperius ſit *ofloginta argenti*, tum hic *quinque argenti*, aut utrobique *ſicli* exponi debent, aut utrobique omitti.

V. 30. CILICIUM, Hebr. *ſaccum*, quod geſtabat Rex. Qui Eliſeo minatur.

V. 31. SI STETERIT CAPUT ELISEI. Quod eius peccatum? ſed nimirum Regum libido pro ratione eſt. Tyrannis boni quam mali ſuſpectiores ſunt. Beneficium ſemel datum quaſi debitum exigunt. Putabat poſſe illum nec velle obſidionem diſſipare. Mittit ad eum miniſtrum. Eliſeus contra,

V. 32. ET NON SINATIS EUM INTROIRE. Hebr. *Et opprimetis eum in porta*: ſic Chald. quaſi dicat: Prohibete ne ingrediatur.

V. 33. ET AIT, ſcilicet nuntius, qui invitus veniebat ad occidendum Prophetam: quid amplius expectare poſſumus, quando ſcilicet eo ventum eſt, ut Propheta occidatur? Sive Rex, ut alii volunt, qui mutata continuo ſententia antevertit nuntium, dixitque Prophetæ: Quando in tantum malum incidimus, ut mulieres comedant filios, nihil boni ſperare, aut mali timere amplius a Deo debemus. Verba animi deſperantis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. FILII PROPHETARUM. Vide ſupra cap. 11. verſ. 5. & I. Samuel. x. 5.

V. 2. EAMUS USQUE AD IORDANEM, qui non multum inde, ſcilicet a Ghilgale aberat. Vide ſupra cap. v. verſ. 10.

V. 5. ACCIDIT AUTEM, UT CUM UNUS MATERIAM SUCCIDISSET, CADERET FERRUM SECURIS IN AQUAM. Hebr. *Et fuit unus deiciens tignum*, & *ferrum eccidit in aquas*: voci *ferrum* præpoſitus eſt articulus את *eth*, qui ſolet eſſe nota accuſativi, ut ſit ſenſus: Et quidam deiecit rignum, & ipſum ferrum, & utrumque cecidit in aquam. Quidam: *Fuit autem illorum uno deiiciente tignum, ut tignum cum ferro caderet in aquam.* ET HOC IPSUM MUTUO ACCEPERAM. Hebr. & *ipſum poſtulatum*. Quidam, *petitum commodato*. Alii, *commodato acceptum*.

V. 8. IN LOCO ILLO ET ILLO PONEMUS INSIDIAS. Hebr. *Ad locum pheloni almoni caſtrametatio mea*. De his vocibus egimus Ruth IV. 1. Quidam: *In loco tali & tali erunt caſtra mea*. Alii: *Alicubi ad certum locum caſtra mea erunt*. Aliqui: *In loco abſcondito, incelebri, caſtrametatio mea*. Nonnulli: *Apud locum cuiuſdam N. erit metatio mea*. Alii: *Ad locum occultum, mutum, manſio mea*; id eſt, ut ponerentur inſidiæ in loco hoſtibus occulto, & illuc milites ſilenter irent, ac manerent.

V. 9. QUIA IBI SYRI IN INSIDIIS SUNT. Hebr. *Quia ibi Aramæi deſcendentes*. נחתים *neechittim*, participium, vel nomen verbi Syriaci נחת *nachath*, vel נחת *nechath*, exponunt, *demittente ſeſe ſenſim*, ut non deprehenderentur. Alii, *innitentes*, vel *incumbentes*. Poſſis reddere, *deprimentes ſe*, vel *dimiſſi*, *proſtrati*, quod inſidiis congruit. Nec deſunt qui reddant: *Nam ibi Syri inſidiantur*. Notant, auctorem de Syris loquentem, voce Syra uti, ſignificante ſe ad inſidiandum demittere.

V. 10. ET PRAEOCCUPAVIT EUM. Verbum הקהיר *hizhir* in Hiphil, diverſimode exponunt. I. *Et admonuit eum*, vel & *commonefecerat eum*. II. *Et ſolicitabunt eum*: nempe miſſi a Rege ſolicite inſpicient an hoſtes ibi latitent. III. iungunt cum ſequentibus: *Et diſpoſitis cuſtodiis obſervari eum iuſſit*. Proprie: *Et elucidavit, luſtravit, fulgere fecit, eum locum*. Latine: *Inſpexit, recognovit*.

V. 11. QUIS PRODITOR MEI SIT APUD REGEM ISRAEL? Hebr. *Quis dequo nobis, ad Regem Iſraelis?* Quidam: *Quis ex his qui nobis ſunt, ad Regem Iſraelis?* Alii: *Quis e nobis eſt Regis Iſraelis?* id eſt, agit partes Iſraelis? Vel *quis e nobis prodat conſilia noſtra Regi Iſraelis?* Nonnulli: *Quis ex noſtris ad Regem Iſraelis* retulit?

V. 12. NEQUAQUAM, DOMINE MI REX. Hebr. *Non, domine mi Rex*, id eſt, non ita ſe res habet, ut ſuſpicaris: nullus facit, vel non facit ullus.

V. 13. IN DOTHAN. Notant, eſſe locum non procul a Sichem, & Samaria, in tribu Menaſſe. Geneſ. XXXVII. verſ. 17. vocatur *Dothain*, & *Dothan*, ut hic. Ibi eum deſcripſimus. Ex notione Chaldaica nomen accepiſſe videtur, quod eſſet herboſus & paſcuus.

V. 15. CONSURGENS AUTEM DILUCULO MINISTER VIRI DEI. Hebr. *Et manicavit minister viri Dei ad surgendum.* Quidam: *Matutinus agebat minister viri Dei surgendo.*

V. 17. APERI OCULOS HUIUS, id est illustra. Sic vers. 20. ET ECCE MONS PLENUS EQUORUM, ET CURRUUM IGNEORUM IN CIRCUITU ELISEI. Hebr. ambigua sunt, & plurisariam reddi possunt, eodem semper sensu. I. *Et ecce mons plenus erat*, subaudi copiis militaribus, *equi*, & *currus ignei in circuitibus Elisei*. II. *Et ecce mons plenus erat equis*, & *currus igneus in circuitibus Eliſei*. III. *Et ecce mons ille plenus erat equis*, & *curribus igneis circum Elisæum*. Mira custodia Angelorum!

V. 18. CAECITATE, Hebr. pluraliter, *cæcitatibus*, ut augeat significatum, id est quam maxima & profunda cæcitate. Quidam, *subito scotomate*, id est vertigine: quod non placet: nam ii non eo morbo laborabant. Aptius, *allucinationibus*. Vide in Genes. XIX. 11.

V. 19. NON EST HAEC VIA, NEQUE ISTA EST CIVITAS. Exponunt quasi dicat: Neque hac, neque illac est vobis eundum, ut assequamini eum quem quæritis. Non est mentitus Propheta. *Non est hæc via, neque ista*, &c. subaudi, in qua assequamini virum quem quæritis.

V. 21. NUMQUID PERCUTIAM EOS, PATER MI? Forsterus in hunc locum annotat: *Scribitur* האכה אכה *haaceb acceb, an percutiam, percutiam pater mi? pro quo quidam legunt: An percutiendo percutiam mi pater? sicut quoque Chaldæus vertit:* & *tum prioris thema esset* אכה *accab, a quo infinitivus* אכה *acceb, nisi forte censeas Aleph scriptum pro He, euphoniæ causa* האכה *haaceb. Aut sane voluit ipso lapsu significare linguæ celeritatem, ut sane solemnis in celeritate præcipitare linguam, aut solœcismum committere sive barbarismum. Vel sic exponendum erit: An percutiam? percutiam pater mi: ut primum sit interrogantis, alterum respondentis seu asserentis, quo sibi ipsi respondet, & annuit.* Mercerus posterius hoc tantum probat, alia aliena putat, additque: *Sed utrumque interrogantis malim, ut vox fert, præ affectu, sicut & Chaldæus Paraphrastes vertit: Num percutiam? percutiam, inquam, mi pater?* Geminatio verbi affectum Regis, & omnimodam omnium interfectionem indicat.

V. 22. NON PERCUTIES: NEQUE ENIM CEPISTI EOS GLADIO ET ARCU TUO, UT PERCUTIAS. Hebr. *Non percuties: num quos captivasti in gladio tuo & in arcu tuo, tu percutiens?* Quidam: *Ne trudices: quos vero tu gladio tuo & arcu tuo ceperis, hos trucida.* Alii: *Ne percutito: an quos captivos abduceres gladio tuo & arcu tuo, eos percuteres?* Argumentum est a maiori; quasi dicat: Ne eos quidem occideres, quos mancipii iure tibi in bello comparares: ergo multo minus alieno beneficio comparatos fas erit occidere.

V. 23. APPOSITAQUE EST EIS CIBORUM MAGNA PRAEPARATIO. De verbo כרה *carah*, & singulari eius usurpatione egimus in Genes. I. 5. Hic varie transferunt. I. *Et apparavit eis ingens apparatum magnum*, seu *splendidum*. II. *Et fodit eis fossionem magnam*. Notant esse pulcherrimum Hebraismum; hoc est, protulit eis multa cibaria. III. *Et fecidit, excidit, concidit, eis fcissionem, excisionem, concisionem grandem*, nempe carnium, & variorum eduliorum, quod in conviviis fiat maxima concisio ciborum. ET ULTRA NON VENERUNT LATRONES SYRIAE IN TERRAM ISRAEL. Hebr. *Et non addiderunt ultra latrocinia, egmina, globi, turmæ, cunei, grassatores, excursores Syrorum, ad veniendum in terram Israelis.* Quidam: *Neque perrexerunt deinceps turmæ Syrorum invadere terram Israelis.* Id est, non amplius Syri turmarii insidiantibus Israelitas aggredi ausi sunt; sed iussis & numerosis castris: ut versu sequente exponitur.

V. 24. BENADAD REX SYRIAE: de quo vide I. Reg. XX. 1. & 34.

V. 25. OCTOGINTA ARGENTEIS: intelligunt *siclis*, hoc est trecentis viginti regalibus castellanis. CABI. Hebr. קב *kab*. Hebræi, nostrique consentiunt genus esse mensuræ frumentariæ. Suidas, *Cabus, genus mensuræ*: sed non exprimit qualis. Hebræi constanter affirmant kab continere seminis & aridorum portionem quantum ovorum putamina viginti quatuor capere possunt, quod & ii omnes qui de sacris mensuris scripsere, agnoscunt. Buxtorfius ex Rabbi Alphes hæc summatim

de

de menſuris Scripturæ excepit: רביעית *rebighith, quarta, quadrans, quartarius: ſeu* רובע *robagh, quartale, quarta pars menſuræ ſacræ, continet ſeſquiovum:* לוג *logh, ſive ſextarius, quatuor quadrantes, id eſt ſex ova:* קב *kab, cabus, quatuor logos, ſive ſextarios, id eſt ſexdecim quadrantes, & vigintiquatuor ova.* הין *hin, duodecim logos, id eſt quadraginta octo quadrantes, & ſeptuaginta duo ova:* סאה *ſeah, ſatum, ſex cabos, hoc eſt viginti quatuor ſextarios, duo hin, nonaginta duos quadrantes, & centum quadraginta quatuor ova.* איפה *ephah, tres ſeas, id eſt decem & octo cabos, ſex binos, ſeptuaginta duos logos, ducentos octoginta octo quadrantes, quadringenta triginta duo ova.* גומר *ghomer, decimam ephæ, id eſt quadraginta tria ova, & $\frac{5}{1}$ ovi.* Hæc Rabbinus. Ioſephus diſertiſſime hic quartale, ſeu quartam partem kabi, ſextarium, ſeu logum interpretatur. STERCORIS COLUMBARUM. חרייונים *chiriionim*, vox compoſita ex חור *chor, foramine*, & יונים *ionim, columbis*, id eſt *foraminis columborum*, nempe *ſtercoris columborum*, quod per foramen podicis egeritur. Hebræi nimium religioſi, ſeu potius inepti, putantes hanc vocem non ſatis mundam & decoram, aliam legendam pro ea in margine ſubſtituerunt, דביונים *dibionim*; unde voci, quæ ſecundum normam debebat legi *chore ionim*, aliena puncta affixerunt, nempe *chirionim*, quæ ſunt vocis *dibionim*: quam aiunt compoſitam ex דב *dab*, quod Chaldaice ſignificat *fluxum*, vel ex *D*, Chaldaice, id eſt *quod*, & *B, in*; & *ionim, columbis*, hoc eſt *fluxus columborum*, vel *quod in columbis*. LXX. Ioſephus, & Chaldæus, & omnes Hebræi, Græci, Latini, *chirionim*, *ſtercora columbarum* intelligunt. Sed cui uſui tanto pretio emebatur tantillum ſtercoris columbini, nimirum quantum ſex putamina communium ovorum capere poſſent? Notiſſimum eſt ex hiſtoriis quoſdam fame ad extremas ſordes mandendas adactos. Livius Lib. XXIII. cap. XIX. de Caſilinorum fame: *Poſtremo ad id ventum inopiæ eſt, ut lora, detractaſque ſcutis pelles, ubi fervida molliſſent aqua, mandere conarentur.* Suetonius in Tiberio, cap. LIV. *Druſo autem adeo alimenta ſubducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere.* Ioſephus: *Et quinque denarii Hebræi columbini ſtercoris ſextarium, vice condimenti emerent*: vel, ut alii verba Ioſephi reddunt, *Fæce illa columbarum utebantur obſeſſi loco ſalis*. Alii putant obſeſſos columbino ſtercore uſos non ad eſum, ſed ad fovendum, ſeu accendendum ignem loco lignorum, ob horum penuriam: quia non poterant exire in ſilvas ad cædenda ligna. Lyranus, & alii exiſtimant ea voce, non ſtercus columbarum, ſed grana contenta in ſtruma, ſeu veſicula, aut ingluvie columbarum, ſignificari, nempe frumenta, quæ columbæ ſua ingluvie ex agris collegerant: quibus præ fame veſci cogebantur. Tremellius, & Iunius ita reddunt, ac exponunt: *Et quarta pars*, ſupple, columbarum nempe, *venter ipſe, qui eſt in cavo columbarum*, id eſt ingluvies, cum interaneis quæ ſunt in cavitate corporis columbarum. Metonymia continentis pro contento. Vocem *kab*, non pro certa menſura, ſed pro ventriculo, ſeu ingluvie gutturis accepere, ex ſignificato vocis קבה *kebah*, Deuter. XVIII. verſ. 3. & *chirionim, foramen, cavum, cavitatem, cavernam, columborum* ſunt interpretati, id eſt interanea, quæ ſunt in cavo corporis columbarum: ſubtili, acuta, nec inepta, ſed ſingulari expoſitione. QUINQUE ARGENTEIS, ſiclis ſubaudiunt, id eſt viginti regalibus Caſtellanis.

V. 27. NON TE SALVAT DOMINUS. Hebr. *Non ſalvabit te Iehovah*. Quidam: *Non ſervet te Iehovah*. Exponunt quaſi dicat, Diſpereas. Unde ferre poſſum tibi opem? cibum a me petis, quem ſcis omni re carere. Impatientis, & indignabundi, atque infidelis verba, videntis ſe iuvandi facultate deſtitutum.

V. 30. SCIDIT VESTIMENTA SUA, ET TRANSIBAT PER MURUM: VIDITQUE OMNIS POPULUS CILICIUM, QUO VESTITUS ERAT AD CARNEM INTRINSECUS. Ordo verborum Hebraicorum eſt iſte: *Et diſcidit veſtimenta ſua: & ipſe tranſiens ſuper murum; & vidit populus, & ecce ſaccus ſuper carnem eius ab intus*. Quidam volunt eſſe verborum hyſteroſin, quam ad evidentiam ita tollunt: *Ut laceraret veſtimenta ſua, dum tranſiret ſecundum murum: quod cum vidit populus intra civitatem, ecce cilicium impoſuit carni ſuæ:* ſcilicet ipſe populus induit cilicium ad carnes, ut ſe

cum Rege luctum communicare testaretur. Sed reliqui omnes intelligunt Regem intus sub vestibus ad carnem cilicio seu sacco indutum: quod est rectius. Sed enim quid est, *Et transibat per murum?* nimirum ut excubias & præsidia recognosceret, & loca infirmiora custodiis firmaret. Iosephus: *Nihilque magis verebatur Rex, quam ne quis fame addactus, & non ferens inopiam, urbem hostibus proderet: quamobrem per singulos dies obibat ipse mœnia & excubias, dispiciens ne quis in urbem clam admitteretur, & singulari diligentia huiusmodi occasiones adimens.*

V. 31. HAEC MIHI FACIAT DEUS, ET HAEC ADDAT, &c. Similis locutio I. Reg. xx. 10. Quidam notant, Regem Iehoramum fretum turba assentantis populi, ista minari Prophetæ: Irasci autem contra Elisæum, cum quia verbo eius, & consilio Syris resistebatur, ac proinde se ab illo delusum fuisse cogitabat; tum quia putabat negligentia Elisæi fieri ut fames in dies ingravesceret, quod eam precibus apud Deum non depelleret.

V. 32. PRAEMISIT ITAQUE, scilicet Rex, ut omnes intelligunt. VIRUM, vel *quemdam*, putant hunc exprimi infra cap. VII. vers. 2. Hebræa habent: *Et misit virum de apud faciei suas*. Exponunt: Id est, ex his qui adstabant sibi. Nos dicimus nuntium, vel legatum a latere. Alii, *Ex ante se*, id est qui eum antecederet, nam eum sequebatur Rex ipse paulo inferius hoc versu. Unde Noster apposite dixit, *Præmisit*. FILIUS HOMICIDAE, Achabi, cuius nutu Naboth, & viri boni occisi sunt, I. Reg. XVIII. & XXI. & apte appellavit filium homicidæ, qui ipse mittebat virum ad præcidendum Elisæo caput. CLAUDITE OSTIUM, ET NON SINATIS EUM INTROIRE. Hebr. *Occludite fores, & comprimite eum in ipsis foribus*; id est, sistite eum extra septa, ne ingressus irruat in me; ut commode possim denuntiare verbum Domini: vel sit hypallage, & comprimite, arctate ipsi fores; id est, valide occludite fores, ac firmate, ne repentinus in me irruat. Quidam: *Et premite eum ostio*; id est, obiecto ipso ostio eum reprimite & repellite. ECCE ENIM SONITUS PEDUM DOMINI EIUS POST EUM EST; id est, vestigiis ipsius insistit Rex, & proxime eum insequitur.

V. 33. ET DIXIT. Plerique exponunt, non nuntius, sed Rex, qui nuntium antevertit, quem miserat. Videtur Rex mutasse sententiam, ac proinde antevertisse nuntium, ut non ei licuerit caput Elisæi præcidere. Alii: *Et dixit*, nuntius ipse cum sisteretur a senioribus, oftendentibus, & edocentibus ipsum, tantam famem non fortuito sed divinitus immissam esse. ECCE TANTUM MALUM; id est, hæc tanta afflictio, fames, & parvulorum cædes ex fame secuta. A DOMINO EST. Hebr. *de apud Iehovah*; id est, apud Iehovah decretum est. Quidam: *Fit a Iehova*. QUID AMPLIUS EXPECTABO A DOMINO? Quidam: *Quid confiderem Iehove amplius?* quasi dicat: Nulla est iam spes. Alii: *Et quid sperabo ad Iehovam amplius*: verba hominis impii, & desperantis.

MENOCHII.

Vers. 1. FILII PROPHETARUM. Hos putat Salianus in Galgalis habitasse.

V. 2. SINGULI MATERIAS SINGULAS. In Hebræo, & Græco est, *Unusquisque tignum unum*.

V. 5. CUM UNUS MATERIAM SUCCIDISSET, dum succideret, est enim præteritum pro præsenti. MUTUO ACCEPERAM; quasi dicat: Et non habeo unde domino eius satisfaciam.

V. 6. PRAECIDIT ERGO LIGNUM. Ipse Propheta lignum præcidit, & in manubrii formam aptavit, & in aquam proiecit. Manubrium vero recta in foramen securis insertum est; & ipsam securim præter rerum naturam ad aquæ superficiem sustulit, &, ut ait Tertull. Lib. III. contra Marc.

Demersam fluvio revelavit virga securim.

V. 8. IN LOCO ILLO ET ILLO, id est tali ac tali loco. Non est autem dubium certa quædam a Syro loca fuisse nominata.

V. 9. QUIA IBI SYRI IN INSIDIIS SUNT. Nondum illic erant, sed ire parabant. In Hebræo est, *In eum locum Syri descendunt*, id est proxime descensuri sunt.

V. 10

V. 10. NON SEMEL, NEQUE BIS, id est sæpius.

V. 13. ECCE IN DOTHAN. *Dothan*, sive Dothaim, Adrichomius collocat in tribu Zabulon: alii in tribu Manasse, quæ erat contermina tribui Ephraim, in qua erat Samaria. Nisi fortasse fuit geminum ciusdem nominis oppidum.

V. 15. MINISTER VIRI DEI. Putat Salianus hunc fuisse Giezi: hæc enim facta probat antequam ad eum Naamani lepra transiret.

V. 17. APERUIT DOMINUS OCULOS PUERI. Hæc apertio oculorum nihil aliud fuit quam exhibitio obiecti visibilis, curruum scilicet, & equorum, ex nubibus Angelorum ministerio efformatorum.

V. 18. DESCENDERUNT AD EUM, Eliseum scilicet, qui urbe egrediebatur iturus in Samariam. CAECITATE, Septuaginta vocant ἀφορίαν, quæ scilicet efficit ut quædam videantur, quædam non.

V. 19. NON EST HAEC VIA, &c. Petierant videlicet ab ipso Eliseo non agnito, an hæc esset civitas in qua erat Eliseus, & si non esset, quæ via ad illam duceret. Non est mentitus Eliseus, sed æquivocatione aliqua eorum interrogationes elusit: neque tenebatur ad eorum mentem respondere, cum hostes essent. OSTENDAM VOBIS VIRUM QUEM QUAERITIS. Quod etiam præstitit, sed in hostili civitate Samariæ.

V. 22. NEQUE ENIM CEPISTI EOS GLADIO, &c. quasi dicat: Non vult Dominus eos a te interfici, sed amice dimitti, in quo nulla tibi fit iniuria, neque irritus redditur labor tuus, cum tua opera, aut tuis armis huc adducti non sint.

V. 23. APPOSITA EST EIS CIBORUM MAGNA PRAEPARATIO. Præ venerunt illud Apostoli: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. Rom. XII. 20.

V. 25. CAPUT ASINI: non totus asinus, ut vult Lyranus, sed caput dumtaxat, ut communis est interpretatio, & verba textus sonant. ARGENTEIS, siclis, qui, ut sæpe dictum, æquivalet quatuor regalibus Hispanicis. QUARTA PARS CABI. Cabus mensuræ genus est, & frumenti, verbi gratia; aut farinæ tantum continet, quantum diurno hominis cibo satis est, & chænici Græcorum respondet. STERCORIS COLUMBARUM. Iosephus has sordes emptas ait *ἀπὸ ἁλῶν loco salis*, vel *obsonii*, ut vertit Gelenius: idemque habet Theodoretus.

V. 27. NON TE SALVAT DOMINUS, &c. quasi dicat: Cum te Dominus, qui auctor est salutis, non salvet, qui possum ego tibi salutem afferre. DE AREA, VEL DE TORCULARI. Significat nec frumentum sibi, neque vinum suppetere, unde possit eius inopiæ auxilium ferre.

V. 30. SCIDIT VESTIMENTA SUA, ictus atrocitate, & novitate facinoris, horruitque videns impletum illud Deuter. XXVIII. 52. *Obsideberis intra portas tuas, in omni terra tua, & comedes fructum ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum*, &c. TRANSIBAT PER MURUM, impunitum relinquens facinus, fortasse ne afflictis afflictionem adderet, & peccatis suis tantam calamitatem imputans. CILICIUM QUO VESTITUS ERAT, ad placandum Deum per actus pœnitentiæ.

V. 31. SI STETERIT CAPUT ELISEI, &c. In Eliseum sævire parat, illi iratus quod cum posset precibus tanta mala avertere, non faceret. Sed nimirum Elisæus Regi dicere potuisset, quod Elias Achabo: *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim*: III. Reg. XVIII. 18.

V. 32. IN DOMO SUA, iuxta urbem Samariæ. Abulensis putat domum Prophetæ propriam non fuisse, cum non esset Samaria, & omnia sua dimisisset cum Eliam secutus est. SENES, optimates urbis. PRAEMISIT VIRUM. Sicarium misit Rex Israel. FILIUS HOMICIDAE, filius Achab, qui Naboth occidit. SONITUS PEDUM DOMINI EIUS POST EUM EST; id est, eum proxime sequitur ipse Rex.

V. 33. APPARUIT NUNTIUS, sicarius ille a Rege missus; sed statim etiam Rex adfuit. ET AIT, Rex scilicet: QUID AMPLIUS EXPECTABO A DOMINO? quasi dicat: Eo devenimus ut mala nostra iam incrementum capere non posse videantur.

TIRINI.

Vers. 15. MINISTER VIRI DEI. Hic non erat iam Giezi, propter lepram procul ab hominum convictu relegatus, sed alius puer, cui, ut apparet, nondum sat erat explorata virtus, & potentia Elisei.

V. 17. ECCE MONS PLENUS EQUORUM, ET CURRUUM IGNEORUM, id est instar ignis fulgentium, ut dixi cap. II. vers. II. Erant enim vel acies Angelorum, qui igneum seu splendidum corpus assumperant, vel erant ipsæ nubes splendidissimæ, in curruum, equorumque similitudinem manibus Angelorum efformatæ.

V. 18. PERCUTE GENTEM HANC CAECITATE, non plena, sed partiali, quam Græci ἀορασίαν, vel ἀχριδίαν vocant, id est *non videntiam*, vel *non distinctionem* certi obiecti, licet circa alia obiecta non cæcutiant: ut dixi in casu prorsus simili de Sodomitis ostia quærentibus, nec reperientibus, Genes. XIX. II. Ita enim & iam his accidit militibus Syris, qui solum Elisæum quem quærebant, & urbem Dothan, ac Samariam non agnoscebant, cetera omnia optime agnoscebant. Nempe species longe alia oculis ipsorum obiiciebatur, quam esset vera forma Elisei, vel civitatis quam quærebant: alia etiam signa viæ quæ ad illam urbem duceret. Unde merito & cum veritate Elisæus mox ait: *Non est hæc*, quæ oculis vestris obiicitur, *via* quam vos quæritis, *neque ista est civitas*. Ita Sanctius.

Tropologice imaginem in his videre est cæcitatis mortalium circa res divinas ac cæleſtes, quas tum demum a se neglectas agnoscent, ac dolebunt miseri, cum in extremo vitæ suæ, ab hostibus undique concluſi, & coram tribunali Dei toties contempti, toties offensi, ſerius oculos mentis aperient.

V. 22. NON PERCUTIAS. Non erat ex se illicitum, copias illas Syrorum prodigioso Elisei ductu in Samariam invectas, neci dare, atque ita vires hostiles debilitare, & spiritus insolentes frangere: quia non semel pene simili casu id alias factum legimus Iudic. VII. sub Gedeone, & I. Reg. XIV. sub Ionatha, cum Deus vel Madianitas, vel Philisthæos panico metu cælitus exanimatos, ac pene conſtrictos, ferro Israelitico iugulandos obiecit. Sed hac vice Deus parcitum illis voluit, ut suam potentiam, ipsis etiam hostibus præconibus, ubique per Syriam vicinasque regiones manifestiorem redderet. Ita sanctus Chrysostomus *a*, Theodoretus & alii.

V. 23. ULTRA NON VENERUNT LATRONES SYRIAE IN TERRAM ISRAEL. Isti nempe iam deliniti tanto beneficio, sed neque alii milites prædandi causa, & paucis turmis (quod proprium est latronum, seu militum latrocinantium) ausi fuerunt excurrere. Vel simplicius: *Ultra non venerunt*; id est, eo tempore ultra non processerunt Syri in isto bello prosequendo, sed copias omnes ex Israele reduxerunt in Syriam. Paucis vero post annis alio integro exercitu rursus accurrit idem ipse Syriæ Rex Benadad, & obsedit regiam urbem Samariam, ut habes versu sequenti, compulitque obsessos ad *obscenam & malesuadam famem*, ut cum Virgilio *b* loquar, quæ & carnes asininas, alioqui lege prohibitas Levit. XI. vers. 26. & ſtercus columbarum, sane triste obsonium, in deliciis haberet, & incredibili pretio comparari iuberet. De simili fame pluribus aliis locis ſcribunt Plinius, & Valerius Maximus, & narrant exempla ſtupenda. Inter alia, dum Annibal Casilium obsideret, murem unum ducentis denariis, seu regalibus Hispanicis, vel Iuliis Italicis veniisse.

V. 28. DA FILIUM TUUM, UT COMEDAMUS EUM HODIE. Exemplum hoc famis est extreme abominandæ. Quam ut minatus fuerat Deus Israelitis, si quando a legis observatione recederent, Deuter. XXVIII. vers. 53. ita de facto nunc recedentibus immittit. Immisitque rursum, cum a Chaldæis tempore Sedeciæ obsessa fuit Ierusalem, quando non solum parentes ex filiorum, sed etiam filii ex parentum carnibus sibi diras epulas pararunt, Ezechiel. V. 10. Denique iisdem tertio immisit, cum a Tito, & Vespasiano in eadem angustias redacti sunt, teste Iosepho *c*, & aliis.

V. 31. SI STETERIT CAPUT ELISEI, &c. Cur vero Rex, audita tam horrenda fame, irascitur, mortemque minatur Elisæo? Respondet Sanctius, ex solo furo-

furore, & præcipiti dolore id egisse: sanctus Ambrosius, eo quod Elisæus, cum posset urbem fame & obsidione liberare miraculo vel prece, ad id usque tempus noluisset. Sed verisimilius est, Elisæum Regi forte minus cordato, & cum Syris pacisci volenti etiam iniquis conditionibus, perpetuo id dissuasisse, atque opem e cælo, & solutionem obsidionis addixisse. Quam quia Rex æquo diutius differri, & omnia interim perditum ire videt, neque ullum præsentis exitii remedium apparet, idcirco in Elisæum tamquam mendacem, perfidum, & auctorem pessimi, ut putabat, consilii, & patriæ proditorem tam graviter excandescit.

(a) Chrysost. Tom. I. hom. de Elisco, & Syrorum insidiis.
(b) Virg. III. & VI. AEneid.
(c) Ioseph. Lib. VII. Belli cap. VIII.
(d) Ambr. Lib. III. de Offic.

GORDONI.

Vers. 1. IN his quæ hoc capite narrantur, non satis constat de ratione temporis. Salianus miracula hæc de ferro enatante, & de Syrorum detectis insidiis, refert ad Iosaphati annum ultimum, qui nobis est annus mundi 3085. & Iorami Israelitici quintus: cetera clara sunt, nec obscura, sive de ampliandis tuguriis Prophetarum, & alenda Prophetarum multitudine, tempore famis ad Elisæum confluente; sive de occultorum revelatione contra Syrorum insidias disquiras.

V. 6. FERRUM hic pro securi accipitur. Elisæus præcidit lignum, & illud conformavit in manubrium, & mox ferrum enatans se manubrio inseruit. Sic rem hanc explicant aliqui ex Hebræo Scholiaste.

V. 9. IN LOCO. In Hebr. *Peloni almoni*: de quo loquendi modo dixi Ruth cap. IV.

V. 18. PERCUTE, OBSECRO, GENTEM HANC CAECITATE. Historia hic reliqua indicat satis non fuisse veram cæcitatem, sed impedimentum videndi res ut erant (Græci vocant *ἀοραισίαν*) ut forte in Sodomitarum excidio, Gen. XIX. 11.

V. 23. ET ULTRA NON VENERUNT LATRONES, seu turmæ militum, per longum tempus. Apertum tamen, & novum bellum indixit post hæc Syrus Benadad, obsessa Samaria. Ita fere Iosephus, & Abulensis: immo aliqui volunt hoc accidisse sub novo Rege Syriæ.

V. 24. Obsidio Samariæ contigit post mortem Iosaphati regnante Ioramo etiam Iudæo. Sed quo anno non est certum: probabiliter referri potest ad annum circiter quintum Iorami Iudæi.

V. 25. OCTOGINTA ARGENTEIS. Tanti fuit caput asini. Septuag. *fichis*. De quo Ioseph. Lib. IX. cap. II. CABI. Cabus sexta pars sati. Satum (modius Italicus) tertia pars ephi. STERCORIS. Non constat in quem usum: alii pro sale habitum volunt; alii pro alimento ignis. De sicio Exod. cap. XXX.

V. 31. Stomachatur Rex contra Elisæum; sed causam non aperit Scriptura: an quia non permisit occidi Syros, de quibus vers. 23. an quia putabat eum nolle ut tollatur obsidio: an quia tyrannis, & suspicacibus libido pro ratione est?

V. 33. ET AIT, scilicet nuntius qui a Rege veniebat, vel Rex ipse, mutata sententia, anteveniens nuntium; immo sactus præsens interim dum ad clausum ostium præstolatur nuntius. Quid deinde factum sit, dabit insequens caput.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. FILII PROPHETARUM habitasse putantur in Galgalis.

V. 13. DOTHAN, vel Dothaim. Hic locus & Samaria erant in tribu Ephraim. Adrichomius ponit Dothan in Zabulon.

V. 17. APERUIT...OCULOS: quod aliud non erat, quam exhibitio novi obiecti illius.

V. 19. Usus est æquivoco: nec tenebatur ad eorum mentem respondere. OSTENDAM. Hoc præstitit in Samaria.

V. 32. VIRUM, siccarium. FILIUS HOMICIDAE, filius Achab, qui occidit Nabot. ECCE ENIM SONITUS. Proxime sequitur Rex.

V. 33. AIT, Rex.

CAPUT VII.

Eliseus in Samaria prædicit frumenti abundantiam; quam leprosi quatuor in Samaria annuntiant, territis a Deo Syris, ac omnibus relictis obsidionem solventibus: dux autem Elisei verbo incredulus, a turba conculcatur in porta Samariæ.

1. Ixit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ. 2. Respondens unus de ducibus, super cuius manum Rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 3. Quatuor ergo viri erant leprosi iuxta introitum portæ: qui dixerunt ad invicem: Quid hic esse volumus donec moriamur? 4. sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: sive mansérimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ: si pepercerint nobis, vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. 5. Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem reperierunt. 6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos Rex Israel Reges Hethæorum & AEgyptiorum, & venerunt super nos. 7. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos & asinos, in castris, fugeruntque, animas tantum suas salvare cupientes. 8. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt: & rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt. 9. Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus: hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur: venite eamus, & nuntiemus in aula Regis. 10. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos & asinos alligatos, & fixa tentoria. 11. Ierunt ergo portarii, & nuntiaverunt in palatio Regis intrinsecus: 12. Qui surrexit nocte, & ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, & ideirco egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes: Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, & tunc civitatem ingredi poterimus. 13. Respondit autem unus servorum eius. Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel, alii enim consumpti sunt) & mittentes explorare poterimus. 14. Adduxerunt ergo duos equos, misitque Rex in castra Syrorum, dicens: Ite, & videte. 15. Qui abierunt post eos usque ad Iordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus & vasis, quæ proiecerant Syri cum turbarentur: reversique nuntii indicaverunt Regi. 16. Et egressus populus

lus diripuit castra Syriæ: factusque est modius similæ stratere uno, & duo modii hordei stratere uno, iuxta verbum Domini. 17. Porro Rex ducem illum, * in cuius manu incumbebat, constituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus est, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat Rex ad eum. 18. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat Regi, quando ait: Duo modii hordei stratere uno erunt, & modius similæ stratere uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ: 19. quando respondérat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 20. Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, & conculcavit eum populus in porta, & mortuus est.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Siquidem Dominus fenitum audiri fecerat*. Non est mutandus infinitivus passivus *audiri* cum activo *audire*.

V. 17. *In cuius manu incumbebat*. Alii pro præterito imperfecto scribunt plusquam perfectum *incubuerat*.

Ibid. *Iuxta quod locutus fuerat vir Dei*. Non addas *verbum* præpositioni *iuxta*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. MODIUS. Hebr. Chald. & LXX. *satum*: sic & infra. STATERE. Hebr. Chald. & LXX. *siclo*: sic & infra.

V. 2. CATARACTAS, id est feneſtras; quasi dicat: Si in copia maxima demittat triticum.

V. 4. VESPERI. Hebr. *in crepuſculo*, scilicet nocturno, vel matutino: quamquam hic nocturnum potius intelligendum, ut & infra vers. 7. Chald. & LXX. *in tenebris*.

V. 7. TENEBRIS, scilicet nocturno crepuſculo, vel matutino.

V. 10. PORTAM. Hebr. *portarium*. Chald. *portæ cuſtodes*. EIS, scilicet portæ cuſtodibus.

V. 13. MITTENTES, scilicet aliquot ex eis: quamquam Hebr. & Chald. indicatur ex relictis tollendos quinque, & mittendos; cui tamen ſenſui obſtat quod ſequitur de duobus miſſis: quamquam dici poteſt, id conſilium non placuiſſe.

V. 17. AD PORTAM, scilicet præfectum.

ESTII.

Vers. 2. RESPONDENS UNUS DE DUCIBUS ..... HOMINI DEI, AIT: SI DOMINUS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN CAELO, NUMQUID POTERIT ESSE QUOD LOQUERIS? Senſus eſt: Etiamſi Dominus faciat cataractas, ſive, ut alii vertunt ex Hebræo, *feneſtras* in cælo, per quas videlicet copioſe velut pluviam demittat frumentum, ſicut olim pluit manna; numquid vel ſic poterit eſſe ea vilitas annonæ quam dicis? ſcilicet ut modius ſarinæ, ſtatere uno vendatur? Verba ſunt hominis incrèduli, & detrahentis verbis Prophetæ, velut qui rem impoſſibilem & incredibilem prædiceret. Unde & incredulitas eius graviter punita eſt, dicente Propheta: *Videbis oculis, & inde non comedes*: quod & rei probavit eventus, cum ille dux, ut in ſequentibus narratur, a Rege in porta conſtitutus, a populo compreſſus eſt, & conculcatus.

V. 3. QUATUOR ERGO VIRI ERANT LEPROSI IUXTA INTROITUM PORTAE. Intelligendum eſt non intra, ſed extra portam civitatis; iuxta eam tamen leproſos habitaſſe. Lex enim præcipit Le-

vit. XIII. leprosum toto tempore quo immundus, & leprosus est, habitare seorsim extra castra, sive extra civitatem. Nam castrorum illorum loco succesſerunt civitates. Per hoc autem quod leprosi isti boni nuntii precones fuerint apud populum, ſignificantur myſtice in Eccleſia Paſtores, & Doctores, quorum doctrinæ & prædicationi vita non reſpondet. Quorum quidem vita proinde atque lepra, eſt abominabilis, & fugienda; doctrina tamen atque prædicatio tamquam bonum ac lætum nuntium amplectenda eſt; iuxta illud Chriſti Matth. XVIII. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcumque ergo dixerint, ſervate & facite; ſecundum opera autem eorum nolite facere.*

MARIANAE.

Verſ. 1. MODIUS SIMILAE. Heb. *ſatum*: ſed *ſatum* modium Italicum continet. STATERE ERIT. Hebr. *ſiclo*: ſed *ſiclus* & *ſtater* paria, quatuor drachmas continent. Ita non magnæ copiæ argumentum. Similæ enim faneca quatuor, & viginti argenteis amplius ſtaret, ex quanto denarius argenteo noſtro maior eſt aut drachma.

V. 2. UNUS DE DUCIBUS. Hebr. *tertius*, ſcilicet qui inter duces a Rege tertium locum tenebat: ſic Hebræus: aut *e ducibus quidam*, *unus*, ut Noſter poſuit. SI DOMINUS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN CAELO, Hebr. *feneſtras*, unde ſcilicet frumento plueret Deus, tanta copia non eſſet.

V. 5. VESPERI. Hebr. *in crepuſculo*, ſcilicet nocturno, ſub noctem. Sept. & Chald. *in tenebris*, venerunt quatuor leproſi in caſtra.

V. 7. FUGERUNT IN TENEBRIS. Syriæ milites: ſic Sept. & Chald. Hebr. *in crepuſculo*. IN CASTRIS. Hebr. *caſtra ſicut ipſa* (pro erant) id eſt, reliquerunt intacta caſtra plena omni copia. ANIMAS TANTUM SUAS SALVARE CUPIENTES. Hebr. *Et fugerunt ad animam ſuam*. Chald. *Ut ſervarent animas ſuas*. Leproſi:

V. 9. SI ... NOLUERIMUS NUNTIARE USQUE MANE. Hebr. *uſque ad lucem auroræ*. SCELERIS ARGUEMUR. Hebr. *Inveniet nos ſcelus*; pro, invenietur in nobis ſcelus, niſi ante lucem nuntiamus.

V. 10. AD PORTAM CIVITATIS. Sic Sept. Heb. *Venerunt & clamaverunt ad ianitorem civitatis*. Chald. *ad cuſtodes portæ urbis*: ſublatis punctis, litteræ & *portam* & *cuſtodem* ſignificant. NARRAVERUNT EIS. Si ianitorem vocarunt, quomodo narraverunt eis? nimirum accurrerunt alii cupidi cognoſcendi. Ivimus in caſtra, NULLUM IBIDEM REPERIMUS HOMINEM. Hebr. additur, *& vocem hominis*; id eſt, ne hominis quidem veſtigium. ET FIXA TENTORIA. Heb. *Et tentoria ut ipſa* (id eſt erant) *erecta*, ſcilicet & plena copia.

V. 11. IERUNT ERGO PORTARII. Hebr. *Clamavit* (pro clamaverunt) *portarii*: ſic Chald.

V. 13. TOLLAMUS QUINQUE EQUOS QUI REMANSERUNT IN URBE. Hebr. *Qui equi remanſerunt in ea*, ſcilicet urbe. QUIA IPSI TANTUM SUNT IN UNIVERSA MULTITUDINE. Hebr. *Ecce ipſi ſicut multitudo Iſrael*. Sept. *Qui remanſerunt in omni Iſrael*. Nimirum Sept. & Hieronymus, ubi nunc eſt Caph, legerunt Beth, idque bis in hoc verſu, quæ verior eſt lectio, certe ſententia planior. Porro Hebraica, quæ & Chald. ſunt, ſic explices, *Ipſi equi* (ſcilicet macilenti-) *ſicut omnis multitudo*. ALII ENIM CONSUMPTI SUNT, ſcilicet equi. Hebr. *Qui remanſerunt* (id eſt alii præter hos) *ecce ipſi ſicut omnis multitudo Iſrael, qui perierunt*. Chald. ſupplet: *Si perierint* (ſcilicet equi quinque) *ecce illi ſicut omnis multitudo Iſrael, qui finierunt*; quaſi dicat: Quod accidit hominibus, hoc ipſis eveniet equis: non eſt cur de illis ſimus ſoliciti.

V. 13. ADDUXERUNT ERGO EQUOS. Hebr. *Acceperunt duos currus equorum*: ſic Chald. Sed quorſum ad explorandum currus? Sept. *duos aſcenſores equorum*, quod conſtare poteſt, ſi demantur puncta, & *rocheb* legatur pro *recheb*, & ſingulare ſumatur pro plurali aut duali, *eques* pro *equites*. Via ſpoliis plena erat, quæ Syri proiecerant,

V. 17. CUM TURBARENTUR. Heb. *cum feſtinarent*: ſic Chald. Multa fugientes proiiciunt præ feſtinandi ſtudio. Plena via veſtibus, & vaſis erat, quæ proiecerunt Syri cum turbarentur.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. 1. DIXIT AUTEM ELISEUS, nimirum ſenioribus, nuntio, & Regi adventanti, ut oſtenditur inf. verſ. 17. & 18. IN TEMPORE HOC CRAS. Hebr. *Secundum tempus cras*. Quidam: *Hoc tempore crat*, vel *iuxta hoc tempus cras*. Sic verſ. 18. MODIUS. Hebr. סאה *ſeah*, *ſatum*: continet ſex kabim, viginti quatuor lozhim, id eſt ſextarios, duos hinos, nonaginta duos quadrantes, & 144. ova. Vide ſup. cap. VI. & Gen. XVIII. 6. UNO STATERE. Hebr. *in ſiclo*, id eſt quatuor regalibus Caſtellanis. Sic inf. verſ. 16. & 18.

V. 2. UNUS DE DUCIBUS. שלישׁ *ſchaliſch*, *tertiarius*, *triarius*, *tertius*, dignitate a Rege, vel qui tertiæ parti exercitus præfectus erat, ut & Romani exercitum in cornu dexterum, & ſiniſtrum, & mediam aciem diſtribuebant, & cuique parti ducem imponebant. Vel *tribunus*, *dux*, *princeps*, *heros*, *magnus*. Quidam ſic dictum exiſtimant, a ſtatura corporis; quod, ut *ſchaliſch* eſt magna menſura, Pſalm. XCIX. 6. ſic iſte vel magna ſtatura, vel dignitate & auctoritate apud Regem fuerit. Aut quod triginta viris præfuerit, aut præſtiterit. Vide Exod. XIV. 7. CATARACTAS IN CAELO, ſcilicet ad proſundendum frumentum & hordeum; quaſi dicat: Etiamſi Deus effundat de cælo triticum, ut olim man, non tamen poſſet eſſe tam vile triticum.

V. 3. QUID HIC ESSE VOLUMUS DONEC MORIAMUR? Hebr. *Quid deſidemus hic donec moriamur?* excluſi videlicet a conſortio civium, ex lege Levitici XIII. & XIV. vicini autem portæ erant propter prementem hoſtem.

V. 5. SURREXERUNT ERGO VESPERI. Hebr. *in crepuſculo*. Plerique veſpertino, & nocturno intelligunt. Alii matutino, cum adhuc obſcuritas & tenebræ eſſent. Sed id incertum; quia incertum quo crepuſculo Syri fugerunt, infra verſ. 7. videntur autem leproſi ſequenti crepuſculo ab eo quo fugerunt Syri, in caſtra veniſſe: nam ſi eodem veniſſent, aſſecuti fuiſſent tumultum fugientium, cum tamen omnia quieta invenerint. Veriſimilius eſt, Syros ſub crepuſculum veſpertinum fugiſſe, quod tempus terrori panico aptius eſt; & leproſos inſequenti matutino crepuſculo ſurrexiſſe, & in caſtra Syra profectos. Quamvis ex verſ. 9. & 12. & infra videantur leproſi nocte in caſtris Syrorum fuiſſe: niſi de nocte ſequente diem, in cuius crepuſculo matutino ſeſe in caſtra contulerint, accipiamus.

V. 6. SONITUM AUDIRI FECERAT, &c. Exponunt: Id eſt, panicum terrorem iniecerat.

V. 7. IN TENEBRIS. Hebr. *in crepuſculo*. Hic recte cum aliis intellexerim veſpertinum ſeu nocturnum crepuſculum, trepidationi, perturbationi, terrori panico, ac fugæ congruentius: cum ſtrepitum tantum ingentis exercitus audirent, ac neminem viderent. IN CASTRIS. Hebr. *Caſtrametatio ſecundum quod ipſa*, vel *caſtrametationem ſicut ipſam*. Quidam: *Caſtra erant ut fuerant*, ſubaudi prius; id eſt, ita inſtructa ac referta ut erant prius: nihil enim ſecum præ trepidatione abduxerant. Alii: *Caſtra ipſa ut erant*. Nonnulli: *Ipſa caſtra quemadmodum erant*, id eſt cum in illis verſarentur Syri. Sic inf. verſ. 8. & 10. FUGIERUNTQUE, ANIMAS TANTUM SUAS SALVARE CUPIENTES. Hebr. *Et fugerunt ad animam ſuam*. Quidam, *Pro anima ſua*, id eſt pro ſervanda vita ſua. Alii: *Denique fuga conſuluerunt vitæ ſuæ*: ſic Geneſ. XIX. 17. Nonnulli: *Fugerunt que pro voluntate ſua*, vel *quo voluntas eos tulit*.

V. 8. AD PRINCIPIUM CASTRORUM. Hebr. *Uſque ad extremitatem caſtrorum*, ſubaudi primam: quidam, *Uſque ad prima caſtra*: alii, *Uſque ad finem caſtrorum*: ut paulatim neminem reperientes penetraverint omnia caſtra uſque ad finem. Sic ſup. verſ. 5. ET ABSCONDERUNT. Quidam intranſitive reddunt: *Et abſconderunt*, *occultarunt*, *ſeſe*. Sed rectius: *Et abdiderunt*, ſcilicet ea pretioſa quæ ex tentoriis tulerant. Sic paulo inferius.

V. 9. HAEC ENIM DIES BONI NUNTII EST. Hebr. *Dies iſta dies evangelii ipſa*. בשורה *beſorah*, id eſt boni nuntii, vel mercedis, & præmii pro bono nuntio. Vide II. Samuel. IV. 10. ET NOLUERIMUS NUNTIARE. Hebr. *Et expectabimus*, *prolongabimus*, *differemus*, *præſtolabimur*. Alii: *Et inhiabimus*, *anhe-*

labimus : quod non placet. SCELERIS ARGUEMUR. Hebr. *Et inveniet nos pravitas*, ſeu *iniquitas*, culpa, & pœna iniquitatis; id eſt, pro culpa dabimus pœnas. Quidam : *Deprehendet nos iniquitas*. Alii : *Utique obventura eſt nobis culpa*.

V. 10. NARRAVERUNT EIS, ſcilicet ianitoribus, vel ianitori, & iis qui cum eo erant, ſeu ianitori cum excubitoribus.

V. 11. IERUNT ERGO PORTARII. Hebr. *Et clamavit portarii* : verbum ſingulare, & ſuppoſitum plurale; id eſt, clamavit unus, vel quiſque ex ianitoribus; id eſt, unus ex ianitoribus portæ urbis clamavit, ut excitaret ianitorem aulæ regiæ, nimirum ianitores urbis clara voce retulerunt ianitoribus aulæ regiæ, qui Regi indicarent. Alii : *Et inclamavit portarios*; id eſt, portarius urbis inclamavit reliquos portarios, vel portarios domus regiæ. Quidam reddunt : *Et clamavit ianitor ad portarios*. Alii : *Hoc inclamante reliquos ianitores*. Hebræa & in nominativo, & in accuſativo reddi poſſunt, *portarii*, & *portarios*.

V. 12. ET LATITANT IN AGRIS. Hebr. lectio in textu habet, *Ad abſcondendum ſe in ea agri*, id eſt in aliqua parte agri. Quidam, *alicubi in agro*. Alii volunt He hic ſuperfluere, *in agro*.

V. 13. (QUIA IPSI TANTUM SUNT IN UNIVERSA MULTITUDINE ISRAEL, ALII ENIM CONSUMPTI SUNT.) Hanc parentheſim nos ex verbo transfudimus (*Ecce ii ſicut omnis multitudo Iſraelis, qui relicti fuerunt in ea: ecce ii ſicut omnis multitudo Iſraelis, qui conſummati fuerunt.*) Alii ſic. I. (*Siquidem illi ſunt ſicut univerſa multitudo Iſraelis, quæ remanſit in ea: illi, inquam, profecto ſunt ſicut univerſa multitudo Iſraelis, quæ iam conſumpta eſt.*) Id eſt, ſiquidem illi laborant inedia, & iam pene conſumpti ſunt fame, ſicut univerſa multitudo quæ in urbe eſt, fame pene confecta eſt: & illi quidem propediem morituri ſunt fame, non aliter quam univerſa illa multitudo Iſraelis quæ iam periit; quaſi dicat : Non magnam iacturam faciemus ſi perierint illi equi : nam etiamſi in urbe remanſerint, moriturі nihilominus ſunt. II. *Ecce ita ſunt equi totius multitudinis Iſraelitarum, qui reliqui ſunt in ea: ecce, inquam, ita ſunt, ut equi totius multitudinis Iſraelitarum, qui defecerunt*. Id eſt, prope eſt ut fame pereant ſicut alii : ac proinde non eſt quod multum ſimus ſolliciti de eorum conſervatione : tam actum eſt de illis, quam de his qui ante fame perierunt. III. (*Ii enim tantum efficient, quantum univerſa multitudo Iſraelitica, ſi ſerventur : rurſus perinde erunt ut tota multitudo Iſraelitica, ſi pereunt.*)

V. 14. DUOS EQUOS. Hebr. *duos currum*, vel *currus equorum*, ad diſcrimen aliorum curruum, quos boves, aut muli, aut aſini traherent. Quidam, *duas vecturas equorum*. Hypallage, duos equos vecturæ, ſeu vectarios. Alii, *duos curraturæ*, ſeu *vecturæ equos*, nimirum ex his qui currus trahere ſolent.

V. 15. CUM TURBARENTUR. Heb. *in aſſeſtinando eos* : vel *cum ii accelerarent, trepidarent, præcipitarent, obriperent ſeſe*. Vide de vi verbi חפז *chaphaz* Deuteron. xx. 3. II. Samuel. XXIII. 26. & II. Samuel. IV. 4.

V. 18. QUEM DIXERAT REGI. Vide ſup. verſ. 1.

MENOCHII.

Verſ. 1. AUDITE VERBUM DOMINI. Propheta Regem Iſrael, & eos qui cum eo domum fuerant ingreſſi, alloquitur. UNO STATERE ERIT : ſiclo uno venumdabitur. In Hebræo, Chaldæo, & Septuag. eſt *ſiclo*. Porro modius, ut docet Cornelius a Lapide in opuſculo de menſuris, eſt ſexta pars amphoræ, & aquæ libras viginti ſex continet.

V. 2. SI DOMINUS FECERIT CATARACTAS IN CAELO. *Cataractas* Pagninus, Vatablus, & alii *feneſtras* vertunt in hanc ſententiam : Si Dominus faceret feneſtras in cælo, & per eas triticum depluereт, num poſſet eſſe tanta vilitas? INDE NON COMEDES, in pœnam incredulitatis tuæ.

V. 4. NIHILOMINUS MORIEMUR. Perinde erit, quia etiam alioqui eramus morituri, & ſapienter faciemus, ſi certum exitium commutemus incerto.

V. 6. REGES HETHAEORUM. Textus Hebræus, & Chaldæus vocat *Chitheos*, Græcus *Chethæos*. Non intelligit Hethæos, qui fuerant una ex ſeptem gentibus

tibus Chananææ, horum enim vix ullæ supererant reliquiæ; sed eos qui regiones Cethim incolebant, de quibus legimus Ierem. II. 10. *Transite ad insulas Cethim, & videte*: quo nomine Cyprum, nobilem in mediterraneo insulam, ludæis vicinam, & alias ei adiacentes intelligit.

V. 8. ABIERUNT, ET ABSCONDERUNT: ut mox per otium tollerent..

V. 9. NON RECTE FACIMUS, &c. quia scilicet æquum non est nos solos hac frui lætitia, quæ toti urbi communis esse debet, nec par est ut commodum nostrum communi bono in tantis omnium angustiis præferamus, cum interim aliqui præ fame perire possint. NUNTIEMUS IN AULA REGIS; ut ab eo statuatur quid fieri placeat.

V. 13. ALII ENIM CONSUMPTI SUNT, in cibum.

V. 14. DUOS EQUOS. Septuaginta habent *duos ascensores equorum*: equites scilicet expeditos. Prius cogitaverant mittere quinque, postea vero placuit mittere solum duos.

V. 15. VASIS, bellicis scilicet, armis. PROIECERANT SYRI, ut expeditius fugerent.

V. 17. DUCEM CONSTITUIT AD PORTAM, sive ut in omnem eventum hostium alicubi latitantium repentinam arceret irruptionem, sive ut cohiberet prorumpentis multitudinis impetum, ne se invicem conculcando obererent, ut ait Iosephus.

TIRINI.

Vers. 2. SI DOMINUS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN CAELO, ut ex eo tamquam horreo vastissimo depluat frumentum, vel farinam in terras, ut olim pluit mana; non poterit tamen tanta esse frumenti abundantia Samariæ die crastino, quantam prædicis futuram. Ita Iosephus, & alii.

V. 6. DOMINUS SONITUM AUDIRI FECERAT IN CASTRIS SYRIAE CURRUUM ET EQUORUM, ET EXERCITUS PLURIMI. Ope Angelorum factus hic sonitus: sed verisimile est, eorumdem ope etiam speciem aliquam exercitus apparuisse oculis Syrorum (ut cap. præced. vers. 17. contigit ministro Elisei.) Unde subito terrore consternati, & mox in præcipitem fugam acti sunt Syri.

V. 8. LEPROSI ILLI, inquit Rabbi Salomon, teste Lyrano, *erant Giezi (servus olim Elisei) & tres illius filii, qui propter fœdam lepram exulabant ab urbe regia, sibique in vicinia tentorium fixerant.* Sed hoc non placet Abulensi; favet tamen familiare quod initio cap. sequ. instituitur colloquium Regis cum eodem Giezi, qui forsan occasione tam læti istius nuntii, carior familiariorque Regi factus erat. Neque colloquium cum leprosis lege vetitum erat, neque noxium esse poterat, cum debita adhiberetur distantia. Nauseam vero, quæ ex aspectu lepræ timeri a delicatulis solet, viri cordati nihili faciunt, & rei novæ atque iucundæ voluptas, quæ ex alloquio quæritur, graveolentiam omnem si quæ a leprosis est, facile absorbet.

GORDONI.

Vers. 1. SAtum est modius, ut dixi cap. VI. vers. 25. Stater est siclus, & valor est quatuor drachmarum, ut sæpe alias dixi.

V. 2. CATARACTAS, fenestras unde laberetur frumentum.

V. 13. IN UNIVERSA MULTITUDINE ISRAEL. Ita Septuag. tamen in Hebræo est, *Sicut in universa multitudine.* Rectius Septuag. legerunt per Beth, non autem per Caph, בכל *becol*.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 6. Per Hethæos vix possunt intelligi illi qui fuerunt ex gente Chananæorum: nam vix ulli eorum supererant. Multi ergo intelligunt de Cethinis, Cypro, & vicinis insulis.

V. 14. Mittere primum quinque voluerunt; placuit tandem duos mittere.

V. 15. Vasa bellica, & arma.

CA-

CAPUT VIII.

Poſt ſeptennem famem ab Eliſeo prædictam, Sunamitis, quæ ipſius conſilio peregrinata erat, reverſa ſuos agros cum fructibus recuperat: Eliſeus Benadad ægrotantem reſpondet moriturum, & impium Hazael regnaturum: Ioram Rex Iuda percuſſit Idumæos, quod a ſe receſſiſſent: cui impio ſuccedit Ochozias filius impius.

1. Eliſeus autem locutus eſt ad mulierem (*a*) cuius vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, & venict ſuper terram ſeptem annis. 2. Quæ ſurrexit, & fecit iuxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo ſua, peregrinata eſt in terra Philiſthiim diebus multis. 3. Cumque finiti eſſent anni ſeptem, reverſa eſt mulier de terra Philiſthiim: & egreſſa eſt ut interpellaret Regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. 4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſeus. 5. Cumque ille narraret Regi quo modo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier, cuius vivificaverat filium, clamans ad Regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixitque Giezi: Domine mi Rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius, quem ſuſcitavit Eliſeus. 6. Et interrogavit Rex mulierem: quæ narravit ei. Deditque ei Rex eunuchum unum, dicens: Reſtitue ei omnia quæ ſua ſunt, & univerſos reditus agrorum, a die qua reliquit terram uſque ad præſens. 7. Venit quoque Eliſeus Damaſcum, & Benadad Rex Syriæ ægrotabat: nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc. 8. Et ait Rex ad Hazael: Tolle tecum munera, & vade in occurſum viri Dei, & conſule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac? 9. Ivit igitur Hazael in occurſum eius, habens ſecum munera, & omnia bona Damaſci, onera quadraginta camelorum. Cumque ſtetiſſet coram eo, ait: Filius tuus Benadad Rex Syriæ miſit me ad te dicens: Si ſanari potero de infirmitate mea hac? 10. Dixitque ei Eliſeus: Vade, dic ei: Sanaberis: porro oſtendit mihi Dominus quia morte morietur. 11. Stetitque cum eo, & conturbatus eſt uſque ad ſuffuſionem vultus: flevitque vir Dei. 12. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia ſcio quæ facturus ſis filiis Iſrael mala. Civitates eorum munitas igne ſuccendes, & iuvenes eorum interfices gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides. 13. Dixitque Hazael: Quid enim ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam? Et ait Eliſeus: Oſtendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore. 14. Qui cum receſſiſſet ab Eliſeo, venit ad dominum ſuum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliſeus? At ille reſpondit: Dixit mihi: Recipies ſanitatem. 15. Cumque veniſſet dies altera, tulit ſtragulum, & inſudit aquam, & expandit ſuper faciem eius: quo mortuo, regnavit Hazael pro eo. 16. Anno quinto Ioram filii Achab Regis Iſrael, & Ioſaphat Regis Iuda, regnavit Ioram filius Ioſaphat Rex Iuda. 17. (*b*) Triginta

ta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, & octo annis regnavit in Ierusalem. 18. Ambulavitque in viis Regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab: Filia enim Achab erat uxor eius: & fecit quod malum est in conspectu Domini. 19. (c) Noluit autem Dominus disperdere Iudam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, & filiis eius cunctis diebus. 20. (d) In diebus eius recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi Regem. 21. Venitque Ioram Seira, & omnes currus cum eo: & surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua. 22. Recessit ergo Edom ne esset sub Iuda, usque ad diem hanc. Tunc recessit & Lobna in tempore illo. 23. Reliqua autem sermonum Ioram, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? 24. Et dormivit Ioram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David, & regnavit Ochozias filius eius pro eo. 25. (e) Anno duodecimo Ioram filii Achab Regis Israel, regnavit Ochozias filius Ioram Regis Iudæ. 26. Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, & uno anno regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Athalia filia Amri Regis Israel. 27. Et ambulavit in viis domus Achab: & fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit. 28. Abiit quoque cum Ioram filio Achab, ad præliandum contra Hazael Regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulneraverunt Syri Ioram: 29. qui reversus est ut curaretur, in Iezrahel: quia vulneraverant eum Syri in Ramoth, præliantem contra Hazael Regem Syriæ. Porro Ochozias filius Ioram Rex Iuda, descendit invisere Ioram filium Achab in Iezrahel, quia ægrotabat ibi.

(a) Sup. IV. 25. (b) II. Paralip. XXI. 5. (c) II. Reg. VIII. 16. (d) II. Paralip. XXI. 8. (e) II. Paralip. XXII. 1.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. DIEBUS MULTIS. Hebr. Chald. & LXX. *septem annis*.

V. 3. INTERPELLARET. Hebr. Chald. & LXX. *Clamaret*, scilicet petens sibi restitui sua, quæ, dum abesset, ab aliis fuerant occupata.

V. 4. PUERO. Chald. *discipulo*.

V. 6. EUNUCHUM. Erant hi magna auctoritate in Regum domibus.

V. 9. ET OMNIA BONA. LXX. *de omnibus bonis*.

V. 10. DIC EI; quasi dicat: Etiam si tu ei dicas, vel potes quidem dicere, quantum ad vim morbi attinet, non enim est lethalis. Nota, quod Hebr. legitur *dic*, *Non*: sed illud *non*, & Chald. & LXX. & Hebræi volunt positum pro *ei*, scilicet לֹא pro לוֹ, ut interdum solet in Scriptura. SANABERIS. Hebr. *Vita vives*.

V. 11. STETITQUE, scilicet Hazael, secundum LXX. expectans scilicet diu, ut acciperet munera, adeo ut erubesceret. Alii ad Prophetam referunt. Chald. *Et vertit faciam suam*, scilicet ut mœstitiam celaret, vel fletum.

V. 13. CANIS; quasi dicat: Sumne canis, ut talia faciam? vel, Quomodo id possim, cum sim abiectissimus?

V. 15. STRAGULUM. Chald. *operimentum villosum*. INFUDIT AQUAM. Hebr. Chald. & LXX. *Intinxit aqua*. EXPANDIT, scilicet ut refrigerare febricitantem videretur, revera autem ut suffocaret.

V. 19. LUCERNAM, id est splendorem regium.

V. 21. SEIRA, id est montem Seir. POPULUS, scilicet Idumæorum.

V. 22. LOBNA, civitas erat in sorte Iuda. Vide Ios. XXI.

V. 26. COEPISSET, scilicet patre viven-

vente. UNO, ſcilicet ſolus poſt mortem patris, cum quo viginti annis regnaverat. FILIA, id eſt neptis.

V. 27. GENER ENIM, &c. ſcilicet uxorem duxerat de familia Achab.

ESTII.

Verſ. 10. VADE, DIC EI: SANABERIS: PORRO OSTENDIT MIHI DOMINUS, QUIA MORTE MORIETUR. Hæc duo in ſpeciem pugnantia varie conciliantur, ſed a pluribus ſophiſtice. Hebraice pro *ſanaberis* eſt *vivendo vives*. Putant quidam permiſſum eſſe ab Eliſeo ad conſolationem ægroti, ut nuntius ſic mentiretur, dicendo, *Sanaberis*. Sed non eſt veriſimile quod Eliſeus permiſiſſet Deo Iſrael adſcribi falſam prædictionem. Itaque potius dicendum, utrumque quodammodo fuiſſe verum: & illud *Sanaberis*; & alterum quod ſubiunxit, *Porro morte morietur*. Etenim futurum aliquid dicitur dupliciter tam ſecundum Philoſophos, quam ſecundum Scripturam ſacram. Uno modo, quod futurum dicitur ſecundum cauſas præſentes. Et iſtud ſecundum genus futuri impediri poteſt, videlicet quia cauſæ poſſunt mutari, vel impediri. Itaque iuxta primum genus, eius ſcilicet quod abſolute futurum erat, ſunt prædicta omnia a Prophetis de adventu, paſſione, & reſurrectione Chriſti, de vocatione gentium, & ſimilia. Secundum alterum autem modum futuri, prædixit Iſaias Ezechiæ Regi, ipſum moriturum, quia morbus erat lethalis, Iſaiæ cap. XXXVIII. & huius Lib. cap. XX. Et Ionas prædixit Ninive ſubvertendam, quia illud in cauſis erat ſecundum præſentia ipſorum merita, niſi pœnitentiam egiſſent. Ionæ III. Ita ergo & quod hic dicitur, *Sanaberis*, vel *vita vives*, verum erat de futuro ſecundum cauſas, videlicet quia infirmitas ipſa non erat ad mortem. Quod autem poſtea addit Propheta eum moriturum, verum eſt de futuro ſimpliciter, ſeu abſolute: quia licet morbus non eſſet lethalis, tamen accedente illa ſuffocatione per ſtragulum madidum (de qua ſubiungitur) ſimpliciter moriturus erat.

V. 26. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS CUM REGNARE COEPISSET, &c. Libro II. Paralip. cap. XXII. dicitur fuiſſe quadraginta duorum annorum quando regnare cœpit. Ad quam apparentem repugnantiam veriſimiliter reſpondetur, quod illic annumerentur anni quibus cum patre regnavit. Nam pater Ioram iuxta comminationem litterarum Eliæ fuerat a Deo percuſſus languore alvi inſanabili, ut habetur Paralipom. XXI. Vide ibi, itemque capite XXII.

MARIANAE.

Verſ. 1. PEREGRINARE UBICUMQUE REPERERIS: ſcilicet commodum locum ad manendum invenies. Id Eliſeus feminæ, cuius filium ſuſcitarat. VOCAVIT ENIM DOMINUS FAMEM. Mala velut ſatellites ſunt Dei, quos vocat cum vult. Aut *vocavit*, id eſt proclamavit. Firma ſunt edicta quæ proclamantur.

V. 2. DIEBUS MULTIS. Hebr. *ſeptem annis*. Manſit ea mulier inter Philiſthæos: venit poſt id tempus

V. 3. UT INTERPELLARET REGEM. Hebr. *Ut clamaret ad Regem pro domo ſua, & pro agro ſuo*, id eſt agris, ut reſtitutionem expoſtularet eorum quæ alii quaſi vacua occupaverant.

V. 6. DEDITQUE EI REX EUNUCHUM UNUM. *Eunuchi* voce, præfectos & proceres læpe intelligimus. Inde factum, quoniam Reges eunuchos habere intimos ſolebant, eorum opera uti: ſic Hebræus, Dat eunuchum, ut reſtituat illi ſua.

V. 9. OMNIA BONA DAMASCI; Hyperbole, ad ſignificandum, pretioſa quæque attuliſſe Hazael ad Eliſeum. Qui conſultus ait:

V. 10. SANABERIS. Hebr. *Vivendo vives*. Sed quo pacto ſuadet nuntio ut mendacium dicat? nimirum iuxta cauſas naturales futurum id erat, ſed Deus ſuo decreto mutavit. Turbatus eſt Eliſeus,

V. 12. STETITQUE CUM EO. Hebr. *Stare fecit faciem ſuam*, id eſt continuit: nam erumpebant lacrymæ. ET CONTURBATUS EST. Hebr. *Et poſuit*, ſcilicet manus ante faciem. USQUE AD SUFFUSIONEM VULTUS. Hebr. *uſque ad pudefieri*: pro, quia pudebat lacrymarum: vel *uſque morari*; pro, tardaret multum: diu in eo habitu manſit. Sic Hebr. & Chald.

Chald. at Sept. totum hoc referunt ad Hazael. Sic enim dicunt: *Et flevit Azael ante faciem eius, & apposuit coram eo munera donec erubesceret*, scilicet ob donorum magnitudinem: sed vera fletus causa stragis erant, quas facturum Hazael videbat Eliseus. Hazael ait:

V. 13. SUM SERVUS TUUS CANIS? quasi dicat: Sumne ego canis, ut talia quæ dicis faciam? aut, Num id potero, cum vilissimus sim? scilicet facere eas stragesquas dicis. REM ISTAM MAGNAM, id est horribilem, detestabilem, ut faciam.

V. 13. DIXIT MIHI, scilicet Eliseus: RECIPIES SANITATEM. Hebr. *Vivendo vives*.

V. 15. TULIT STRAGULUM. Vox Hebræa *machber* significat *stragulum crassum, & villosum*. Porro *tulit* referri potest vel ad Regem ipsum, qui ardoris impatientia involvi stragulo madido voluerit; vel ad Hazaelem, qui cupiditate regnandi id fecerit: eoque respicit Hieronymus, quando mox ait: ET EXPANDIT SUPER FACIEM EIUS. Sic Sept. & Chald. alii *super faciem suam*, ut ipsemet Rex id expetierit. REGNAVIT HAZAEL. Non explicatur quis fuerit Hazael, si filius prioris Regis, si tyrannice regnum invaserit.

V. 16. ANNO QUINTO IORAM. Hos annos completos dicito, sicut & duos annos quibus Ochozias eius frater regnavit, III. Reg. XXII. 52. tum decem & septem Iosaphat, quo anno Ochozias regnare cœpit. Alioqui ratio annorum viginti quinque quibus Iosaphat regnavit, non constabit cum hoc quinto anno Ioram. Ergo Ochozias cœpit regnare anno decimo octavo, Iosaphat mortuus est vigesimo. Quinto completo Ioram Regis Israel mortuus est Iosaphat, & Ioram filius eius successit. ET IOSAPHAT REGIS IUDA, deest *mortuus est*, & supplendum. Sic Hebr. Schol. alioqui non esset verum, quinto anno Iosaphat regnasse filium eius: qui sciamus Iosaphat regnasse annis viginti quinque. III. Reg. XXII. 42. Sept. abstulerunt illud, *Et Iosaphat Regis Iuda*, neque in Gotth. est: causa in aperto.

V. 17. OCTO ANNIS REGNAVIT Ioram, scilicet solus: iam cum patre aliquot annis regnarat, III. Reg. XXII.

V. 21. VENITQUE IORAM SEIRA; urbs Edom: seu significat, in montem Seir venit, qui est Edom. POPULUS AUTEM FUGIT, scilicet Idumæorum.

V. 22. RECESSIT ERGO EDOM. Sept. *Et prævaricatus est Edom*: idque proprie *pasah* vox Hebr. significat hic bis, & vers. 20. Plerique vertunt *defecit*, sed quocumque modo vertas, de nova defectione intellige; quasi dicat: *Et defecit*, scilicet iterum post illam victoriam, vers. 21. LOBNA, civitas in sorte Iuda, Ios. XXI. quasi dicat: Non externi tantum defecerunt, sed & propriæ gentis pars. Mater Ochoziæ

V. 26. ATHALIA FILIA AMRI, filia fuit Achab: sic vers. 18. sed neptis hoc loco filia vocatur.

V. 27. GENER ENIM DOMUS ACHAB FUIT. Ochozias Rex Iuda duxit uxorem ex ea familia, vires cum Ioram iungendi voluntate (de quo statim:) ea porro extitit causa malorum quæ fecit.

MALVENDAE.

Vers. 1. AD MULIEREM, CUIUS VIVERE FECERAT FILIUM. Vide hanc historiam supra cap. IV. præsertim vers. 35. Vidua iam erat tunc hæc mulier, cum nulla hic mentio mariti, qui iam obierat: erat enim senex, cum filium obtinuit ab Eliseo, supra cap. IV. vers. 14. ET VENIET SUPER TERRAM. Hebr. in præterito: *Et etiam venit ad terram, septem annis*. Quidam volunt, verba esse auctoris narrantis adimpletum esse vaticinium Elisei, & explicantis tempus famis, videlicet septennium. Quidam: *Quæ etiam advenit in hanc terram ad septennium*. Possunt esse verba Elisei; quasi dicat: Quæ etiam iam cœpit duratura in septennium.

V. 3. PRO DOMO SUA, ET PRO AGRIS SUIS, nimirum recuperandis: in quorum possessionem ipsa absente, alii missi fuerant; vel ea fuerant fisco, aut regio patrimonio adiudicata. Sic vers. 5.

V. 4. REX AUTEM LOQUEBATUR CUM GIEZI PUERO VIRI DEI. Difficultatem iniicit hic Giezi: nam si iam leprosus erat, sup. cap. V. vers. 27. quomodo hic cum Rege Israelis colloquitur, cum leprosis consortium cum aliis lege

interdictum eſſet? nec eſt veriſimile leproſum amplius miniſtraſſe viro Dei. Quidam aiunt, hanc hiſtoriam contigiſſe ante lepram Giezi, narrari vero hic per hyſteroſin, quod ſæpe in Scriptura fieri ſolet. Alii augurantur Giezi acta ſacrilegii ſui pœnitentia, curatum ab Eliſeo, & rurſus in famulatum admiſſum. Nec deſunt qui exiſtiment acta iſta poſt mortem Eliſei: nam ſi Eliſeus tunc vixiſſet, non opus fuiſſet mulierem hanc venire ad Regem proclamandum, cum iam ei Eliſeus obtuliſſet ſuam operam apud Regem, ſupra cap. IV. verſ. 13. In incerto nihil nos ſtatuere poſſumus. OMNIA MAGNALIA, id eſt omnes res magnas, miracula inſignia.

V. 6. EUNUCHUM. סריס *ſaris*, *principem*, *cubicularium*, *aulicum*. Vide Gen. XXXVII. 36.

V. 7. DAMASCUM. Exponunt, Id eſt in regionem Damaſcenam, non in urbem ipſam, ut apparet ex verſ. 9. infra.

V. 8. SI EVADERE POTERO DE INFIRMITATE MEA HAC? Hebr. *An vivam de ægritudine iſta?* id eſt, num revaleſcam, convaleſcam, ſanitatem recipiam de morbo hoc? Vide ſup. cap. I. verſ. 2. Sic verſ. ſeq. & 10.

V. 9. ET OMNIA BONA DAMASCI, id eſt optima quæque, & pretioſiſſima Damaſci: hyperbole: nam omnia ſimpliciter non tulit. Hebr. *Et omne bonum Damaſci*. Quidam: *Et quodvis bonum Damaſci*: vel *ex quavis re præſtante Damaſci*; quaſi dicat: Ex pretioſiſſimis quibuſque Damaſci tulit quantum ferre poterant quadraginta cameli. FILIUS TUUS, id eſt qui te ut patrem veneratur, ac colit.

V. 10. VADE, DIC EI: SANABERIS. Particula לא *lo* ſcribitur cum Aleph, quæ proprie eſt negatio *non*: ſed notant Hebræi, hunc eſſe unum de quindecim Scripturæ locis, in quibus *lo* cum Aleph ponitur pro לו *lo* cum ſolo Vau, id eſt *ei*. Et ſane ratio accentus Hebraici *Makaph* poſtulat ut *lo* hic coniungatur cum verbo *Dic*, & ſumatur pro pronomine relativo: *Dic ei*: *Vivendo vives*. Id ſecuti ſunt LXX. Noſter, Hebræi, Caietanus, Sanctes, Munſterus, Forſterus, Clarius, Leo Iudas, Vatablus, Avenarius, Buxſtorfius, Schindlerus, Hiſpanicus Interpres: immo Maſſorethæ hic ad marginem adſcripſerunt *lo* cum Vau. Senſum eſſe volunt, *Vivendo vives*; id eſt, certiſſime, omnino, convaleſces, nimirum ex ægritudine iſta; quaſi dicat: AEgritudo iſta per ſe non eſt mortalis, & ex illa proculdubio convaleſceres: nam alioqui violenta morte, non ex ægritudine ſublatus eſt. Aliqui, *Dic ei*; quaſi dicat: Etiam ſi tu ei dicas: vel potes quidem dicere, quantum quidem ad vim morbi attinet: non enim eſt lethalis. Quidam: *Vivendo vives*: nempe iuxta cauſas naturales id futurum erat; ſed Deus ſuo decreto mutavit. Alii exponunt: Tu ut eum ſoleris, *dic ei*: *Vivendo vives*; id eſt, ut bono ſit animo, quodque adhuc diutius victurus ſit: at Dominus oſtendit mihi eum revera moriturum. Nonnulli imperativum capiunt profuturo, *Dic ei*; id eſt, dices tu quidem ad eum quod victurus ſit, infra verſ. 14. ſed ipſe revera morietur: ut Propheta prædixerit tantum adulationem, & verba Chazaelis, non ſanitatem Regis. Lyranus, Tremellius, & Iunius malunt לא *lo*, capere pro *non*: unde reddunt: *Vade*, *dic*: *Non vivendo vives*: vel *abi*, *dic*: *Non omnino revaleſces*. Adduntque hoc ſcholion: *Quaſi dicat: Etſi hic morbus per ſe non eſt ad mortem, ex eo tamen non es revaliturus; ſed de vita hac deceſſurus. Hæc ſimpliciſſima eſt interpretatio: nam quod particula negans cum antecedente verbo in proſodia coniungitur accentu Makaph, id euphoniæ cauſa factum eſt, ut fieri ſæpe docuimus Grammaticæ noſtræ Lib. IV. cap.* VIII. Marinus annotat, Prophetam amphibola uſum locutione, ut *lo* prolatum poſſet intelligi *non*, vel *ei*; ut illa ſuit: *Aio te AEacidam Romanos vincere poſſe*: ſed Chazaelem affirmativam intellexiſſe. Nos ex ſimplici & genuina particulæ *lo* cum Aleph acceptione, ſenſum negantem in noſtra Translatione expreſſimus (*Dic*: *Non vivere vives*) neglecta Hebraica proſodia, pro ſenſu tantum Maſſorethárum adiecta.

V. 11. STETITQUE CUM EO, &c. Hunc verſum ex Hebræo verbatim noſtra Translatio repræſentavit. Diverſimode alii. I. *Et fecit ſtare faciem ſuam, & poſuit donec tardavit*; id eſt, fixit Eliſeus faciem ſuam more cogitabundi, & ſic fixam tenuit diu firmam, ut meditantes facere ſolent: utrumque enim, tam fixio, quam mora deſcribitur: *fievitque vir Dei*: nimirum

rum ex cogitatione eorum quæ tum ei in mentem venerunt, prorupit in fletum, nempe conſiderans mala obventura Iſraeli ab Chazaele. Notant fixionem illam faciei, ac moram divinitus ei tunc contigiſſe, ut ei revelarentur cælitus futura mala ſingulariter: ac moram longiorem fuiſſe, quod tunc oraverit Deum ut ea ab Iſraelitis averteret; ſed intellecto immoto divino decreto, erupiſſe in lacrymas. II. *Et ſtare fecit faciem ſuam*: vel & *ſtatuit vultum ſuum*; ſubaudi, in altero latere; id eſt, avertit vultum ſuum ab eo: & *poſuit*; ſubaudi, manum ſuam ante faciem ſuam; id eſt, manus ſuas appoſuit vultui ſuo, & illis vultum texit, qui eſt habitus mæſti, & cogitabundi: *donec moraretur*, vel *cunctaretur*, id eſt aliquamdiu, per moram aliquam: volebat enim continere ſe a lacrymis, & diſſimulare mærorem animi; ſed non potuit: *flevitque vir Dei*. III. *Porro vir Dei firmata facie ſua, ſtetit, donec pudefieret, nam flevit*. IV. *Et quamvis contineret vultum ſuum, ac componeret uſque ad tarditatem*; id eſt, dudum, *tandem flevit vir Dei*. Hebr. ex verbo: *Et ſtare fecit facies ſuas*, & *poſuit uſque ad pudefieri*, vel *uſque ad pudorem*: & *flevit vir Dei*; id eſt, continuit vultum ſuum, & compoſuit, uſquequo tandem flere coactus eſt, ex quo pudore ſuffuſus eſt vir Dei.

V. 12. CIVITATES EORUM MUNITAS IGNE SUCCENDES. Hebr. *Munitiones eorum mittes* ſeu *coniicies in ignem*: hypallage; pro, ignem mittes, ſeu coniicies in munitiones eorum. Sic nos Hiſpani loquimur: *Sus fortalezas becharas a fuego*. Aliqui: *Munitiones eorum committes igni*. Vide executionem infra cap. x. verſ. 32. & 33.

V. 13. QUID ENIM SUM SERVUS TUUS CANIS, UT FACIAM REM ISTAM MAGNAM? Subaudiunt: *Ne dicas hoc: qualis enim eſt ſervus tuus?* &c. Alii: *Non faciam, nam quid eſt ſervus tuus?* &c. *Canis*, id eſt vilis, & abiectus. Sic II. Samuel. III. 8.

V. 14. DIXIT MIHI: RECIPIES SANITATEM. Hebr. *Vivendo vives*. Hinc putant multi firmari ſenſum affirmantem ſupra verſ. 10. *Dic ei: Vivendo vives*: qui tamen ibi ſenſum negantem præferunt: *Dic: Non vivendo vives*: hic exponunt, dixiſſe ei, *Vivendo vives*: nempe eadem fide retuliſſe Prophetæ verba, qua poſtridie vitam domini ſui appetivit.

V. 15. TULIT STRAGULUM. מכבר *macber*, aiunt eſſe texturam ex multiplicibus pilis, *ſtragulam*. Alii pannum craſſum ſcilicet, & villoſum, ex multiplicibus pilis contextum, veſtem denſam, tegmen lectorum ex pilis caprarum factum, ſeu operimentum lecti. Nonnulli *pulvinar*: alii *culcitam*, ſuper quam cubatur. Nec diſplicet quod Chaldæus *linteum* exponit. Aliqui *ſtragulum ex ſetis contextum, habens crebra foramina*. ET INFUDIT AQUAM. Hebr. *Et immerſit in aquis*. Notant, Ben-Hadadum laboraſſe ardentiſſima febre, atque ad mitigandum æſtum febris popoſciſſe linteum aliquod frigida intinctum: atque eo Hazahelem Regem ſuffocaſſe. Iolephus: *Reti uvido in eum iniecto, præfocati a ſe, regiam occupat*. Sic Tiberium iniectu pulvini, aut multæ veſtis interclufa anima oppreſſum, tradidere Svetonius cap. LXXIII. Tacitus Annali VI. extremo.

V. 16. ANNO QUINTO IORAM FILII ACHAB, &c. Exponunt: Qui erat vigeſimus ſecundus regni Iehoſaphati. Conſer cum cap. III. verſ. 1. regnat enim Iehoram ſimul cum patre Iehoſaphato quatuor annis: quamobrem II. Paralip. XXI. verſ. 3. legitur, ipſum Iehoſaphatum regnum tradidiſſe Iehoramo, quia primogenitus erat. ET IOSAPHAT REGIS IUDA: non eſt iungendum cum *anno quinto*, ſed per ſe ſtat: id eſt tempore Regis Iehoſaphat, vel exiſtente Rege Iehudæ Ioſaphato. Quidam haud recte: *Et Iehoſaphato Rege Iehudæ* mortuo.

V. 17. ET OCTO ANNIS REGNAVIT. Intelligunt, ſolus, iam mortuo patre, quatuor; & quatuor vivente patre.

V. 18. FILIA ENIM ACHAB ERAT UXOR EIUS, nempe Athalia, infra verſ. 26.

V. 19. SICUT PROMISERAT EI, UT DARET ILLI LUCERNAM, &c. Vide I. Reg. XI. 36.

V. 20. IN DIEBUS EIUS RECESSIT EDOM, NE ESSET SUB IUDA, &c. Hebr. *Defecit Edom de ſub manu Iehudah*; id eſt, ne eſſet ſubiectus imperio Iehudæ: excuſſit iugum Iehudæ. Sic verſ. 22. ET CONSTITUIT SIBI REGEM: nam prius imperabat Idumææ Prorex datus a

Rege Iehudæ, I. Reg. xxii. 48. Volunt quidam impletum hic vaticinium Isaaci Geneſ. xxvii. 40. Vide Comm. in eum locum.

V. 21. Seira. Inepte quidam hic montem Idumæorum Sehir intelligunt: de quo vide Geneſ. xiv. verſ. 6. cum ille ſcribatur cum Scin, hic autem cum Tzade, *Tzaghira*, ſive *in Tzaghir*: nam He eſt locale. Aiunt fuiſſe urbem Idumææ: ſonat *parvam, minorem*. Quidam hariolantur eſſe Zoaram Ptolemæi Lib. V. cap. xvii. ſed eam Ptolemæus non inter urbes Idumææ, ſed Arabiæ Petrææ collocat.

V. 22. Lobna. Hebr. *Libnah*. Urbs ſacerdotum in ſorte Iehudæ, Ioſue xxi. 13. de qua vide Ioſue x. verſ. 29. Quidam notant, adiectam hic defectionem Libnæ eodem tempore, ut indicaretur, Ioramum defectione Libnæ impeditum, victoriam adverſus Idumæos perſequi non potuiſſe.

V. 23. In libro verborum dierum Regum Iuda? Vide I. Reg. xiv. 19. & cap. xi. verſ. 41.

V. 24. Sepultusque est cum eis in civitate David. *Cum eis*; id eſt, in eadem urbe Davidis, ſed non in eodem ſepulcro Regum, II. Paralip. xxi. verſ. 20. Ochozias. Hebr. *Achaziahu*. Obſervant hunc II. Paralip. xxii. 6. vocari *Hazariam*: & ibidem cap. xxi. 17. *Ieboachaz*.

V. 25. Anno duodecimo Ioram: intelligunt ineunte. Vide infra cap. ix. verſ. 29.

V. 26. Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare coepisset; id eſt, cum ageretur annus quadrageſimus ſecundus, ex quo domus Hamri regnare cœpit. Vide II. Paralip. xxii. verſ. 2. Et uno anno regnavit in Ierusalem: notant, imperfecto: quia eodem Hathalia regnare cœpit, cuius primus dicitur. Athalia filia Amri, id eſt neptis, vel nata domo Hamri, nam fuit filia Achabi, ſupra verſ. 18. & infra verſ. 27. Alii volunt revera fuiſſe filiam Hamri, & ſororem Achabi, ſed dici filiam Achabi, quod ab eo a pueritia enutrita tamquam filia fuerit, & impietate imbuta.

V. 29. In Ramoth, ſcilicet in Ramothis Ghilhadi, de quibus verſu ſuperiore. Praeliantem contra Hazael Regem Syriae. Quidam exponunt: Dum pugnaret, ſeu propugnaret, id eſt defenderet, Ramoth Ghilhadis contra Hazaelem. Putant, Ramothas iam hoc tempore fuiſſe in poteſtate Regum Iſraelitarum. Alii hariolantur hoc bello captas ab Iſraelitis: nam capite ſequente verſ. 1. & 2. iam videntur eſſe in poteſtate Iſraelitarum. Vide ibidem verſ. 14. & 15.

MENOCHII.

Verſ. 1. Mulierem, Sunamitidem de qua cap. iv. Quæ hic de fame narrantur, acciderunt ante obſidionem Samariæ, de qua ſuperiori capite dictum eſt. Vide rationem temporis apud Salianum Tom. IV. Annalium anno mundi 3145. num. 3. Ubicumque repereris. Hebr. *Ubicumque potueris peregrinari*, ubi ſcilicet commodum fuerit.

V. 2. Peregrinata est in terra Philisthiim. Potuit abſque peccato apud Philiſthæos diverſari, ubi non multo maiorem idololatriæ occaſionem habitura erat, quam in urbibus Iſraelis.

V. 3. Regressa est ut interpellaret Regem pro domo sua, et agris suis: cum enim Sunam eſſet reverſa, invenit bona ſua ab aliis occupata, occaſione abſentiæ illius.

V. 4. Loquebatur cum Giezi; qui nondum lepra erat percuſſus: licet enim ſupra poſita ſit Naaman hiſtoria, id factum eſt a ſacro Scriptore, ut ſimul omnia ab Eliſeo mirabiliter geſta recenſeret.

V. 6. Quae narravit ei, miraculum Prophetæ, & quæ ab agrorum occupatoribus patiebatur. Restitue ei: iterum illam in bonorum ſuorum poſſeſſionem mitte. Et universos reditus, non ſolum agros, aut ſortem, ſed fructus etiam, qui interim dum abfuit, collecti ſunt. Venit Eliseus Damascum. Adventus cauſam Scriptura ſubticuit, creditur tamen Dei monitu veniſſe, ut Azaelem in Regem Syriæ inungeret, quod prius Elias habuerat in mandatis, III. Reg. xix. 15. & per diſcipulum ſuum Eliſeum videtur expleviſſe hoc tempore, quo divinitus cognovit Benadad eſſe moriturum.

V. 8.

V. 8. VADE IN OCCURSUM VIRI DEI, qui ingreſſus erat agrum Damaſcenum, nondum tamen urbem. HABENS SECUM MUNERA. Non conſtat ex Scriptura an munera receperit. Illud certe conſtat, ſi recepit, mero benevolentiæ nomine, non in mercedem prophetiæ recepiſſe. Et ſane non videntur a Propheta repudiata: alioqui tam pretioſa dona repudiata Scriptura ſine commendatione non præteriiſſet. Nam qui olim I. Reg. IX. 7. Samuelem cum Saule adiit conſulturus Videntem, ſatis ſignificat non ſolum Prophetis aliquid offerri ſolitum, ſed etiam ab eis recipi. Nam ſi conſtaret nihil recipi, non fuiſſet Saul de oblatione ſollicitus.

V. 10. DIC EI: SANABERIS; quaſi dicat, Etiamſi tu ei dicas. Vel, Potes quidem dicere quantum ad vim morbi attinet, non eſt enim lethalis.

V. 11. CONTURBATUS EST USQUE AD SUFFUSIONEM VULTUS, uſque ad lacrymas. Sermo eſt de Eliſeo. Chald. habet: *Et vertit faciem ſuam*, ſcilicet ut mæſtitiam celaret, vel ſletum.

V. 13. SERVUS TUUS CANIS? quaſi diceret: Quomodo id ego poſſum, qui inſtar canis abiectiſſimus ſum? Unde mihi vires, ut hæc faciam?

V. 14. TULIT STRAGULUM, ET INFUDIT AQUAM, &c. *Stragulum* interpretatur Chaldæus *operimentum villoſum*. Pagninus pannum e vilis caprarum. Chimhi ait, Hazaelem pannum madefactum Regi porrexiſſe, quaſi febricitantem refrigeraturum; re autem vera ſuffocare voluiſſe, itaque feciſſe. Alii malum per imprudentiam tam Regis petentis, quam Hazaelis porrigentis mortem contigiſſe.

V. 19. UT DARET ILLI LUCERNAM. Vide ſupra III. Reg. XI. 36. & XV. 4.

V. 20. RECESSIT EDOM. Vide dicta III. Reg. XXII. num. 48. CONSTITUIT SIBI REGEM, qui eſſet defectionis caput, cæſo Rege ſuo, ut ait Joſephus Lib. IX. cap. II. ad finem.

V. 21. VENIT SEIRA, in Seir montem Idumæorum. PERCUSSIT IDUMAEOS, &c. Ioram cum ſuis undique cinctus fuerat. Verum Ioram de nocte ſurrexit, Idumæos aggreſſus eſt, & in fugam compulit.

V. 22. RECESSIT ERGO EDOM. Licet Ioram proxime memoratam victoriam de Idumæis reportaverit, non tamen eos ut ſibi iterum parerent cogere potuit. USQUE AD DIEM HANC; id eſt, uſque ad poſteriora tempora everſi regni Judæorum, quando huius Libri ſcriptor Ieremias Propheta vixit, ut ait Toſtatus quæſt. XXXIII. & alii. RECESSIT ET LOBNA. Fuit hæc urbs in tribu Iuda, ut ait divus Hieronymus in locis terræ ſanctæ, civitas ſacerdotalis, quam primis illis temporibus tenuit Joſue, ut patet ex eius Lib. cap. XXI. 13. An vero hæc civitas more reipublicæ ſeipſam rexerit, an vicino alicui Regi adhæſerit, ex Scriptura colligi non poteſt.

V. 26. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS CUM REGNARE COEPIT. At II. Par. XXII. 2. dicitur: *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet*. Nodus eſt difficillimus, qui multorum torſit ingenia. Varias explicationes affert Salianus Tom. IV. anno mundi 3150. a num. 5. uſque ad 11. ubi tandem in ſententiam eorum deſcendit, qui in locum Paralipomenon mendum irrepſiſſe putant, legendumque non *quadraginta duorum*, ſed ut eo loco notatur in Scholiis Septuaginta virorum, *viginti duorum*. Ita etiam ſentit Caietanus in II. Paralip. Tornielus anno 127. quintæ ætatis. Turſellinus in ſuo compendio hiſtoriarum, & alii, quos citat idem Salianus. Aliæ explicationes quæ afferuntur, magnis urgentur difficultatibus. FILIA AMRI, neptis, erat enim Achabi filia: ſed Scriptura etiam nepotes, & poſteros ſilios appellat. Sic omnes Hebræi filii Iſrael dicebantur.

V. 27. GENER ENIM DOMUS ACHAB ERAT: ſcilicet uxorem duxerat de familia Achab.

V. 28. IN RAMOTH GALAAD. Vide dicta III. Reg. XXII. 3. quo etiam loco apparet certamen fuiſſe inter Reges Iſrael, & Reges Syriæ pro hac civitate.

TIRINI.

Verſ. 7. VENIT ELISEUS DAMASCUM: utique ut Azaelem ungeret in Regem Syriæ, iuxta mandatum Dei III. Reg. XIX. 15. Eliæ qui-

quidem tunc datum, sed ad hoc usque rempus, eodem Deo inspirante, dilatum: sicut & alterum de Iehu in Regem Israel ungendo, ibidem vers. 16. eidem Eliæ commissum, sed hoc demum tempore per Elisei discipulum executioni mandatum, ut patet ex initio capitis iam sequentis. Ita Caietanus, & auctor Historiæ Scholasticæ. Sanctius vult, utrumque ab Elia tunc unctum fuisse, non ut sceptrum tunc usurparent, sed multis post annis, ut Davidi a Samuele primum uncto contigit: iam vero secundo ab Eliseo seu ungi, seu moneri de regno. BENADAD REX SYRIAE AEGROTABAT, ægritudine corporis ex animi ægritudine, ut fit, enata, propter nuperrimam ex Israelitide fugam, maxime cum intellexit vana omnia terriculamenta fuisse, quæ de recentibus ex AEgypto, aut aliunde missis auxiliis sparsa, ipsum in fugam egerant. Ita Iosephus *a*, Lyranus, Comestor, Dionysius, Abulensis.

V. 10. VADE, DIC EI: SANABERIS. Vel ironice loquitur Propheta Eliseus, sicut in simili Michææ III. Reg. XXII. vers. 15. Vel potius ad mentem interrogantis, qua quærebatur an morbus esset lethalis Regi, respondet Propheta, non esse lethalem, sed sanatum iri quantum est ex parte morbi. Neque vero morbo exstinctus fuit Rex, sed violenta suffocatione, ut dicitur vers. 15. Ita Caietanus, & Sanctius.

V. 13. QUID ENIM SUM SERVUS TUUS CANIS? Videtur Hazael, utpote e primis Regni proceribus, nomine canis non tam utilitatem & abiectionem suam insinuare, quam feritatem & crudelitatem caninam, sibi a Propheta propositam execrari, & cum admiratione ac stomacho repellere; quasi dicat: Procul a me tanta impudentia, tanta barbaries: ferinum opus est, non humanum, infantes dilacerare, & ad saxa allidere, eviscerare matres, prægnantes ferra dividere medias, &c. Sed subdit Propheta: OSTENDIT MIHI DOMINUS TE REGEM SYRIAE FORE, & cum regio sceptro, non solum potentiam & vires regias accepturum, ut possis & audeas quæ dixi, sed & innatum Syris adversus Israelem odium crudelitatemque hereditaturum. Ita fere Lyranus, Sa, Mariana, & Sanctius. Ergo audacior hoc Prophetæ vaticinio factus Hazael,

V. 15. TULIT STRAGULUM, seu mappam aqua frigida madefactam, & prætextu refrigerii domino suo Regi, sic iubenti, ex officio procurandi, ita EXPANDIT SUPER FACIEM EIUS, ut simul obstructis clam & caute faucibus, quasi aliud agens, spiritum præcluderet. Ita Iosephus. Porro quam facili negotio hac via suffocetur æger, testes esse possunt qui torturæ causa similem subinde mappam vultui obductam habuerunt: nam aqua paulatim mappæ superinfusa copiam respirandi penitus tollit: estque id torturæ genus omnium sævissimum. Huius tyranni nomen non minus quam Benadad, celebre perpetuo apud Syros permansit, adeo ut Syriæ regnum Amos I. vocetur *domus Hazael*, perinde atque *domus Benadad*. Iosephus *b* addit, *utrumque divinis apud Syros coli* solitum *honoribus*, & utriusque *effigiem quotidianis pompis honorari*, *tum propter aliam beneficentiam*, *tum quia magnifice templis extructis Damascenorum urbem ornatiorem reddiderunt*.

V. 18. FILIA ACHAB, nempe Athalia Gentilis & impia, ERAT UXOR Ioram Regis Iuda, quæ vers. 26. vocatur *filia*, id est neptis Amri, patris Achab. Huius uxoris illecebris inductus Rex Ioram, *fecit quod malum est in conspectu Domini*: nam & idola coluit, & sex fratres suos occidit, & alia infanda patravit, quæ habes II. Paralipomen. XXI. Hinc subsecutæ plagæ, quæ partim hoc capite, partim illo loco Paralip. explicantur.

(*a*) Ioseph. Lib. IX. Antiq. cap. 11.
(*b*) Ioseph. Lib. XI. Antiq. cap. 11.

GORDONI.

Vers. 1. FInita fame, Sunamitis illa de qua cap. IV. revertitur ad initium Ochoziæ, & ultimum Iorami Israelitici annum. Nec mirum est, Regem studio sciendi aliquid de Eliseo, adductum ut ageret cum Giezi adhuc leproso. VOCAVIT ... FAMEM. LXX. κέκληκε λιμὸν *proclamavit*.

V. 6. DEDITQUE EI REX EUNUCHUM, ut restituat. Dixi, aliquoties eunuchos fuisse præfectos cameræ apud Reges, & velut proceres.

V. 9. OMNIA BONA DAMASCI. Sept.

Septuag. *ex omnibus bonis*; quaſi diceret : Attulit pretioſa pleraque ad Prophetam.

V. 10. VADE ET DIC EI: SANABERIS. Quomodo ergo mox ſubiungit contrarium ? Ex duobus reſponſum alterum falſum eſt : ſed communis loci huius explicatio eſt , hæc duo referri ad diverſas cauſas, ac ſi aperte dixiſſet: Ex vi morbi non morietur; tamen morietur ex violentia externa. Aliqui etiam primam partem accipiunt , quaſi ridendo & ironice dictam : alii explicant per decreti mutationem.

V. 15. EXPANDIT SUPER FACIEM: ut refrigeraret febricitantem: an etiam ut ſtrangularet , quod ſentit Ioſephus cum aliquot aliis.

V. 16. ANNO QUINTO IORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, ET IOSAPHAT REGIS IUDA, REGNAVIT IORAM FILIUS IOSAPHAT. Locus hic difficilis putatur, ſed quomodo debeat intelligi dixi hic cap. 1. verſ. 17. Sane ex diagrammate * apparet ſatis , annum quintum Iorami Iſraelitici recte componi cum primo Iorami Iudaici : ſi autem (quod omiſit verſio Hieronymi) debet apponi illud de Ioſaphat, dixi cap. 1. hoc referri poſſe ad annos viginti, quibus iuxta quoſdam regnavit filius cum patre Ioſaphat : vel denique hic lege cum aliis, *Ioſaphat Regis Iuda* , ſupple tempore : quod eſt dicere , regnaſſe alium cum patre. Opiniones de hoc refert Salianus anno 3143. num. 3.

V. 17. TRIGINTA DUORUM ANNORUM ERAT CUM REGNARE COEPISSET IORAM, ET OCTO ANNIS REGNAVIT. Hoc etiam obſcurum eſt: nam ſequi videtur quod anno ætatis quadrageſimo, aut quadrageſimoprimo obiiſſet Ioramus iſte Iudaicus : quomodo ergo II. Paralip. XXII. 2. Ochozias filius cœpit regnare anno ætatis quadrageſimoſecundo ? ſic enim ſenior patre fuiſſet . Sed intelligе Ioramum trigintaduorum annorum fuiſſe cum ſecundo regnare cœpit cum patre . Cum eodem patre Ioſaphat regnavit , ut dicebam, annis viginti: cœpit enim primo regnare cum patre anno patris quinto . Vide diagramma. Quid vero ſit de Ochozia, dicam verſ. 25.

V. 21. VENITQUE IORAM SEIRA, hoc eſt in Edumæam , ſeu ad montem Seir, qui eſt Edom. Vincuntur ergo Idumæi rebelles ; ſed poſt hanc victoriam iterum deficiunt , ex verſ. 22. Nec tantum ab impio Rege deficiunt externi , ſed etiam Lobna urbs in ditione Iudaica : de qua Ioſue XXI.

V. 25. ANNO DUODECIMO Iorami Iſraelitici regnat Iudæus Ochozias. Ita habet noſtrum diagramma. Nec in temperandis & componendis regni annis, alia eſt difficultas: ſed de ætate Ochoziæ difficilis quæſtio eſt . At omiſſis opinionibus, verior ſententia in II. Paral. XXII. 1. mendum irrepſiſſe, & poſitum eſſe quadrageſimumſecundum pro vigeſimo ſecundo: ſic enim hic verſ. 26. clare habemus fuiſſe annorum viginti duorum quando regnare cœpit , nempe qui natus eſt anno octavo regni Ioſaphati : unde ſunt anni viginti duo uſque ad regnum Ochoziæ, hoc eſt ſexdecim qui reſtant Ioſaphato, & ſex integri Iorami Iudaici , ut in diagrammate obſervari poteſt. Sic vero , mendum eſſe ſentiunt in loco II. Paralip. citat. Torniellus anno 127. quintæ ætatis, Salianus anno mundi 3150. num. 11. Turcellinus cap. v. Chron. quæſt. XV. acceſſit etiam Scaliger. Mariana quoque notat, variatas notas numeri , & in II. Paralip. pro כב *caph bet* poſitum eſſe מב *mem beth*.

V. 27. GENER ENIM. Ochozias Iudaicus Rex uxorem habuit ex familia Achab.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. De initio , & fine huius famis , vide ſupradictum diagramma .

V. 3. Hæc Sunam reverſa repetit ab aliis occupari bona ſua.

V. 6. Vult etiam reſtitui fructus perceptos a die quo diceſſit.

V. 7. & 8. VENIT VIR DEI , adventat . Nondum ingreſſus urbem , VADE, inquit, IN OCCURSUM. Hæc dona benevolentiæ ſunt , non vero ut fauſta prophetet.

V. 11. STETITQUE CUM EO. Hæc verba ſunt de Eliſeo . CONTURBATUS, Chaldæus vertit *faciem* , nempe celans dolorem.

V. 26. FILIA AMRI , neptis : erat enim Achabi filia.

V. 28. De Ramoth dixi III. Reg. 1. 3.

* Hoc nos , ut dixi cap. 1. in Prolegomenis dabimus.

CA-

CAPUT IX.

Iehu in Regem Iſrael unctio mandat Dominus ut deleat domum Achab: occidit ergo Ioram una cum Ochozia Rege Iuda, & corpus Iezabel a feneſtra ipſius iuſſu præcipitatæ canes comederunt, iuxta Eliæ vaticinium.

1. Liſeus autem Prophetes vocavit unum de filiis Prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad. 2. (*a*) Cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Ioſaphat filii Namſi: & ingreſſus ſuſcitabis eum de medio fratrum ſuorum, & introduces in interius cubiculum. 3. Tenenſque lenticulam olei, fundes ſuper caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te Regem ſuper Iſrael. Aperieſque oſtium, & fugies, & non ibi ſubſiſtes. 4. Abiit ergo adoleſcens puer Propheræ in Ramoth Galaad, 5. & ingreſſus eſt illuc: ecce autem principes exercitus ſedebant, & ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit, Ad te, o princeps. 6. Et ſurrexit & ingreſſus eſt cubiculum: at ille fudit oleum ſuum ſuper caput eius, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Unxi te Regem ſuper populum Domini Iſrael, 7. & percuties domum Achab domini tui, & ulciſcar ſanguinem ſervorum meorum Prophetarum, & ſanguinem omnium ſervorum Domini, de manu Iezabel. 8. (*b*) Perdamque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum & noviſſimum in Iſrael. 9. Et dabo domum Achab, ſicut (*c*) domum Ieroboam filii Nabat, & ſicut domum (*d*) Baaſa filii Ahia. 10. Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui ſepeliat eam. Aperuitque oſtium, & fugit. 11. Iehu autem egreſſus eſt ad ſervos domini ſui: qui dixerunt ei: Recte ne ſunt omnia? quid venit inſanus iſte ad te? Qui ait eis: Noſtis hominem, & quid locutus ſit. 12. At illi reſponderunt: Falſum eſt, ſed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locutus eſt mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te Regem ſuper Iſrael. 13. Feſtinaveruntque itaque, & unuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba!, atque dixerunt: Regnavit Iehu. 14. Coniuravit ergo Iehu filius Ioſaphat filii Namſi contra Ioram: (*e*) porro Ioram obſederat Ramoth Galaad: ipſe & omnis Iſrael, contra Hazael regem Syriæ: 15. & reverſus fuerat ut curaretur in Iezrahel propter vulnera, quia percuſſerant eum Syri, præliantem contra Hazael Regem Syriæ. Dixitque Iehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, & nuntiet in Iezrahel. 16. Et aſcendit, & profectus eſt in Iezrahel: Ioram enim ægrotabat ibi, & Ochozias Rex Iuda deſcenderat ad viſitandum Ioram. 17. Igitur ſpeculator qui ſtabat ſuper turrim Iezrahel, vidit globum Iehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixitque Ioram: Tolle currum, & mitte in occurſum eorum, & dicat vadens: Recte ſunt omnia? 18. Abiit ergo, qui aſcenderat currum, in oc-

occurſum eius, & ait : Hæc dicit Rex : Pacata ne ſunt omnia ? Dixitque Iehu: Quid tibi & paci? tranſi, & ſequere me . Nuntiavit quoque ſpeculator , dicens: Venit nuntius ad eos , & non revertitur . 19. Miſit etiam currum equorum ſecundum: venitque ad eos, & ait: Hæc dicit Rex: Numquid pax eſt ? Et ait Iehu: Quid tibi & paci? tranſi , & ſequere me . 20. Nuntiavit autem ſpeculator, dicens: Venit uſque ad eos, & non revertitur: eſt autem inceſſus quaſi inceſſus Iehu filii Namſi , præceps enim graditur . 21. Et ait Ioram : Iunge currum. Iunxeruntque currum eius, & egreſſus eſt Ioram Rex Iſrael, & Ochozias Rex Iuda , ſinguli in curribus ſuis , egreſſique ſunt in occurſum Iehu , & invenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ . 22. Cumque vidiſſet Ioram Iehu, dixit: Pax eſt Iehu ? At ille reſpondit : Quæ pax ? adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ , & veneficia eius multa vigent. 23. Convertit autem Ioram manum ſuam , & fugiens ait ad Ochoziam: Inſidiæ Ochoziæ. 24. Porro Iehu tetendit arcum manu, & percuſſit Ioram inter ſcapulas : & egreſſa eſt ſagitta per cor eius, ſtatimque corruit in curru ſuo. 25. Dixitque Iehu ad Badacer ducem : Tolle , proiice eum in agro Naboth Iezrahelitæ : memini enim quándo ego & tu ſedentes in curru ſequebamur Achab patrem huius , quod Dominus onus hoc levaverit ſuper eum , dicens : 26. (*f*) Si non pro ſanguine Naboth , & pro ſanguine filiorum eius quem vidi heri , ait Dominus , reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & proiice eum in agrum, iuxta verbum Domini . 27. Ochozias autem Rex Iuda videns hoc , fugit per viam domus horti: perſecutuſque eſt eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru ſuo : † & percuſſerunt eum * in aſcenſu Gaver , qui eſt iuxta Ieblaam : qui fugit in Mageddo, & mortuus eſt ibi 28. Et impoſuerunt eum ſervi eius ſuper currum ſuum, & tulerunt in Ieruſalem: ſepelieruntque eum in ſepulcro cum patribus ſuis in civitate David. 29. * Anno undecimo Ioram filii Achab, † regnavit Ochozias ſuper Iudam . 30. venitque Iehu in Iezrahel. Porro Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos ſuos ſtibio , & ornavit caput ſuum , & reſpexit per feneſtram 31. ingredientem Iehu per portam , & ait : (*g*) Numquid pax poteſt eſſe Zambri , qui interfecit dominum ſuum ? 32 Levavitque Iehu faciem ſuam ad feneſtram, & ait: Quæ eſt iſta ? * & inclinaverunt ſe ad eum duo vel tres eunuchi . 33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorſum, & præcipitaverunt eam , aſperſuſque eſt ſanguine paries , & equorum ungulæ conculcaverunt eam. 34. Cumque introgreſſus eſſet, ut comederet, biberetque, ait: Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eam : quia filia Regis eſt. 35. Cumque iſſent ut ſepelirent eam , non invenerunt niſi calvariam , & pedes , & ſummas manus. 36 Reverſique nuntiaverunt ei . Et ait Iehu : (*h*) Sermo Domini eſt quem locutus eſt per ſervum ſuum Eliam Thesbiten, dicens : In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel , 37. & erunt carnes Iezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ in agro Iezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine eſt illa Iezabel?

(*a*) III. Reg. xix. 16. (*b*) III. Reg. xxi. 20. (*c*) III. Reg. 29. (*d*) III. Reg. xvi. 3. (*e*) Supra viii. 28. (*f*) III. Reg. xxi. 22. (*g*) III. Reg. xvi. 10. (*h*) III. Reg. xxi. 23.

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 27. *In accensu Gaver*. Non mutes *Gaver* cum *Gaber*, id eſt *u* cum *b*.

V. 29. *Anno undecimo Ioram filii Achab, regnavit Ochozias ſuper Iudam, venitque Iehu in Iezrahel*. Pro numero *undecimo*, non eſt ſcribendus maior *duodecimo*: nec addendum eſt *Regis Iſrael* poſt *Achab*: denique nec mutandum quidquam iudicarunt Correctores in iis quæ conſequuntur, tametſi in multis codicibus ſit varietas, de qua noſtræ Notationes.

V. 32. *Et inclinaverunt ſe ad eum duo vel tres eunuchi*. Quod ſequitur in quibuſdam libris, *& dixerunt, Hæc eſt illa Iezabel*, ſpurium eſt.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 27. *Et percuſſerunt eum in aſcenſu Gaver*. Antiqui libri tum noſtri, tum Epanorthotæ, configunt illa verba *& percuſſerunt eum*, Hebræo adſtipulante

V. 29. *Regnavit Ochozias*. Pro his verbis alii ſcribunt *regnavitque Ochozias* ſeu *Achaſias*; alii *& Regis Ochozia*; alii *& Regis Ochozia primo*: de quibus varietatibus legi poſſunt Notationes. Vetus noſter Epanorthotes præfert hanc lectionem: *Anno undecimo Ioram filii Achab, & Regis Achaſia ſuper Iudam, venit Iehu in Iezrael*, nullo expreſſo numero anni Ochoſiæ.

NOTATIO.

Hebræi codices habent ובשנת אחת־עשרה שנת ליורם בן אחאב מלך־ישראל מלך יהוה איהוא יהוא ויבוא; ideſt, *Et in anno undecimo anno Ioram filii Achab regnavit Achaſias ſuper Iudam, & venit Iehu in Iezrahel*. Chaldæus expoſuit: *Et in anno undecimo annorum Ioram filii Achab Regis Iſrael regnavit Achaſias ſuper domum Iuda, & venit Iehu in Iezrahel*. Greci reddiderunt, καὶ ἐν ἑνδεκάτῳ ἔτει Ιωραμ Ζαχαλίου ἐβασίλευσεν Ἀχοζίας ἐπὶ Ἰούδαν, καὶ ἦλθεν Ἰὲ εἰς Ἰεζραήλ. Editionis Latinæ vulgatæ Biblia quæ Hentenius emendavit, locum hunc ita legunt: *Anno undecimo Ioram filii Achab regnavit Ochoſias ſuper Iudam, venitque Iehu in Iezrahel*.

Tria ſcriptorum noſtrorum habent: *Anno duodecimo Ioram*; ſed contra Hebraicorum, Chaldaicorum, & Græcorum librorum fidem. Corruptelæ occaſio ex ſuperiori capite nata eſt: legitur enim ibi nec mendoſe: *Anno duodecimo Ioram filii Achab Regis Iſrael regnavit Ochoſias filius Ioram Regis Iuda*. Conciliant autem loca illa alii aliter. Toſtatus, quod hic annus qui agebatur, illic annus tranſactus intelligatur.

Ei quod ſequitur *Filii Achab*, ſubiungunt multa exemplaria *Regis Iſrael*, quemadmodum octavo capite legitur, & quidem etiam Chaldaico Regii operis textui, & Græcis codicibus quos vidimus, ſimiliter additur; ſed in Hebræis non habetur.

Sequitur: *Regnavit Ochoſias*. Quem typis excuſi libri fere *Ochoſiam* nominant Græcis Interpretibus conſentanea; manuſcriptorum plurima, etiam Epanorthote teſte, & Hebraicarum quæſtionum Auctor, ac Rabanus, & Angelomus in Libris Regum *Achaſiam* appellant, Hebræis conformiter; ſed & in Paralipomenis Hebraicarum quæſtionum Auctor *Achaſiam* vocat: „ Regnavit igitur „ *Achaſias ſeu Ochoſias*. “

Sed finito Achaſiæ regno initium repeti abſurdum videtur. Et quidem reſpondent aliqui id fieri, ut eum propter ſcelera non diu regnaſſe intelligamus: arqui eam forte ob cauſam Interpres Latinus non hoc modo tranſtulit, quo jam produximus. Videri autem id poſſit ex manuſcriptis compluribus, quæ quod dicitur *anno undecimo Ioram* non tam ad Achaziæ regnum, quam ad Iehu in Iezrahel adventum referunt; ſed diverſimode. Quædam habent, quæ quidem æqualiter ad utrumque referunt, quo etiam modo præcedens lectio intelligi poſſit: *Anno undecimo Ioram filii Achab Regis Iſrael, regnavitque Ochoſias ſuper Iudam, venitque Iehu in Iezrahel*. Sic exemplar Societatis Ieſu rubrum, cui conſimile eſt Collegii Attrebatenſis exemplar: *Anno undecimo Ioram filii Achab Regis Iſrael, & regnavit Ochoſias ſuper Iudam, & venit Hieu in Iezrael*. Nonnulla autem legunt: *Anno undecimo Ioram filii Achab Regis Iſrael, anno quoque Achaſia ſuper Iudam primo venit Hyeu Iezrael*. Sic H. & L. Doctoris Hunnæi, & Brugenſe manuſcriptum; quamquam hoc prius aliter legiſſe videatur. His non abſimile eſt O: *Anno undecimo Ioram filii Aab Regis, & Ahaſia ſuper Iudam primo venit Ieu in Izrael*. Alia ſcribunt: *Anno un-*

undecimo loram filii (*a*) *Achab Regis Iſrael regnante* (*b*) *Achaſia ſuper Iudam venit Hieu in Iezrael*;„ Sic Hunnæi G. & Q. Plantini anguſtum, & Lobienſe. V. Hunnei cum A. & M. & Societatis Ieſu longus, ac Chriſtophori Plantini latus codex legunt : *Anno undecimo loram filii Achab , & Regis Achaſia ſuper Iudam venit Hieu in Iezrahel* . Atque hanc (ſed præternıiſſa & coniunctione , quam nec Societatis Ieſu emendantiſſimus codex , nec Hebræa habent) antiquorum codicum , ac proinde genuinam huius loci lectionem eſſe Epanorthotes aſſerit . Et ſane poſſit ad hunc modum ex Hebræo verti ſubſtratis dictioni מֹלַךְ, quæ nunc Cametz, & Patach notatur ſex punctis : nam מָלַךְ quidem *regnavit* eſt, מֶלֶךְ vero *Regem* denotat . Coniunctio porro dictionis וַיָּבוֹא venitque vel tantum convertendi officium habere intelligenda eſſet , vel pro adverbio temporis accipienda : *Tunc venit Iehu* , &c. Sed forte quempiam moveat , quod nullus Regis Achaſiæ annus exprimatur . Atqui ſimile eſt ſuperioris capitis verſu decimo ſexto : *Anno quinto loram filii Achab Regis Iſrael , & Ioſaphat Regis Iuda regnavit loram filius Ioſaphat Rex Iuda* : quamquam & ille locus hac occaſione fuerit depravatus. Sed quomodo verum eſt Iehu in Iezrahel veniſſe anno undecimo loram, cum occiſo loram, qui duodecim annis regnaſſe narratur , eo venerit ? An quia duodecimus annus agebatur dumtaxat, dicatur *anno undecimo* tranſacto videlicet ? An , quæ aliorum ſententia eſt, regni loram anni imperfecti primus & duodecimus pro uno numeretur ? Hanc igitur quam diximus lectionem Epanorthotes probat, cuius verba etſi incompoſita, operæ pretium fuerit adſcribere: „ Item F. antiqui Latini , & antiqui Hebræi: *Anno undecimo loram filii Aab Regis Achaſia ſuper Iudam venit Hyeu in Hyezrahel*. Texit chronicam iſtum Hyeu „ inſerens poſt annos Regum præcedentium , quos extinxerat ; quaſi dicat : Illis extinctis „ ille regnare incepit , hoc eſt anno undecimo loram Regis , & anno videlicet ſi„ nali, quotuſcumque fuerit Achaſiæ venit „ Hyeu regnaturus. Talis autem aſſociatio „ finalis conregnationis habetur in fine capitis præcedentis . In fine enim regnorum iſtorum duorum Regum hic regnare „ incepit . Sed ſciendum quod Mem , & Lamed, & Caph, ſi bis tria puncta ſubſternantur , ſonat *melech* , & ſignificat *Rex* „ vel *Regis* ; ſi duo longa puncta vel parvæ „ lineæ ſupponantur ſonat *malach*, & interpretatur *regnavit* : quod quidam tam Latini, „ quam Græci habent ſic: *Anno undecimo loram „ filii Achab regnavit Achaſias ſuper Iudam* . „ Quid autem neceſſe erat de inchoatione „ regni iſtius hic repetere , quod iam finiti„ tum erat , cum utrumque ſufficienter ſu„ pra 8. verſ. diciſſet ? quia tamen ibi dicitur „ *duodecimo* , hic oportet gloſſari *undecimo* , „ ideſt poſt undecimum . Sunt autem & „ alii , qui venam iſtarum litterarum neſcien„ tes , utramque ſimul litteram complican„ tes , & nomen *Iſrael* addiderunt , totum „ interponentes ſic : *Regis Iſrael regnavit &c.* “ hæc Epanorthotes .

(*a*) Lob. *Achab*. nam quod habet *Regis* alia litera, ſupra ſcriptum eſt .

(*b*) Lob. *Achaſia* .

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. FILIIS . Vide ſup. cap. 11. ACCINGE LUMBOS; id eſt, para te ad iter. OLEI, ſcilicet balſami.

V. 2. SUSCITABIS , id eſt ſurgere facies. FRATRUM, id eſt ſociorum .

V. 4. PUER PROPHETAE. LXX. *Puer Propheta* . Chald. *Diſcipulus Prophetarum* .

V. 8. CLAUSUM ET NOVISSIMUM; quaſi dicat : Et qui tuto ſunt loco , & qui extra . Chald. & LXX. *clauſum & derelictum* . Vide Lib. III. cap. XIV. & inf. cap. XIV.

V. 11. QUID LOCUTUS SIT, Hebr. *ſermonem eius* ; id eſt , quid loqui ſoleat. LXX. *loquacitatem eius* .

V. 13. IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS . Hebr. Chald. & LXX. *ſuper gradus* .

V. 14. OBSEDERAT . Hebr. Chald. & LXX. *cuſtodiebat*, ſcilicet ne caperetur ab Azael ; vel captam iam obſervabat, ſi poſſet recuperare : quem ſenſum ſecutus eſt noſter Interpres .

V. 17. CURRUM . Sic etiam Chald. at Hebr. & LXX. *equitem* . RECTENE SUNT OMNIA ? Hebr. Chald. & LXX. *Num pax*? ſic & inf. proxime .

V. 18. CURRUM . Hebr. & LXX. *equitem* .

equum. QUID TIBI ET PACI; id eſt, quid tibi cum pace?

V. 19. CURRUM EQUORUM. Hebr. Chald. & LXX. *equitem*.

V. 20. PRAECEPS. Hebr. *furioſe*.

V. 23. MANUM; quaſi dicat, habenas.

V. 25. ONUS, id eſt prophetiam de punitione.

V. 26. FILIORUM. Apparet etiam filios occiſos, ne ſuccederent patri.

V. 27. VIAM, ſcilicet ſecretiorem.

V. 30. STIBIO. Hebr. *fuco*.

V. 31. ZAMBRI; pro, Iehu ſimili Zambri.

V. 32. QUAE EST ISTA? Hebr. *Quis mecum, quis*? quaſi dicat: Eſtne quiſquam iſtic, qui faciat quod volo? Chald. *Quis eſt hic, quis*? LXX. *Quis es tu, deſcende ad me*; quaſi dicat: Heus tu, quicumque es, adeſto: ſcilicet quærebat qui illam e feneſtra præcipitaret.

V. 35. SUMMAS MANUS, id eſt *manuum extremitates*, ut vertit Chald. at Hebr. *palmas manuum*.

V. 37. ITA UT, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Ita ut non dicant* (ſcilicet qui viderint) *Hæc eſt Iezabel*.

ESTII.

Verſ. 26. SI NON PRO SANGUINE NABOTH, ET PRO SANGUINE FILIORUM EIUS, QUEM VIDI HERI.... REDDAM TIBI IN AGRO ISTO. Lib. III. Reg. cap. XXI. ubi narratur iniuſta cædes Naboth facta procurante Iezabel, nulla ſit mentio cædis filiorum Naboth. Sed tamen ex hoc loco liquet, Naboth habiſſe filios, qui una cum ipſo fuerint interfecti. Idque propterea putant procuratum fuiſſe ab impiiſſima Iezabel; quia alioqui patri mortuo filii iure hereditario ſucceſſiſſent in poſſeſſionem vineæ; neque Iezabel optatam vineam fuiſſet conſecuta. Locutio autem iſta, *Si non pro ſanguine .... reddam tibi*, imperfecta eſt, & hoc vel ſimili modo ſupplenda: Non ſim Deus, ſi non reddam: aut non ſim verax, ſi non reddam & puniam. Minus probabiliter ſentiunt qui dicunt in huiuſmodi phraſibus *ſi* idem eſſe quod *non*: nam ſic hoc loco concurrerent duæ negationes.

V. 30. PORRO IEZABEL INTROITU EIUS AUDITO, DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO. Senſus eſt: Fucavit faciem more meretricio. Putant quidam hoc eam feciſſe, ut gratioſior appareret in oculis Iehu; & ſic a Iehu parceretur. Sed obſtat quod ſequitur, eam dixiſſe cum exprobratione:

V. 31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI, QUI INTERFECIT DOMINUM SUUM? quaſi dicat: Iuſta vindicta, o Iehu, te adhuc conſequetur, qui occideris Ioram Regem, ac dominum tuum, ſicut confecuta eſt Zambri. Itaque potius dicendum, quod faciem ſuam depinxerit ex ſuperbia, & proca.i quadam animoſitate, ut quia videbat ſe mortem evadere non poſſe, dignitatem regiam, uſque ad mortem cultu & ornatu tueretur. Quod autem apud nos legitur, *Zambri*, quaſi dativi caſus, apud Hebræos hoc modo habetur: *Numquid pax Zambri interfector domini ſui*? & tam apud Hebræos quam Septuaginta *Zambri* eſt nominativi vel vocativi caſus. Et eſt hic ſenſus: Numquid pax eſt, o Zambri; id eſt, tu qui es alter Zambri, qui interfecit dominum ſuum, quem tu nunc imitaris? Senſus autem in idem recidit. Et Pagninus vertit per dativum, *Ipſi Zambri occiſori Domini ſui*.

MARIANAE.

UNgitur Iehu, occidit Ioram Regem Iſrael, & Iezabel eius matrem. Eliſeus ad diſcipulum:

V. 2. SUSCITABIS; id eſt, ſurgere facies Iehu. DE MEDIO FRATRUM, id eſt ſociorum duces. IN INTERIUS CUBICULUM. Hebr. *cubiculum in cubiculo*: ſed ſententiam Hieronymus expreſſit.

V. 3. ET NON IBI SUBSISTES. Sic Sept. Hebr. *Non expectabit, non morabitur*. Chald. & Hebr. *Non reſpicies*, ſcilicet retro, præ feſtinatione.

V. 4. ADOLESCENS PUER PROPHETAE. Hebr. *Puer puer Prophetæ*: poſterius *puer* ponitur expoſitive; quaſi dicat, Puer inquam Prophetæ. Aut *puer* priori loco referatur ad ætatem, poſteriori loco miniſtrum aut diſcipulum ſignificet. Hoc ſecutus Chald. dixit, *Adoleſcens diſcipulus Prophetarum*. Hunc Ionam Prophetam fuiſſe ait Seder Holam. Eumdem filium Sa-

Sarephtanæ ait Hieronymus initio Comment. in Ionam. Repugnat Abulensis IV. Reg. XVI. 31.

V. 5. AD QUEM EX OMNIBUS NOBIS? scilicet loqui vis, ait Iehu ad puerum.

V. 6. INGRESSUS EST CUBICULUM. Hebr. Chald. & Græc. *domum*; sed vox Hebr. *habaithah*, non *domum* tantum, sed *intimam domum* significat, Ezech. XLIV. 17. Ergo ingressus est domum intimam, in conclave. Puer ad eum: UNXI TE REGEM SUPER POPULUM DOMINI ISRAEL. Hebr. *Domini ad Israel*, posuper Israel. Ego constitui te *super populum Domini*: expositive, *super Israel*.

V. 8. INTERFICIAM DE ACHAB, succidam, percutiam ego Deus. MINGENTEM AD PARIETEM: scilicet ne canis quidem superstet. ET CLAUSUM ET NOVISSIMUM. Hebr. *& clausum & derelictum*, id est pretiosum, & vile. Claudimus pretiosa, alia incustodita relinquimus. Quod & ad homines referri potest, & ad res ipsas. Iezabel comedent canes

V. 10. IN AGRO IEZRAHEL. Hebr. *in parte*; sed prædium vocatur *pars*, quod agro diviso in partes constituantur prædia. Porro in Iezrahel erat vinea Naboth. Socii ad Iehu:

V. 11. QUID VENIT INSANUS ISTE AD TE? Sic per contemptum Prophetam vocant. Sic mali de bonis loquuntur. Iehu: *Nostis hominem*? Illi:

V. 12. FALSUM EST. Hebr. *mendacium*; quasi dicant: Neque hominem novimus, neque quid dixerit. Iehu ait se in Regem unctum. Socii pallia componunt

V. 13. IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS. Hebr. *in fastigio graduum*. Chald. *in gradu horum*. Itaque vult ibi fuisse horologium solare, quod per gradus ostenderet horas, eique machinæ impositas vestes, novumque Regem.

V. 14. IORAM OBSEDERAT RAMOTH. Hebr. *custodiens Ramoth*, id est *custodierat*: sic Chald. & Sept. Itaque Ramoth erat in ditione Ioram Regis Israel, eamque contra Syros tuendam susceperat. Sed fine superioris cap. non videtur eam Syris abstulisse. *Custodierat* ergo; id est, observarat tempus ut eam caperet.

V. 15. REVERSUS FUERAT UT CURARETUR IN IEZRAHEL. De pugna, & vulneribus cap. VIII. 29. Iehu ad socios: SI PLACET VOBIS. Hebr. *Si est anima vestra*; id est, si me Regem ex animo facere vultis, neque simulatio est; providete ne quis, quod factum est, renuntiare possit. Volebat hostes inopinantes opprimere.

V. 16. ET ASCENDIT. Sic Sept. Chald. *Et equitavit*, id significat vox רכב *ircab*.

V. 17. TOLLE CURRUM. Sic Chald. at Sept. *Accipite ascensorem equi*, id est equitem. Vox Hebr. sublatis punctis utrumque potest significare; ut nunc est, *Rocheb*, *equitem* significat. Et sane ad explorandum quis currus usus?

V. 18. ABIIT ERGO, QUI ASCENDERAT CURRUM. *Equitem* alii, uti superiori versu. Chald. *Ivit eques*. Sic etiam mox.

V. 19. MISIT ETIAM CURRUM EQUORUM SECUNDUM. Tu dic *ascensorem equi secundum*, ut habent Sept. sic etiam Chald. *Misit equitem secundum*. Speculator ait: Iehu videtur:

V. 20. PRAECEPS ENIM GRADITUR. Chald. *lente*. Sed *figebon*, *temeritatem furoremque* significat. Furibundus venit.

V. 21. INVENERUNT EUM: scilicet duo Reges invenerunt Iehu. IN AGRO NABOTH. Hebr. *in parte Nabath*; sed *pars* pro prædio, pro vinea.

V. 22. PAX EST? dicit Ioram. Respondet Iehu: QUAE PAX? ADHUC FORNICATIONES. Hebr. *Quæ pax usque ad fornicationes matris tuæ?* quasi dicat: Quæ pax sufficiat, ut tolerentur fornicationes matris tuæ! Per *fornicationes* impium cultum intelligit.

V. 23. CONVERTIT AUTEM IORAM MANUM. Hebr. *manus suas*, scilicet quibus habenas equorum regebat ipse, auriga.

V. 24. IEHU TETENDIT ARCUM MANU. Hebr. *Implevit manum suam in arcu*; id est, quanta vi potuit arcum tetendit. Occidit Ioram.

V. 25. DIXITQUE IEHU AD BADACER DUCEM. Hebr. *ad Badacer tertium*: sed duces sic vocantur, fortassis quod tertium honoris gradum obtinerent, proximum post saderdotes. Proiice eum in

agro

agro Naboth. Quando eramus SEDENTES IN CURRU. Hebr. *equitantes bini*: seu *simul*. QUOD DOMINUS ONUS HOC, id est vaticinium. Sæpe *prophetia*, *onus* in Sacris vocatur. Chald. *onus Prophetiæ*. Sept. *assumptionem hanc*. Porro *onus* prophetia fere vocatur, cum adversa nuntiantur. Ergo tunc audivimus ego & tu fore, cum sequeremur Achab. Reddam tibi

V. 26. PRO SANGUINE NABOTH, ET ... FILIORUM EIUS. Vides filios Naboth esse a Iezabel occisos, ne scilicet esset qui hereditatem paternam peteret. Aut filios occisos ait, quia morte Naboth est prohibitus eos gignere. IN AGRO ISTO. Iustus est iudex; ubi peccatum, ibi punitio, quo divina vindicta agnoscatur.

V. 27. PER VIAM DOMUS HORTI: scilicet inter macerias, per secretiorem viam fugit Ochozias Rex Iuda.

V. 28. ET IMPOSUERUNT EUM SERVI EIUS SUPER CURRUM SUUM. Pagnin. *Equitare fecerunt eum*. Vox Hebr. & *curru* & *equo vectum* potest significare; ideo Sept. & Chald. *detulerant eum* dixere, vocem ambiguam vitantes. Iezabel

V. 30. DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO. Hebr. פוך *puch*, non *fucum*, sed *stibium* significat, quod Rabbini כחל *chahol* vocant, unde *alcohol*. Ait Iezabel:

V. 31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI? Sic vocatur Iehu, quod illi similis, & parricida domini. Ille:

V. 32. QUAE EST ISTA? Chald. *Quis est hic?* Sept. *Quis es tu?* Hebr. *Quis mecum?* id est, ubi mei ministri qui faciant quod volo? DUO VEL TRES EUNUCHI, nimirum dixerunt: En nos præsto sumus: scilicet ex iis qui erant in fenestra cum Iezabel, aut ex iis qui sequebantur Iehu. Ille: Præcipitate eam:

V. 33. ASPERSUSQUE EST SANGUINE PARIES. Hebr. *Et asperſus est de sanguine eius ad parietem*. ET EQUORUM UNGULAE CONCULCAVERUNT EAM. Hebr. *Et ad equos* (scilicet sparsum est) *& conculcarunt eam*. Elias prædixit:

V. 37. ET ERUNT CARNES IEZABEL. Hebr. *cadaver sicut ſtercus*. UT PRAETEREUNTES DICANT: HAECCINE EST ILLA IEZABEL? Hebr. *Quod*, vel *ut non dicant*: *Ecce Iezabel?* sic Sept. & Chald. quasi dicat: Ita erit deformis, ut nemo eam agnoscat.

MALVENDAE.

Vers. 1. DE FILIIS PROPHETARUM. Vide sup. cap. 11. vers. 3. & I. Samuel. x. vers. 5. ACCINGE LUMBOS TUOS: expedi te iter facturus: accinge te itineri. Celeritatem & festinationem commendat. Sic supra cap. IV. vers. 29. ET TOLLE LENTICULAM OLEI. Vide I. Samuel. x. vers. 1. Sic vers. 3. *Olei*. Hebr. *olei istius*, vel *unguenti*, seu *opobalsami huius*, quod ego tibi trado: non enim erat unguentum illud ordinarium, quod adhibebatur ad ungendos Reges Israelis; sed aliud singulare a Propheta confectum & paratum.

V. 2. DE MEDIO FRATRUM SUORUM, id est amicorum, & collegarum, præfectorum exercitus, inf. vers. 5. IN INTERIUS CUBICULUM. Hebr. *Conclave in conclavi*, id est in intimum & penitissimum conclave. Quidam, *In cubiculum*, *quod est in alio cubiculo*. Vide I. Reg. xx. 30. & xxii. 25. quasi dicat, In abstrusissimum & secretissimum aliquem locum.

V. 5. ECCE AUTEM PRINCIPES EXERCITUS SEDEBANT. Ramoth Ghilhad erat urbs limitanea, quam Syri Reges antea occupaverant: quare validis copiis & præsidiis a Regibus Israelis firmabatur, metu Syrorum. Hinc exercitus in ea, & præfecti. Vide inf. vers. 14.

V. 8. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide de hac locutione I. Samuel. xxv. 22. ET CLAUSUM, ET NOVISSIMUM. Vide de hac phrasi Deuteron. xxxii. 36.

V. 9. SICUT DOMUM IEROBOAM, &c. Vide I. Reg. xiv. 10. & 11. & xv. 29. & xxi. 22. ET SICUT DOMUM BAASA, &c. Vide I. Reg. xvi. 4. 11. 12. & xxi. 22.

V. 10. IN AGRO IEZRAEL. Heb. *in portione Iizrehelis*, id est in possessione, vel agello Regis, quem inique Naboth ademerat. Vide I. Reg. xxi.

V. 11. QUI DIXERUNT EI. Hebr. *Et dixit ei*; subaudi, aliquis ex eis, vel quisque eorum. RECTENE SUNT OMNIA? Hebr. *An pax?* vel *an incolumitas?* sal-

ſalvane ſint omnia? Aliqui, *Proſperene?* venitne nuntiatum aliquid proſperi? Sic infra verſ. 17. 18. 22. & 32. INSANUS ISTE. Sic exiſtimabant, cum viderent hominem fuga ſe propripuiſſe: & alioqui Prophetæ, dum agebantur ſpiritu divino, rapti extra naturales ſenſuum vires, quaſi furere videbantur. NOSTIS HOMINEM, ET QUID LOCUTUS SIT? Explicant: Vos recte noviſtis hominem, unum eſſe de filiis Prophetarum, adminiſtrum ſcu diſcipulum Eliſei, probe notum: & conſequenter noſtis quid locutus fuerit, nempe congruentia ſuæ propheticæ profeſſioni. Alii quaſi dicat: Scitis quid Prophetæ loqui ſoleant: ex eius perſona & profeſſione conijcite quæ ſint ipſius verba. Nonnulli: Vos noviſtis hominem eſſe inſanum & amentem, & ſermonem eius; id eſt, quid eiuſmodi homines loqui ſoleant, nempe futilia & inſana; quaſi dicat: Quod mihi dixit, parum eſt firmum, & ſtabile: nullius momenti rem dixit. ET QUID LOCUTUS SIT. Hebr. *Et meditationem eius.* De voce שיח *ſiach* diximus I. Samuel. I. 16. Quidam varie hic reddunt: 1. *& ſermonem, colloquium, eius*; 2. *& occupationem, exercitationem eius*, id eſt profeſſionem; 3. *& negotium eius.*

V. 12. ET DIXERUNT: FALSUM EST. Exponunt: Falſum eſt quod dicis, nec nos hominem novimus, neque quid locutus ſit, ſcimus: vel falſum eſt quod ais, hominem iſtum amentem nullius momenti rem tecum locutum, ſed vana tantum ac futilia.

V. 13. ET UNUSQUISQUE TOLLENS PALLIUM SUUM POSUERUNT SUB PEDIBUS EIUS, IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS. Hebr. ex verbo: *Et acceperunt vir*, id eſt quiſque, ſinguli, *veſtimentum ſuum, & poſuerunt ſubtus eum, ad os*, ſive *oſſum, aſcenſionum*, vel *ſuper os*, aut *in oſſe, graduum*. Locus utcumque difficilis, adhibitis variis aliorum explanationibus, illuſtrabitur. I. Kimchius: *Super os graduum*, id eſt ſuper ſubſtantiam graduum; ac ſi dicat, Super ipſoſmet gradus: nam nomine עצם *ghetzem* ſinonymo cum גרם *gherem*, quod hic ponitur, utuntur Hebræi pro ſubſtantia rei, & ipſamet re, ab oſſis ſoliditate. Vide Geneſ. VII. 13. II. Reuchlinus: *Ad gradum aſcenſionum. Significat enim gradum ſolis in horologio, quod Latine ſolarium dicimus. Eſt autem lapis in foro publico ſublimatus, ſignis horarum inſculptus, de quo protenditur haſta, quam gnomonem Græce, ſtylum Latine vocamus. Uſque ad eam ſublimitatem promoverunt Galaaditæ Regem ſuum Iehu, ſuppoſitis veſtibus ſuis, quibus aſcenderat uſque ad lapidem ſolarii. Jonatas Chaldæus tranſtulit, Super gradum horologii*, ſeu *clavum in pariete umbram lineærem demonſtrantem.* Hæc Reuchlinus. Quam etiam interpretationem ſecutus eſt Schindlerus. מעלות *maghaloth, aſcenſiones*, ſeu *gradus*, pro horologio ponitur infra cap. XX. verſ. 11. III. Caietanus: *In oſſe graduum. Per oſſa graduum, ſuſtentantia gradus ſignificantur tecta veſtibus ad ornatum in honorem novi Regis ſedentis in ſummitate illorum graduum: ut per hoc intelligamus, univerſos gradus opertos veſtibus.* IV. Sanctes ſecutus commentarium Kimchii in hunc locum: *Super faſtigium graduum, id eſt ſuper ſupremum e gradibus, more regio vice throni veſtibus ſuppoſitis, vel in ſupremo gradu, id eſt in loco eminentiſſimo & præſtantiſſimo.* Hanc explanationem ampleſtuntur, Vatablus, Pomarius, Buxtorfius. V. Forſterus: *Et celeriter tulerunt quiſque veſtimentum ſuum, & poſuerunt illud ſubter ſe, apud os graduum. Vocat autem ſellam iudicis, ſcu tribunal hoc nomine, vel quia ex aliquo oſſe, vel ebore, vel quia candida erat velut os. Et quia pompa regia tam cito non poterat tapetiis ornari, veſtes ſuas ſubſternebant. Et ſi aliqui ſunt, qui cenſent* גרם *gherem poſitum pro* דרך *daragh, id eſt gradu, ſeu faſtigio, ſic exponentes, Super faſtigium graduum*; & *Chaldæus Paraphraſtes verterit, Super gradum horarum*: & *per illum, horologium ſolare intellexerit: atque alii etiam aliter expoſuerint: tamen prior expoſitio ſimplicior eſt, & magis genuina: nam huiuſmodi ſellæ erant plerumque ex ebore. Et Hieronymus idem quoque videtur ſignificare, eo quod tranſtulit, In ſimilitudinem tribunalis, quod videlicet illud os, ſeu ſella oſſea ſimilitudinem habuerit tribunalis.* Hæc Forſterus: nec ab eius expoſitione abluit Mercerus. VI. Leo Iudas: *Mox acceperunt quiſque veſtem ſuam, & poſuerunt ſubter eum, ad tumulum, quo aſcenderet.* VII. Avenarius, *ad grumum graduum.* VIII. Marinus: *Et celeriter acceperunt unuſquiſque veſtimentum ſuum,*

ſuum, & poſuerunt ſubter eum ad os elevationum. Hoc eſt, ex veſtimentis confecerunt quaſi ſolium duriſſimum, & elevatum. IX. Tremellius, & Iunius: *Tunc feſtinanter accipientes quiſque veſtem ſuam, ſuppoſuerunt ei, in faſtigio gradium, id eſt in ſuggeſto regio.* X. Hiſpanicus Interpres: *Y tomaron de preſto cada uno ſu ropa, y puſola de baxo de el en altura de gradas, id eſt en un throno alto.*

Ego exiſtimo id factum more militari, quo in ſubitaria novi principis electione, vel ducis ad milites allocutione, tumultuarium ſuggeſtum in modum tribunalis erigebant ex obvia plerumque materia: unde princeps omnibus conſpicuus acclamaretur a militibus, vel eos alloqueretur. Romani illud ex cæſpite ſeu gleba extruere ſolebant. Tacitus Annali I. *Simul congerunt cæſpites, extruunt tribunal, quo magis conſpicua ſedes foret.* Plinius in Panegyrico Traiani: *Decora facies conſulis: multa poſt ſæcula tribunal viridi cæſpite extructum, nec ſaſcum tantum, ſed pilorum, ſignorumque horrore circumdatum.* De quo more plura annotarunt Lipſius, & Dorleanſius ad eum Taciti locum. Atqui hic militares viri ipſi Iehu ex veſtibus quiſque ſeu aggeratis in modum oſſis, ſeu grumi, aut tumuli, ſuggeſtum, ſive tribunal comporunt, unde ipſe ab omnibus Rex acclamari poſſit, & populum alloqui.

V. 14. PORRO IORAM OBSEDERAT RAMOTH GALAAD. Hebr. *Et Ioram fuit obſervans in Ramoth Ghilbad.* Noſter obſervandi verbum, pro obſidendi accepit, ut II. Samuel. XI. 16. unde intelligunt nonnulli, Ramoth nondum tunc captam ab Iſraelitis, ſed tantum obſeſſam. Plerique alii reddunt: *Et Ioram cuſtos, obſervator, fuerat, cuſtodierat, cuſtodiam poſuerat, in Ramoth Ghilhadis*, &c. Caietanus prudens hoc Scholion adiicit: *Iunge, prudens lector, iſti litteræ cum ſupra ſcripta de adventu pueri in Ramoth, & ingreſſu in internum cubiculum, & de gradibus; tum ſubiunctæ paulo inferius verba Iehu, videlicet quod non egrediatur aliquis ex civitate: & perpendes præſupponi in hac hiſtoria, civitatem Ramoth fuiſſe tunc ipſius Regis Iſraelis: & propterea ſcribi, quod Ioram Rex Iſraelis fuit cuſtos in Ramoth Ghalahad, a facie Hazaelis attentantis capere civitatem ipſam. Bellum enim defenſivum ipſius civitatis ſignificatur, dicendo, Et fuit cuſtos in Ramoth a facie Regis Syriæ: niſi enim civitas fuiſſet tunc Regis Iſraelis, nequaquam caviſſet Iehu, ne aliquis egrederetur e civitate ad annuntiandum Ioramo Regi Iſraelis. Quando autem Ioram recuperaverit civitatem Ramoth, non eſt ſcriptum: rationi tamen conſentaneum eſt, ut occiſo Ben.Hadad, vacante Hazaele ad occupandum Regnum, Ioram recuperaverit civitatem Ramoth.* Hactenus ille. Quare illud Noſtri *obſederat*, catachriſtice capiendum, pro *infederat*, defenſionis, non oppugnationis cauſa.

V. 15. ET REVERSUS FUERAT, &c. Vide ſupra cap. VIII. verſ. 29 SI PLACET VOBIS. Hebr. *Si eſt anima veſtra.* Quidam: *Si eſt voluntas veſtra.* Alii: *Si eſt cum animo veſtro*, vel *ſi vobis in animo eſt.* Aut: *Si vobis cordi eſt*, ut ego regnem. Ex verbo: *Si exiſtentia animæ veſtræ*; id eſt, ſi ſubſiſtitis in propoſito, quo me Regem conſtituiſtis; ſi firmum, ratum, ſtabile eſt, quod decreviſtis, me Regem facere. Si fiat animo ſententia.

V. 18 QUID TIBI, ET PACI? Quidam: *Quid tua pax?* id eſt, quid tua intereſt pax? Alii: *Quid tua ad pace*, vel *de proſperitate?* Nonnulli: *Quid tibi cum pace? TRANSI, ET SEQUERE ME.* Hebr. *gyra ad poſt me.* Exponunt: Id eſt, verte te ad tergum meum. Quidam: *Diverte ad aſſeclas meos.* Sic infra verſ. 19. Nec deſunt qui: *Deſiſte poſt me.*

V. 20. PRÆCEPS ENIM GRADITUR. Hebr. *Quia in inſania ducet.* Quidam: *Quia furioſe ducet*; id eſt, quia perſeverat furioſe ducere. Aliqui: *Quia in inſania ducit, agit*, currum ſcilicet. Alii: *Nam præcipitanter ducere ſolebat.* Nonnulli: *Nam inſane incedit.* Hiſpanicus Interpres: *Porque viene con furia.*

V. 22. QUÆ PAX? ADHUC FORNICATIONES IEZABEL MATRIS TUÆ, ET VENEFICIA EIUS MULTA VIGENT. Nos Hebræa verbo tenus expreſſimus (*Quid an pax? uſque ad meretrices Iezbel matris tuæ, præſtigias eius multas.*) Alii diverſimode. I. *Quæ pax donec*, vel *dum, fornicationes Izebel matris tuæ, & præſtigiæ*, ſeu *veneficia*, aut *maleficia eius quamplurima durant?* II. *Quæ pax eſt, quæ pervenire poſſit uſque ad fornica-*

nicationes Izebe Imatris tuæ, & veneficia eius quamplurima? id eſt, quæ pax, aut ratio pacis convenire poſſit tecum, & cum matre tua fornicaria & venefica? quaſi dicat: Neque tu dignus es pace, neque mater tua. III. *Quæ pax, cum adhuc ſuperſint Izebelis matris tuæ artes meretriciæ, & veneficia eius tam multa?* Hiſpanicus: *Que paz con las fornicationes de Izebel tu madre, y ſus muchas hechizerias?* Scortationes more Scripturæ vocat idololatriam, quod ſit adulterium divini cultus; veneficia vero, quod falſi cultus pleni ſint præſtigiis, veneficiis, ac maleficiis.

V. 23. CONVERTIT AUTEM IORAM MANUM SUAM. Hiſpanice, *Bolvio la vienda*. Hebr. *Et vertit Ieboram manus ſuas*; id eſt, deflexit habenas equorum. Quidam: *Itaque avertit Ieboram manus illius*, videlicet aurigæ, iubens ut deflecteret.

V. 24. TETENDIT ARCUM MANU. Hebr. *Implevit manum ſuam in arcu*. Quidam: *Implevit manum ſuam arcu*; id eſt, abduxit manibus ſuis nervum quantum potuit. Alii: *Trehenſo arcu manu ſua*. Nonnulli: *Implevit manum ſuam arcu*. Hypallage, pro implevit; id eſt, plene tetendit manu ſua arcum, vel *vehementiſſime adduxit manu ſua arcum*. INTER SCAPULAS. Hebr. *Inter brachia eius*. Sed recte Noſter, nam cum flexiſſet currum, averſum, non adverſum percuſſit. Quidam, *Interſcapilio eius*.

V. 25. (QUANDO EGO ET TU SEDENTES IN CURRU SEQUEBAMUR ACHAB PATREM HUIUS.) Nos Hebræa verba ordine reddidimus (*Ego & tu advebentes conigationes poſt Achabum patrem eius*.) Alii varie. I. *Ego & tu equitantes pares poſt Achab patrem eius*. II. *Ego & tu eramus aliquando cum quibuſdam, qui equitabant bini poſt Achab patrem eius*. III. *Cum ego & tu ſimul curru vecti ſequeremur Achab patrem eius*. IV. *Me & te pariter equitantibus binis, poſt Achabum patrem iſtius*. Videntur ii fuiſſe ex comitibus, ſive ex corporis cuſtodibus Achabi. V. *Ambo nos pariter equitantes*, &c. id eſt, *ambo nos pari ordine, & quaſi ſub eodem iugo vincti equitabamus*; hoc eſt, *coequitabamus*. VI. *Ego & tu cum equitantibus pari ordine, & quaſi ſub eodem iugo vinctis*, &c. QUOD DOMINUS ONUS HOC LEVAVERIT SUPER EUM. Plu-

riſariam ex Hebræo vertunt. I. *Et Iehovah elevavit ſuper eum elevationem iſtam*, id eſt punitionem, quæ eſt elevatio ſeu exaltatio divinæ iuſtitiæ: plurimum divina iuſtitia extollitur ex iudiciis & vindictis improborum. II. *Et Iehova levavit adverſus eum prophetiam hanc*; id eſt, prædixit iſtud de eo. III. *Et Iehova protulit adverſus eum onus hoc*, id eſt comminationem hanc prophetica: ut fere in Prophetis accipitur. IV. Hiſpanicus Interpres: *Y Iehova pronuncio eſta ſententia ſobre el*. Ex verbo: *Cargo ſobre el eſta carga*. Notant משא *maſia* proprie eſſe *elevationem*, ſeu *levandam, onus, pondus*, atque ſic dici *onus*, quod ſit quaſi *levamen*, quod levetur, & alicui imponatur: ſumi & metaphorice pro officio ſeu munere, aut miniſterio, quod alicui tamquam onus imponitur, & committitur: unde Hiſpanice dicimus *carga, y cargo*, ab onere, ut Numeror. IV. verſ. 15. & I. Paralip. XV. verſ. 22. item pro onere & miniſterio docendi alios: & ſynecdochice pro ipſa doctrina & prophetia, ut Proverb. XXX. verſ. 1. Notanter, in Prophetis ſæpius accipi pro gravi & oneroſa prophetia, qua alicui malum aliquod grave prædicitur, & quaſi imponitur, quod tamquam onus ferre debeat. Hebræorum nonnulli reddunt *aſſumptionem*, quod ore hominis Prophetæ aſſumatur.

V. 26. SI NON PRO SANGUINE, &c. Prius hoc verſus huius hemiſtichium ad ſenſum optime Noſter convertit. Heb. ad verbum habetur: *Si non, niſi, ſanguines Naboth, & ſanguines filiorum eius vidi heſterna veſpera, dictum certum & indubitatum Ieboveh: & rependam tibi in portione iſta, dictum certum, & indubitatum Iehoveh*. Exponunt, *Niſi*, ſubaudiendum aliquid, cuiuſmodi: Non habear poſt hac verax, aut iuſtus, &c. niſi, &c. Quidam: *Nempe, ne vivam, niſi cædem Nabothi*, &c. ET PRO SANGUINE FILIORUM EIUS. Hinc apparet, filios, & heredes Nabothi omnes cum ipſo interfectos, tyrannidi obtenta ſpecie religionis, ut poſſeſſionem heredibus vacantem, fiſco adiudicatam invaderet Achab. Vide ſupra I. Reg. XXI. 15. QUEM VIDI HERI. Proprie: *Vidi heſterna nocte*, id eſt memini nuper. Loquitur Deus more principis alicuius, cui ſpecies ingentis alicuius

negotii nocte insomni obversatur. Alii volunt esse verba Eliæ, quæ hic recitat Iehu. Vide I. Reg. XXI. vers. 17. & seqq. AIT DOMINUS. Hebr. *Fidelis sermo Iehovæ*. Vide de hac locutione Gen. XXII. 16. Secundo hic repetitur, ad æternam certitudinem & firmitatem verbi Dei.

V. 27. FUGIT PER VIAM DOMUS HORTI, vel *domus hortensis*. Explicant: Id est, fugit in Samariam per hortos, sive per viam latentem & occultam, quæ erat consita arboribus, & ideo secretior. Fugisse in Samariam, & ibi se abscondisse, dicitur II. Paralipom. XXII. 9. Fortasse domus horti fuit insignis aliqua domus cum horto Regum Israelitarum, quo ætatis, aut veris tempore, recreandi animi gratia divertebant. ETIAM HUNC PERCUTITE IN CURRU SUO. Quia eum strenue fugientem comprehendere non poterant, iubet ut sagittis eum eminus in curru volitantem impetant. Erat Achaziah ex familia Achabi, nepos ex filia Hathaliah, ac proinde iussus interfici. ET PERCUSSERUNT EUM IN ASCENSU GAVER. Hebr. non est *& percusserunt eum*; sed tantum: *Et persecutus est eum Iehu: & dixit: Etiam eum percutite in curru, in ascensu Ghur*. Quidam istud, *in ascensu Ghur*, iungunt cum *& persecutus est eum Iehu usque ad ascensum Ghur*; ut cetera sint adiecta per parenthesim: nec enim percussum volunt in ascensu, seu clivo Ghur; sed in Samaria, vel Mageddo, ut statim dicemus. Alii cum Nostro putant esse eclipsim, & subaudiunt, *Et percusserunt eum*: de quo genere eclipseos, vide in I. Reg. XX. 34. *In ascensu Gaver*. Hebr. *in ascensu*, seu *clivo Ghur*. IUXTA IEBLAAM. Hebr. *ad Ibleam*. De hac urbe vide Iosue XVII. vers. 11. erat sortis Manaseh. QUI FUGIT IN MAGEDDO, ET MORTUUS EST IBI. *Meghiddo* urbs fuit tribus Manaseh, Iosue XVII. 11. de qua vide Iosue XII. 21. Quidam ut hunc locum cum altero II. Paralip. XXII. 9. concilient, notant, Achaziam primum fuga elapsum sine vulnere, aut saltem lethali, devenisse Meghiddo, deinde in Samaria latitasse, ubi deprehensum Iehu traxit secundo in Meghiddo, & ibi eum interfecit, ut hic dicitur. Alii aliter componunt, ut ad eum locum Paralipom. annotabimus.

V. 29. ANNO UNDECIMO IORAM. Intelligunt, completo: nam ineunte duodecimo regnasse scribitur, supra cap. VIII. vers. 25.

V. 30. DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO. Hebr. *Et posuit in fuco oculos suos*. Hypallage; pro, & appositi fucum in oculis suis. Similis Hypallage supra vers. 24. ET ORNAVIT CAPUT SUUM. Quidam suspicantur, curioso isto oculorum & capitis ornatu voluisse Izebelam allicere, seu capere ipsum Iehu, & quasi lenocinio formæ hominem inescare: sed erat iam mulier grandi natu. Alii, voluisse eam in suprema fortuna dignitatem & maiestatem regiam tueri: nam erat superba & arrogantissima. ET RESPEXIT PER FENESTRAM. Observant verbum שקף *schakaph*, quando ponitur in coniugatione Niphal, nempe in voce passiva, ita significare ex alto prospicere, ut is qui est in loco edito respiciens, prospiciatur etiam ipse ab illis qui in eum intuentur, ut cum Rex e fenestra, aut suggestu, soliove prospicit, &c. In Hiphil vero, ut hic habetur, denotare sic ex loco alto prospicere, ut is qui prospicit, non prospiciatur ab aliis. Sic dicitur de Deo Deut. XXVI. 15. *Prospice de cælo*, quod Deus prospiciat, & non prospiciatur: sic de Abimelech Genes. XXVI. 8. cum esset in loco unde eos videbat, at ipsi non eum videbant. Sic de Izebel, quæ per fenestram videbat eos ingredientes urbem: at non item ipsi illam, donec Iehu propius ad portam accessit. Sed nescio an hæc observatio sit perpetua: nam ægre Genes. XVIII. 16. congruere videtur, ut neque hic infra vers. 32.

V. 31. PER PORTAM; vel urbis, iuxta quam erat palatium regium; vel per portam palatii, in quo erat Izebel. NUMQUID PAX POSTET ESSE ZAMRI, QUI INTERFECIT DOMINUM SUUM? Hebr. *Num pax Zimri interfector heri sui?* Quidam: *Venisne pacis ergo, o tu, qui es alter Zamri interfector domini sui?* Aliqui: *Prosperene, o Zimri, occisor domini sui*; id est, o alter Zimri, I. Reg. XVI. 15. cuius conspirationis ultio fuit per Amri socerum Izebelæ: ibidem vers. 16. 17. 18. Nonnulli: *Num prospere cessit hoc Zimri, quod trucidavit herum suum?* cuius factum tu nunc imitatus es.

V. 23.

V. 32. QUAE EST ISTA? Hebr. *Quis ad me, quis?* Quidam: *Quis eſt mecum, quis?* vel *quis pro me, quis?* quaſi dicat: Quis illic cum illa, qui a parte mea ſtet? Alii: *Quis facit mecum, quis?* quaſi dicat: An nemo iſtic a meis partibus futurus eſt? vel an nemo iſtinc eſt, qui faciat quod volo? Nonnulli: *Quis eſt apud me, quis?* Hiſpanicus Interpres, *Quien conmigo? Quien?* Fortaſſis ſit mos ille loquendi Hiſpanis principibus familiaris, cum aliquem ex famulis vocant, *Ola, oyes*. ET INCLINAVERUNT SE AD EUM DUO VEL TRES EUNUCHI. Hebr. *Et proſpexerunt ad eum.* Quidam: *Et attenderunt ad eum.* Alii: *Et reſpexerunt ad eum, duo, tres eunuchi*, vel *aulici*, aut *cubicularii*, ſive *principes*. Hi poſſunt intelligi vel ex comitatu Iehu, qui ei prope aſtabant; vel ex comitibus & aulicis Izebelæ, qui in palatio ſuperne e feneſtris proſpectabant: & hoc eſt rectius ex nativa ſignificatione verbi Hebraici, quod eſt *ex alto deſpicere*, ſeu *ex edito loco proſpicere*.

V. 33. PRAECIPITATE EAM DEORSUM. Notionem verbi שמט *ſchamat* expendimus in II. Samuel. VI. 6. Hic omnia iſta poſſit complecti: *Demittite, deturbate, impellite, dejicite, dimembrate, dearticulate, membratim diſcerpite, relaxate, eam*. Forſterus exponit: *Dimittite libere eam*; id eſt, præcipitate libere eam in aere, ne aliquid dependeat, aut intercipiatur, ſeu retineatur, ſed pleno & libero lapſu deorſum dejiciatur. ET EQUORUM UNGULAE CONCULCAVERUNT EAM. Heb. *Et aſperſum fuit de ſanguine eius ad murum, & ad equos, & conculcavit eam*, videlicet Iehu equo ſuo; vel ſinguli, aut quiſque equorum prætereuntium.

V. 36. SERMO DOMINI EST: ſupra I. Reg. XXI. 23.

V. 37. ET ERUNT CARNES IEZABEL SICUT STERCUS, &c. Quidam Hebr. imperative reddunt: *Et ſit*, vel *itaque ſit cadaver Izebelæ tamquam ſtercus in ſuperficie agri*, &c. ut ſint verba Iehu; quaſi dicat: Reſcindo priorem ſententiam meam de ea ſepelienda. Alii volunt eſſe verba prophetiæ Eliæ, relata a Iehu, & in futuro legunt: *Eritque cadaver Izebelæ tamquam ſtercus*, &c.

MENOCHII.

Verſ. 1. VOCAVIT UNUM DE FILIIS PROPHETARUM. Ipſe Eliſeus non ivit, ut putant Theodoretus, & Abulenſis, quod ſe crederet non ſatis tuto, neque latenter eo munere fungi poſſe, cum Propheta eſſet celeberrimus, & eius omnia facta notarentur. Contra tamen eſt quod ivit in Damaſcum ut Azael inungeret, & facile facto ſuo aliam cauſam potuit prætendere, & Ramoth plurimum diſtabat a Iezrahel, ubi ægrotabat Ioram. Miſit ergo diſcipulum, quia ita illi a Domino fuit imperatum. ACCINGE LUMBOS TUOS. Vide dicta ſupra cap. IV. num. 29.

V. 2. SUSCITABIS EUM, &c. id eſt, ſevocabis eum de medio reliquorum principum exercitus Iſraelitici, quaſi ſecreti aliquid meo nomine cum eo communicaturus.

V. 3. FUGIES, ET NON IBI SUBSISTES. Vide infra num. 10. Feſtinare diſcipulum iubet Eliſeus, voluit enim loci, temporiſque occaſionem occupari, dum collectus erat exercitus, qui pœnas ſumpturus erat de familia Achab, & congregati Reges morti deſtinati. Nam ſi alter Ieroſolymam, alter Samariam rediſſet, difficillimum fuiſſet ſive diuturna obſidione, & multa populi cæde Reges, & eorum familias, & optimates in poteſtate habere.

V. 4. ABIIT EX Samaria, ut videtur, ubi erat domus Eliſei, unde uſque in Ramoth Galaad duorum triumve dierum iter interiectum erat. INGRESSUS EST ILLUC, ſcilicet in Ramoth: nam Ioram oppugnaverat Ramoth per ſeipſum, & ſuos, poſtea vulneratus & abſens, per ſuos captam cuſtodiebat ſibi. DE MANU IEZABEL, vindictam de illius crudelitate, & impietate ſumendo.

V. 8. MINGENTEM AD PARIETEM. Vide dicta I. Reg. XXV. 22. CLAUSUM ET NOVISSIMUM. Vide ſupra III. Reg. XIV. 10. & XXI. 21.

V. 10. APERUIT OSTIUM, ET FUGIT: ne forte evulgata re, aliquis eorum qui ad domum Achabi ſanguine, affinitate, vel familiaritate pertinebant, eum tamquam deſectionis auctorem comprehenderent, & occiderent. RECTENE SUNT

OMNIA? quasi dicerent: An aliquid boni aut infausti nuntii habes a Propheta? INSANUS ISTE. Insanum vocant, quia Prophetæ pro furiosis sæpe habiti sunt, eo quod inibiente in eos spiritu Domini, sæpe sui compotes non viderentur. NOSTIS HOMINEM, ET QUID LOCUTUS SIT; quasi dicerent: Recte conjecturam facitis, nam insani verba locutus est.

V. 12. FALSUM EST; id est, nescimus, nec divinare possumus.

V. 13. FESTINAVERUNT ITAQUE, &c. divinitus ut hoc facerent excitati. IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS. Congestis palliis quoddam solium, aut tribunal confirmarunt, in quo Iehu sedens Rex salutaretur.

V. 14. CONIURAVIT ERGO IEHU, simul cum principibus, qui illum Regem creaverant, pactum iniit. OBSEDERAT RAMOTH, &c. Hæc repetuntur ex cap. VIII. num. 28. & 29.

V. 15. NEMO EGREDIATUR PROFUGUS DE CIVITATE: provideamus ne quis e civitate egressus nuntiet in Iezrahel quod factum est, ut facilius nihil tale timentem Ioram opprimamus.

V. 17. VIDIT GLORUM. Septuaginta habent, *Pulverem globi*. TOLLE CURRUM, id est *equitem cursorem*, ut est in Hebræo, & Græco.

V. 18. QUID TIBI ET PACI? &c. quasi dicat: Quid tua interest pax ne sit an bellum? Ne tamen ille regrediens Regem populi admoneret, non est permissus reverti.

V. 20. PRÆCEPS ENIM GRADITUR: in Hebræo, *Furiose*: significat Iehu, solitum valde incitate, & properanter solitum agitare currum. Montanus habet, *In temeritatem ducit*. Septuaginta, ἐν παραλλαγῇ; quasi dicat, *In aberratione mentis*.

V. 21. EGRESSI SUNT IN OCCURSUM IEHU. Voluit Ioram honorare Iehu principem exercitus sui, quem equites retinuisse putavit, quod ipsemet fausta Regi suo nuntiare vellet.

V. 22. ADHUC FORNICATIONES IEZABEL, &c. id est, nondum expiata sunt, suppliciis vindicata scelera, & idolomania impiæ, & veneficæ matris tuæ. Fornicatio enim hoc loco, ut alibi sæpe in Scriptura, pro idololatria accipitur, quamvis Iosephus de corporea fornicatione intellexerit.

V. 23. CONVERTIT IORAM MANUM SUAM: iussit scilicet aurigam habenas equorum inflectere ad fugam.

V. 25. ONUS HOC LEVAVERIT SUPER EUM: prædixerit hoc grave malum quod ei impendebat.

V. 26. SI NON PRO SANGUINE. Id est ac si diceretur, *Pro sanguine*, &c. illudque *si non*, est modus & forma quædam iuramenti: sic Psal. LXXXVIII. 36. dicitur: *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar*. PRO SANGUINE FILIORUM EIUS. Supra Lib. III. Reg. cap. XXI. ubi Nabothi narratur historia, nulla facta est mentio filiorum Naboth, ex hoc autem loco apparet fuisse occisos ne succederent patri, nec ullus superesset qui ablatam vineam repeteret, aut iniuriam patri irrogatam ulciscetur. PROJICE EUM IN AGRUM. Nullus sermo de sepultura, cum tamen de Ochozia num. 28. sequenti dicatur sepultum fuisse. Adde quod tam Elias, quam Propheta qui inunxit in Regem Iehu, prædixerunt domum Achab futuram sicut domum Ieroboam, & domum Baasa: contra utramque autem denuntiatum est ab Ahia Silonite, & Iehu filio Anoni, fore ut abiicerentur insepulti, in prædam volucribus cæli, & bestiis terræ. Exiitimant tamen Abulens. & Salianus Ioramum ignobili, & obscuræ traditum sepulturæ.

V. 27. PER VIAM DOMUS HORTI. Septuaginta retinuerunt Hebræam vocem *Bethagan*, significantes id esse nomen proprium illius viæ, quæ nomen acceperit, quod ad egregium quemdam hortum, & domum eius duceret. IN ASCENSU GAVER, &c. Hæc omnia loca vicina sunt urbi Iezrahel, omnia in tribu Manasse cis Iordanem. Porro quæ hic narrantur de cæde Ochoziæ videntur repugnare iis quæ de eadem habentur II. Paralipom. XXII. 9. ubi legimus: *Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad se occidit, & sepelierunt eum*, &c. sed dicendum, *rò latitantem in Samaria*, non de civitate Samariæ, sed regno Israelis accipi debere. In regno autem Samariæ latuit, nimirum in Mageddo, ubi deprehensus a militibus Iehu, ad ipsum adductus, & occisus est.

V. 30.

V. 30. DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO, &c. Se ornat Iezabel, non ut placeret Iehu, quem convitio laceſſivit, ſed ut dignitatem regiam uſque ad mortem retineret. Reddebat etiam illam audacem, quod ſe, ut mulierem, conſideret a viro militari non interficiendam. *Stibium* illud eſt quod vulgo Antimonium appellamus, & a mulieribus expetitur ut ſupercilia nigrore tingant. A nonnullis, ut tradit Dioſcorides Lib. V. cap. XCIX. dicitur πλατυόφθαλμον, cuius nominis cauſam Plin. exponit Lib. XXXIII. cap. VI. Itidem de ſtimoni, ſive ſtibio, vis eius adſtringere, & refrigerare, principalis autem circa oculos: namque ideo etiam plerique πλατυόφθαλμον id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierem dilatet oculos.

V. 31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI? Per convitium vocat Iehu Zambri, proditorem ſcilicet, & occiſorem domini ſui: occiderat enim Zambri Eliam filium Baaſa III. Regum XVI. verſu 10.

V. 32. QUAE EST ISTA? Hebr. *Quis mecum, quis?* quaſi dicat: Eſt ne quiſquam iſthic, qui faciat quod volo? Chald. *Quis eſt hic, quis?* Videtur vocandi modus illi ſimilis, quo paſſim viri nobiles famulos ſuos vocare ſolent, ut cum herus dicit Italice, *Ola, chi è la?* Septuaginta habent, *Qui es tu?* *Deſcende ad me*; quaſi dicat: Heus tu quicumque es, adeſto: ſcilicet quærebat qui illam e feneſtra præcipitarent. INCLINAVERUNT SE, &c. Eunuchi regii, qui poſt Iezabelem ad feneſtram ſtabant inclinaverunt ſe ad vocantem Iehu. Septuaginta habent, *Reſpexerunt*, quod idem eſt.

V. 33. CONCULCAVERUNT EAM. In Hebræo eſt, *Conculcavit eam*: quod indicare videtur Iehu primum, & deinceps alios eam conculcaſſe, & equorum ungulis protriviſſe.

V. 34. QUIA FILIA REGIS EST, nempe Ethbaalis Regis Sidoniorum III. Reg. XVI. 31. quaſi diceret: Detur hic honor regiæ familiæ, ex qua orta eſt. Nec filia tantum Regis fuit, ſed uxor, & nurus, & mater, & ſocrus, & avia.

V. 35. NON INVENERUNT NISI CALVARIAM, &c. Poſtquam equitatus pertranſiit, credibile eſt illam famulos pedites ornamentis ſpoliaſſe: deinde nudam & cruentatam proprio ſanguine canes lacerarunt.

V. 36. SERMO DOMINI EST. Vide III. Reg. XXI. 23.

V. 38. HAECCINE EST ILLA IEZABEL? quaſi diceret: Quomodo tanta gloria in tantam calamitatem converſa eſt?

TIRINI.

Verſ. 5. OPRINCEPS. Abſente Rege Ioram, cura belli & expugnandæ arcis Ramoth Galaad penes principes erat, inter quos præcellebat Iehu; qui hic in Regem inungitur, iubeturque exſcindere ſtirpitus familiam Achab, etiam *clauſum & noviſſimum*. De qua phraſi vide III. Reg. XIV. verſ. 10. De *lenticula* dixi I. Reg. X. verſ. 1.

V. 11. QUID VENIT INSANUS ISTE AD TE? Sic Prophetæ non ioco tantum aut convitio, ſed & ſerio ſubinde vocabantur: quia quibuſdam quaſi pythonico & fanatico ſpiritu putabantur inſtincti, & velut arreptitii, atque humano ſenſu deſtituti. Patet exemplo Ieremiæ cap. XXIX. 26. ubi *arreptitius* vocabatur a Semeia. Et Cicero *a*, *Vaticinari idem eſſe* dicit *quod inſanire*; ſed *inſanire divino beneficio*, ut ait Plato *b*.

V. 15. NEMO EGREDIETUR PROFUGUS DE CIVITATE RAMOTH, NE ... NUNTIET IN IEZRAHEL Ioramo inaugurationem meam. Ex his colligo, urbem Ramoth iam tum ab Hebræis occupatam, & caſtra in ea locata fuiſſe, neque niſi arcem interiorem expugnandam ſuperfuiſſe.

V. 22. FORNICATIONES.... ET VENEFICIA IEZABEL. His figurate ſignificatur idololatria, quæ eſt inſtar adulterii: & provocatio aliorum ad idem ſcelus: quæ dolis malis, & furtivis irritamentis, quaſi philtris quibuſdam, aut veneris poculis, aut aliis ſagarum lenociniis procurari ſolet. Porro quæ Iehu hic exprobrat Iezabeli, eadem Nahum Propheta cap. III. verſ. 4. de Ninive affirmat.

V. 25. DOMINUS ONUS HOC LEVAVERIT SUPER Achab; id eſt, prophetiam hanc triſtem pronuntiarit adverſus eum.

V. 27. OCHOZIAS AUTEM REX Iu-

IUDA .... FUGIT PER VIAM DOMUS HORTI, ubi ante fuerat vinea Naboth: fugit, inquam, in, ſeu verſus Mageddo, indeque Samariam: ubi *latitans comprehenſus* eſt II. Paralip. XXII. verſ. 9. *adductuſque* ad Iehu *occiſus* eſt *in aſcenſu Gaver, & ibi mortuus eſt*. Binomius hic fuit, nam qui hic, & Lib. II. Paralip. XXII. 1. vocatur *Ochozias*, idem eodem Lib. Paralip. XXI. 17. *Iochaz* appellatur. Et utroque loco dicitur fuiſſe *minimus natu filiorum* Ioram, & ſolus ſubtractus furori & cædi latronum Arabum. Unde & ſtirps Ioſaphati defeciſſet in hoc Ochozia, ni foror eius Ioſabeth proſpexiſſet, ut ibidem additur cap. XII. verſ. 9. & ſequentibus. Quod vero miſer in has calamitates inciderit, uni debet matri ſuæ Athaliæ, *quæ impulit eum ut eum ageret*, ibid. verſ. 3. & malis conſiliariis, de domo Achab, qui idem ei ſuaſerunt in interitum & exitium ipſius, verſ. 14.

V. 30. IEZABEL, INTROITU Iehu novi Regis AUDITO, DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO, quo & dilatantur, & recreantur, atque a ſuffuſione humorum purgantur oculi, teſte Plinio; & communiter ab aliis *antimonium* vocatur. Eratque meretricium hoc blandimentum perfamiliare non modo Hebræis, ſed & aliis nationibus, ut ex Ieremia, & Ezechiele *c* colligitur. Et acriter id reprehendunt ſanctus Cyprianus, & Hieronymus, & etiam Ethnicus Iuvenalis *d*. Sed mirum merito videatur, Iezabelem tunc lætum & elegantem cultum aſſumpſiſſe, cum ob cæſum filium, & regnum amiſſum, ſordes & lacrymæ potius decerent. Reſpondet Abulenſis, voluiſſe hoc lenocinio perſtringere oculos novi Regis, animumque ira inflammatum temperare, atque ita a iugulo ſuo ferrum illius avertere. Nam oſtentatione pulchritudinis ſuæ feminas omnia poſſe, plurimis exemplis docent Pauſanias, Plutarchus, & alii *e*. Sed malim cum Sanctio dicere, ambitioſam & ſuperbiſſimam feminam præ ſe ferre voluiſſe priſtinos, conſtantes & regios animos, & licet confoſſum iam ſciret filium, & regnum perditum, licet hoſtem videret intra mœnia ob oculos ſuos exultantem; numquam tamen induci ſe paſſam, ut vel minimam ederet mœrentis animi ſignificationem, vel tantillum de ſolito faſtu remitteret. Quod magnis heroibus ſolemne eſſe docet Valerius Maximus *f*.

Nota, ſub hoc ipſum tempus Iezabelis (quam Hiſpani Ieſabellam vocant) vixiſſe, & Carthaginem ſuam condidiſſe Didonem Virgilii: quæ cum & ipſa Sidonia fuerit, & e regio genere, videtur huius Iezabelis ſi non ſoror, certe cognata fuiſſe.

V. 31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI? Id eſt, an ergo tam proſpere cedent omnia tyranno Iehu, qui ut alter Zambri, Regem ſuum, & dominum ſuum proditorie iugulavit, & vi regnum illius invaſit? III. Reg. XVI. 10. Nomen enim Zambri iam apud Hebræos in proverbium abierat pro omni eo qui infidus evadit in illum quem modis omnibus obſervare ac tueri debuiſſet: ſicut nomen Iudæ apud nos proditorem deſignat.

(*a*) Cic. Lib. II. de Divinat.
(*b*) Plato in Phædro.
(*c*) Ierem. IV. verſ. 30. Ezech. XXIII. verſ. 10.
(*d*) Cyprian. de Opere & eleemoſynis, ſub medium. Hieron. Tom. I. epiſtol. ad Furiam. Iuven. Satyr. II.
(*e*) Pauſan. Lib. I. in Atticis. Plutarch. in vita Hyperidis.
(*f*) Valerius Max. Lib. V. cap. X.

GORDONI.

Verſ. 1. FUit adoleſcens iſte Prophetarum diſcipulus: & aliqui putant fuiſſe Ionam Prophetam: Hieronymus putat fuiſſe Sarephtanæ viduæ filium: quæ an vera ſint, colligi poteſt utcumque ex his quæ dixi in Præloquio ad Ionam. Vide Abulenſem IV. Reg. XVI. quæſt. XXXI.

V. 8. Vide imperatam cædem Lib. III. XIV. 10.

V. 14. De hoc actum hic cap. VIII. verſ. 18.

V. 15. Ioram vulneratus obſidendo Ramoth Galaad, redierat in Iezrahel, ubi erat vinea Naboth, & ibidem occiſus obiicitur volucribus in agro. Sic ſane Achab in ſanguine filii ſui Iorami pœnam luit prædictam a Propheta; & quam Achabi pœnitentia (Deo temperante decretum, & ſententiam Propheræ) potuit avertiſſe ab eius perſona, ut ſupra dixi, & ut non obſcure colligi poteſt hic ex verſu 26.

V. 21. Impeditus reditus nuntiorum, ſu-

ſuſpicionem excitat. Ergo Rex licet ſauciatus, occurrit venienti.

V. 26. SI NON PRO SANGUINE. Hæc verba refert ſe audiviſſe, & vult ita fieri. De hoc vide Lib. III. cap. XXI. Sed ibi de filiis Naboth occiſis nihil extat: quod tamen hic ait Iehu. At quo loco occiſus ſit Ochoſias, vide Par. II. XXII. 9. Habet hic verſ. 27. difficultatem, de quo mox cap. X. verſ. 1.

V. 29. ANNO UNDECIMO IORAM FILII ACHAB. Hoc ſatis explicat diagramma Regum.

V. 31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI? Loquitur Iezabel: ſic illa vocat Iehu, quod ſit ſimilis Zambri, & domini ſui parricida.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. SUSCITABIS, ſeparabis de medio aliorum.

V. 4. ABIIT, ex Samaria.

V. 14. OBSEDERAT. Repetit quod dictum eſt cap. VIII. 28.

V. 25. ONUS HOC LEVAVERIT, prænuntiaverit, hoc illi impendens malum.

V. 27. FUGIT PER VIAM HORTI .... ET PERCUSSERUNT EUM IN ASCENSU GAVER. *Horti, & aſcenſus Gaver* ſunt loca vicina urbi Ieſrahel. De morte Ochoſiæ dicam cap. X. initio. Ad hunc verſum 27. facilius explicandum, aliqui per Samariam intelligunt regnum Samariæ, ſeu provinciam, nempe in Mageddo, ubi latens fuit deprehenſus.

V. 30. Ornat ſe, forte ut regia maieſtas & ſexus impedirent mortem. DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO. *Stibium* eſt antimonium quo illinunt cilia mulieres.

V. 34. FILIA REGIS, ſcilicet Sidoniorum: immo Regis uxor, mater, ſocrus, nurus, & ava.

V. 36. SERMO DOMINI EST, QUEM LOCUTUS EST PER SERVUM SUUM ELIAM, III. Reg. XXI. verſ. 23.

CAPUT X.

Iehu septuaginta filios Achab, & quadragintaduos fratres Ochoziæ necari iubet, totamque Achab progeniem delet, & omnes sacerdotes Baal callide convocatos occidit, exusta illius statua, & templo in cloacam verso; attamen propter peccata Iehu vehementer cæsus est Israel ab Hazael: mortuo autem Iehu, succedit filius eius Ioachaz.

1. ERant autem Achab septuaginta filii in Samaria; scripsit ergo Iehu litteras, & misit in Samariam, ad optimates civitatis, & ad maiores natu, & ad nutritios Achab, dicens: 2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & civitates firmas, & arma, 3. eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri. 4. Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo Reges non potuerunt stare coram eo, & quo modo nos valebimus resistere? 5. Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti civitatis, & maiores natu, & nutritii, ad Iehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque iusseris faciemus, nec constituemus nobis Regem: quæcumque tibi placent, fac. 6. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras in Iezrahel. Porro filii Regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur. 7. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios Regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezrahel. 8. Venit autem nuntius, & indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum Regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos acervos iuxta introitum portæ usque mane. 9. Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum: Iusti estis: ego coniuravi contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos? 10. (*a*) Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ. 11. Percussit igitur Iehu omnes qui reliqui erant de domo Achab in Iezrahel, & universos optimates eius, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. 12. Et surrexit, & venit in Samariam: cumque venisset ad cameram pastorum in via, 13. invenit fratres Ochoziæ Regis Iuda, dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, & descendimus ad salutandos filios Regis, & filios Reginæ. 14. Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, iugulaverunt eos in cisternam iuxta Cameram, quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam. 15. Cumque abiisset inde, invenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: * Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum: 16. dixitque ad eum: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.

Et

Et impositum in curru suo, 17. duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, iuxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam. 18. Congregavit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: (*b*) Achab colui Baal parum, ego autem colam eum amplius. 19: Nunc igitur omnes prophetas Baal, & universos servos eius, & cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Iehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal. 20. Et dixit: Sanctificate diem solemnem Baal. Vocavitque, 21. & misit in universos terminos Israel, & venerunt cuncti servi Baal: non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: & repleta est domus Baal, a summo usque ad summum. 22. Dixitque his qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt ei vestes. 23. Ingressusque Iehu, & Ionadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli. 24. Ingressi sunt igitur ut facerent victimas & holocausta: Iehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima eius erit pro anima illius. 25. Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Iehu militibus & ducibus suis: Ingredimini, & percutite eos, nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, & proiecerunt milites & duces: & ierunt in civitatem templi Baal, 26. & protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt, 27. & comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc. 28. Delevit itaque Iehu Baal de Israel: 29. verumtamen a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. 30. Dixit autem Dominus ad Iehu: Quia studiose egisti quod rectum erat, & placebat oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: (*c*) filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. 31. Porro Iehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Ieroboam, qui peccare fecerat Israel. 32. In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel: percussitque eos Hazael in universis finibus Israel, 33. a Iordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab Aroer, quæ est super torrentem Arnon, & Galaad, & Basan. 34. Reliqua autem verborum Iehu, & universa quæ fecit, & fortitudo eius, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Israel? 35. Et dormivit Iehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria: & regnavit Ioachaz filius eius pro eo. 36. Dies autem, quos regnavit Iehu super Israel, viginti & octo anni sunt, in Samaria.

(*a*) I. Reg. xxi. 29. (*b*) III. Reg. xvi. 31. (*c*) Infra xv. 12.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 15. *Numquid est cor tuum rectum*. Non addas *cum corde meo*, quod quidam: superfluit enim.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. SCRIPSIT, ſcilicet tentans illorum animos. CIVITATIS, Hebr. & Chald. *Iezrahel*. NUTRITIOS ACHAB, pro nutritiis filiorum Achab.

V. 9. IUSTI, id eſt extra culpam. Chald. *innoxii*. QUIS PERCUSSIT? quaſi dicat, Numquid ego? Indicare vult rem factam Domini voluntate, adeoque iuſte.

V. 11. NOTOS, id eſt familiares. Chald. *propinquos*. SACERDOTES. Chald. *ſocios*.

V. 12. CAMERAM. Hebr. Chald. & LXX. *domum*: ſic & infra.

V. 13. FRATRES, id eſt nepotes ex fratribus.

V. 14. IN CISTERNA, id eſt iuxta ciſternam.

V. 15. BENEDIXIT, id eſt ſalutavit. Chald. *Optavit ei pacem*. RECTUM, ſcilicet erga me; quaſi dicat: Amaſne me?

V. 17. USQUE AD UNUM. Hebr. *Donec diſperdidit eum*. Chald. *Donec exterminavit eum*.

V. 19. INSIDIOSE. Chald. *callide*.

V. 20. SANCTIFICATE, id eſt indicite. VOCAVITQUE. Hebr. & Chald. *Et vocaverunt*.

V. 21. A SUMMO USQUE AD SUMMUM, id eſt ab extremo ad extremum. Hebr. *ab ore ad os*. Chald. *ab angulo ad angulum*.

V. 24. EIUS, ſcilicet qui fugere permiſerit. PRO ANIMA; quaſi dicat: Pro eo occidetur.

V. 25. PROIECERUNT, ſcilicet illorum cadavera. TEMPLI, id eſt ubi templum.

V. 27. LATRINAS, ſcilicet publicas.

V. 32. TAEDERE. Chald. *indignari*. LXX. *ferire*, ſeu *excidere*.

V. 33. SUPER, id eſt iuxta.

ESTII.

Verſ. 12. 13. 18. IN VIA INVENIT FRATRES OCHOZIAE REGIS IUDA. *Fratres* vocantur, quia propinqui erant ipſius Ochoziæ. Nam II. Par. XXII. dicitur: *Invenit Iehu principes Iuda, & filios fratrum Ochoziæ, qui miniſtrabant ei, & interfecit illos*. Fratres ergo dicit filios fratrum Ochoziæ. Veriſimile quoque eſt ſeptuaginta filios Achab, qui omnes hic iuſſu Iehu interfecti leguntur, non fuiſſe omnes proxime ex Achab genitos, ſed partim fuiſſe filios, partim nepotes fratres Ioram Regis, qui omnes phraſi Scripturæ ſolent filii appellari. Hic quæritur, quare Iehu occiderit Ochoziam Regem Iuda, & quadraginta duos eius fratres ſeu propinquos: cum de interficiendo Rege Iuda, & eius cognatione delenda, nullum videatur ab Eliæo accepiſſe mandatum, nihilque de eo videatur quoque Elias prophetaſſe? Ad hoc reſpondendum, immo prophetatum fuiſſe ab Elia, & mandatum ab Eliæo, videlicet ut deleretur univerſa domus, id eſt tota cognatio Achab. Iam autem ioram pater Ochoziæ miſcuerat ſe ſanguini Achab, & impiiſſimæ Iezabelis, duxerat enim in uxorem Athaliam filiam Achab, ex qua natus eſt Ochozias, qui & ambulavit in viis domus Achab, teſtante Scriptura. Dicitur quidem hæc Athalia mater Ochoziæ, II. Paral. XXII. filia fuiſſe Amri, quaſi ſic ſoror fuiſſet Achab, & non filia. Sed quomodo illud intelligendum ſit, vide explicatum II. Paralip. XXI.

V. 15. INVENIT IONADAB FILIUM RECHAB. Hic eſt ille Ionadab qui præcepit filiis ſuis, ne biberent vinum ipſi & filii eorum uſque in ſempiternum, & ne domos ædificarent, nec ſementem facerent, nec vineas plantarent, aut haberent, ſed in tabernaculis habitarent cunctis diebus ſuis, ſicut refertur Ieremiæ XXXV. Sane ex hoc quoque loco ſatis apparet virum fuiſſe bonum, & ſpiritualem, & zelatorem honoris divini. Fit etiam mentio Rechab I. Par. II. ubi genus eius exponitur in fine capitis.

V. 18. ACHAB COLUIT BAAL PARUM, EGO AUTEM COLAM EUM AMPLIUS. In Hebræo de ſe loquitur in tertia perſona: *Iehu autem multum eum colet*. In hoc facto Iehu duo ſunt conſideranda.

Al-

Alterum eſt mendacium, quo ſefellit ſacerdotes Baal, ut eos convocaret in unum, & ſic facilius deleret. Alterum eſt zelus eius pro cultu unius Dei, & vindicta iuſtiſſima contra impios ſacerdotes idolorum. In primo, Iehu non eſt laudandus, neque factum eius ad imitationem trahendum eſt. De poſteriori ipſe dicit ad Ionadab: *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino*. Et ex hac parte factum eius commendationem meretur. Unde & Dominus ei remunerationem repromiſit, quod uſque in quartam generationem filii eius ſederent ſuper thronum regni Iſrael. Non tamen quod ipſe Iehu gratus fuerit Domino: videlicet quia hæc opera recta (nam ſic vocantur verſ. 30.) faciebat prava intentione, ſcilicet cupiditate tantum regnandi, & relinquebat adhuc vitulos aureos.

MARIANAE.

Verſ. 1. AD NUTRITIOS ACHAB, pro filiorum Achab. Ii autem e Proceribus erant, ad eos ſcripſit Iehu.

V. 3. ELIGITE MELIOREM, ET EUM QUI VOBIS PLACUERIT. Hebr. *bonum & rectum*: ſic Sept. Chald. & alii, *qui placuerit*, nempe quem eligi rectum vobis videatur. Hoc autem non ſerio dixit, ſed ad tentandum eos, ironice. Quid illi?

V. 7. IN COPHINIS poſuerunt capita filiorum Achab. Alii *in ciſtis*, *in cartallis*, *in caniſtris*, *in abenis*. Vox *dudim* Hebr. non eſt ſatis nota quid proprie ſignificet.

V. 9. IUSTI ESTIS: nimirum Dei voluntatis adminiſtri extitiſtis.

V. 11. ET NOTOS eius, id eſt *propinquos*, Chald. Achabi percuſſit Iehu. ET SACERDOTES, ſcilicet exceliſorum.

V. 12. CAMERAM PASTORUM. Hebr. *domus colligationis paſtorum*, ſcilicet ubi oves tondebant ligatis prius pedibus. Chald. *domus congregationis paſtorum*, nimirum quod ad tondendum ibi congregarentur. Iehu eo venit.

V. 13. FRATRES OCHOZIAE REGIS IUDA invenit Iehu ibi. Filii fratrum Ochoziæ ii erant, II. Paralip. XXII. S. ſed filii fratrum vocantur *fratres*. DESCENDIMUS AD SALUTANDOS. Heb. *ad pacem*: ſic illi dicunt. FILIOS REGIS, ET FILIOS REGINAE, ſcilicet filios Achab, & Iezabel. Hebr. pro *Regina* eſt *Ghebirah*, id eſt *heræ*, *uxoris*. Eos venimus ſalutatum.

V. 14. IN CISTERNA; pro, iuxta ciſternam iugulaverunt eos. Ionadab occurrit Iehu:

V. 15. ET BENEDIXIT EI; id eſt, ſalutavit Ionadabus Iehu. EST. SI EST, INQUIT. Vox *inquit* ab Interprete additur. Hebr. *Eſt & eſt*, & volunt utrumque dictum a Ionadab, & geminari ad maiorem aſſeverationem. Noſter, & Sept. coniunctionem & ſumunt pro *ſi*, & poſterius *eſt* referunt ad Iehu: Si verum eſt quod dicis, porrige manum. Dein percuſſit Iehu Achabi familiam

V. 17. IN SAMARIA USQUE AD UNUM. Hebr. *Donec diſperderet eum*, ſcilicet Achab, id eſt deleret eius familiam & nomen.

V. 20. SANCTIFICATE. Chald. *Vocate*, id eſt indicite. DIEM SOLEMNEM. Chald. *cœtum*, id eſt conventum non profanum, ſed ſacrum. Id ſignificat vox Heb. עצרה *bazarah*: ſicque vertit Hieronymus Ioel. I. 14. *Vocate cœtum*: ubi Hebr. eadem vox eſt. Ergo facite ut populus frequens conveniat. Porro Hiſpanis *Algazara* inde deducta videtur. VOCAVITQUE. Hebr. & Chald. *Et vocaverunt*, ſcilicet populus ſervos Baal, quos Iehu volebat occidere.

V. 21. REPLETA EST DOMUS BAAL, A SUMMO USQUE AD SUMMUM. Hebr. *ab ore ad os*. Metaphora a lagenis humore aut vino repletis.

V. 22. PROFERTE VESTIMENTA. Volebat cultores Baal a reliquo populo diſcerni ea nota.

V. 24. QUOS EGO ADDUXERO IN MANUS VESTRAS. Singulos ſacerdotes uni, aut paucis e militibus tradebat.

V. 25. ET PROIECERUNT MILITES ET DUCES. Quid proiecerunt? *cadavera*, *occiſos*: ſic Chald. Truncata oratio, & feſtinata, cædis promiſcuæ feſtinationem indicat. Hebræus, מרוב חפזם ומהי רוחם; id eſt, *præ multa voluntate & feſtinatione eorum*: eſt oratio truncata.

V. 26. STATUAM PROTULERUNT Baal ſcilicet: ſic Sept. & Chald. At Hebr. *ſtatuas*: plurale certe pro ſingulari, quando mox ſequitur, *Et combuſſerunt eam*, etiam Hebr.

V. 29. VITULOS AUREOS non reliquit, removit, ſed illos coluit. Quam eſt difficile aſſueta relinquere! Deus tamen alia bona opera munerat, & ait:

V. 30. QUIA STUDIOSE EGISTI, bene feciſti. Bonus Dominus opera bona, quamvis imperfecta, & aliis maculis fœda, præmiat tamen. FILII TUI USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM. Hebr. *filii quarti*: ſic Sept. & Chald. pro *filii quatuor*, id eſt nepotes. Hi fuerunt Ioachaz, Zacharias, Ieroboam, Ioas, qui regnarunt poſt Iehu.

V. 32. COEPIT DOMINUS TAEDERE SUPER ISRAEL. Chald. *indignari*. Hebr. *fuccidere*. Sept. συγκόπτειν, *ferire, cædere*; quaſi dicat: Auctore Deo res Iſraeliticæ acciſæ ſunt, in peius ab eo tempore ruerunt.

V. 33. SUPER TORRENTEM, pro iuxta torrentem: ſcilicet Aroer eſt prope torrentem Arnon, & eum tractum vaſtavit Hazael.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET MISIT IN SAMARIAM AD OPTIMATES CIVITATIS. Heb. *Et miſit Samariam ad principes Iezrebelis*. Sed quid rei principibus Iizrehelis in Samaria? Quidam notant: Quia Samaria erat civitas regia, ideo magnates Iiſrehelis erant in Samaria, tamquam optimates regni. Sed cur potius ad hos ſcribit quam ad primates Samariæ? Aliqui volunt, Ioramum euntem in expeditionem in Ramoth Ghilhadis adverſus Syros, tranſmiſiſſe e Iizrahele in Samariam, ut in locum tutiorem, & remotiorem a bello illo, filios Achabi, vel ſuos illiuſque nepotes cum præcipuis aulicorum ſuorum, cuſtodum illorum, qui antea fuerant in Iizrahele. ET AD MAIORES NATU. Hebr. *ſenes*, vel *ſeniores*; id eſt, qui aulici ſeniores erant, & ideo minus apti ad expeditionem bellicam, aptiſſimi autem ad rempublicam conſilio, & iuventutem illam auctoritate regendam. ET AD NUTRICIOS ACHAB. Hebr. *Et ad fideles, fidos, nutritios, nutritios inquam Achabi*, Quia אמנים *omenim* non eſt in regimine, ſubaudiendum neceſſario regimem, vel *ad nutrientes Achabum*: nam *omenim* proprie eſt participium, id eſt ad eos qui nutrierant & educaverant ab infantia ipſum Achabum, nimirum ad conſiliarios ſuper negotiis Regis. Alii, *Et ad nutritios Achabi*, id eſt quibus filii Achabi commiſſi erant, quique magnates Samariæ erant. Vide infra verſ. 6.

V. 2. STATIM UT ACCEPERITIS LITTERAS HAS. Hebr. *Et tunc ſecundum venire epiſtolam iſtam ad vos*: Quidam: *Nunc ergo, cum pervenerint litteræ iſtæ ad vos*. Notant eſſe paralepſim, qualem ſupra cap. v. verſ. 6. Alii hoc tantum in epiſtola ſcriptum volunt, nimirum ſtricte ac decretorie more militari.

V. 3. ET PUGNATE PRO DOMO DOMINI VESTRI. Exponunt, Cui bellum indixi: conceſſio autem eſt ironica.

V. 8. IUXTA INTROITUM PORTAE, USQUE MANE. Quidam annotant, hæc capita nocte allata fuiſſe: qui autem ea deferebant, portam urbis clauſam inveniſſe, unde illum qui præerat portæ, miſiſſe qui denuntiaret hoc Regi: tempeſtive enim clauduntur portæ, ubi res ſunt novæ. Regem autem iuſſiſſe ut non aperiretur porta, ſed uſque mane ponerentur prope portam duobus acervis hinc & hinc ad portam exterius, & ibi relinquerentur uſque mane. Alii exponunt, *Ad ianuam portæ*, id eſt ad curiam & forum iudiciale.

V. 9. IUSTI ESTIS. &c. Quidam ironice hoc dictum volunt; quaſi dicat: Scilicet vos reputamini iuſti, qui ſeptuaginta filios Regis interfeciſtis, & ego tyrannus audio, qui Regem unum veſtrum interfeci? ut eos peiori in ſpeciem ſceleri ſecum innecteret. Vel quaſi dicat: Putatis vos eſſe iuſtos, & me iniuſtum, qui coniuraverim contra dominum meum. Oratio conciſa, quæ ex ſequentibus verbis ſic abſolvitur: Ut hos non vos interfeciſtis, ſed Deus; ſic dominum meum ego non interfeci, ſed Deus. Alii aſſertive & ſerio ſumunt; ac ſi dicat: Ego vos innocentes pronuntio, non eſt quod putetis me quidquam moliri in ſalutem veſtram, quia omnia divino iudicio evenerunt. QUIS PERCUSSIT OMNES HOS? Aliqui exponunt quaſi dicat: Multo peius vos feciſtis, qui plures quam ego e regio ſanguine interemiſtis. Alii quaſi dicat: Quis tantum facinus auſus fuiſſet committere, niſi me duce, ac potius auctore Deo? Iu-

Iuſtum autem eſt Deo obſequi, & iuſtitiam eius vos exequi, perficiendo iudicia eius, quæ per Eliiam fuerunt pronuntiata, ſequente verſu. Unum ergo id reſtat, ut vos quoque id exequamini; prout factum eſt verſu undecimo.

V. 10. VIDETE ERGO NUNC QUONIAM NON CECIDIT, &c. Explicant quaſi dicat: Non meo inſtinctu, ſed Dei impulſu factum eſt ut exequeretur quod comminatus fuerat per Eliiam, I. Reg. XXI. verſ. 21. & ſeqq. Vos autem videte ut eiuſdem iuſtitiæ Dei ſitis adminiſtri mecum.

V. 12. CUMQUE VENISSET AD CAMERAM PASTORUM IN VIA. Hebr. *Ipſe Bethheked paſtorum in via:* vel nomen proprium loci eſt; vel ſi appellativum, exponunt *domum*, vel *locum ligaminis*, vel *ligationis*, *paſtorum*, quod ibi tondendas oves ligarent: *domum tonſtrinæ paſtorum* interpretantur. Erat locus ubi paſtores oves ad tonſionem vel tonſuram ligabant. Aliqui reddunt *domum colligationis*, ſeu *congregationis paſtorum*, quod ibi paſtores congregarentur. Quidam locum ab eventu nomen nactum volunt, quod hi e regio ſanguine, qui paſtores populorum dicuntur, ibi ligati & iugulati ſunt. Hiſpanicus Interpres reddit: *Yllegando el a una caſa de treſquila*. Alii, *Ad domum officinæ paſtorum*. Nonnulli: *Erat ibi in itinere caſa paſtoritia*. Sic infra verſ. 14.

V. 13. FRATRES OCHOZIAE: cognatos intelligunt, id eſt filios fratrum, ſeu agnatorum Achaziæ, ut ſcribitur II. Paralip. XXII. 8. AD SALUTANDOS FILIOS REGIS, &c. Hebr. *Ad pacem filiorum Regis*. Quidam, *Pro pace filiorum Regis*, &c. id eſt pro ſalute filiorum &c. ſive ut feramus opem filiis Regis, & reginæ Izebelæ.

V. 15. IONADAB FILIUM RECHAB. Notant, fuiſſe hunc virum celebrem Kinæum e genere Iithronis ſoceri, ſeu ſororii Moſis. Vide I. Paralip. II. 55. & Ieremiæ XXXV. 6. De Kinæis vide Geneſ. XV. 19. & in Numer. XXIV. 21. & in Iudic. I. 16. IN OCCURSUM SIBI, ET BENEDIXIT EI: ſcilicet Iehu benedixit, id eſt ſalutavit, beneprecatus eſt ipſi Iehonadabo. Quidam reddunt, *Occurrentem ſibi, & beneprecantem ſibi*, ut Iehonadabus beneprecatus fuerit ipſi Iehu: utrumque verum in mutua ſalutatione. NUMQUID EST CORTUUM RECTUM, SICUT COR MEUM CUM CORDE TUO? Nos Hebraica verba reddidimus (*An exiſtentia ad cor tuum rectum ſecundum quod cor meum cum corde tuo?*) Alii ſic: *An ineſt cordi tuo*, ſeu *animo tuo rectum erga me, quemadmodum animo meo, erga animum tuum?* quaſi dicat: An æque mihi ex animo bene cupis, ut ego tibi bene volo? EST. SI EST, INQUIT, DA MANUM TUAM. Hebr. *Eſt & eſt. Da manus tuas*; ut utrumque, *Eſt & eſt*, ſint verba Iehonadabi; & illa, *Da manus tuas*, per eclipſim verbi, inquit, ſint verba Iehu. Unde exponunt: *Et dixit Iehonadab: Eſt, & eſt*; id eſt, omnino, certiſſime, proculdubio eſt. Geminatio enim verbi vehementiorem continet affirmationem. *Tunc dixit Iehu: Da igitur manus tuas*. Conſimilem eclipſim habes I. Reg. XX. verſ. 34.

V. 17. USQUE AD UNUM. Hebr. *Uſque ad abolere eum*. Quidam: *Donec perderet eum*, ſcilicet univerſum genus & ſtirpem Achabi.

V. 18. ACHAB COLUIT BAAL. Vide I. Reg. XX. 32. & XXII. 54.

V. 19. SACRIFICIUM ENIM GRANDE EST MIHI BAAL. Aliqui reddunt: *Nam ſacrificium magnum mihi ſacrificandum eſt Babali*, vel *peragendum*.

V. 20. SANCTIFICATE DIEM SOLEMNEM. De voce עצרה *ghatzarah*, vel עצרת *ghatzeret*, abunde diximus in Levit. XXIII. 36. Varie hic convertunt: 1. *Parate frequentiam*; 2. *Indicite cœtum*; 3. *Sanctificate collectam*; 4. *Sanctificate ſynagogam*, *ſynodum*; 5. *Sanctificate diem interdicti Bahali*: ſcilicet quo omni ſervili opere interdicatur.

V. 21. A SUMMO USQUE AD SUMMUM. Hebr. *ore ad os*. Varie hunc Hebraiſmum elucidant. I. *Ab ora ad oram*, id eſt ab extremo ad extremum, ab una ora ad aliam. Metaphora ſumpta a vaſis aliquo humore plenis omnino uſque ad ſummum, ut ora undique compleantur. Gallice, *De bord en bord*. Valentine ſcite dicimus, *De gom a gom*. II. *Ore ad os*, id eſt adeo denſi, ut ora hominum fere ſeſe contingerent, hoc eſt conſertim, undique. Sic infra cap. XXI. verſ. 16.

V. 22. QUI ERANT SUPER VESTES. מלתחה *melthachah* alibi non legitur

in

in Scriptura. Exponunt *veſtiarium*, *ſcrinium*, *theſaurum*, aut *thecam veſtium*, ſeu locum ubi reponebantur involucra, id eſt veſtes lineæ quibus involvebantur. Deducunt enim a tranſpoſito חתל *chathal*, *involvere*. Aliqui *arcam*, *armarium*, exponunt. Nonnulli ex conſonantia vocis augurantur eſſe locum, ſeu repoſitorium, ubi reponebantur & aſſervabantur ſacra lintea, vel veſtes ſacræ lineæ, quibus utebantur ſacerdotes Bahalis in ſacrificando, & litando; quaſi dicat, Scrinium in quo reponebantur veſtes litationis. Hic ſingulariter reddunt, *Ei qui præerat veſtiario*: vel *præfecto veſtiarii*. Nos *ſacriſtam*, vel *ſacriſtanum* dicimus.

V. 24. QUICUMQUE FUGERIT, &c. Hanc partem dilucidius alii conantur ex Hebræo reddere: *Eius viri anima*, id eſt *vita*, *a quo proripuerit ſe quis ex hominibus iſtis*, *quos ego committo manibus veſtris*; *pro anima*, ſeu *vita*, *illius futura eſt*; quaſi dicat: Qui ſinet aliquem elabi, luet capite pro illo.

V. 25. FACTUM EST AUTEM CUM COMPLETUM ESSET HOLOCAUSTUM. Hebr. *Et fuit ſecundum conſummare eum*, *holocauſtum*. Quidam: *Deinde fuit*, *cum abſolveret*, ſummus ſacerdos Bahalis, *facere holocauſtum*. Neque enim intelligi debet ipſum Iehu ſacrificaſſe Bahali. ET PROIECERUNT, ſcilicet cadavera eorum inſepulta, feris, & avibus, & canibus. ET IERUNT IN CIVITATEM TEMPLI BAHAL. Hebr. diverſe transfundunt. I. *Poſtea abierunt uſque ad urbem domus Bahalis*, id eſt uſque ad urbem quamdam vicinam Samariæ, in qua erat templum Baghalis. II. *Et iverunt uſque ad civitatis domum Bahalis*; id eſt, ſacellum Bahalis in civitate Samariæ quodcumque luſtraverunt, ut everterent. III. *Et abierunt in civitates alias*, *ubi erant templa Bahalis*. IV. *Deinde perrexerunt in ædem Bahalis per civitatem quamque*. Unde illud, quod Heb. ad verbum eſt, *Et iverunt in civitatem domus Bahalis*, ita exponendum: In unamquamque civitatem, ubi erat fanum aliquod Bahalis. Vel, *Et iverunt in civitatem domum Bahalis*; hoc eſt, poſtquam corpora ſacerdotum interfectorum proiecerunt foras extra civitatem Samariæ, reverſi ſunt in ipſam civitatem, ad ædem Bahalis.

V. 27. ET FECERUNT PRO EA LATRINAS. Hebr. *Et poſuerunt eam in latrinas*. Quidam: *Et diſpoſuerunt eam in latrinas*, nempe ad perpetuum horroris, & deteſtationis monumentum. Sic Eſdræ VI. verſ. 11. מכרעות *macharaoth* aiunt proprie eſſe *foramina*, ſeu *cavernas*, aut *ſcrobes*, in quas egeruntur ſtercora: *latrinas*, *cloacas*, *foricas*, interpretantur: ſic dictas, quod foraminibus pro ſedibus diſponantur; vel quod ſtercora, quæ in eas egeruntur, ex poſticis alvi foraminibus exeant. Hebræi huic voci affixerunt aliena puncta, nempe vocis מוצאות *motzaoth*, quaſi legentes *mochraoth*, atque vocem *motzaoth* margini aſcripſerunt, volentes eam, pro ea quæ in textu eſt, legi debere: quod vocem textus *macharaoth*, id eſt *latrinas*, obſcœnam & impuram pronuntiatu iudicarent; *motzaoth* autem, id eſt *exitus*, *egreſſiones*, *egeſta*, eiuſdem ferme ſignificatus, honeſtior, & decentior habeatur. Ita notant, priſcos Hebræos honeſtati in legendo & pronuntiando verbo Dei ſancto conſulere voluiſſe; ut quæ vocabula in communi & profano uſu obſcœna & impura erant, in re ſacra aures cuiuſquam non offenderent. Verum ego numquam exiſtimaverim, verpos impuros, puriores eſſe ipſo Spiritu ſancto, qui illas voces & dictavit, & ſcripſit. Et nonne in communi uſu ſatis honeſtam eſt, *Et poſuerunt eam in foramina*. Poſſis intelligere, pertuderunt eam foraminibus, perforaverunt eam, & ita deformaverunt: ut nos vidimus Romæ amphitheatrum Domitiani foraminibus deformatum.

V. 30. FILII TUI USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM. Hebr. *filii quartanorum*, ordinum, id eſt quartani, vel abnepotes tui. Vide complementum huius promiſſionis infra cap. XV. verſ. 8. & ſequentibus.

V. 32. COEPIT DOMINUS TAEDERE SUPER ISRAEL. Sumpſit ex ſignificatione verbi קצץ *kutz*; ſed hic verbum קצה *katzah*, varie reddunt. I. *Cœpit Iehova excidere in Iſraele*. II. *Cœpit Iehova extrema præſcindere in Iſraele*. III. *Cœpit Iehova truncare Iſraelem*, vel *præcidere*; id eſt, tunc auctore Deo res Iſraelitæ fuerunt acciſæ. IV. Poſſis reddere: *Cœpit Iehova decorticare*, *abradere*, *Iſraelem*. Verbum proprie ſignificat *extremare*, ſeu *extre-*

trema præſcindere: quod hic rectè quadrat, ut mox ſe explicat. PERCUSSITQUE EOS HAZAEL, &c. iuxta prophetiam Eliſei, ſupra cap. VIII. verſ. 12.

V. 33. AB AROER: de qua vide Numer. XXXII. verſ. 34. TORRENTEM ARNON: de quo vide Numer. XXI. 13. ET GALAAD. Vide Geneſ. XXXI. 48. deſcriptam hanc regionem. ET BASAN. Hanc deſcripſimus in Numer. XXI. 33.

V. 34. RELIQUA AUTEM VERBORUM IEHU, &c. Similem verſum vide ſupra cap. VIII. verſ. 23.

MENOCHII.

Verſ. 2. FILIOS DOMINI VESTRI, Ioram, & Achab: nam filii Ioram regiæ ſucceſſioni propiores erant quam reliqui fratres Ioram Achabi filii, quorum plurimi vivebant.

V. 3. PUGNATE PRO DOMO DOMINI VESTRI, ſcilicet contra me, qui vos illico infeſto exercitu petam.

V. 4. TIMUERUNT, &c. hac belli denuntiatione territi ſunt.

V. 6. FILII REGIS, tam Ioramі quam Ioſaphat.

V. 7. MISERUNT AD EUM IN IEZRAHEL. Eo enim Iehu mitti iuſſerat ad explorandam eorum fidem, ac promiſſorum veritatem, cum ipſe nondum auderet Samariam ſe conferre, donec hoc facinore agnoſceret nihil Samaritas per fraudem, ac diſſimulationem agere.

V. 8. PONITE EA AD DUOS ACERVOS, &c. Hebræus, *in duobus acervis*, hinc & inde ex utroque viæ latere. Clauſæ erant portæ urbis cum nox eſſet, nec eo tempore tutum iudicavit Samaritas in urbem admittere: itaque iubet ad portam capita cæſorum relinquere, & duos ex illis acervos conſtituere.

V. 9. DIXIT AD OMNEM POPULUM, qui ſcilicet magno numero tantæ rei novitate exercitus confluxerat. IUSTI ESTIS, videlicet recte iudicate. SI EGO CONIURAVI, &c. quaſi dicat: Aut omnes iuſti ſumus quicumque has cædes patravimus, aut omnes iniuſti. At abſurdum eſt credere optimates Samariæ viros iuſtos, graves, & cordatos ſcelus admiſiſſe: æquum ergo eſt ut exiſtimemus, tam me, quam reliquos omnes vacare culpa; cum quæ acciderunt, Dei voluntate geſta ſint.

V. 11. UNIVERSOS OPTIMATES EIUS, omnes viros principes qui domui Achab aliquo propinquitatis genere iuncti erant. NOTOS. Chald. habet *propinquos*. Vatablus *familiares*, & *neceſſarios*. SACERDOTES. Ex propinquis enim Achab, & Ioram aliqui erant Baalis, & vitulorum ſacerdotes.

V. 12. AD CAMERAM PASTORUM. Septuaginta pro *camera paſtorum*, ſive caſa paſtorali, habent *Bathacath*, retenta voce Hebræa. Erat autem locus in quo congregabantur paſtores ad tondendas oves, quæ quia tunc ligari ſolent, ad verbum Hebraice habetur *domum ligationis*, quæ uno verbo eſt ovium tonſtrina.

V. 13. FRATRES OCHOZIAE SUMUS. Faſſi ſunt quod diſſimulare non potuerunt, tales enim viri a multis paſſim agnoſcuntur: & vereri potuerunt ne in mendacio deprehenſi difficilius elabi poſſent. FILIOS REGIS, ET REGINAE, Ioram ſcilicet, & uxoris eius, aut etiam Iezabelis.

V. 14. COMPREHENDITE EOS VIVOS. Iubet vivos comprehendi ne armis reſiſtant, ſperantes ſe vitam a Iehu impetraturos. IUGULAVERUNT EOS: nam etiam hi aliquo modo pertinebant ad domum Achab, cum qua affinitate iungebantur, & etiam conſanguinitate, ſi erant aliqui Athaliæ filii.

V. 15. IONADAB FILIUM RECHAB habitabat hic peculiari vitæ inſtituto extra urbem, ideoque facile fuit occurrere Iehu. Quale vero fuerit genus vitæ, quod ducebat Ionadab, ex vita quam eius filii duxerunt, cognoſci poteſt. Sic autem illi loquuntur apud Ieremiam cap. XXXV. 6. *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini*. Ioannes Ieroſolymitanus de inſtit. Monach. cap. XXV. ait hunc Ionadabum fuiſſe Eliſei diſcipulum, eiuſque

que omne inſtitutum, excepta continentia, amplexatum fuiſſe. Erant autem Rechabitæ oriundi ex Cinæis Moſis cognatis, de quibus vide dicta Iudic. 1. 16. BENEDIXIT: bene precatus eſt, ſalutavit. Chald. *Optavit illi pacem*. RECTUM, ſcilicet erga me; quaſi diceret: Amasne me?

V. 17. DUXIT IN SAMARIAM. Vaſuit hic ſocius ad conciliandum favorem Iehu, quoniam is magna erat in opinione virtutis, & ſanctitatis. PERCUSSIT OMNES, &c. ſi qui cognati, ſi qui affines Achabi, aut Ioram, ſi qui eorum familiæ addicti ſupererant.

V. 18. EGO COLAM EUM AMPLIUS. Hoc dicitur non mentiendo, ſed per ironiam; licet Theodoretus, & Procopius mendacium fateri videantur. SERVOS EIUS, omnes Baalis cultores; quorum numerus licet magnus fuerit ſub Achab, & Iezabel, ſub Ioram tamen multum erat imminutus.

V. 20. SANCTIFICATE DIEM SOLEMNEM BAAL; id eſt, indicite magnam ſacrificii celebritatem, ad quam omnes conveniant. VOCAVITQUE, ipſemet Rex. UNIVERSOS TERMINOS ISRAEL, ultra, & citra Iordanem.

V. 21. NON FUIT RESIDUUS NE UNUS QUIDEM, &c. de prophetis ſcilicet, ac ſacrificulis: urgebat quippe Regis imperium, & mortis metus, & cupido inſtaurandi intermiſſum cultum Baalis, Deus quoque illos trahebat ad victimam. A SUMMO USQUE AD SUMMUM. Hebr. & LXX. *ab ore ad os*, vel *ab ora ad oram*. Chald. *ex angulo in angulum*: ita ut nullus angulus vacuus eſſet.

V. 22. PROFERTE VESTIMENTA, &c. veſtes lineas, laneas, ſericas &c. deſtinatas cultui Baal.

V. 23. NE QUIS VOBISCUM SIT DE SERVIS DOMINI. Ita loquitur, quaſi ſacris eorum nolit alienos, & profanos ſe ingerere; re autem vera ut ipſi ſoli mactarentur.

V. 24. UT FACERENT, ut ſacrificarent. OCTOGINTA VIROS, qui fugientes exciperent.

V. 25. MILITIBUS ET DUCIBUS SUIS. Fuerunt hi alii ab illis octoginta, qui tantum iuſſi fuerant cavere, ne quis, dum in templo cædes patraretur, fuga ſe abduceret. PROIECERUNT cadavera eorum. MILITES. Hebr. & Septuaginta *curſores*, milites ſcilicet levis armaturæ. IN CIVITATEM TEMPLI BAAL, id eſt in quamcumque urbem quæ haberet templum Baalis. Vel ſenſus eſt: Ingreſſi ſunt templum Baal, quod erat ampliſſimum, ita ut civitatis nomine cenſeri poſſet.

V. 27. LATRINAS, ſcilicet publicas.

V. 30. USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM. Itaque Iehu ſucceſſerunt quatuor filii eius, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, & Zacharias.

V. 32. COEPIT DOMINUS TAEDERE ISRAEL. Chald. *indignari*. Septuaginta, *ferire*, ſeu *excidere*. Videtur formula loquendi vulgatæ editionis reſpondere Italicæ phraſi, *Comincio a perdere la pazienza*. A IORDANE CONTRA ORIENTALEM PLAGAM, &c. Longe maxima fuit hæc clades, abſtulit enim regno Iſraelis quidquid omnino trans Iordanem poſſidebat, tribum ſcilicet Ruben, & & Gad, & mediam partem tribus Manaſſe.

V. 33. AB AROER. Vide dicta Ioſue cap. XIII. num. 25.

TIRINI.

Verſ. 1. IUSTI ESTIS: quia divinæ voluntatis adminiſtri fuiſtis, quicumque hos ſeptuaginta filios Achabi morte mulctaſtis. Sed ex hoc facto facile diiudicabitis, non me ſolum (ut paſſim ſpargitur) in excidium ſtirpis Achabi inſurrexiſſe: ſed inſuper primos quoſque totius regni, qui filios omnes Regis in manu ſua habebant, & iam tam male mulctarunt, in idipſum unanimiter conſpiraſſe.

V. 12. & 13. CUMQUE VENISSET Iehu AD CAMERAM PASTORUM. Chaldæus, *ad domum congregationis paſtorum*; Hebræus, *ad domum colligationis paſtorum*; alii, *ad domum tonſtrinæ*. Recte & apte omnes: erat enim publica & ampla ruri domus, in qua congregari ſolebant ſtato tempore paſtores, & colligatas de more oves tondere, ac deinde geniales lætoſque conviviis dies tranſigere. Talis erat domus, in qua Nabal I. Reg. XXV. & Abſalom II. Reg. XIII. oves ſuas tondebant, & mox regio ſimile convivium in-

instruebant. Prope hanc pastorum domum, IN VIA publica Iehu INVENIT FRATRES OCHOZIAE. Non germanos aut uterinos ex Athalia (nam hos omnes jugularant Arabes , II. Paralipom. XXII. vers. 1.) sed vel ex aliis minoris notæ uxoribus aut concubinis, vel *fratres*, Hebræa Phrasi, id est *cognatos*. Et licet hi forsan non essent de sanguine Achab, neque affinitate illi coniuncti, voluit tamen omnes sublatos , ne quis superesset qui occisos ulcisci aut vellet, aut posset, atque ita primis imperii sui iam nascentis incunabulis moram aliquam, vel offendiculum crearet. Quæ etiam causa fuit , cur paulo ante idem Iehu horum eorumdem Ochoziæ fratrum seu cognatorum filios , qui pro ephebis vel pediseques eidem Ochoziæ ministrabant , in Iezrahele ad unum omnes occisos voluerit, II. Paralip. XXII. vers. 8.

V. 15. IONADAB FILIUM RECHAB. Vir potens hic erat, & sanctus, ut patet Ieremiæ cap. XXXV. qui more reliquorum Rechabitarum (de quibus dixi Numer. X. vers. 29.) ruri in tabernaculis degebat , & copiosos alebat ovium greges , verisimiliter haud procul a iam dicta camera pastorum. Hunc ut suis Iehu partibus quamprimum iungeret , sua plurimum interesse putabat.

V. 18. EGO COLAM BAAL AMPLIUS quam Achab coluit. Facile cum sancto Augustino *a* concesserim , mentitum officiole Iehu , sed non ausim damnare peccati mortalis, a quo eum excusant sanctus Hieronymus, Caietanus, & Abulensis. Primo propter rectam intentionem , qua voluit astute colligere in unum, & exstirpare omnes sacerdotes Baal; quod alioqui non potuisset. Secundo quia tantum iussit ut quod faciebant illi sacrificuli, faciarent iam publice, ut hoc illos signo deprehendere atque opprimere posset. Tertio quia per *Baal* , quod dominum significat, potuit intellexisse verum cæli ac terræ Dominum. Quarto scandalum , si quod fuit in tanta rerum & religionis perturbatione, breve & leve fuit, statimque se prodidit veritas. Denique quæcumque fecit, bona fide & bono zelo fecit, & præsente atque iuvante , forsan & probante Ionadab viro religioso & sancto , ut iam dixi.

V. 28. VERUMTAMEN NON DERELIQUIT VITULOS AUREOS. Etsi Iehu extirparet statuas & cultum omnem Baal idoli Sidoniorum , a Iezabele recenter inductum; non tamen sustulit vitulos aureos Ieroboami, sed iisdem thura & sacrificia obtulit , partim animi mollitie, & magnatum precibus, partim perversis politicorum consiliis (iisdem quibus olim Ieroboam) ad eam impietatem amplexandam fovendamque impulsus, ut fuse explicat Oseas cap. VII. qui non longe post hæc tempora prophetavit.

(*a*) August. Lib. contra mendacium cap. 11.

GORDONI.

Vers. 1. HIc primus adhuc annus Iehu , est mundi 3093. quo Iehu præfectus exercitus contra Syros, & Ramoth Galaad , relicta expeditione convertit arma in dominum suum: duos Reges occidit . At quæ cap. IX. dicta sunt vers. 27. non videntur consentire cum II. Paralip. XXII. 9. Sane incertum est quo loco sit hic adscensus Gaver ubi dicitur percussus Ochozias. Certum videtur, Ochoziam perveniſſe in Samariam, & inde abductum occisum a Iehu; licet hic dicatur alibi percussus, & alibi mortuus . Verba illius vers. 9. sunt : *Ipsum quoque perquirens Ochoziam comprehendit latitantem in Samaria , adductumque ad se occidit*. NUTRITIOS ACHAB : nutritios intelligit filiorum Achab.

V. 9. IUSTI ESTIS ; quasi diceret : Iuste iudicate: si dicitis me occidisse dominum meum mea voluntate; quis, quæso , hos omnes occidit? an non ex Dei voluntate, iuxta vocem Prophetæ , quam iam impletam videtis? Demum dicit se nihil tyrannice fecisse.

V. 12. AD CAMERAM PASTORUM. Hebr. *domus colligationis pastorum* , בית עקד *beth hbeked* , hoc est ubi tondebant oves ligatis pedibus: nam ad tondendum ibi congregabantur. Chald. *domus congregationis pastorum*: erat ampla , & apta convivio , quod tunc pastores celebrare consueverunt. Sic de Nabal I. Reg. XXV. & Absalon II. Reg. XIII.

V. 13. FRATRES OCHOZIAE. Hi sunt filii fratrum Ochoziæ. II. Paralip.

xxii. 8. certe filii fratrum vocantur fratres.

V. 15. De Rechab, Rechabitis, & Ionadab, vide Ierem. cap. xxxv. & Num. cap. x.

V. 20. SANCTIFICATE, vocate, aut indicite, DIEM SOLEMNEM. Heb. עצרה *bhatsara* significat cœtum. Septuag. ἁγιάσατε θεραπείαν, *sanctificate cultum*. Sic astu Iehu decepit sacerdotes.

V. 29. Cito Iehu constantiam amisit, & vindex veræ religionis cito religionem deseruit. NEC DERELIQUIT VITULOS: non removit, sed coluit. Septuag. *Ibat post vitulos*, ὀπίσω τῶν δαμάλεων. Tamen Deus opera eius bona, quamvis imperfecta, remunerat, vers. 30. & cap. xv. vers. 12. ad quartam generationem per Ioachaz, Ioas, Ieroboam secundum, & Zachariam.

V. 32. TAEDERE. Septuag. συγκόπτειν, *ferire*. Chald. *Cœpit indignatio Domini*. En quo ducat diuturna impietas.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 11. SACERDOTES, ex propinquis Achab sacerdotis Baalis.

V. 14. IUGULAVERUNT. Nam affinitate pertinebant ad domum Achab.

V. 25. IN CIVITATEM TEMPLI BAAL: in omnem urbem quæ habet templum Baal.

V. 30. USQUE IN QUARTAM. Nam successerunt Ioachas, Ioas, Ieroboam secundus, & Zacharias.

V. 33. A IORDANE. Insignis clades fuit abscissis his provinciis trans Iordanem a regno Israel. De Azaer vide Iosue cap. xiii. vers. 25.

CAPUT XI.

Athalia, omni semine regio præter Ioas per ipsam extincto, regnum sibi usurpat: sed præcipiente Ioiada sacerdote occiditur, & Ioas Rex Iuda constituitur, destructis aris & imaginibus Baal.

1. Athalia (*a*) vero mater Ochoziæ; videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium. 2. Tollens autem Iosaba filia Regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ furata est eum de medio filiorum Regis qui interficiebantur, & nutricem eius, de triclinio: & abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur. 3. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini: * porro Athalia regnavit super terram. 4. (*b*) Anno autem septimo misit Ioiada, & assumens centuriones & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus: & adiurans eos in domo Domini, ostendit eis filium Regis: 5. & præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis: 6. Tertia pars vestrum introeat sabbato, & observet excubias domus Regis. * Tertia autem pars sit ad portam Sur: & tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: & custodietis excubias domus Messa. 7. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa Regem. 8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: critisque cum Rege introeunte & egrediente. 9. Et fecerunt centuriones, iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada sacerdos: & assumentes singuli viros suos, * qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Ioiadam sacerdotem. 10. Qui dedit eis hastas, & ar-

& arma Regis David, quæ erant in domo Domini. 11. Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua, a parte templi dextera, uſque ad partem ſiniſtram altaris & ædis, circum Regem. 12. Produxitque filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: feceruntque eum Regem, & unxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Vivat Rex. 13. Audivit autem Athalia vocem populi currentis: & ingreſſa ad turbas in templum Domini, 14. vidit Regem ſtantem ſuper tribunal iuxta morem, * & cantores & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis: & ſcidit veſtimenta ſua, clamavitque: Coniuratio, coniuratio. 15. Præcepit autem Ioiada centurionibus, qui erant ſuper exercitum, & ait eis: Educite eam extra ſepta templi, & quicumque eam ſecutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim ſacerdos: Non occidatur in templo Domini. 16. Impoſueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum, iuxta palatium, & interfecta eſt ibi. 17. Pepigit ergo Ioiada fœdus * inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, ut eſſet populus Domini, & inter Regem & populum. 18. Ingreſſuſque eſt omnis populus terræ templum Baal, & deſtruxerunt aras eius, & imagines contriverunt valde: Mathan quoque ſacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et poſuit ſacerdos cuſtodias in domo Domini. 19. Tulitque centuriones, & Cerethi & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxeruntque Regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ ſcutariorum in palatium, & ſedit ſuper thronum Regum. 20. Lætatuſque eſt omnis populus terræ, & civitas conquievit: Athalia autem occiſa eſt gladio in domo Regis. 21. Septemque annorum erat Ioas, cum regnare cœpiſſet.

(*a*) II. Paralip. xxii. 10. (*b*) II. Paralip. xxiii. 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. *Porro Athalia regnavit ſuper terram.* Redundat quod additur a quibuſdam libris *ſeptem annis*.

V. 6. *Tertia autem pars ſit ad portam Sur.* Non mutes *Sur*, quod eſt nomen portæ templi, cum *Seir*, quod eſt nomen montis Idumæorum.

V. 9. *Qui ingrediebantur ſabbatum, cum his qui egrediebantur ſabbato.* Pro quarto caſu *ſabbatum*, quidam ſcribunt ſextum *ſabbato*: ſententia eadem una eſt; ſed poſteriori *ſabbato* addita a nonnullis libris præpoſitio *e*, obſcurat ſententiam.

V. 14. *Et cantores & tubas prope eum.* Cave ne ſcribas *turbas*; quod eſt *multitudines*, pro *tubas*, id eſt *buccinas*.

V. 17. *Inter Dominum, & inter Regem, & inter populum*, Tertio repetenda eſt præpoſitio *inter*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. DE TRICLINIO. Heb. Chal. & LXX. dicunt abſcondiſſe utrumque *in loco* ſeu *cubiculo lectorum*, ſcilicet ubi dormiebant ſacerdotes & Levitæ prope templum.

V. 3. DOMO DOMINI, id eſt templi appendicibus, ſeu in atrii porticibus.

V. 4. TEMPLUM, id eſt atrium. ADIURANS, ſcilicet ne conſilia proderent.

V. 5. SERMO, id eſt res.

V. 6. INTROEAT, ſcilicet ut miniſtret in templo. Nota, quod omnes milites erant Levitæ. EXCUBIAS. Hebr. Chald. & LXX. *cuſtodiam*; quaſi dicat: Obſervet ne quis a Regia veniat dum Rex coronatur. SUR. Sic Hebr. Chald. *baronum*. LXX. *viarum*. Erat porta hæc in atrio præcipua & ad orientem. SCUTARIORUM, ſcilicet militum, qui templum cuſtodire ſolebant. MESSA. Hebr. *Maſſa*. Chald. *ſolicite*. Alii, *a deſertione*; quaſi dicat: Ne quis locum ſuum deſerat.

V. 7. EGREDIENTES, ſcilicet expleto miniſterio eius hebdomadæ. Nota, quod iſti coniungebantur in eo munere cum ingredientibus ad miniſtrandum; itaque vocat duas partes. Vide infra.

V. 8. SEPTUM TEMPLI, ſcilicet eam partem atrii ubi Rex cuſtodiebatur ſeptus militibus; vel atrium ſacerdotum. Chald. *intra ordines*, ſcilicet militum. LXX. *in atrium templi*.

V. 11. DEXTERA, ſcilicet auſtrali.

V. 12. DIADEMA. Chald. *coronam*. LXX. *ſanctificationem*: ſcilicet vox Hebræa æquivoca eſt: ſic Pſalm. CXXXI. TESTIMONIUM, ſcilicet legem, quæ Regibus proponebatur. Vide Deuter. XVII. UNXERUNT, ſcilicet ob controverſiam de Regno: ſic Salomonem: alioqui Regum filii non ungebantur.

V. 14. SUPER TRIBUNAL. Hebr. Chal. & LXX. *ſuper*, ſeu *iuxta columnam*: ſcilicet illic erat regium tribunal. CANTORES: ſic etiam LXX. at Chald. *magnates*.

V. 16. IUXTA PALATIUM. Hebr. & LXX. *domus Regis*. Chald. *in domum Regis*.

V. 18. VALIDE. Hebr. *bene*. Chald. *pulchre*. LXX. *ſtudioſe*, ſeu *diligenter*. SACERDOS, ſcilicet ſummus.

V. 19. CERETHI ET PHELETHI LEGIONES. Hebr. *duces & curſores*, id eſt ſatellites: non enim ſunt Hebr. hæ voces, *Cerethi & Phelethi*, de quibus vide II. Reg. VIII. 18. SCUTARIORUM. Chald. & LXX. *curſorum*; alii, *militum*, vel *ſatellitum*.

V. 20. IN DOMO, id eſt prope domum.

ESTII.

Verſ. 2. & 3. TOLLENS AUTEM IOSABA .... IOAS FILIUM OCHOZIAE, FURATA EST EUM...ET NUTRICEM EIUS DE TRICLINIO...ERATQUE CUM EA SEX ANNIS CLAM IN DOMO DOMINI. Intellige in locis comprehenſis ſub domo Domini, & appendicibus illi attructis, & adhærentibus, ut erant exedræ. Et ſimiliter intellige cum ea, ſcilicet nutrice, non cum Ioſaba, ſeu Ioſabeth, quia ut Ioſabeth abſconderetur cauſa nulla erat; abſcondebatur autem Ioas filius Regis puerulus, & eius nutrix, ille ut ſervaretur, iſta ne prodere cogeretur. Nec puto ex hoc loco ſtatui poſſe, quod in aliqua parte templi eſſent habitacula feminarum; ſed ſicut David cum pueris ſuis comederunt panes propoſitionis I. Reg. XXI. & excuſantur a Chriſto propter neceſſitatem Matth. XII. ita & hæc nutrix cum puero Rege ſimiliter permiſſa eſt in templo latere.

V. 9. ET ASSUMENTES SINGULI VIROS SUOS QUI INGREDIEBANTUR SABBATUM, CUM HIS QUI EGREDIEBANTUR SABBATO, VENERUNT AD IOIADAM SACERDOTEM. Hic primum ſciendum eſt, centuriones, & milites, de quibus hic fit mentio, quos aſſumpſiſſe legitur Ioiada, fuiſſe ex Levitis, qui miniſtrare ſolent in domo Domini. Eos ergo, traditis armis a Davide Deo ſanctificatis, milites fecit, ut negotium magis lateret. Deinde meminiſſe oportet Le-

Levitas hebdomadatim per ſuas vices ſolere miniſtrare. Unde & Zacharias pater Baptiſtæ, Lucæ cap. 1. dicitur de vice Abia. Erant autem vices ſeu ordines viginti quatuor. Igitur hoc loco eos qui ingrediebantur ſabbato Scriptura vocat eos qui ſuccedebant ad miniſtrandum, & ſimiliter eos qui egrediebantur ſabbato, eos qui miniſterio ſuæ hebdomadis perfuncti, domum redibant ad uxores, & rem familiarem. Sed Ioiada ſacerdos coronaturus novum Regem, utroſque in templo retinuit, ut maiori numero armatorum novum Regem ab Athaliæ impiæ iniuria defenderet, ſi opus eſſet.

MARIANAE.

Verſ. 1. ET NUTRICEM EIUS DE TRICLINIO. Hebr. *in cubiculo lectorum*, Ioſaba infantem Ioas, ne cum fratribus occideretur ab Athalia, ſupple *abſcondit*: ſic ſupplent Sept. & Chald. Locus erat templo coniunctus, ubi Levitæ, ſacerdoteſve dormiebant, eoque a periculo tutior. ET ABSCONDIT EUM. Hebr. *Et abſconderunt eum*, ſcilicet Levitæ UT NON INTERFICERETUR. Hebr. *Et non eſt interfectus*.

V. 3. ERATQUE CUM EA puer, ſcilicet cum nutrice. SEX ANNIS CLAM IN DOMO DOMINI. Hebr. *In domo Domini abſconditus ſex annis*. Nimirum lectorum cubiculum ad templum pertinebat quaſi appendix.

V. 4. CENTURIONES ET MILITES adduxit Ioiada Pontifex. Hebr. *Principes centuriarum, duces & curſores*. Illud *Duces & curſores* appoſitive accipi poteſt.

V. 5. ISTE EST SERMO, id eſt res quam facere debetis. Id militibus Ioiada.

V. 6. AD PORTAM SUR. Sic vocabatur porta quædam templi, quam in fronte quidam putant fuiſſe atrii. AD PORTAM, QUAE EST POST HABITACULUM SCUTARIORUM. Hebr. *In porta poſt curſores*, id eſt ubi Prætoriani milites tendebant, fortaſſe meridiem verſus, & milites omnes Levitæ erant. Noſter hos milites *ſcutarios* vocavit, alioqui in ſententia conſentit. CUSTODIETIS EXCUBIAS DOMUS MESSA. Noſter *Meſſa* ut nomen proprium accepit, ſicut & Sept. Chald. *Solicite*, vertit, *cuſtodietis excubias*: ſic Hebræus, quod ſcilicet non divertant mentem a cuſtodia. Quidam *A deſertione cuſtodietis*, aut *demolitione*; quaſi dicat: Cavebitis ne quis locum ſuum deſerat.

V. 7. DUAE VERO PARTES, id eſt duæ e vobis turmæ. OMNES EGREDIENTES SABBATO. Diviſi milites ſic erant, ut binæ turmæ aut centuriæ templum cuſtodirent. Hos omnes miniſterio hebdomadæ ſuæ abſoluto, Regem tamen cuſtodire mandat. EXCUBIAS DOMUS DOMINI: nimirum Rex in parte templi erat. CIRCA REGEM. Sic Septuag. & Chald. Hebr. *ad Regem*, pro *propter Regem*, aut *iuxta Regem*, ut alii vertunt.

V. 8. SEPTUM TEMPLI. Hebr. *Qui intraverit intra ordines*, ſcilicet veſtros, *occidatur*. Volebat denſare agmen, neque ſinere ut aliquis perrumperet, ne proditioni eſſet locus. ERITISQUE CUM REGE INTROEUNTE ET EGREDIENTE, ſcilicet in templum, aut vero quocumque iverit.

V. 9. QUI INGREDIEBANTUR SABBATUM: ſcilicet cum iis qui cuſtodiæ eo ſabbato erant deputati, centuriones iverunt ad templum; iiſque ibi relictis, cum iis qui ceſſabant, iverunt ad Ioiadam, ut eius mandata exequerentur.

V. 10. DEDIT EIS HASTAS, ET ARMA REGIS DAVID. Hebr. *haſtam* (id eſt haſtas) *& clypeos*. Vides David in templo feciſſe armamentarium.

V. 11. A PARTE TEMPLI DEXTERA: a latere ſcilicet ſe milites circumfudere templo. Pars latuſque dexterum, meridies; ſiniſtrum, ſeptemtrio. CIRCUM REGEM. Hebr. *ſuper Regem*, pro *iuxta Regem*, ut Chald. vel *circa Regem*, ut Noſter, & Sept.

V. 12. POSUIT SUPER EUM, ſcilicet Regem. DIADEMA ET TESTIMONIUM. Pro *teſtimonio* Hebr. עדות *heduth*, quæ vox *ornamentum* ſignificare poteſt: ſic Hebræi fere: tum *teſtimonium*, ut Hieronymus Chald. & Sept. potuerunt. Utroque modo veſtis regia, inſigne & teſtis poteſtatis trabea. II. Paralip. XXIII. verſ. 11. poſt *diadema & teſtimonium* additur in Vulgata: *Dederuntque in manu eius tenendam legem*: quaſi lex ipſa ſit teſtimonium. Itaque vox *teſtimonium* in quibuſdam Vulgatæ codicibus Paralip. non erat, ne

ne in Gotthic. quidem, ſed pro ea verba ſequentia: *Dederuntque in manu eius tenendam legem*. ET UNXERUNT. Filii Regum non ungebantur quando ſuccedebant, ſed propter controverſiam fit ut in Salomone. VIVAT REX. Chald. *Proſperetur Rex*. Id milites clamant.

V. 14. VIDIT Athalia REGEM STANTEM SUPER TRIBUNAL IUXTA MOREM. Sic Sept. Hebr. *ſuper columnam*, id eſt *iuxta columnam*, ut ponit Chald. ET CANTORES. Sic Sept. at Heb. & Chald. *Principes*, ſeu *proceres*, ſcilicet ſtabant iuxta Regem. Septuag. vocem שרים *ſarim* legerunt cum *iamin*.

V. 15. EXTRA SEPTA TEMPLI. Sic Sept. Hebr. *Extra ordines eiicite Athaliam*: ita Chald. ſcilicet militum extra ordines, qui diſpoſiti ad cuſtodiam erant.

V. 16. IMPOSUERUNTQUE EI MANUS. Sic Sept. *Iniecerunt que illi manus*. Hebr. *Et poſuerunt ei manus*. Chald. & Hebr. per *manus* locum intelligunt, quem fiſſi in ambas milites Athaliæ ad exeundum dederunt. ET IMPEGERUNT EAM PER VIAM INTROITUS EQUORUM, IUXTA PALATIUM. Hebr. *Et venit via introitus equorum domus Regiæ*; id eſt, ad averſam palatii portam ivit Athalia, ubi equorum ſtabulum eſſe ſolet.

V. 18. ET POSUIT SACERDOS, ſcilicet Ioiada, CUSTODIAS IN DOMO DOMINI. Hebr. *viſitationes*. Septuag. & Chald. *cuſtodes*. Hebræus, *præfectos*, ſic dictos, quod eorum ſit inſpicere quod demandatur, & intendere.

V. 19. ET CERETHI ET PHELETHI. Nomina legionum ſunt, de quibus pluribus aliis locis. II. Reg. VIII. verſ. 18. plura de his. Verum Hebr. hic non ſunt eæ voces, ſed *duces* & *curſores*, id eſt prætorianos, ſatellites, ut verſ. 4. ſuperius. PORTAE SCUTARIORUM, ſeu *curſorum*. Porta templi, ſic dicta, quod prope tenderent milites. Ergo per eam portam Regem deduxerunt in regiam.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ATHALIA VERO MATER OCHOZIAE, VIDENS MORTUUM FILIUM SUUM. Vide ſup. cap. VIII. verſ. 26. & cap. IX. verſ. 27.

V. 2. IOSABA. Hebr. *Iehoſabah*, quæ II. Paralipom. XXII. verſ. 11. vocatur *Iehoſabhath*. DE TRICLINIO. Hebr. *in aula*, ſeu *conclavi lectorum*. Putant deſcribi hic locum ubi educabantur filii Regis, & ubi eum invenit Iehoſabah, & unde eum furata eſt; non ubi eum abſcondit. Et videtur dici *conclave lectorum*, quod ibi eſſent multi lecti, ſeu cunabula pro educandis filiis Regum. Alii *in conclavi lectorum* abſconditum volunt, unde reddunt: *Et furtim furripiens e medio filiorum Regis, qui afficiebantur morte, ipſum* & *nutricem eius abdidit in conclave lectorum*. Qui ſenſus firmari videtur e II. Paralipom. XXII. verſ. 11. *Conclave lectorum* intelligunt appendicem aliquam templi, ubi erant cubicula facerdotum, & Levitarum.

V. 3. CLAM. Hebr. *abſcondens ſeſe*. Participium ex Hithpahel, accuratam, & diligentem abſconſionem indicat. Quidam, *latitans*.

V. 4. ET MILITES. Hebr. duæ voces ſunt, & in dativo, *ducibus*, & *curſoribus*, id eſt centuriones cum ducibus, & curſoribus, vel *ad duces*, & *curſores*. Prior vox כרי *cari* eſt numeri ſingularis. Quidam volunt poſitam defective pro כרים *carim*, ut Pſalm. CXLIII. 2. עמי *ghammi* legitur pro' עמים *ghammim*, *populis*: & aiunt ſignificare arietes, hoc eſt viros bellicoſos & fortes in populis: ſicut & עתודים *ghattudim*, *hirci*, & אילים *elim*, *arietes*, figurate viri dicuntur qui aliis fortitudine antecellunt. Sic Ionathas Chaldæus tranſtulit גבריא *ghebaraia*, id eſt *heroes*, & II. Paralipom. XXIII. verſ. 8. nominantur *homines*, *viri*. Alii pro *coborte* accipiunt, ut ſit nomen collectivum, nempe legionem quamdam militum delectorum, qui ſortes & bellicoſi erant in populo: *Et ſumpſit centuriones ad cari*, id eſt *ad cohortem*, & *ad curſores*. Nonnulli pro Cherethi & Phelethi, abbreviato nomine ſumunt, ut Nolter infra verſ. 19. & exponunt, *Et prætorianos*: de quibus vide in II. Samuel. VIII. verſ. 18. Nonnulli aiunt, fuiſſe cohortem militum geſtantium lanceas, qui ſemper parati erant cum ſuis armis ad comitandum Regem: & dici a כרה *carah*, *exſcindendo*, nam in bello tuebantur Regem exſcindendo hoſtes. Hinc Quirinum appellatum volunt, quod haſta aſſidue uteretur, quæ Sabinorum lingua *Quiris*, vel *Curis*, dicitur. Unde hic reddunt: *Et accepit centuriones, ut eſſent militeſ*

lites quirites, id eſt haſtati. Certe Iehoiadah iis haſtas, & clypeos dedit II. Paralipom. XXII. verſ. 9. Verum ego vanum exiſtimo vocem Sabinam ex Hebraica acerſere: & alioqui apud Romanos *Quirites* a militibus diſtinguebantur, ut apparet ex Suetonio in Iulio cap. LXX. Reuchlinus annotat, vocabulo *cari*, tam præſectum cohortis, quam ipſam cohortem intelligi. Nec deſunt qui, *primores exercitus* interpretentur. Sic infra verſ. 19. PEPIGITQUE CUM EIS FOEDUS. Exponunt, de perdenda Hathaliah; inſtituendo Ioaſo in Regem; tollenda idololatria, & reſtituendo cultu Dei: quo tempore Iſraelitæ mares conveniebant ex lege ad colendum Deum, Exodi XXIII. 17. Vide II. Paralipom. XXIII. 2. ET ADIURANS EOS. Hebr. *Et adiuravit*, vel *iuramento aſtrinxit*, *eos*, nempe ut rei gerendæ ſecretum ſervarent, nec inita conſilia proderent. Alii: Et fecit ut ictum fœdus religione etiam iurisiurandi ſancirent.

V. 5. TERTIA PARS VESTRUM INTROEAT SABBATO, ET OBSERVET EXCUBIAS DOMUS REGIS. Noſtra Translatio Hebraica verba ordine reddit (*Tertia de vobis venientes ſabbati, & obſervantes obſervationis, domo Regis.*) Aliqui in hunc modum: *Tertia pars veſtrum ingredientium ſabbato, & obſervantium obſervationem*; id eſt, vice ſua miniſterium in templo obeuntium a ſabbato ad ſabbatum (Vide II. Samuel. XV. verſ. 24.) *adeſto domui Regis*, id eſt in aquilonari parte atrii templi Domini, ubi Rex a ſexennio latuerat. Alii: Obſervabunt portam illam, qua, qui habitant in regia, ingredi ſolent atrium populi: obſervabunt, inquam, ne qui prodeant a regia, & opus inaugurationis Regis interturbent. Erant ii e Sacerdotibus, Levitis, & Ianitoribus templi, ut dicitur II. Paral. XXIII. verſ. 4.

V. 6. AD PORTAM SUR. Notant, hanc fuiſſe maximam, & præcipuam atrii templi portam ad orientem. Obſervant Hebræi, hanc portam ſeptem nominibus in Scriptura nuncupatam. I. *Portam Sur*, hic, quod ibi ſeparararentur, & recederent immundi. II. *Portam Ieſod*, id eſt *fundamenti*, II. Paralipom. XXIII. 5. quod ibi fundaretur lectio; id eſt, fundamenta iacerentur doctrinæ, & lex & ritus docerentur. III. *Portam Charſith*, id eſt *ſolarem*, ſeu *orientalem*, Ieremiæ XIX. 2. quod ſol oriens eam ingrederetur. IV. *Portam Ithon*, id eſt *ingreſſus, introitus, adventus*, Ezechiel. XL. 15. quod per eam intrarent, & exirent aſſidue oratori in atrio, erat enim frequentiſſima. V. *Portam Thaveb*, id eſt *medii*, Ieremiæ XXXIX. 3. quod media eſſent inter duas portas, aquilonarem, & meridionalem. VI. *Portam Chadeſch*, id eſt *novam*, Ieremiæ XXVI. 10. quod illic Scribæ innovarent lectionem, & ſuam doctrinam, ac præſcripta, & Deuteroſes inſtituerent. VII. *Portam Gheſion*, id eſt *ſupremam*, infra cap. XV. verſ. 35. quod eſſet ſupra atrium, ſeu oratorium Iſraelis. Sed rationes horum ſeptem nominum, ſuis locis accuratius enucleabimus. AD PORTAM QUAE EST POST HABITACULUM SCUTARIORUM. Hebr. *in porta poſt curſores*. Hanc volunt II. Paralipom. XXIII. 4. dictam פּוּךְ *ſipim*, id eſt *poſtium*, aut *liminum*: atque fuiſſe meridianam atrii ſacerdotum, ubi curſores, ſeu milites, apparitores, lictores, ſatellites templi excubare ſolebant. Sic verſ. 19. Alii volunt fuiſſe occidentalem, per quam ibatur in regiam, infra verſ. 19. CUSTODIETIS EXCUBIAS DOMUS MESSA. Hebr. מַסָּה *maſſach*. Noſter, & plurales alii pro nomine proprio acceperunt, vel nomen ipſum Hebraicum ſine interpretatione reliquerunt: & mirum quam diverſe hic locus ab aliis reddatur, & exponatur. I. Reuchlinus: *Et cuſtodietis excubias*, vel *cuſtodite domum ab everſione.*, vel *domum ruinoſam a demolitione*. II. Caietanus: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus, deſtructionem*; id eſt, cuſtodietis domum Regis, ne deſtruatur: timebat enim ne Hathaliah, in ſumma deſperatione incenderet domum regiam, ut fecerat Zamri I. Reg. XVI. 18. III. Sanctes, Mercerus, Bertramus: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus a demolitione*. IV. Vatablus: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus a deſertione*, ſeu *dereliſtione*; id eſt, cavebitis diligenter ne quis locum deſerat aſſignatum in ordine. V. Kimchius: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus, cuſtodiam deſtructionis*, vel *cuſtodia deſtructionis*. Repetit nomen cuſtodiæ, quod שְׁמִרַת *baiith domus* non eſt in regimine; id eſt, ut non diruat, aut deſtruat locum ſuum in acie. Similis locutio eſt Exodi XIX. 21. & 24. VI. Kimchius: *Et cuſto-*

ſtodietis cuſtodiam domus, cuſtodiam avocationis, animi; id eſt, ut non divertatis cogitationes veſtras ad alia; ſed ſint oculi veſtri, & corda veſtra iugiter ad cuſtodiam domus. VII. Schindlerus, in eumdem ſenſum: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus a translatione*; id eſt, ne mentem veſtram transferatis ad aliud, quam ad cuſtodiam domus. VIII. Marinus: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus ab evulſione*; id eſt, ne divellamini ab ea cuſtodia ſeu domo. IX. Avenarius: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus ab evulſione*, ſeu *contritione*; id eſt, ut evellatis, & conteratis illos qui forte irrupturi eſſent. X. Tremellius, & Iunius: *Ut obſervetis obſervationem domus huius ab irruptione*; id eſt, nequis irrumpens periculum crearet Regi, aut vitium loco ſancto inferret. XI. Pomarius: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus a devaſtatione*, vel *ſubverſione*; id eſt, ne domus devaſtetur, aut ſubvertatur. XII. Buxſtorfius: *Et cuſtoditis cuſtodiam domus ab evulſione* מסח *mimmaſach*; id eſt, ne aliqua evulſio, deſtructio, extirpatio, ruptura, aut damnum domui inferatur. XIII. Elias Levita: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus ab immunditia, & ſordibus*, pro מסח *miſſach*, a מסא *ſachah*. XIV. Forſterus hæc annotat: *Maſſach, alii qui pro proprio nomine viri; nonnulli alii pro domo cinerum, qui erant ex templo expurgati; alii pro domo, in qua ſcopæ erant depoſitæ, & alia inſtrumenta; alii pro domo Babal accipiunt, quæ mox ita deſtruenda erat, ut ſcopis verri potuerit*. Eadem ferme habent Mercerus, & Marinus. Unde quidam reddunt, XV. *Et cuſtodietis cuſtodiam domus cineris*, vel *loci cinerum*, qui ex templo repurgati ibi reponebantur. XVI. *Et cuſtodietis cuſtodiam domus everritionis*, ſeu *ſcopæ*; id eſt, locum in quo ſcopæ pro verrendo templo deponebantur, volunt quidam fuiſſe prope portam *Selecheth* templi, de qua I. Paralip. XXVI. verſ. 16. XVII. *Et cuſtodietis cuſtodiam domus deſtructionis*, id eſt ædis Bahalis, quæ mox deſtruenda, abradenda, & everrenda erat, infra verſ. 18. XVIII. Montanus: *Et cuſtodietis cuſtodiam domus ſepoſitionis*. Fortaſſe erat ſtructura aliqua inſignis ſepoſita & ſeparata a templo: vel in qua ſeponebantur varia inſtrumenta ad uſum templi. XIX. Hiſpanicus Interpres: *Y tendreys la guarda de la caſa del dexamiento*; quaſi dicat: *Ninguno dexe ſu eſtancia*. Hæc convenit cum quarta expoſitione. *Domum* hic aliqui regiam intelligunt; alii templum, quod eſt rectius.

V. 7. DUAE VERO PARTES E VOBIS, &c. Hunc verſum nos verbatim ex Hebræo transfudimus (*Et duæ manus in vobis, omnes exeuntes ſabbati: & obſervabunt obſervationes domus* IHUH *ad Regem.*) Alii diverſimode. I. *Duæ quoque manus in vobis*; id eſt, *duæ partes veſtrum erunt omnes exeuntes a ſabbato*: & *hi cuſtodient cuſtodiam domus Iehovæ circa Regem*. II. *Duæ vero partes ex vobis, omnes feilicet qui ſabbato exeunt*; id eſt, omnes qui officio ſuo defuncti fuerint in templo ea hebdomada (Hos, quia minus occupati erant, dividit in duas turmas) *obſervabitis cuſtodiam domus Domini iuxta Regem*; id eſt, diligenter cuſtodient Regem cum fuerit in templo ipſo. III. *Et duo loca in vobis*, ſubaudi habeant, *omnes exeuntes ſabbati*; id eſt, illi qui iam defuncti fuerint miniſterio hebdomadario, occupent duo illa loca, videlicet portam Sur, & portam poſt curſores: & *cuſtodiant excubias Domini, Regi*; id eſt, cuſtodiant ſepta domus Domini ad ſecuritatem Regis infantis. IV. *Ex vobis vero omnibus exituris ſabbato*; id eſt, qui iam functi miniſterio hebdomadario, ad proprias habitationes effetis conceſſuri: *bina latera*, id eſt laterones: metonymia: ſic infra verſ. 16. *ſeu binæ laterales cuſtodiæ, cum obſervaverint obſervationem domus Iehovæ, adſunto Regi*, id eſt Regem utrimque ſtipantes, in atrium magnum deducunto, populo exhibendum.

V. 8. QUI AUTEM INGRESSUS FUERIT SEPTUM TEMPLI. Hebr. *Et veniens ad ordinationes*, ſeu *ordines*: plerique, militum excubantium intelligunt. Quidam reddunt: *Qui invaſerit hos ordines*, id eſt hanc aciem inſtructam. Alii: *Et ingrediens intra tabulas*. Aiunt תרד *ſederoth* ſignificare *tabulas ordine, ſeu ſerie quadam collocatas*; ſtructuram ordinatam tabularum, *tabulata ſepta*. Sic infra verſ. 15.

V. 9. CUM HIS QUI EGREDIEBANTUR SABBATO. Nam hos non dimiſit, ſupra verſ. 7.

V. 10. ET ARMA REGIS DAVID, &c. Hebr. *& umbones*, ſeu *ſcuta*, aut *clypeos*,

peos, Regi Davidi. Vide de his II. Samuel. VIII. 7. & 11.

V. 11. A PARTE TEMPLI DEXTERA, id eſt verſus portam meridionalem, ubi ſtabant curſores, ſupra verſ. 6. USQUE AD PARTEM SINISTRAM. Exponunt aquilonarem, qua parte Rex latebat, ſupra verſ. 4. ALTARIS. Hebr. *altari*. Quidam, *verſus altare*, id eſt ad portam orientalem in fronte atrii. ET AEDIS. Hebr. *Et domui*. Quidam, *Et verſus domum*, id eſt ad occidentem templi, verſus oraculum, ſeu adytum. Alii, *Verſus ipſum Hechal*, ſeu *ſanctum*, nempe atrium ſacerdotum.

V. 12. ET TESTIMONIUM. עדות *gheduth*, notant ſumi hic pro ſingulari, & certo quodam ornatu quo Reges decorabantur, & quaſi teſtimonio confirmationis cognoſcebantur: quodque eis adhibebatur in teſtimonium & ſignum regiæ maieſtatis: unde hic *ornamentum* exponunt. Aliqui *phylacterium* intelligunt, in quo erat ſumma legis ſcripta, inſtar *totaphoth*, de quibus Exodi XIII. 16. Deuteronom. VI. 8. Alii, *Et teſtimonium*, ſubaudi dedit, vel tradidit ei: nempe librum legis, ut mandatur Deuteronom. XVII. 18. & ſeqq. Nec deſunt qui hic *ſceptrum*, aut *veſtem regiam*, aut aliquid eiuſmodi, inſigne teſtimonium regiæ dignitatis accipiant.

V. 14. SUPER TRIBUNAL IUXTA MOREM. Hebr. *Super columnam ſecundum iudicium*. Quidam, *Iuxta, prope, columnam iudicialem*. Fortaſſe fuit locus celſus in morem columnæ, aut tribunalis, in quo Reges iura dicebant, ut Romæ Puteal Libonis. Alii, *In ſolio regio*, in quo ſedere ſolebant Reges, quod erat ad columnam quamdam inſignem. Nonnulli: Ecce Rex ſtabat in columna ſua pro more, id eſt in columna regia impoſita labro ſive baſi, quam Salomon paraſſe legitur II. Paral. VI. 13. Idem de Ioſia legitur infra cap. XXIII. verſ. 3.

V. 15. EDUCITE EAM EXTRA SEPTA TEMPLI. Hebr. ex verbo: *Exite facite eam ad de domo, ordinationibus*, vel *ad ordines*. Quidam: *Educite eam per media ſepta*. Alii: *Educite eam extra domum*, ſeu *templum*, *ad ſepta*. Nonnulli: *Sinite iſtam exire intra ordines*, vel *per medios ordines*, id eſt acies, copias armatorum extra atrium diſpoſitas.

V. 16. IMPOSUERUNTQUE EI MANUS. Hebr. *Et poſuerunt ei manus*. Quidam: *Poſueruntque ei ſpatium*: vel *dederuntque ei locum*; ſubaudi, per ordines, ſeu acies inſtructas. Aliqui: *Cum itaque diſponerent ei cuſtodias laterales*. Vide ſupra verſ. 7. PER VIAM INTROITUS EQUORUM IUXTA PALATIUM REGIS. Hebr. *Via aditus equorum domum Regis*. Exponunt, Per viam per quam equi ingrediebantur in domum Regis. Quidam: *Abiit via aditus equorum verſus domum Regis*, id eſt portæ civitatis Davidis, ita vocatæ ad aquilonem, qua ad portam Ephraimi ibatur, infra cap. XIV. verſ. 13,

V. 17. PEPIGIT ERGO IOIADA FOEDUS, &c. Duplex fœdus hoc verſu deſcribitur, prius eccleſiaſticum Regis, & populi cum Deo; deinde civile populi cum Rege. Nempe prius, ut Rex & populus ſervarent legem Dei: poſterius, ut Rex regeret populum cum omni æquitate, & populus imperata faceret.

V. 18. ET POSUIT SACERDOS CUSTODIAS IN DOMO DOMINI. Hebr, *Et poſuit ſacerdos viſitaturas ſuper domum Iehovæh*. Quidam: *Poſuitque ſacerdos præfectos ſuper domum Iehovæ*: Alii, *præfecturas*. Nonnulli: *Et repoſuit ſacerdos præfecturas in domo Iehovæ*; id eſt, inſtauravit cultum & ordinem, temporum iniuria corruptiſſimum. פקדות *pekuddoth* ſignificat *viſitationes*, *inſpectiones*, *requiſitiones*, *recenſitiones*, quas nunc appellant *viſitas*. Id eſt, ſummus Sacerdos Iehoiadah viſitavit quam diligentiſſime, & accuratiſſime (nam id indicat pluralis numerus) domum Dei, collapſa reſtituit, perturbata compoſuit, omnia ad priſtinum ordinem, & ſtatum, ac decorem revocavit quæ ad Dei cultum, & ornatum templi pertinebant. Porro has viſitationes commiſſas fuiſſe ſacerdotibus, dicitur II. Paralipom. XXIII. 18.

MENOCHII.

Verſ. 1. INTERFECIT OMNE SEMEN REGIUM: ut ipſa non alieno nepotis alicuius nomine, ſed ſuo regnaret. Præter ambitionem acceſſit etiam timor, quod cum Achabi filia eſſet, ſciebat ſe a Iehu morti deſtinatam. Voluit ergo ipſa regnum Iuda habere in poteſtate, ut ſe redderet magis ſecuram. Aliam ratio-

nem affert Theodoretus. *Ut impia*, inquit, *& tyrannica voluit genus omne Davidis, tamquam pium radicitus extinguere, ut arrepto imperio populum suum doceret impietatem*. Eadem habet Procopius.

V. 2. IOSABA FILIA IORAM REGIS, SOROR OCHOZIAE, uxor Ioiadæ Pontificis, quæ etiam *Iosabeth* dicitur II. Paralip. XXII. 11. DE TRICLINIO. In Hebræo habetur non fublatum *de triclinio*, ſed abſconditum *in triclinio*, ut etiam habetur II. Paralip. XXII. 11. ubi legimus: *Abſconditque eum cum nutrice ſua in cubiculo lectulorum*: idem enim eſt triclinium quod cubiculum lectulorum. Ad conciliandam repugnantiam locorum dici fortaſſe poſſit, & fublatum de uno triclinio, in quo ſcilicet nutricis, & infantis, & aliorum lecti eſſent, & in cubiculo lectulorum abſconditum in templo. Salianus putat abſconditum in Pontificis cubiculo, quod Villalpandus in ſecundo templi veſtigio ad meridiem collocat, e regione ſcholæ Theologiæ, poſitæ ad ſeptemtrionem.

V. 4. CENTURIONES quinque ex tribu Levi. qui mox nominantur. PEPIGIT CUM EO FOEDUS, de ſervando ſecreto, adhibito etiam iureiurando.

V. 6. TERTIA PARS VESTRUM INTROEAT SABBATO. Ut quæ hoc verſiculo, & duobus ſequentibus dicuntur intelligantur, notandum eſt Ioiadam Levitas, quorum opera uti volebat, in duas claſſes diſtribuiſſe. Altera erat eorum qui ingrediebantur ſabbato in templum miniſteria ſua obituri. Altera eorum qui, miniſteri ſui tempore abſoluto, vel iam egrediebantur, vel egreſſi prius fuerant: & hi duplo plures erant quam qui ingrediebantur, videntur enim omnes in tres claſſes fuiſſe diſtributi, ita ut una miniſtraret, duæ vero vacarent a miniſterio. Rurſus eos qui ingrediebantur, de quibus agitur hoc verſ. 6. in tres partes diſtribuit, & unicuique tertiæ parti ſuum munus imponit. Sicut etiam iis qui egrediebantur, qui, ut dictum eſt, duplo plures erant iis qui ingrediebantur, quid facere debeant præſcribit num. 7. Emanuel Sa in hoc cap. num. 7. putat tot ingredi ſolitos ad miniſtrandum, quot egrediebantur miniſterio abſoluto, ſed num. 7. dici, *Duæ partes e vobis*: quia qui miniſterium abſolverant, & qui illud erant inchoaturi ſimul ſumpti, duas tertias partes Levitarum efficiebant, & favet quod II. Paralip. XXVIII. 8. dicitur: *Veniebant per ordinem ſabbati, cum his qui impleverant ſabbatum, & egreſſuri erant. Siquidem Ioiada Pontifex non dimiſerat abire turmas, quæ ſibi per ſingulas hebdomadas ſuccedere conſueverant*. Favent etiam quæ habentur hoc cap. num. 9. *Aſſumentes viros ſuos, qui ingrediebantur ſabbato, cum his, qui egrediebantur ſabbato, venerunt ad Ioiadam*, &c. OBSERVET EXCUBIAS DOMUS REGIS. Hæc tertia pars deſtinatur in ipſo templo ad obſervandam regiam, in qua erat Athaiia, ut ſi qua inde vis afferretur, ſtatim repelli poſſet. AD PORTAM SUR, quam fere omnes interpretantur fuiſſe portam atrii templi orientalem; quam Chaldæus appellat *portam Baronum*, ſive *Principum*. Vide plura apud Pinedam de reb. Salom. Lib. V. cap. v. num. 16. HABITACULUM SCUTARIORUM. Erant ſcutarii, Levitæ ſcuta, & gladios ferentes ad cuſtodiam templi, quorum habitatio erat ad partem meridianam templi. Nam & regia, & Sion erant a meridie templi. MESSA: aliqui putaverunt eſſe viri nomen proprium. Radix Hebraica מסס *naſach, verrere, everrere, ſcopis mundare* ſignificat. Itaque putat Villalpandus Tom. II. Part. II. cap. XXII. loca illa indicari per quæ egerebantur ſordes, vel domum ſive locum ſcoparum ſignificare, vel locum ex quo egerebantur templi cineres. Chaldæus videtur exiſtimaſſe nullum certum locum ea voce indicari, nam pro *domo Meſſa*, vertit *ſolicite*, quod etiam ſentiunt alii, qui *a defertione* interpretati ſunt, ut Vatablus; quaſi dixiſſet Ioiada: Cavebitis ne quis propriam deſerat ſtationem.

V. 7. OMNES EGREDIENTES SABBATO, id eſt iam perfuncti miniſterio hebdomadæ veſtræ. CUSTODIENT EXCUBIAS DOMUS DOMINI CIRCA REGEM; id eſt, excubabunt, & cuſtodient Regem in domo Domini, eum undecumque cingentes, ut nemo ad eum quoquomodo penetrare poſſit, interim dum inungitur, & conſtituitur Rex.

V. 8. INGRESSUS FUERIT, ut nobis reſiſtat. SEPEM TEMPLI, atrium quod eſt circa templum. INTERFICIATUR: quod intellige extra atrium, ut factum eſt in Athalia num. 15.

V. 9.

V. 9. QUI INGREDIEBANTUR SABBATUM, &c. Vide dicta numero ſexto.

V. 10. ARMA REGIS DAVID, quæ ille iam pridem conſecraverat in domo Domini. Non venerunt in templum armati ſacerdotes, & Levitæ, ne aliquam ſuſpicionem coniurationis excitarent, ſed ibi a Pontifice armis inſtructi ſunt.

V. 11. A PARTE TEMPLI DEXTERA, id eſt meridiana, quæ reſpiciebat regiam. USQUE AD PARTEM SINISTRAM ALTARIS, &c. Significat Regem conſtitutum fuiſſe in atrio Levitarum infra altare holocauſtorum, ne eo Regis conſpectus impediretur, excitato ſuggeſtu, qui infra num. 14. appellatur tribunal.

V. 12. TESTIMONIUM, id eſt Deuteronomium legis iuxta id quod in eodem Deuteronomio præſcribebatur cap. XVII. num. 18. & hanc loci huius ſententiam eſſe patet ex II. Paralip. XXIII. 11. ubi cum hæc eadem hiſtoria narratur, dicitur: *Et eduxerunt filium Regis, & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium*: quod explicans ſubdit: *Dederuntque in manu eius tenendam legem*: quæ ultima verba explicationis gratia addidit S. Hieronymus ex Libro Deuteronomii loco citato, cum nec in Hebræo ſint, nec in Græco. FECERUNTQUE EUM REGEM, cæremoniam omnem circa illum exercentes, quæ adhiberi ſolet in Regum inauguratione.

V. 13. AD TURBAS, ad populum, ut dicitur in Paralipomenis.

V. 15. QUICUMQUE EAM SECUTUS FUERIT, ſcilicet ut eam defendat. NON OCCIDATUR IN TEMPLO DOMINI: ne ſcilicet templum tam impio, & impuro ſanguine polluatur.

V. 16. IMPEGERUNT EAM: quæ verba hoſtilem, & violentam deductionem ſignificant. PER VIAM INTROITUS EQUORUM, per portam palatii, qua equi, & currus admittebantur. In Paralip. Lib. II. cap. XXIII. 18. dicitur: *Cumque intraſſet portam equorum domus Regis.*

V. 17. PEPIGIT FOEDUS INTER DOMINUM, ET INTER REGEM. Fuit Ioiada mediator, & ſequeſter inter Deum & Regem cum populo, exigens promiſſionem unius Dei colendi, omni ſuperſtitione terminata.

V. 18. TEMPLUM BAAL. Ubi fuerit hoc templum Baal, non ſatis conſtat: certe vel Ieroſolymis, vel in vicino monte offenſionis, de quo infra cap. XXIII. 13. id eſt in monte Oliveti, ubi pridem iſtiuſmodi ſana ædificaverat Salomon. CORAM ALTARI: quo confugerat ut ſe loci religione tueretur, vel ut Dei ſui imploraret auxilium. Niſi etiam forte eo tractus eſt, ut ibi mactaretur, ubi ſolebat ipſe idolo victimas immolare.

V. 19. CERETHI ET PHELETHI. Vide dicta II. Reg. VIII. 18. PORTAE SCUTARIORUM. Vide dicta num. 6.

V. 20. CIVITAS CONQUIEVIT, quam ſubita, & inſperata rerum commutatio concuſſerat, & turbaverat.

TIRINI.

Verſ. 4. ANNO AUTEM SEPTIMO, vitæ Ioas, MISIT IOIADA Pontifex ad cunctas urbes *a* Iuda, qui Levitas undique Ieroſolymam accerſerent, quorum ingens erat numerus. Ex his ASSUMPSIT CENTURIONES ET MILITES, ET INTRODUXIT AD SE IN TEMPLUM: nam ſolis iſtis licebat atrium ſacerdotale intrare. Ex his ergo clam & ſtato die collegit quantum potuit numerum, inſuper ex claſſibus eorumdem ſacerdotum, & Levitarum, quæ erant numero viginti quatuor, & per vices ita miniſtrabant templo, ut ante *b* quodque ſabbatum prioribus abeuntibus alii perpetuo ſuccederent. Ioiada ut numerum augeret ſuorum, iuſſit, *cum his qui ingrediebantur* (verſ. 9.) *ſabbatum* manere etiam priores *qui egrediebantur ſabbato.*

V. 10. QUI DEDIT EIS HASTAS ET ARMA REGIS DAVID, ſeu quæ Rex David ad excubias in domo Domini, agendas iſtic in armamentario iuxta *portam* (verſ. 19.) *ſcutariorum*, in eos uſus conſtructo, iam olim repoſuerat. Nimirum vitandæ ſuſpicionis cauſa nolebat Pontifex armatos in templum accurrere, ſed ex templi armamentario neceſſariis omnes armis inſtruxit. Inſtructis paratiſque omnibus,

V. 12. PRODUXIT FILIUM REGIS in publicum, ET POSUIT SUPER EUM DIADEMA regium, ET TESTIMONIUM id eſt, legem Moyſis, Deuteron. comprehenſam, quod II. Paralip. XXIII. verſ. 11. clarius

ſic exprimitur: *Dederunt in manu eius tenendam legem*. Erat enim hæc decreto divino neceſſaria cærimonia, ut patet Deut. XVII. Ita S. Hieronymus, Abulenſis, & Caietanus.

V. 16. PER VIAM INTROITUS EQUORUM. Id eſt, ad averſam portam palatii Regii, protracta eſt Athalia, ubi equorum ſtabula erant: & in area iſta, quæ etiam pars erat palatii, gladio (verſ. 20.) interfecta eſt.

V. 19. De legionibus CERETHI ET PHELETHI (quæ nomina in Hebræo, Chaldæo, & Græco hic omittuntur) vide quæ dixi I. Reg. XXX. verſ. 14. Erant hi prætoriani milites, quibus credebatur Regii corporis cuſtodia. Prima huius capitis vide II. Paral. XXII.

(a) II. Paralipom. XXIII. verſ. 8.
(b) I. Paralipom. IX. verſ. 25.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. QUam præceps ſit regnandi libido: avia nepotes ſtudio regnandi occidit, quos maxime tueri debuerat. Erat loſaba uxor Ioiadæ, & ſoror Ochoziæ ex patre Ioram, non vero ex Athalia matre. ABSCONDIT in templo: erat enim ibi locus templo coniunctus ubi dormiebant ſacerdotes, & Levitæ. Vide III. Reg. cap. V. verſ. 5.

V. 6. TERTIA PARS VESTRUM, &c. Ioas nunc annum agebat ſeptimum, hic verſ. ult. & II. Paral. IV. Magna Levitarum multitudo ex variis evocata civitatibus armatur (erat enim armamentarium in templo) & diſponuntur cuſtodes circa Regem. MESSA loci nomen eſt.

V. 9. CUM HIS QUI EGREDIEBANTUR SABBATO. Qui abſoluto miniſterio ſolebant ſabbato exire per vices, hi retinebantur ad cuſtodiam. Hinc verſ. 7. dixit duas partes. Hos autem retinendo Ioadas & denſat agmen, & impedit ne proditioni ſit locus.

V. 12. ET TESTIMONIUM. Sept. μαρτύριον: legem intelligere poſſumus. Unxerunt vero eum propter controverſiam ut in Salomone: alioqui filii Regum, quibus ex ſucceſſione debebatur Regnum, non ſolebant ungi.

V. 16. PER VIAM EQUORUM IUXTA PALATIUM. Via eſt introitus equorum domus regiæ. Averſam palatii portam deſignat, ubi ſolet eſſe ſtabulum equorum.

V. 19. CERETHI ET PHELETI ſunt legionum nomina, de quibus II. Reg. VIII. 18. Ioas vero Rex deductus in domum regiam per portam iuxta quam erat ſcutorum armamentarium.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 2. DE TRICLINIO: immo II. Paralipom. XXII. 11. dicitur abſconditus in triclinio. Locus erat templo iunctus, in quo dormiebant ſacerdotes: vocatur citato loco cubiculum lectulorum. Ut vero conſentiant citata loca, facile fuit ut ſublatus de triclinio, ubi erat ſub cura nutricis, deferretur abſcondendus in triclinio aliquo ſacerdotum.

V. 6. SUR eſt porta orientalis templi. MESSA putatur locus per quem emittebantur ſordes.

V. 17. FOEDUS. Effecit ut Rex fœdere icto cum Deo, promitteret verum Dei cultum promovere.

V. 18. TEMPLUM BAAL putatur fuiſſe in monte Oliveti.

CA-

CAPUT XII.

Ioas gazophylacii pecuniam ad ſartatecta templi inſtauranda expendit, Hazaeli autem Regi Syriæ bellum contra Ieruſalem paranti mittit omnes templi, & palatii theſauros, tandemque a ſervis ſuis occiditur, cui ſuccedit filius eius Amaſias.

1. ANno ſeptimo Iehu, regnavit Ioas: & quadraginta annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Sebia de Berſabee. 2. Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada ſacerdos. 3. Verumtamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelſis incenſum. 4. Dixitque Ioas ad ſacerdotes: Omnem pecuniam ſanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a præteuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini: 5. accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſartatecta domus, ſiquid neceſſarium viderint inſtauratione. 6. Igitur uſque ad vigeſimum tertium annum Regis Ioas, non inſtauraverunt ſacerdotes ſartatecta templi. 7. Vocavitque Rex Ioas Ioiadam Pontificem, & ſacerdotes, dicens eis: Quare ſartatecta non inſtauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam. 8. Prohibitique ſunt ſacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, * & inſtaurare ſartatecta domus. 9. Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo ſacerdotes qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini. 10. Cumque viderent nimiam pecuniam eſſe in gazophylacio, aſcendebat ſcriba Regis, & Pontifex, effundebantque, & numerabant pecuniam quæ inveniebatur in domo Domini: 11. & dabant eam iuxta numerum atque menſuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, & in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini, 12. & ſartatecta faciebant: & in iis qui cædebant ſaxa, & ut emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur inſtauratio domus Domini, in univerſis quæ indigebant expenſa ad muniendam domum. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuſcinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini. 14 Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut inſtauraretur templum Domini: 15. & non fiebat ratio iis hominibus qui accipiebant pecuniam ut diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam. 16. Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum erat. 17. Tunc aſcendit Hazael Rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam: & direxit faciem ſuam ut aſcenderet in Ieruſalem. 18. Quam ob rem tulit Ioas Rex Iuda omnia ſanctificata, quæ conſecraverant Ioſaphat & Ioram & Ochozias, patres eius Reges Iuda, & quæ ipſe obtulerat: & uni-

universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini; & in palatio Regis: misitque Hazaeli Regi Syriæ, & recessit ab Ierusalem. 19. Reliqua autem sermonum Ioas, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? 20. Surrexerunt autem servi eius, & coniuraverunt inter se, percusseruntque Ioas in Domo Mello in descensu Sella. 21. Iosachar namque filius Semaath, & Iozabad filius Somer, servi eius, percusserunt eum, & mortuus est: & sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David, regnavitque Amasias filius eius pro eo.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 8. *Et instaurare sartatecta domus*. Non est mutanda vox *domus* cum *templi*.

COMMENTARIA

SA:

Vers. 3. IMMOLABAT, scilicet Deo, sed loco non licito.

V. 4. SANCTORUM, id est templi, seu rerum Deo consecratarum. PRAETEREUNTIBUS, id est in numerum transeuntibus: scilicet qui attigerant vigesimum annum, numerabantur, & dabat quisque dimidium sicli ad sacrificium iuge, de quo vide Exod. XXX. QUAE OFFERTUR; pro, & quæ offertur. PRETIO ANIMAE, scilicet quo se redimebat, cum se Deo voverat.

V. 5. IUXTA ORDINEM SUUM. Hebr. & Chald. *a noto suo*, seu *familiari*. Sic etiam infra. SARTATECTA. Hebr. & Chald. *fissuras*, seu *rupturas*.

V. 8. PROHIBITIQUE .... ACCIPERE. Hebr. Chald. & LXX. *Convenerunt*, seu *consenserunt*, *ne acciperent*.

V. 9. GAZOPHYLACIUM, scilicet arculam. DESUPER. Hebr. & Chald. *in ostio eius*: quidam tamen vertunt *in operculo*. AD DEXTERAM, scilicet templi, id est *ad austrum*: sic quidam; sed quod sequitur videtur repugnare.

V. 12. EFFUNDEBANTQUE. Chald. & LXX. *colligebant*, scilicet in fasciculos, seu sacculos.

V. 13. HYDRIAE. Alii, *Scyphi argentei*. Chald. *Calices argentei*. LXX. *Portæ argenteæ*. Sic & sequentia aliter vertunt quam Nostri: scilicet incerta est valde significatio quorumdam Hebraicorum verborum.

V. 15. FIEBAT, id est exigebatur. FIDE, scilicet bona.

V. 16. DELICTO, id est emenda victima pro delicto: scilicet dabatur interdum sacerdotibus ut emerent, & quod supererat, sacerdotum erat. Ita quidam. Gloss. interlin. refert ad pecuniam, de qua Exod. XXX. cum populus recensebatur. Forte intelligitur quævis pecunia pro peccatis oblata sacerdotibus. IN TEMPLUM, scilicet ad sartatecta.

V. 18. SANCTIFICATA, id est *donaria*. ARGENTUM. Hebr. Chald. LXX. & Complut. *aurum*. RECESSIT, id est desiit venire.

V. 20. MELLO. Non est iste Mello qui in Ierusalem, secundum quosdam. Alii eumdem locum putant.

ESTII.

Vers. 2. FECITQUE IOAS RECTUM CORAM DOMINO CUNCTIS DIEBUS QUIBUS DOCUIT EUM IOIADA SACERDOS. Per hoc quod restringitur, *Cunctis diebus quibus docuit eum Ioiada sacerdos*, insinuatur eum postea non fecisse rectum, sed declinasse a præceptis Domini, id quod plenius habetur in Lib. Paralipom. (I. cap. XII.)

Moraliter in Ioas Rege, regia potestas; seu sæcularis magistratus intelligitur; in Ioia-

Ioiada vero ſummo Pontifice poteſtas ſacra, ſive magiſtratus Eccleſiaſticus. Quamdiu ergo Ioiada docet Ioam, rectum facit coram Domino; hoc eſt, quamdiu magiſtratus civilis obſequitur monitis, & doctrinæ poteſtatis Eccleſiaſticæ, tamdiu agit recte & proſpere, nec diutius.

V. 18. TULIT IOAS OMNIA SANCTIFICATA, MISITQUE AZAEL REGI SYRIAE, ET RECESSIT AB IERUSALEM. Hoc factum Scriptura ſacra neque laudat, neque vituperat, ſed tantum commemorat. Itaque de eo ex circumſtantiis iudicandum. Quod ſi aliunde Rex potuit comparare pecuniam, cuius largitione hoſtem averteret, ut ex theſauris propriis, tributis populi, vel ſimilibus, non debuit theſauros, & vaſa templi in eum uſum convertere. Si autem alia ratio non erat hoſtilem impetum retundendi, & a populo Dei avertendi, licite id fecit, ne ſcilicet Iſraelitæ a Rege Syriæ ducerentur in captivitatem. Nam & Ambroſius teſtatur pro captivorum redemptione, etiam tempore novi teſtamenti vaſa ſacra poſſe conflari.

MARIANAE.

Verſ. 4. OMNEM PECUNIAM SANCTORUM. Sept. & Chald. *argentum ſanctorum* dixere. Hebr. *ſanctificatum*, id eſt ſanctam, Deo dicatam. A PRAETEREUNTIBUS. Hebr. *tranſeuntis viri*: ſcilicet ad numerum, Exod. xxx. 13. cum populus recenſebatur, maiores viginti annis per capita pendebant dimidium ſicli. QUAE OFFERTUR PRO PRETIO ANIMAE. Hebr. *Argentum animarum æſtimatio eius*, pro earum. Hæc erat nova pecunia ex votis redacta, cum quis ſe Deo vovebat, Levit. xxvii. 2. ſeque pretio redimebat. ET QUAM SPONTE. Tertium pecuniæ genus ab ſponte offerentibus. Ita novus Rex de pecunia ſacra iubet.

V. 5. ACCIPIANT ILLAM SACERDOTES IUXTA ORDINEM SUUM. Hebr. *Accipiant ſibi ſacerdotes vir* (id eſt quiſque) *a noto ſuo*: ſic Chald. nempe promiſcue a volente illi dare pecuniam illam ſacram ſacerdos quilibet, aut a deſtinatis publicanis (eos *notos* vocat) accipiebat. ET INSTAURENT SARTATECTA DOMUS. Hebr. *Et fortificent rupturas domus*. ii. Paral. xxiv. verſ. 27. Athalia deſtruxerat domum Dei: quæ illa demolita erat, Ioas inſtaurat.

V. 6. USQUE AD VIGESIMUM TERTIUM ANNUM. Hebr. *Et fuit in anno vigeſimo tertio Regis Ioas*: ſic Sept. & Chald. quaſi dicat: Ad eum annum inſtauratio templi non cœperat. Quiſque ſacerdos, ut accipiebat pecuniam, in ſuos uſus conſumebat. Numquam templum inſtaurabitur, dum vectigalia ſacra privatorum ſacerdotum in iure & arbitrio erunt.

V. 8. PROHIBITIQUE SUNT SACERDOTES, &c. Hebr. *Conſenſerunt ſacerdotes ut non acciperent pecuniam*: ſic Septuag. & Chald.

V. 9. GAZOPHYLACIUM poſuit Ioiada, id eſt *arcam*: ſic Sept. & Chald. FORAMEN DESUPER. Hebr. *Perforavit foramen in porta eius*, id eſt operculo: quod Hieronymus dixit *deſuper*. AD DEXTERAM INGREDIENTIUM, id eſt ad ſeptemtrionem. QUI CUSTODIEBANT OSTIA. ND *ſaph* ſignificat *limen*. Hebræus putat hic ſignificare *vas*. Itaque vaſorum cuſtodes pecuniam in arcam mittebant.

V. 10. EFFUNDEBANTQUE, ſcilicet cum multa pecunia erat in arca. Hebr. *ligabant*: ſic Sept. & Chald. nimirum in ſacculos eam mittebant, ligabantque: forte etiam ſigillo adhibito, quo minor fraudi locus. Productam numerabant ſcilicet,

V. 11. ET DABANT EAM IUXTA NUMERUM ET MENSURAM. Hebr. *Et dederunt argentum paratum*, id eſt numeratum & ſignatum, ſcilicet fabricæ præfectis; ii fabris qui operabantur,

V. 12. ET SARTATECTA FACIEBANT. Vox *ghoderim*, *cæmentarios* ſignificat, qui e lapidibus faciunt parietes; Chald. *lapicidas* dixit. IN UNIVERSIS QUAE INDIGEBANT EXPENSA. Heb. *Et ad omne quod egrediebatur* (id eſt inſumebatur) *ſuper domum ad fortificandum*. Sententiam Hieronymus expreſſit.

V. 13. HYDRIAE TEMPLI. Hebr. *ſphoth*; quidam *ſcyphos* putant, vocum ſimilitudine inducti; alii *crateres*. Hebræus ait ſignificare vas in modum cadi. Id ſunt hydriæ, quæ & alia vaſa, non fiebant ex ea arcæ pecunia. FUSCINULAE. Hebr.

Hebr. *musica instrumenta*. THURIBULA. Hebr. *phialæ*.

V. 15. ET NON FIEBAT RATIO; id eſt, non adigebant ad rationes eos per quos pecunia diſtribuebatur fabris. Fides habita ſæpe fideles homines facit.

V. 18. ET UNIVERSUM ARGENTUM templi accepit Ioas, & miſit Hazaeli. Hebr. Chald. & Sept. *omne aurum*. Vulgata etiam in Regiis *aurum* habet. RECESSIT, venire deſiit ad bellum Hazael.

V. 19. RELIQUA AUTEM SERMONUM, id eſt rerum. IOAS. Bis hic de hoc nomine detrahitur ה *he*, quæ ſuperius ponitur ſemper *Iohas*, ad indicandum, ex eo tempore nullum Regem fuiſſe; tum quod auro pacem redemit a Syriæ Rege, tum ob contacta ſacra dona, quod nefas eſt. Neque prius mala reſtiterunt, quam a ſuis occiſus eſt, apud quos flagrabat invidia.

V. 20. PERCUSSERUNTQUE IOAS IN DOMO MELLO, *Mello* a plenitudine, ſic dicta quod ibi forum eſſet, & conventus haberentur. Porro inter alia Salomon Mello exſtruxit, III. Reg. IX. 15. & 24.

MALVENDAE.

Verſ. 2. CUNCTIS DIEBUS, QUIBUS DOCUIT EUM IOIADA SACERDOS. Hebr. *Omnibus diebus, quibus iecit*, aut *iaculatus eſt eum Iehoiadah ſacerdos*. Elegans locutio, proiecit eum in viam rectam & bonam. Vide I. Samuel. XII. 23. Alii, *Docuit*, *inſtituit*, *eum*. Nam poſt Iehoiadæ mortem, Ioas cum principibus deſcivit a cultu Dei. Vide II. Paralip. XXIV. 17. & 18.

V. 3. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT, &c. Vid. de hoc verſ. I. Reg. XV. verſ. 14. & XXII. 24. ſenſum eſſe aiunt, Deum quidem tantum colebant, ſed alibi quam in loco quem elegerat.

V. 4. OMNEM PECUNIAM, &c. Totam hanc partem verſus ad finem uſque nos verbatim ex Hebræo reddidimus (*Omnem pecuniam ſanctorum, qui illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Dei.*) Diverſimode alii. I. *Omne argentum ſanctitatum, quod inferetur in domum Iehovæ, argentum tranſeuntis viri, argentum animarum æſtimationis eius, omne argentum quod aſcendet ſuper cor viri ad adducendum in domum Iehovæ.* II. *Omnem pecuniam ſanctificationum, quæ introducitur in domum Iehovæ, id eſt pecuniam tranſeuntis, & pecuniam perſonalem æſtimationis cuiuſque: omnem denique pecuniam, quam ſinguli ſponte conferunt in domum Iehovæ.* III. *Omnem pecuniam ſanctificatorum, quæ illata eſt in domum Domini, nempe pecuniam virorum, qui in cenſum tranſeunt, pecuniam animarum, quam quiſque dat pro æſtimatione ſua, omnem pecuniam denique, quam ſinguli ſponte conferunt in domum Domini.* Exponunt, triplicem hoc loco pecuniam ſacram denotari. Primam, pecuniam tranſeuntis, ſeu tranſeuntium, ſingulare pro plurali; ſubaudi, in numerum, ſive inter numeratos, id eſt qui numerabantur cum aliis, ab anno vigeſimo & ſupra: qui quidem dabant in ſingula capita dimidium ſicli, Exodi XXX. 12. & ſequentibus. Hæc vocatur pecunia cenſus, ſeu viſitationis. Secundam, pecuniam animarum, ſeu perſonalem æſtimationis cuiuſque, ſeu pecuniam pretii animarum cuiuſque hominis, quam quiſque ſolvere tenebatur, cum votum voviſſet Domino, ſe daturum quantum æſtimatum eſſet a ſacerdote, Levit. XXVII. 2. & ſequentibus. Tertiam, quæ ſponte & liberaliter a devotis perſonis offerebatur. IV. *Omnem pecuniam ſacrorum, quæ infertur in domum Iehovæ, pecuniam tranſeuntis, pecuniam æſtimationis animarum cuiuſque: omnem pecuniam, quam venerit in animum cuiuſque offerendi in domum Iehovæ.* Explicant. *Pecuniam tranſeuntis*, &c. id eſt collectam, vel capitationem, quæ viritim a ſingulis ex ordine tranſeuntibus domeſticatim colligebatur, prout quiſque ſua æſtimabat, & ultro offerebat: *quam venerit in animum cuiuſque*, &c. id eſt voluntariam, non autem ex reatu aut peccato imperatam lege, ut infra verſ. 17. luxta hanc interpretationem non triplex, ſed unum tantum genus ſacræ pecuniæ, nempe capitatio, hic deſcribitur, quæ ultro iuxta æſtimationem facultatum cuiuſque offerebatur Deo. OMNEM PECUNIAM SANCTORUM. Hebr. *Sanctitatum*, vel *ſanctificationum*. Quidam, *Sanctificationum*. Alii, *Sacrorum*, id eſt Deo conſecratam, & templo oblatam,

V. 5.

V. 5. SARTATECTA DOMUS. בדק *bedek* aiunt esse *farturam*, id est *rimam* seu *rupturam farciendam*, vel *fissuram*, *fracturam*, *ruinam*, *scissuram*: quidam *labem* interpretantur. Sic vers. 6. 7. 8. 12. collective accipi volunt. Nec desunt qui *scrutationem*, *requisitionem domus* interpretentur; id est, quidquid requisitum fuerit ad instaurationem domus, vel quamlibet partem, quæ instaurationem requirit. Notant, iam tunc fuisse annum centesimum quinquagesimum quintum ex quo templum fuerat extructum; unde aliquibus in locis minari potuisse. Alii aiunt, tunc templum fuisse lacerum ac pene dirutum ab Hathaliah, & filiis eius, qui, quidquid erat pretiosum in domo Domini, transtulerint in ædem Bahalis. Vide II. Paralipomen. XXIV. 7.

V. 7. REDDITE EAM. Hebr. *Tradite eam*, scilicet quam hactenus accepistis.

V. 9. ET TULIT, seu accepit IOIADA: nimirum iussu Regis Ioasi. Vide II. Paralip. XXIV. vers. 8. GAZOPHYLACIUM UNUM. Hebr. *arcam unam*. Plerique reddunt *arcam unius*, vel *arcam alicuius*, scilicet sacerdotis vel Levitæ: nam quidquid penes se habebant ex capitatione, retulerant ex mandato Regis, vers. 8. Ego non video cur regimen hic ponatur, nisi quod *arca* sit fœmineum, & *unus* masculeum. Verum quis nescit arcam sæpe quoque esse masculeum? IUXTA ALTARE AD DEXTERAM INGREDIENTIUM DOMUM DOMINI. Exponunt: Id est ad dexterum postem portæ atrii sacerdotum, ubi altare erat, extrinsecus in fine atrii magni quousque pervenire licebat toti Israeli. Vide II. Paralip. XXIV. 8. QUI CUSTODIEBANT OSTIA. Hebr. *Custodes liminis*, vel *observantes limen*. Explicant, Nimirum portæ atrii sacerdotum ex præscripto Dei, Numeror. XVIII. 4. Alii, *Custodes vasis*, seu *vasorum*, id est qui curabant, & custodiebant sacram templi supellectilem. Quidam, *Custodes malluvii*, id est illius vasis, seu thecæ perforatæ, in quam inferebatur pecunia. Nec desunt qui reddant, *Custodes abaci*.

V. 10. ASCENDEBAT SCRIBA REGIS. De voce סופר *sopher*, id est *scriba*, disseruimus abunde in II. Samuel. VIII. 17. Proprie, *Numerans Regis*. Hispanice, *El contador del Rey*. EFFUNDEBANTQUE, ET NUMERABANT PECUNIAM. Hebr. *Et concluserunt*, & *numeraverunt argentum*. Quidam: *Qui colligabant*, *postquam numeraverant*, *pecuniam*; id est, qui numeratam pecuniam, quæ inveniebatur in ea arca, colligabant in fasciculos. Alii: *Et ligarent*, *quam numeraverant*, *pecuniam*, id est ligarent loculis impositam. Verba Hebraica videntur inversa. Nonnulli: *Et formaverunt*, *figuraverunt*, *signaverunt*, & *numeraverunt argentum*; id est, imprimebant argento infecto notam monetæ, cudebant pecuniam, & sic numerabant. Possit intelligi: *Et ligaverunt*, id est fuderunt argentum iniecta mixtione æris, ut Hispanice dicimus, *Poner liga*, cum ad cusionem monetæ funditur.

V. 11. ET DABANT EAM IUXTA NUMERUM ATQUE MENSURAM. Hebr. *Et dabant argentum paratum*. Participium מתכן *metuccan* varie elucidant: 1. *pecuniam numeratam*, vel *signatam*; 2. *argentum demensum*, *appensum*, seu *ponderatum*; 3. *pecuniam certam*; 4. *argentum fabricatum*, *dispositum*; 5. *Posita tradebant pecuniam istam certa summa compositam*; 6. *Et dabant pecuniam signatam*, *figuratam*, *cusam*, id est in monetam conformatam; ut posset usui esse ad emendam materiam, & reddendam opificibus mercedem. IN MANU EORUM QUI PRAEERANT OPERIBUS DOMUS DOMINI. Hebr. *Super manus facientium opificium*, *præfectorum domo Iehovæh*. Exponunt: In manus architectorum, qui præfecti erant operi templi. Vel in recto. *Præfecti domo Iehovæh*; id est, præfecti operis dabant operariis. Vide inf. cap. XXII. vers. 5. Quidam reddunt, *In manus curatorum illius operis*, *præfectorum operis domus Iehovæ*, Alii, *In manus eorum qui faciebant opus*, & *eorum qui inspectores*, *visitatores*, *erant* (operis, seu fabricæ) *ædis Domini*. Nonnulli, *Per manus factorum operis*, *ordinatorum in domo Iehovæ*; id est, per ordinatos in templo effectores operis, id est per præfectos operi reparandi templi, dabatur pecunia.

V. 12. ET SARTATECTA FACIEBANT. Hebr. *Et pro sepientibus*, vel *pro fabris muratiis*, *cæmentariis*. Quidam, *Pro curatoribus*, seu *præparatoribus materiæ*. Hispanicus, *Albaniles*.

V. 13. HYDRIAE. ממזג *sippot* genera-

le nomen vaſorum eſſe videtur, ut obſervavimus in Exodi XII. 22. hic plerique pro ſingulari aliqua vaſis ſpecie capiunt, redduntque *pelves*, *phialæ*, *crateres*, *hydriæ*, *ſcyphi*, *malluvia*, *pateræ*.

V. 14. IIS ENIM QUI FACIEBANT OPUS, DABATUR UT INSTAURARENT, &c. Sed inſtaurata, iam & reparata domo, reſiduum pecuniæ in vaſa illa ſacra impenſum eſt, ut ſcribitur II. Paralip. XXIV. 14.

V. 15. ET NON FIEBAT RATIO IIS HOMINIBUS, QUI ACCIPIEBANT PECUNIAM, UT DISTRIBUERENT EAM ARTIFICIBUS. Nos Hebr. verbo tenus expreſſimus (*Et non computabant ad homines quibus dabant argentum ſuper manum eorum, ad dare facientibus miniſterialis.*) Alii varie. I. *Et non ſupputabant viros, in quorum manus dabant pecuniam, ut darent facientibus opus*; id eſt, non exigebant rationem ab eis. II. *Et non rationem reddere faciebant homines, per quorum manus dabant pecunias*, &c. III. *Et non ſupputabant cum hominibus, in quorum manus dabant*, &c. hoc eſt, non exigebant ab illis rationem, &c. IV. *Nec ratio exigebatur a viris huiuſmodi, in quorum manus pecuniæ illæ datæ erant, ut ipſi darent eas his qui faciebant opus*. V. *Neque rationes exigebant ab hominibus illis, in quorum manus tradebant pecuniam, tradendam curatoribus operis*. VI. poſſis exponere: *Et non æſtimabunt apud homines, quibus dabant pecuniam*, &c. id eſt, large, abunde, ſine æſtimatione, arbitrio, dabant illis hominibus pecuniam, &c. SED IN FIDE TRACTABANT EAM. Hebr. *Quia in fide ipſi faciebant*. Quidam: *Nam fide illi agebant*. Alli: *Nam bona fide illi agebant*; id eſt, pecunia fidei illorum comitebatur, & ipſi bona fide adminiſtrabant eam.

V. 16. PECUNIAM VERO PRO DELICTO, ET PECUNIAM PRO PECCATIS, &c. Exponunt, Id eſt pecuniam quæ ſupererat, empta victima pro delicto, vel pro peccato. Qui voverant in longinqua regione aliquid pro peccato, aut delicto, mittebant pecuniam ad ſacerdotes, qui victimas emebant: & quod ſupererat pecuniæ empta victima, id cedebat ſacerdotibus. Exemplum eſt Baruch cap. I. verſ. 6. & 10. Alii, *pecuniam pro delicto*, & *pecuniam pro peccato*, intelligunt eam de qua Levit. V. 15. & ſeqq. nam quod ibi de duobus reatus generibus præcipitur, ſynecdochice ad ſimilia peccata pertinet, ex analogia quæ habetur Levit. VII. 7.

V. 17. TUNC ASCENDIT HAZAEL REX SYRIÆ, &c. Explicant, Nimirum iuxta prophetiam Eliſei, ſup. cap. VIII. verſ. 12. Tunc autem, id eſt mortuo Iehoiadaho, & Ioaſo corrupto & depravato, II. Paralip. XXIV. 17. & ſeqq. CONTRA GETH. Hebr. *Ghath*. Vide de hac urbe Comment. in Ioſue XI. 22. ET DIREXIT FACIEM SUAM UT ASCENDERET IN IERUSALEM. Hebr. *Et poſuit Hazael faciem ſuam ad aſcendendum contra Ieruſalaim*. Quidam: *Poſtea convertit Hazael faciem ſuam, ut aſcenderet contra Ieruſalaim*. Alii: *Et compoſuit Hazael faciem ſuam, ut aſcenderet*, &c. nimirum cum iam popularetur regnum, II. Paral. XXIV. 23.

V. 19. RELIQUA AUTEM SERMONUM IOAS, &c. Vide ſimilem verſum ſupra cap. X. verſ. 34.

V. 20. IN DOMO MELLO. De *Millo* vide Iudic. IX. 6. & II. Samuel. V. 9. & I. Reg. IX. 15. & 24. & cap. XI. verſ. 27. Poſſis vertere, *In loco Millo*. IN DESCENSU SELLA. Hebr. *Quæ deſcendit in Silla*. Hanc vocem pauciſſimi expediunt; quidam tamen a סלל *ſalal*, vel מסד *ſalab* derivant, id eſt *ſternere*, *conſternere*, *viam*. Tremellius, & Iunius hunc locum ita convertunt, & exponunt: *Percuſſerunt Ioaſchum in loco munitionis, qui vergit Sillam verſus. Sillam, id eſt aggeſtum iter. Videtur partem illam intelligere, in qua Scelomoh aggeſta terra aſcenſum fecit a domo ſua ad domum Dei, I. Chronic. XXVI. 16. & II. Chronicor. IX. 11. Nam magis probamus Hebræam vocem Silla appellative accipi pro aggere, ex iſtorum locorum comparatione*. Vide etiam I. Reg. X. 5. & 12. Aliud hic nos divinare non potuimus.

V. 21. IOZACHAR. II. Paralipomen. XXIV. verſ. 26. appellatur *Zabad*. FILIUS SOMER. II. Paralip. XXIV. 26. vocatur *Simritha*. ET SEPELIERUNT EUM CUM PATRIBUS SUIS. Exponunt, In eadem quidem urbe, ſed non in eodem ſepulcro patrum ſuorum. Alii: *Et ſepeliverunt eum cum maioribus ſuis*, id eſt ſicut maiores ſuos,

ſuos, ſed non in ſepulcro Regum, II. Paralip. xxiv. 25.

MENOCHII.

Verſ. 2. CUNCTIS DIEBUS, QUIBUS DOCUIT EUM IOIADA SACERDOS, quem magna reverentia quaſi patrem proſequebatur.

V. 3. EXCELSA NON ABSTULIT. Quomodo hoc intelligendum ſit diximus III. Reg. xxii. 44.

V. 4. OMNEM PECUNIAM SANCTORUM, quæ ſcilicet conſecratur Domino, ſive pecuniam ſanctam quæ offertur Domino in uſum ſanctuarii. A PRAETEREUNTIBUS, id eſt qui tranſeuntibus in cenſum populi, id eſt qui attigerant vigeſimum annum: ab eo enim tempore, & deinceps numerari ſolebant a Levitis cenſoribus, & pendere in ſingula capita dimidium ſicli, ut in lege Domini Exodi xxx. 12. 13. præſcriptum fuerat. PRO PRETIO ANIMAE. Hæc pecunia dicitur offerri pro pretio animæ, quia dixerat Dominus ſolvendam, ne fieret plaga in populo, ſi numeraretur eo pretio non perſoluto. Vide dicta Exod. xxx. 12.

V. 5. IUXTA ORDINEM SUUM, quo ſcilicet per vices miniſtrabant in templo. INSTAURENT SARTATECTA DOMUS: ſicubi templum aliqua ex parte ſit ſarciendum, aut inſtaurandum, ſi quæ in templo reſtituenda, expurganda, ornanda.

V. 6. USQUE AD VIGESIMUM TERTIUM ANNUM, &c. Fuerunt fortaſſe ſacerdotes, & Levitæ in agendo negligentes, quia pecuniam non ſibi, ſed templo colligebant, & præter laborem aliud lucrabantur nihil, vel quia viderunt populum in ſolvendo difficilem, ut Ioſephus ſignificat Lib. IX. cap. VIII. Verum cum poſtea, ut patet ex num. 10. adeo ſe liberalem populus exhibuerit, cum in arca vel gazophylacium conjecta eſt pecunia, ſubiit animum ſuſpicio, populum non admodum Levitis, ac ſacerdotibus fidere voluiſſe.

V. 7. QUARE SARTATECTA NON INSTAURATIS TEMPLI? &c. Lib. II. Paralip. xxiv. 6. argui videtur negligentia Levitarum in colligenda pecunia; hic autem eorum fides deſiderari, quod acceptа pecunia inſtaurare templum neglexerint, ideoque eam reddere iubentur. Utrumque verum fuit: nam egreſſi non ſunt per civitates luda ad colligendam pecuniam, & quam populus ſponte obtulit, acceperunt.

V. 9. GAZOPHYLACIUM, arcam ad gazas, id eſt divitias, & pecunias oblatas colligendas, & ad tempus aſſervandas. FORAMEN DESUPER, ad immittendas pecunias, ut apud nos fit in arculis eleemoſynarum. IUXTA ALTARE. In II. Paralip. xxiv. 8. dicitur: *Et fecerunt arcam, poſueruntque eam iuxta portam domus Domini foriſecus*. Dicendum videtur, prius arcam iuxta altare poſitam fuiſſe, ut habetur hoc capite. Verum quia eo penetrare laicis non licebat, & pecuniæ per manus ſacerdotum, & Levitarum eo deferendæ erant, ut patet ex eodem verſiculo cum dicitur: *Mittebantque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini*: ut populo ſatisfieret, ne offerentium pietas retardaretur, aliam arcam iuxta portam domus foriſecus poſitam fuiſſe ut per ſe quiſque quod voluiſſet abſque alterius miniſterio offerre poſſet. Ioſephus hanc explicationem adiuvat, qui Lib. VII. de bello Iudaico cap. XI. plurium gazophylaciorum meminit. AD DEXTERAM INGREDIENTIUM, in parte ſeptemtrionali templi: nam dextera templi dicitur quæ reſpicit meridiem, ſiniſtra quæ aquilonem, anterior eſt orientalis, occidentalis poſterior. Vice verſa dextera ingredientium templum eſt aquilonaris, ſiniſtra meridiana, ſicut anterior eſt occidentalis, poſterior orientalis. MITTEBANTQUE IN EO SACERDOTES. Nomen ſacerdotis laxius accipitur ut etiam Levitas comprehendat: erat enim officium Levitarum oſtia cuſtodire, & ianitorem agere.

V. 11. IUXTA NUMERUM, ET MENSURAM. Dabatur præfectis cæmentariorum, & artificum pecunia numerata.

V. 13. NON FIEBANT EX EADEM PECUNIA HYDRIAE, &c. Scripturæ mens eſt non fuiſſe a principio illis operarum præfectis commiſſam curam, ut curarent confici vaſa templi uſibus neceſſaria, ſed tantum tecta, & parietes, & eorum ornamenta, quibus perfectis reliqua pecunia

(erat enim plurima, &, ut II. Paralip. cap. XXIV. dicitur, infinita) in huiusmodi vasa impensa est. *Hydriæ* alii vertunt *scyphos argenteos*, Chaldæus habet *calices argenteos*, LXX. *portas argenteas*. Sic & sequentia aliter vertunt quam Noster, est enim valde incerta quorumdam Hebræorum vocabulorum significatio.

V. 15. NON FIEBAT RATIO, &c. eorum enim bonæ fidei committebatur administratio tamquam viris optimis, omnibus probatis, & ad id munus a Rege, ac Pontifice delectis.

V. 16. PECUNIAM PRO DELICTO; id est, pro emenda victima pro delicto, quæ pecunia dabatur interdum sacerdotibus ut emerent, & quod supererat, sacerdotum erat. Ita quidam interpretantur. Fortasse intelligitur quævis pecunia pro peccatis oblata sacerdotibus. IN TEMPLUM, in gazophylacium, expendenda in sartatecta. PUGNABAT CONTRA GETH, quæ olim Philisthæis, nunc Iudæis parebat. Eam enim olim David ceperat, & pagos ad eam pertinentes, ut ex I. Paralip. XVIII. 1. constat.

V. 18. OMNIA SANCTIFICATA, omnia donaria pretiosa tam aurea, quam argentea.

V. 20. PERCUSSERUNT IOAS. Vide Paralip. Lib. II. XXIV. 25. ubi, postquam dictum est Zachariam filium Ioiadæ interfectum fuisse iussu Ioas, dicitur: *Surrexerunt contra eum servi sui in ultionem sanguinis filii Ioiadæ sacerdotis*. Indicat ergo Scriptura voluisse eos ulcisci necem Zachariæ. Ita etiam sentit Iosephus Lib. IX. Antiquit. cap. VIII. *Ioas*, inquit, *gravi morbo implicitus, amicis Zachariæ pœnas dedit, qui ne filius Pontificis maneret inultus, per insidias eum sustulerunt*. IN DOMO MELLO. Cum vorago Mello, super quam erat transitus Regis in templum, geminum haberet clivum, alterum ad templum, alterum ad regiam, videtur *descensum Sella* peculiariter vocatum esse declivitatem illam, quæ erat ex parte regiæ, ubi erat quædam domus Regis, quam *domum Mello* vocat Scriptura, in qua ægrotabat, & occisus est.

V. 21. IOSACHAR FILIUS SEMAATH. Hic sicarius II. Paralip. XXIV. 26. appellatur *Zabad* filius Semaath. Fortasse utroque nomine vocabatur, erant enim olim multi binomii, ut patet ex variis Scripturæ locis. IOZABAD FILIUS SOMER. In Paralipom. loco citato dicitur fuisse filius *Semarith*, quæ vox cum sit feminini generis, nomen matris est, non patris; *Somer* autem quod hic habetur, nomen est patris. SEPELIERUNT EUM CUM PATRIBUS SUIS. Est quidem sepultus cum patribus suis, quod ad communem locum attinet, scilicet in civitate David, non tamen eodem sepulcro, cum dicatur II. Paralipom. XXIV. 25. *Non in sepulcris Regum*.

TIRINI.

Vers. 4. OMNEM PECUNIAM SANCTORUM, id est sanctificatorum, id est omne æs Deo consecratum, seu a populo in usus sacros collatum. Quale erat primo didrachma seu semisiclus, id est duo argentei regales Hispanici, vel iulii Italici, qui pendebantur A PRAETEREUNTIBUS, id est excedentibus annum ætatis vigesimum, ut Exodi XXX. præscribitur. Pendebantur, inquam, PRO PRETIO ANIMAE, id est pro capite ipsorum, seu pro ipsimet redimendis. Nam cum quis annum implesset vigesimum, solebat offerri seu præsentari Deo, quasi iam ætate idoneus ad ipsi militandum: illo vero semisiclo redimebat sese qui prius libertatem a se ipso abdicasse videbatur. Vel simplicius potest tributum istud semisicli vocari *pretium animæ*, quia ideo pendebatur, ut Deus vitam cuique longam & felicem largiretur: alioqui plagis sæviturus in fraudatores illius tributi, ut insinuatur Exodi XXX. vers. 12. & experientia docuit in censu per Davidem instituto, ut dixi II. Reg. XXIV. 3. Solebat hoc tributum per singula oppida quotannis per destinatos quæstores exigi ab omnibus qui eo anno vigesimum ætatis suæ complerent annum. Et ita iubet hic Rex Ioas, ut quotannis deinceps fiat, II. Paralip. XXIV. 5. Solebat quoque subinde, bello novo, vel alia necessitate publica, seu templi, seu reipublicæ, cogente, extra ordinem ab omnibus omnino Hebræis qui ætatem illam excessissent, quantumcumque adulti essent, idem census exigi: & ut iam fiat ad restauranda sarta tecta templi, mandat hic Rex Ioas,

loco

loco iam citato vers. 6. & 9. Postea vero sub extrema Iudaici regni tempora in morem inductum fuit, ut quotannis idem tributum ab omnibus per orbem Iudæis persolveretur in usus templi Ierosolymitani, quod Vespasianus, destructo iam templo, voluit nihilominus ab iisdem mitti Romam ad capitolium, teste Iosepho. Secundum genus æris sacri, quod populus conferre solebat, erat spontaneum & ultroneum pro libito & arbitrio cuiusque in usus templi impendendum.

V. 7. NOLITE AMPLIUS ACCIPERE PECUNIAM IUXTA ORDINEM VESTRUM: puta, non ad vestros privatos, aut etiam profanos usus, sed ad communes & sacros dumtaxat templi usus, AD INSTAURATIONEM TEMPLI. Nam, ut idem Rex Ioas subdit II. Paralip. XXIV. vers. 7. *Athalia impiissima, & filius eius* Ochozias *destruxerunt* magna ex parte *domum Dei, & de universis quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.*

V. 13. NON FIEBANT EX EADEM PECUNIA HYDRIAE TEMPLI, &c. aut alia supellex: nisi cum, iam perfecta omni instauratione templi, deprehensum fuit, ex illa collatitia pecunia plurimum adhuc supereisse: nam tunc iussa sunt ex reliqua illa fieri vasa templi aurea & argentea, II. Paralip. XXIV. 14.

V. 15. ET NON FIEBAT RATIO IIS HOMINIBUS; id est, non cogebantur quæstores ad rationes accepti vel expensi reddendas. Tam erant omnes certæ, tam exploratæ fidei.

GORDONI.

Vers. 3. DE excelsis vide supra Lib. III. cap. XV. vers. 14. & XXII. 24.

V. 4. PECUNIAM SANCTORUM, rerum in templo consecratarum Deo a prætereuntibus: qui enim vigesimum annum attigerat, dabat dimidium sicli ad iuge sacrificium, Exod. XXX. & factum est, vers. 8. ut consentirent sacerdotes non accipere hanc pecuniam in suos usus.

V. 13. VERUMTAMEN NON FIEBANT EX EADEM PECUNIA HYDRIAE TEMPLI, &c. Hydriæ, & alia vasa non fiebant ex pecunia areæ. Addit porro pecuniam ita fuisse commissam fide dignis, ut ab illis non exigeretur ratio dati & accepti.

V. 17. ASCENDIT HAZAEL REX SYRIAE. Erat hic successor Benadad ex cap. VIII. Contigit hæc expugnatio post mortem Ioiadæ. Geth olim Philistæis parebat: capta postea a Davide, passus est Salomon ibi regnare Achis ut Regem tributarium. Edificata est, seu potius instaurata a Roboam, II. Paralip. XI. vers. 8. nunc capta est ab Hazaele circa annum trigesimum primum Ioas Regis Iuda, & anno fere nono Ioachas Regis Israel.

V. 19. & 20. PERCUSSERUNTQUE IOAS IN DOMO MELLO. Erat Mello prope templum, ubi Salomon regiam domum ædificavit. Vide III. Reg. cap. XI. vers. 27. Ceterum inter reliqua acta Regis Ioas est mors Zachariæ (filius est Ioiadæ) lapidati in atrio domus Domini iubente Rege II. Paralip. XXIV. vers. 10. Hanc sacerdotis cædem retulit rectius Eusebius ad annum Ioas trigesimum nonum. Sed estne hic Zacharias ille quem Christus Matth. XXIII. ait occisum inter templum & altare? sane verior sententia Hieronymi hunc eumdem esse probat. Quærunt tamen adhuc alii, an Zacharias de quo Christus, sit ille inter minores Prophetas undecimus? obstat sane ratio temporis. Recte ergo hoc negat Salianus anno mundi 3192. num. 18. At cur Ioiada vocatur apud Matth. Barachias? sane, ut indicat Hieronymus, ob viri sanctitatem, fere ut magni viri dici solent Catones, aut Alexandri.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. PRAETEREUNTIBUS, pro ætate venientibus in censum populi: nam pervenientes ad annum vigesimum solvebant medium sicli, Exod. XXX. 12. PRO PRETIO ANIMAE dicebatur offerri hæc pecunia ne fieret plaga in populo. Vide locum Exod. cap. XXX.

V. 9. GAZOPHYLACIUM, arca quæ oblatas pecunias excipiebat. At quomodo ergo II. Paral. XXIV. 8. dicitur posita iuxta portam templi? Sane prius posita videtur iuxta altare ut hic dicitur, posita ad portam, ut pateret etiam laicis. AD DEXTERAM. Templi quidem dextera pars respiciebat meridiem, sinistra aquilonem,

nem, anterior orientem, &c. at vero ingredientibus dextera pars templi eſt aquilonaris, ſiniſtra meridiana, anterior occidentalis, &c.

V. 20. & 21. Hi percuſſores habent aliud nomen II. Paralip. XXIV. 26. ſed multi in Scripturis reperiuntur binomines.

CAPUT XIII.

Ioachaz Rex Iſrael propter peccata ſua graviſſime afflictus a Rege Syriæ, converſus ad Dominum liberatur; cui mortuo ſuccedit Ioas, qui iuxta Eliſei morientis vaticinium Syros ter devicit: mortui autem Eliſei ſepulcro iniectus quidam mortuus ſuſcitatur.

1. ANno vigeſimo tertio Ioas filii Ochoziæ Regis Iuda, regnavit Ioachaz filius Iehu ſuper Iſrael in Samaria decem & ſeptem annis. 2. Et fecit malum coram Domino, ſecutuſque eſt peccata Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, & non declinavit ab eis. 3. Iratuſque eſt furor Domini contra Iſrael, & tradidit eos in manu Hazael Regis Syriæ, & in manu Benadad filii Hazael, cunctis diebus. 4. Deprecatus eſt autem Ioachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus: vidit enim anguſtiam Iſrael, quia attriverat eos Rex Syriæ: 5. & dedit Dominus ſalvatorem Iſraeli, & liberatus eſt de manu Regis Syriæ: habitaveruntque filii Iſrael in tabernaculis ſuis ſicut heri & nudiuſtertius. 6. Verumtamen non receſſerunt a peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Iſrael, ſed in ipſis ambulaverunt: ſiquidem & lucus permanſit in Samaria. 7. Et non ſunt derelicti Ioachaz de populo niſi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos Rex Syriæ, & redegerat quaſi pulverem in triturа areæ. 8. Reliqua autem ſermonum Ioachaz, & univerſa quæ fecit, & fortitudo eius, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 9. Dormivitque Ioachaz cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Samaria: regnavitque Ioas filius eius pro eo. 10. Anno trigeſimo ſeptimo Ioas Regis Iuda, regnavit Ioas filius Ioachaz ſuper Iſrael in Samaria ſedecim annis, 11. & fecit quod malum eſt in conſpectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, ſed in ipſis ambulavit. 12. Reliqua autem ſermonum Ioas, & univerſa quæ fecit, & fortitudo eius, quomodo pugnaverit contra Amaſiam Regem Iuda, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 13. Et dormivit Ioas cum patribus ſuis: Ieroboam autem ſedit ſuper ſolium eius. Porro Ioas ſepultus eſt in Samaria cum Regibus Iſrael. 14. Eliſeus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt: deſcenditque ad eum Ioas Rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. 15. Et ait illi Eliſeus: Affer arcum, & ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum, & ſagittas, 16. dixit ad Regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus Regis, 17. & ait: Aperi feneſtram orientalem. Cumque aperuiſſet, dixit Eliſeus: Iace ſagittam. Et iecit.

Et

Et ait Eliſeus: Sagitta ſalutis Domini, & ſaggitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam. 18. Et ait: Tolle ſagittas. Qui cum tuliſſet, rurſum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, 19. iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: * Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam. 20. Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno. 21. (a) Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadaver in ſepulcro Eliſei. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 22. Igitur Hazael Rex Syriæ afflixit Iſrael cunctis diebus Ioachaz: 23. & miſertus eſt Dominus eorum, & reverſus eſt ad eos propter pactum ſuum, quod habebat cum Abraham, & Iſaac, & Iacob: & noluit diſperdere eos, neque proiicere penitus, uſque in præſens tempus. 24. Mortuus eſt autem Hazael Rex Syriæ, & Regnavit Benadad filius eius pro eo. 25. Porro Ioas filius Ioachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris ſui iure prælii, tribus vicibus percuſſit eum Ioas, & reddidit civitates Iſrael.

(a) Eccli. xlviii. 14.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 19. *Percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*. Legendum eſt *conſumptionem*, quod eſt deletionem, potius quam *conſummationem*, quod eſt, finem.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. DIEBUS, ſcilicet Ioachaz. *Verſ.* 5. SALVATOREM, ſcilicet filium Ioachaz. Vide infra.

V. 7. LUCUS, ſcilicet plantatus in honorem Baal. IN TRITURA AREAE. Chald. & LXX. *in conculcationem*.

V. 13. SEDIT, ſcilicet adhuc vivente patre.

V. 14. PATER MI; quaſi dicat: Cur nos deſeris? Chald. *Magiſter mi*. CURRUS, id eſt defenſor, ſcilicet orationibus. AURIGA. Hebr. & LXX. *equites*. Chald. *Qui plus proderat Iſraeli ſuis orationibus quam currus eius, & equites*.

V. 16. SUPERPOSUIT, ſcilicet ad ſigni illius confirmationem.

V. 17. AIT, ſcilicet alicui aſtantium, vel Regi ipſi, ut aperiendam curaret, vel ipſe aperiret. ORIENTALEM, ſcilicet reſpicientem Syriam. APHEC civitas erat Iudæ: quamquam hic etiam puto intelligi. Erant enim præterea duæ, quarum altera in tribu Aſer. Vide Ioſ. xv. & xix.

V. 18. IACULO, id eſt ſagittis, ſcilicet iaculando.

V. 20. LATRUNCULI. Hebr. & Chald. *turmæ*, ſeu *exercitus*. LXX. *milites*. IPSO ANNO. Hebr. & LXX. *veniente anno*, id eſt ſequenti. Chald. *in introitu anni*.

V. 23. MISERTUS EST. Chald. *Pepercit*. REVERSUS EST. LXX. *Reſpexit*.

ESTII.

Verſ. 14. ELISEUS AUTEM AEGROTABAT INFIRMITATE, QUA ET MORTUUS EST: DESCENDITQUE AD EUM IOAS REX ISRAEL, ET FLEBAT CORAM EO, DICEBATQUE: PATER MI, PATER MI, CUR-

CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Ad eumdem modum ſupra cap. II. legimus ipſum Eliſeum exclamaſſe ad Eliam, quando vidit eum curru igneo rapi in cælum. Senſus utriuſque loci idem eſt. Nam Eliſeus ſignificare voluit Eliam fuiſſe currum Iſrael, & aurigam eius. Similiter Rex Iſrael Eliſeum appellavit currum, & aurigam. Hebraice eſt: *Currus Iſrael, & equites vel equitatus eius*. Per hoc ergo ſignificatur, quod Elias, & Eliſeus eſſent fortitudo, & defenſio Iſraelis, & quod ipſi potentiores eſſent ad defendendum Iſrael ſuis meritis, & oratione, quam magnus equitatus curruum bellicorum.

V. 21. ET PROIECERUNT CADAVER IN SEPULCRO ELISEI. QUOD CUM TETIGISSET OSSA ELISEI, REVIXIT HOMO. Non dubium quin hoc tam inſigne miraculum factum fuerit ad declarandum merita tanti Prophetæ. Tempore divi Hieronymi Vigilantius hæreticus calumniabatur catholicos (quod & noſtri temporis hæretici faciunt) quod mortuorum ſanctorum oſſa venerarentur, & pulviſculum aiebant, neſcio quem in modico vaſculo transferendo colerent, appellans eos idololatras, quia mortuorum hominum oſſa venerarentur. Sed reſpondens ei Hieronymus, inter alia adfert exemplum iſtud de mortuo hoc ad vitam ſuſcitato per contactum oſſium Eliſei. *Si*, inquit, *non ſunt honorandæ reliquiæ martyrum, quomodo legimus: Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius? Si oſſa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Eliſeus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam corpori, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum?* Sic ille. Eadem ergo & nos totidem verbis cum opus eſt, proferamus contra hæreticos noſtri temporis, in quibus dudum ſepulta Vigilantiana, ſeu potius Dormitantiana hæreſis reſuſcitata eſt.

MARIANAE.

Verſ. 3. CUNCTIS DIEBUS: ſcilicet Ioachaz Regis Iſrael, Hazael, & Benadad vexarunt Iſraelitas.

V. 5. ET DEDIT DOMINUS SALVATOREM, ſcilicet filium Ioachaz Ioas Regem Iſrael, qui Syros percuſſit, verſ. 25.

V. 13. ET DORMIVIT IOAS. Per anticipationem dictum. Eliſeus ægrotabat

V. 14. INFIRMITATE, QUA ET MORTUUS EST. Eliſeus ſcilicet. Hebræi ter ægrotaſſe Eliſeum aiunt, nunc extinctum. Inviſit eum Ioas Rex Iſrael, & dicebat: PATER MI, CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Hebr. *currus Iſrael, & equites eius*; id eſt, plus tuo patrocinio præſtas, quam currus, quam equites.

V. 16. SUPERPOSUIT ELISEUS MANUS SUAS. Ut Regis cor magis ſtabiliret ad credendum promiſſionem, ſuas manus ſuperpoſuit manibus Regis. Dixit ei:

V. 17. APERI FENESTRAM ORIENTALEM. Nimirum ad eam plagam Syria pertinebat. PERCUTIESQUE SYRIAM IN APHEC. Duplex *Aphec*, in tribu Iſſachar, & in tribu Aſer, Ioſ. XV. & XIX. utraque in finibus regni Iſrael. Ergo in Aphec percuties Syriam. Cum Ioas ter tantum terram percuſſiſſet,

V. 19. IRATUS EST VIR DEI. Non debuit ceſſare quouſque admoneretur: ea vero iracundiæ occaſio. SI PERCUSSISSES QUINQUIES. Sic Sept. Hebr. *ad percutiendum quinquies*. Oratio, ut in iracundia, deficiens: ſupplendum, ſi induxiſſes in animum ad percutiendum quinquies. Chald. *Oportuiſſet te percutere quinquies*, deleviſſes Syriam.

V. 20. LATRUNCULI. Hebr. *turmæ*, ſcilicet latronum. IN IPSO ANNO. Heb. *veniente anno*: ſic Sept. id eſt proximo. Chald. *In introitu anni venerunt*. Illi

V. 21. SEPELIENTES HOMINEM. Non ait fuiſſe ex ipſis latronibus. REVIXIT HOMO. Vide tamen ſanctorum virtutem: etiam mortui miracula faciunt. Malis ex confortio iuſtorum quanta utilitas! ſimul vide quantopere malos ſancti averſentur, etiam mortuos a ſe repellunt, ut maxime ſit opus illis beneficium conferre.

V. 24. BENADAD FILIUS EIUS. Ex hoc colligo Hazaelem filium fuiſſe alterius Benadad, de quo ſuperius IV. Reg. VIII. 15. quando filium ſuum Benadad vocavit, nimirum de avi nomine.

MAL-

MALVENDAE.

Vers. 1. DECEM ET SEPTEM ANNIS. Quorum duo, inquiunt, postremi fuerunt cum filio communes, ut infr. vers. 10. & 22.

V. 2. ET NON DECLINAVIT AB EIS. Hebr. *Et non recessit ab eo*. Vide supra cap. III. vers. 3.

V. 3. ET TRADIDIT EOS IN MANU HAZAEL, &c. Exponunt: Id est, faciebat ut a Syris cæderentur, & aliquid ex regno amitteretur. Notant esse prolepsim, qua generatim attinguntur historiæ quæ infra ordine exprimuntur.

V. 4. VIDIT ENIM ANGUSTIAM ISRAEL: nimirum recordatus fœderis quod cum maioribus eorum pepigerat, infra vers. 23.

V. 5. SALVATOREM ISRAELI. Hunc quidam intelligunt Angelum Dei regno Israelitico præfectum. Alii Eliseum Prophetam, qui notus Regibus Syriæ, auctoritate sua eos cohibuerit ab oppressione Israelitarum, & intercessione sua plurimum potuerit apud Deum. Vide infra vers. 14. Plerique Iehoasum filium Iehoachazi, ut infra vers. 25. dicitur: & hoc est rectius.

V. 6. SICUT HERI ET NUDIUSTERTIUS; id est, sicut antea. Vide Genes. XXXI. 2. SED IN IPSIS AMBULAVERUNT. Hebr. enallage numeri: *In ea ambulavit*. *In ea* via, vel *in eo* peccato: in unoquoque peccatorum domus Ieroboam *ambulavit* Israel; vel quisque Israelitarum, quod maiorem emphasim habet. Sic infra vers. 11. ET LUCUS PERMANSIT IN SAMARIA: nimirum quem plantaverat Achab, I. Reg. XVI. 33.

V. 7. QUASI PULVEREM IN TRITURA AREAE. Heb. *sicut pulverem ad triturandum*. Quidam, *tamquam pulverem triturando*; id est, bellis, & depopulationibus affligendo valde comminuerat. Alii, *velut pulverem exterendo*, vel *excutiendo*; id est, conculcavit eos, veluti lutum plateārum conculcari solet; quasi dicat: Vehementissime attrivit eos.

V. 8. RELIQUA AUTEM SERMONUM IOACHAS, &c. Vide similem versum supra cap. XII. vers. 19. & infra vers. 12.

V. 10. ANNO TRIGESIMO SEPTIMO IOAS, &c. intelligunt, trigesimo septimo completo: nondum videlicet mortuo patre, in regni consortium & administrationem cooptatur: septemdecim enim annis regni Iehoachazi usque ad trigesimum nonum Regis Iehudæ Ioasi extenduntur. Vide supra vers. 1. & Caietanum hic, & infra cap. XIV. vers. 1.

V. 12. QUOMODO PUGNAVERIT CONTRA AMASIAM, &c. ut cap. XIV. sequente scribitur, vers. 8. & seqq.

V. 14. ELISEUS AUTEM AEGROTABAT, &c. Notant, esse ætiologiam illius quod dixerat sup. vers. 5. Deum dedisse servatorem Israeli, &c. qui precibus & intercessione sua obtinuit populi liberationem: & eius etiam quod dicitur vers. 12. *& fortitudinis eius*. Nam omnia obtingebant meritis Elisei. QUA ET MORTUUS EST. Observant, Eliseum post raptum Eliæ vixisse sexaginta ferme annos. DESCENDITQUE AD EUM IOAS REX ISRAEL. Volunt, patre adhuc vivente: quod factum existimant, cum Iehoachaz deprecaretur faciem Iehovæ, sup. vers. 4. ET FLEBAT CORAM EO. Heb. *Et lacrymavit super facies eius*. Fortasse lacrymans deosculatus est Prophetam, & faciem eius lacrymis perfudit. Possis reddere: *Et flevit super faciem suam*; id est, & ora sua lacrymis implevit obortis. PATER MI, PATER MI, CURRUS ISRAEL, &c. Vide sup. cap. II. vers 12.

V. 15. CUMQUE ATTULISSET AD EUM ARCUM, ET SAGITTAS. Hebr. sunt ambigua: *Et accepit ad se*, vel *sibi*. A ii: *Et accepit ad eum*. Aliqui: *Et sumens attulit ad eum arcum, & sagittas*.

V. 17. ET DIXIT: APERI. *Dixit*, nempe Regi, vel famulo, vel alicui adstantium. FENESTRAM ORIENTALEM. Hebr. *fenestram ad orientem*, id est fenestram illam quæ spectat ad orientem, hoc est ad Syriam, quæ ad orientem erat. Aliqui, *fenestram ijtam antrorsum*; id est quæ ante nos est. SAGITTA SALUTIS. Notant esse metonymiam signi pro re significata; id est, hæc iacta sagitta significat victoriam quam de Syris reportaturi estis. DOMINI. Hebr. dativus, *Ipse Iehoveh*. Quidam, *Erit Iehovæ*; id est, iubet me Iehova promittere vobis victoriam hoc signo: vel tota hæc victoria cedet in gloriam Iehovæh liberatoris. PERCU-

TIESQUE SYRIAM IN APHEC. Plerique putant Aphek hic eſſe nomen proprium urbis illius de qua I. Reg. xx. 26. Alii pro appellativo capiunt: *Percutiesque Syros in vehemente*, id eſt *fortiter*: alii, *in impetu*, *rapide*, *continenter*, *ſtrenue*, donec eos penitus perdas.

V. 18. TOLLE SAGITTAS. Quidam reddunt: *Accipe reliquas ſagittas*, ut cognoſceret ex hoc, quæ & quanta futura eſſet victoria. PERCUTE IACULO TERRAM. Aliqui reddunt: *Percutiendo impete* illis ſagittis *terram*. Iubebat ut reliquas pharetræ ſagittas iacularetur arcu verſus terram hoſtilem. ET STETISSET. Heb. *Et ſtetit*. Quidam: *Tunc deſtitit*, id eſt non omnibus ſagittis emiſſis.

V. 19. SI PERCUSSISSES QUINQUIES, AUT SEPTIES: nimirum prout ſunt ſagittæ in pharetra; id eſt, ſi omnes quæ ſunt in pharetra, ſagittas arcu eiaculatus verſus Syriam fuiſſes. PERCUSSISSES SYRIAM USQUE AD CONSUMPTIONEM; id eſt, hoc ſigno cognoviſſes certo te percuſſurum Syros, &c. TRIBUS VICIBUS PERCUTIES EAM. Infra verſ. 25.

V. 20. LATRUNCULI. Vocem גדודים *ghedudim* varie reddunt: 1. *Societates*, ad faciendas excurſiones; 2. *Caſtra*; 3. *Turmæ*, *globi*, *cunei*, *acies*, *copiæ militares*; 4. *Excurſores*, *graſſatores*; 5. *Exercitus*, *agmina*, *levis armaturæ*. Vide ſupra cap. v. verſ. 2. Sic verſ. ſequente. IN IPSO ANNO. Hebræa ſunt ambigua, & diverſimode reddi poſſunt: 1. *veniente anno*, vel *ſequente anno*; 2. *eunte anno*, id eſt decurrente anno; 3. *incunte anno*, id eſt initio anni. Hebræorum nonnulli notant in בא *ba*, cum Aleph, poſitum Aleph pro He, בה *bah*, *in ipſo anno*. Alioqui *ba* eſt participium, *Veniente anno*; vel verbum, *Venit annus*.

V. 21. QUOD CUM TETIGISSET OSSA ELISEI, REVIXIT HOMO. Hebr. *Et ambulavit*, & *tetigit vir in oſſibus Eliſabi*. Quidam ex his verbis colligunt, illum hominem non penitus mortuum fuiſſe, ſed morbo aliquo privatum ſenſu & motu, ductum pro mortuo in ſepulcrum, qui ad tactum oſſium Eliſei ſanitatem receperit. Sed id nullo pacto probandum eſt. Aliqui reddunt: *Et abiit*, & *tetigit vir oſſa Eliſabi*. Alii: *Qui deſcendens tetigit oſſa Eliſei*. Nonnulli: *Qui devolutus attigit oſſa Eliſei*; id eſt, quod cadaver devenit in imum ſeu fundum ſepulcri, & tetigit oſſa Eliſei. Alii: *Ut iniens attingeret vir ille oſſa Eliſabi*. ET STETIT SUPER PEDES SUOS. Hebr. *Et ſurrexit ſuper pedes ſuos*. Quidam: *Et ſtetit erectus in pedes ſuos*; id eſt, vere revixit, ac reſurrexit a mortuis. Vide Eccleſiaſt. XLVIII. 14. & 15.

V. 22. CUNCTIS DIEBUS IOACHAZ. Exponunt: Quamdiu videlicet ſolus non aſſumpto filio regnavit. Vide ſupra verſ. 4. Alii intelligunt, oppreſſionem, quo ad civitates occupatas, duraſſe quamdiu vixit Iehochaz, quamvis reliquias populi non afflixerit, poſt preces Iehochazi, & datum ſervatorem.

V. 23. ET MISERTUS EST DOMINUS EORUM. Hebr. duobus verbis dicitur: *Et gratificatus eſt Iehovah eos*, & *inviſceravit eos*. Quidam: *Sed & gratiam faciens eis Iehova*, *miſertus eorum*, *reſpexit ad eos*. Alii: *Dominus autem benigne fecit eis*, *miſertuſque illorum reſpexit eos*. NEQUE PROIICERE PENITUS. Hebr. *Et non eiecit eos de ſuper facies ſuas*. Quidam, *A facie ſua*, id eſt a favore, & benevolentia, ſeu protectione ſua. Alii, *A præſentia ſua*, id eſt de terra in qua maieſtas eius habitabat, & in qua ipſe ſuam præſentiam exhibebat.

V. 25. PORRO IOAS FILIUS IOACHAZ TULIT URBES, &c. Hebr. *Et reverſus fuit Iehoas filius Ieboachazi*, & *accepit*, ſeu *recepit urbes*, &c. Aliqui exponunt: *Itaque converſus eſt*, id eſt direxit aciem contra Syros; quaſi dicat: Itaque motus verbis Eliſei, eduxit exercitum adverſus Syros. Alii: *Et reverſus eſt ut caperet*, id eſt recepit civitates. Nonnulli: *Itaque iterum accepit*, ſeu *tulit civitates*, &c.

MENOCHII.

Verſ. 4. ATTRIVERAT EOS REX SYRIAE, uterque, Azael ſcilicet, & Benadad filius eius.

V. 5. DEDIT DOMINUS SALVATOREM ISRAELI. Quis fuerit hic ſalvator Scriptura non exprimit. Ioſephus putat fuiſſe ipſummet Ioachaz, qui placato precibus numine rem in poſterum felicius geſſerit. Lyranus exiſtimat fuiſſe An-

Angelum Iſraelitarum præſidem, a quo virtute occulta hoſtium vis repreſſa ſit, & timor immiſſus. Verius videtur fuiſſe Ioas filium Ioachaz, qui tres clades intulit Syris, urbeſque recepit, quas Azael occupaverat, ut dicitur hoc cap. num. 25. HABITAVERUNT IN TABERNACULIS SUIS, quiete, & ſine bellorum turbis. Septuaginta habent: *Sederunt in tabernaculis ſuis.*

V. 6. LUCUS, plantatus in honorem Baal.

V. 7. IN TRITURA AREAE. Chaldæus, & Septuaginta, *in conculcationem.*

V. 14. AEGROTABAT INFIRMITATE, QUA ET MORTUUS EST. Textus Hebræus, Græcus, & Chaldæus ſignificant Eliſeum obnoxium fuiſſe cuipiam infirmitati, qua cerebro afflictaretur: habent enim: *Ægrotavit Eliſeus ægrotatione ſua, qua & mortuus eſt.* DESCENDITQUE AD EUM IOAS REX ISRAEL. Non traditur ubi ægrotaverit Propheta, neque unde deſcenderit Rex. Videtur uterque fuiſſe in Samaria, & Regem ex arce in domum Eliſei deſcendiſſe. FLEBAT CORAM EO. Ecce quomodo diligebat eum. Sed regni quoque ſui iacturam flebat, quod ſequentia verba oſtendunt. PATER MI, PATER MI, CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Vide dicta ſupra cap. 11. num. 12.

V. 16. PONE MANUM TUAM SUPER ARCUM, manum ſiniſtram, ut illi faciunt qui arcum ſagitas emiſſuri, accipiunt, dextera ad chordam & telum reducta. SUPPOSUIT ELISEUS MANUS SUAS MANIBUS REGIS. Non ſolum prophetat verbis Eliſeus, ſed etiam ſignis, & cæremonia hac manus imponendi: nam familiare fuit Prophetis utrumque adhibere, ut quæ ſignificabantur, altius auditorum, ac ſpectatorum mentibus inſiderent.

V. 17. APERI FENESTRAM. Hoc dicit Eliſeus non Regi, cuius manus arcu, & ſagittis erant impeditæ, ſed cuipiam circumſtantium. ORIENTALEM. Feneſtra orientalis non tam reſpiciebat Syriam, quæ Hebræis eſt ad aquilonem, quam Iſraelitarum regionem orientalem trans Iordanem, quæ tum a Syris occupabatur, & recuperanda erat. SAGITTA SALUTIS DOMINI, &c. Index videlicet eſt hæc ſagitta ſalutis a Domino de manu Syrorum obtinendæ. PERCUTIESQUE SYRIAM: nimirum niſi per ſe ſteterit, ut ſtetit revera per eum, quod ſæpius iaculo terram non percuſſerit. IN APHEC, qui locus erat boni ominis: ibi enim Achab una die centum millia Syrorum deleverat III. Reg. XX. præter viginti ſeptem millia, quæ in eadem urbe murorum ruina oppreſſa fuerant.

V. 19. IRATUS EST VIR DEI. Septuaginta habent, *Triſtatus eſt*: quot enim vicibus terram iaculo feriebat, tot claudibus Syros affecturus erat. Ea fortaſſe de cauſa iratus eſt Eliſeus, quod ex loquendi modo quo uſus fuerat Propheta, ſatis potuerat intelligere multis vicibus terram eſſe feriendam. USQUE AD CONSUMPTIONEM: ut plane viribus fracta reſiſtere non poſſet.

V. 20. SEPELIERUNT EUM, in Samaria, aut in agro eius ſuburbano, ut ex ſequentibus colligi poteſt. LATRUNCULI, qui ſcilicet de regione Moabitarum venerant, ut hominum vel pecudum prædas agerent. IN IPSO ANNO, quo ſcilicet mortuus eſt Eliſeus. In Hebræo tamen eſt, *Sequente anno*, ut vertit Pagninus, vel *veniente anno*, ut habent Septuag.

V. 21. SEPELIENTES HOMINEM, deferentes ad ſepulcrum. PROICECERUNT CADAVER IN SEPULCRO ELISEI; vel celeriter revoluto lapide, qui erat ad oſtium monumenti; vel caſu aliquo ſepulcrum recluſum invenientes. Hoc miraculum Deus patrari voluit reliquiis corporis Eliſei, ut teſtimonium eſſet illius ſanctitatis, firmiuſque crederent Iſraelitæ, quæ de Syrorum cladibus ſub vitæ ſuæ finem vaticinatus fuerat.

V. 23. REVERSUS EST. Septuaginta, *Reſpexit.*

V. 25. TULIT URBES DE MANU BENADAD. Eas tantum recepit quas amiterat pater; quas autem amiſerat Iehu, recepit Ieroboam eiuſdem Iehu pronepos.

TIRINI,

Verſ. 3. CUNCTIS DIEBUS, quibus vixit Ioachaz, ut hic dicitur verſ. 22. Unde fortitudo Ioachaz, cuius mentio eſt verſ. 8. non ſe prodidit in ulla victoria aut proſpero ſucceſſu adverſus Syros, ſed in variis generoſis con-

ſlictibus, quos cum iiſdem habuit. Neque enim fortuna a fortibus ſtat ſemper, ſed ad infirmiorem partem declinat: & multi caſus non raro intercurrunt, qui fortioribus eripiunt victoriam.

V. 5. DEDIT DOMINUS SALVATOREM ISRAELI, nempe Eliſeum Prophetam, inquit Caietanus. Vel potius Regem Ioas, filium Ioachaz, qui monitu & prædictione Eliſei excitatus eſt ad bellum adverſus Syriam reſumendam, & reſumpſit, geſſitque feliciter. Ita Abulenſis, Vatablus, Mariana, & Sanctius,

V. 14. CURRUS ISRAEL, ET AURIGA EIUS. Quid ſibi velit hæc phraſis, dixi cap. 11. verſ. 12.

V. 15. 16. & 17. AFFER ARCUM ET SAGITTAS, &c. Hoc ſigno hieroglyphico emiſſionis ſagittarum, partim iubet Propheta indici de more bellum (quod fieri ſolitum vel iaculi miſſione, vel haſtæ vibratione, docent Virgilius, Servius, Gellius, Valerius, Statius, Roſinus, & Alexander ab Alexandro *a*) partim prædixit felicem expeditionis adverſus Syros ſucceſſum, ut qui hactenus illorum telis proſtrati fuerant, exinceps ſuis viciſſim illos proſternerent. Unde ſubdit Propheta: SAGITTA SALUTIS DOMINI, ET SAGITTA SALUTIS CONTRA SYRIAM, ſupple contorta, quæ Syris exitium, Iſraelitis autem ſalutem portenderet. Quod vero MANIBUS REGIS arcum tendentis, SUAM PROPHETA MANUM SUPER POSUIT, deſignabat, conatibus Regis affuturam præſentem manum ſeu opem Dei, cuius Propheta perſonam hic gerebat: vel etiam opem ipſiuſmet Prophetæ, quantumvis iam brevi e vivis abituri, numquam tamen Regi defuturam: nam ex limbo quoque ſanctorum patrum decreverat ſuis ad Deum precibus Regi, Iſraeli deinceps opitulari.

V. 18. PERCUTE IACULO TERRAM. Quod ante præſignarat emiſſione ſagittæ, iam idem deſignat Propheta percuſſione terræ, ſeu iaculo ad terram alliſo: nempe victoriam adverſus Syros, & quidem toties, quoties Rex iaculo terram continuata alliſione tangeret. Non tamen præſcripſit certum Regi numerum percuſſionum, Deo id nolente: neque expoſuit ante Regi, toties victoriam obtentum iri, quoties iaculo terram tangeret; ſed in genere præcepit Regi, ut ſæpius tangeret. Unde cum vidit nonniſi tertio tangentem,

V. 19. IRATUS EST VIR DEI CONTRA REGEM, ET AIT: SI PERCUSSISSES QUINQUIES, AUT SEXIES terram, SIVE SEPTIES (omittunt Hebræi, & Græci) PERCUSSISSES SYRIAM AD CONSUMPTIONEM.

Dices: At iam ante verſ. 17. dixit Propheta: *Percutiet Syriam, donec conſumas eam.* Reſpondeo. Id Propheta ſolum conditionate dixit, caſu quo faceret Rex id quod quaſi futuræ rei ſignum Deus præ-requirebat, nempe frequentem, id eſt ſeptenam, terræ percuſſionem. Quam quia Rex neglexit, ſatiſque habuit tertio percuſſiſſe, nonniſi tertio victor a Syris rediit: conſumptionem vero, ſeu plenam Syrorum exſtirpationem non obtinuit, quia ſeptenam percuſſionem (conditionem a Deo præ-requiſitam) adhibere neglexit. Ita Abulenſis, Caietanus, Suarez, Vaſquez, & Arrubal. *b* qui etiam hoc exemplo probant Deum ab æterno certa ſcientia prænoſſe non ſolum ea quæ de facto futura ſunt, ſed & omnia quæ quaque conditione poſita futura eſſent, licet numquam de facto futura ſint, ut dixi I. Reg. XXIII. 11.

(*a*) Virgil. IX. AEneid & ſervius ibid. Gellius Lib. XVI. cap. XIV. Valer. Lib. III. ubi de Argonautis. Stat. Lib. IV. Roſin. Lib. V. Antiquit. Rom. cap. I. Alex. Lib. IV. cap. III. Suarez Tom. I. de Gratia Prolegom. II. Vaſquez Tom. I. in I. diſput. LXVII. Arrubal. I. P. diſput. XLVI. & XLVII.

GORDONI.

Verſ. 5. DEDIT DEUS SALVATOREM. Hic ſalvator eſt Ioas filius Ioachaſi: & Syros percuſſit, verſ. 25.

V. 13. DORMIVIT IOAS. Hoc per anticipationem dicitur, ut patet ex verſ. 14. & 25.

V. 14. ELISEUS AUTEM AEGROTABAT. Mors Eliſei non multum abeſt ab anno tertio Amaſiæ Regis Iudæ, & anno quinto Ioas Regis Iſrael. CURRUS ISRAEL dicitur, ut ſupra cap. XI.

V. 17. PERCUTIES QUE SYRIAM IN APHEC, DONEC CONSUMAS EAM. Aphec duplex: una in tribu Iſachar, altera in tribu Aſar: ambæ in ni-

nibus Iſrael. At quæ eſt illa conditio appoſita:

V. 19. SI PERCUSSISSES QUINQUIES? Certe Deus qui gratis dat victorias, poteſt eas dare ut pendentes a conditione, aut ab adiunctis, tamquam via & medio: an non videmus ſalutem & vocationem congruam habere ſuam ſeriem mediorum? & ubi etiam dicere poſſumus, hominem ſalvandum ſi bene fuiſſet uſus gratia oblata? Porro ceſſando a percuſſione dubitaſſe potuit de auxilio Dei, aut aliquid feciſſe unde ſe fecerit indignum ampliore victoria. Simpliciter tamen reſpondeo in hoc conditionali nullam eſſe conſecutionem niſi ex decreto Dei, qui noluit ut percuteretur Syria ad conſumptionem: & huius ſignum fuit non integra percuſſio terræ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. REX SYRIAE, uterque', nempe Hazael, & Benadad filius.

V. 5. DEDIT DOMINUS SALVATOREM ISRAELI, ET LIBERATUS EST DE MANU REGIS SYRIAE. Ioas tres clades intulit Syris, urbeſque recepit quas occupaverat Hazael.

V. 6. LUCUS, ad cultum Baal.

V. 21. Sic Deus paſſim operatur miracula ad ſanctorum reliquias: & hic quidem tum ad teſtimonium ſanctitatis Eliſei, tum ad certitudinem promiſſæ victoriæ. De verſu 25. & receptis his urbibus, dixi verſ. 5.

CAPUT XIV.

Amaſias interfectis occiſoribus patris ſui Ioas, percutit Edom; ſed provocans ad bellum Ioas Regem Iſrael, ab eo capitur, & Ieruſalem diripitur: at Ioas Regi Iſrael ſuccedit filius Ieroboam, qui ab anguſtiis liberat Iſrael, cui ſuccedit filius Zacharias: porro facta coniuratione adverſus Amaſiam Regem Iuda a ſuis occiditur, cui ſuccedit filius Azarias impius.

1. IN anno ſecundo Ioas filii Ioachaz Regis Iſrael, regnavit Amaſias filius Ioas Regis Iuda. 2. (*a*) Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet: viginti autem & novem annis regnavit in Ieruſalem, nomen matris eius Ioadan de Ieruſalem. 3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater eius. Iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater ſuus, fecit: 4. niſi hoc tantum, quod excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incenſum in excelſis. 5. Cumque obtinuiſſet regnum, percuſſit ſervos ſuos, qui interfecerant Regem patrem ſuum: 6. filios autem eorum qui occiderant, non occidit, iuxta quod ſcriptum eſt in libro legis Moyſi, ſicut præcepit Dominus, dicens: (*b*) Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: ſed unuſquiſque in peccato ſuo morietur. 7. Ipſe percuſſit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen eius Iectehel, uſque ini præſentem diem. 8. Tunc miſit Amaſias nuntios ad Ioas filium Ioachaz, filii Iehu Regis Iſrael, dicens: Veni, & videamus nos. 9. Remiſitque Ioas Rex Iſrael ad Amaſiam Regem Iuda, dicens: Carduus Libani miſit ad cedrum quæ eſt in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Tranſieruntque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcaverunt carduum. 10. Percutiens invaluiſti ſuper Edom,

Edom, & sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu & Iudas tecum? 11. Et non acquievit Amasias: ascenditque Ioas Rex Israel, & viderunt se, ipse & Amasias Rex Iuda, in Bethsames oppido Iudæ. 12. Percussusque est Iuda coram Israel, & fugerun tunu quisque in tabernacula sua. 13. Amasiam vero Regem Iuda, filium Ioas filii Ochoziæ, cepit Ioas Rex Israel in Bethsames, & adduxit eum in Ierusalem: & interrupit murum Ierusalem, a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 14. Tulitque omne aurum, & argentum, & universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, & in thesauris Regis, & obsides, & reversus est in Samariam. 15. Reliqua autem verborum Ioas quæ fecit, & fortitudo eius qua pugnavit contra Amasiam Regem Iuda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Israel? 16. Dormivitque Ioas cum patribus suis, & sepultus est in Samaria cum Regibus Israel: & regnavit Ieroboam filius eius pro eo. 17. * Vixit autem Amasias, filius Ioas, Rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz Regis Israel, quindecim annis. 18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Iuda? 19. Factaque est contra eum coniuratio in Ierusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi. 20. Et asportaverunt in equis, sepultusque est in Ierusalem cum patribus suis in civitate David. 21. (c) Tulit autem universus populus Iudæ Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum Regem pro patre eius Amasia. 22. * Ipse ædificavit AElath, & restituit eam Iudæ, postquam dormivit Rex cum patribus suis. 23. Anno quintodecimo Amasiæ filii Ioas Regis Iuda regnavit Ieroboam filius Ioas Regis Israel in Samaria, quadraginta & uno anno: 24. & fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 25. Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum (d) * Ionam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. 26. Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quod consumpti essent usque ad clausos carcere, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israeli. 27. Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israel de sub cælo, sed salvavit eos in manu Ieroboam filii Ioas. 28. Reliqua autem sermonum Ieroboam, & universa quæ fecit, & fortitudo eius qua præliatus est, & quomodo restituit Damascum & Emath Iudæ in Israel, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Israel? 29. Dormivitque Ieroboam cum patribus suis Regibus Israel, & regnavit Zacharias filius eius pro eo.

(a) II. Paralip. xxv. 1. (b) Deuter. xxiv. 16. Ezech. xviii. 20. (c) II. Paralip. xxvi. 1. (d) Ioan. i. 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 17. *Vixit autem Amasias filius Ioas, Rex Iuda, postquam &c. quindecim annis.* Non scribas, addito denario, *viginti quinque* pro *quindecim*.

V. 22. *Ipse ædificavit AElath.* Non est mutandum *AElath* cum *Ailam*.

V. 25. *Ionam filium Amathi Prophetam.* Præferendus est casus quartus secundo *Propheta*.

COM-

COMMENTARIA.

SA.

Verſ. 4. HOC TANTUM, ſcilicet non rectum coram Domino. Heb. Chal. & LXX. loco horum omnium *niſi hoc tantum quod*, ſolum habent *verumtamen*.

V. 6. SICUT. Hebr. & Chald. *quo*. IN PECCATO, id eſt ob peccatum, ſeu pro peccato.

V. 7. PETRAM, id eſt arcem in rupe ſitam: vel eſt urbis nomen. Hebr. *Selah*. Chald. *arcem*. LXX. *petram*. IECTEHEL, ſcilicet ab eo qui illam expugnavit. LXX. *Iectobel*.

V. 8. VIDEAMUS NOS, ſcilicet ad confligendum.

V. 9. CARDUUS, &c. ſcilicet ſe cedro comparat, alterum velut abiectum carduo; quaſi dicat: Ne ſi legationem quidem pacis mitteres, dignus eſſes qui exaudireris.

V. 10. PROVOCAS, id eſt tibi accerſis.

V. 11. BETHSAMES: ſcilicet eouſque venerat ei obviam Rex Iſrael.

V. 13. EPHRAIM, id eſt per quam intrabant Ephraimitæ.

V. 21. SEDECIM. Aiunt quidam, cum pater moreretur, fuiſſe trium annorum, nec per tredecim annos regnaſſe, ſcilicet uſque dum eſſet annorum ſedecim. Ita conciliari quædam loca in ſpeciem contraria.

V. 23. AELATH, quæ in Idumæa tributaria olim Iuda. REX, ſcilicet Amaſias.

V. 25. SERMONEM. Non extat ea prophetia.

V. 26. CARCERE. Additum id ab Interprete. Senſus eſt Hebr. Conſumptos omnes, & qui tuto erant loco, & qui derelicti. Vide Lib. III. cap. XIV.

V. 28. IN ISRAEL, ſcilicet in Iſraelis Regno ſitam.

ESTII.

Verſ. 6. NON MORIENTUR PATRES PRO FILIIS, NEQUE FILII MORIENTUR PRO PATRIBUS. Non eſt ſenſus ne occidantur patres, & filii in vita relinquantur, vel vice verſa; ſed ſenſus eſt, *Pro filiis*, id eſt pro peccatis filiorum; aut rurſum, Ne filii occidantur pro patribus, id eſt pro peccatis patrum. Quæ ſententia, quomodo non pugnet cum eo quod Deus ipſe dicit Exod. xx. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem*, vide partim eo loco, partim Deuter. XXIV. (ad quem poſteriorem locum hic reſpicitur) explicatum.

V. 8. VENI, ET VIDEAMUS NOS. Mitiori verbo rem acerbam Scriptura exprimit. Nam verba ſunt ad bellum provocantis, ut patet ex ſubiecta narratione. Sic item ad pugnam excitans Ioab ſuos, & milites Miphiboſeth, alio ſimiliter verbo mitiori utitur dicens: *Surgant pueri, & ludant coram nobis*: II. Reg. II. 14. Vide ibi plura.

MARIANAE.

Verſ. 4. NISI HOC TANTUM, QUOD EXCELSA NON ABSTULIT, ſcilicet Amaſias Rex Iuda. Septuag. *Verum exceſſa non abſtulit*. Sic Chald. *Verumtamen exceſſa non abſtulit*. Ipſe etiam Hieronymus cap. XII. verſ. 3. pro eadem voce רק *rak*, dixit *verumtamen*. Et quidem noſtra lectio indicat, Ioas Amaſiæ patrem exceſſa abſtuliſſe, quod non fecit. Ergo *niſi* ſumatur pro *verum*.

V. 5. CUMQUE OBTINUISSET REGNUM. Hebr. *Cum roboratum eſſet regnum in manu eius*, id eſt ſe in regno firmaſſet, occidit patris ſui interfectores. Solent Reges initio diſſimulare. Cepit

V. 7. PETRAM IN PRAELIO. Hebr. *petram in bello*, id eſt arcem quam *petram* vocat, quia arces plurimum rupibus imponuntur. Chald. pro *petra*, *arcem* poſuit. VOCAVITQUE NOMEN EIUS IECTEHEL, ſcilicet ab eo qui illam expugnavit, veteri nomine mutato. Hebræus putat poſt captam petram, in ea arcem ædificaſſe eo indito nomine. Miſit nuntios ad Ioas Regem Iſrael.

V. S..

V. 8. VENI, ET VIDEAMUS NOS. Hebr. *Veni, videamus facies*, id eſt pugnemus, ſigna coram conferamus: ſic verſ. 11. *Et vidcrunt ſe.* Elatus ſuperbia Amaſias ob victum Amon, provocavit ſe robuſtiorem Regem Iſrael. Quid ille?

V. 9. CARDUUS LIBANI. Amaſiam per contemptum *carduum* vocat, ſe *cedrum*.

V. 10. CONTENTUS ESTO GLORIA. Hebr. *Gloriare* (id eſt de victoriis partis gloriare) *& ſede de cetero in domo tua*. Aut ſatis magnam gloriam puta, quod quietus ſedes in domo tua: vide ne gloriam ignominia mutes. QUARE PROVOCAS MALUM. Hebr. *Ad quid te immiſcebis in malo?* ſic Chald. Viderunt ſe

V. 11. IN BETHSAMES OPPIDO IUDAE. Ioas ut fortior, in alienis finibus bellum gerit.

V. 12. FUGERUNT victi milites Amaſiæ.

V. 14. ET OBSIDES accepit Rex Iſrael a Rege Iuda. Hebr. *Et filios arrhabonum*. Chald. *filios magnatum*: ſcilicet obſides, ſive quos captivavit Ioas Rex Iſrael filios civium primarios, ſive qui erant ante apud Amaſiam filii Principum illi ſubditorum, ut ſcilicet fidei datæ pignora ſcilicet eſſent, eos accepit Rex Iſrael. Porro vox *arrhabo* eadem Hebraica eſt ערבון *barabon*, hic תערבות *thaharubotb*, diverſa terminatione, ſignificatione non alia. Occiderunt Amaſiam coniurati.

V. 20. ASPORTAVERUNT IN EQUIS, id eſt curru, quem trahebant equi. Succeſſit Azarias, qui

V. 22. AEDIFICAVIT AELATH, ET RESTITUIT EAM IUDAE, id eſt poſtquam reſtituit; iuxta illud: *Ecce tu iratus es, & peccavimus tibi*; id eſt, poſtquam peccavimus, iratus es. Sic Hebræus. Urbs hæc erat in Idumæa, quæ olim Regibus Iuda ſubiecta poſtea defecit. Ieroboam filius Ioas Rex Iſrael reſtituit terminos regni

V. 25. AB INTROITU EMATH, id eſt a territorio Emath. Hæc eſt Antiochia. USQUE AD MARE SOLITUDINIS, ſcilicet mare mortuum, lacum Aſphaltitem. QUEM LOCUTUS EST PER SERVUM SUUM IONAM FILIUM AMATHI, e Prophetis duodecim. Vides quo is tempore vixerit.

V. 26. VIDIT ENIM DOMINUS AFFLICTIONEM ISRAEL AMARAM NIMIS. Sic Sept. Chald. *duram valde*. Alii vocem *more*, *mutabilem* interpretantur; quaſi dicat: Non in uno gradu reſtitit calamitas, quotidie in peius mutatur & ruit. USQUE AD CLAUSOS CARCERE. Hebr. *Non clauſus*, ſupple relictus eſt: nihil de carcere. ET EXTREMOS. Heb. *Non derelictus*. Claudimus pretioſa, alia relinquimus. Ergo a magno ad parvum, a nobili ad ignobilem omnes perierunt. Ieroboam

V. 28. RESTITUIT DAMASCUM ET EMATH IUDAE IN ISRAEL; id eſt, ita Ieroboam Rex Iſrael reſtituit eas urbes Iudæ, ut penes Iſraelem manerent, quia Iuda in Iſrael computatur, lata Iſraelis ſignificatione. Aut ſic: Reſtituit Iudæ, ita ut eo nomine Rex Iuda ſtipendiarius eſſet Regum Iſrael. Vel in Iſrael; id eſt, quæ finibus regni Iſrael erant, eas reſtituit Regi Iuda. Hoc commodius.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN ANNO SECUNDO IOAS. Exponunt: In anno ſecundo ex quo cœpit, vivente Iehoachazo patre, regnare Ioas Rex Iſrael, qui idem quadrageſimus eſt Ioaſi Regis Iehudæ, & Amatziæ primus. Vide ſupra cap. XIII. verſ. 10.

V. 2. VIGINTI AUTEM ET NOVEM ANNIS REGNAVIT, &c. Notant, ex his viginti novem, ſeptemdecim annos regnaſſe; reliquos vero duodecim propter conſpirationem vitam tranſegiſſe exulem. Synecdoche. Vide infra verſ. 17. 19. & 21.

V. 3. NON UT DAVID PATER EIUS, id eſt animo integro & perfecto, ut explicatur II. Paralipom. XXV. 2.

V. 4. NISI HOC TANTUM, QUOD EXCELSA NON ABSTULIT. Vide ſimilem verſum ſupra cap. XII. verſ. 3.

V. 5. QUI INTERFECERANT REGEM PATREM SUUM. Vide ſupra cap. XII. verſ. 20. 21.

V. 6. IUXTA QUOD SCRIPTUM EST IN LIBRO LEGIS, &c. nempe Deuteronom. XXIV. verſ. 16.

V. 7. IN VALLE SALINARUM. Heb. *In valle Salis*: de qua vide in II. Samuel. VIII. 13. ET APPREHENDIT PETRAM. Hebr. *Selagh*. Plerique ut nomen proprium re-

relinquunt : alii appellative : *Et cepit rupem*, vel *arcem in rupe ſitam*, unde præcipitavit decem mille captivos Idumæos, II. Paralipom. xxv. 22. Aliqui hic *petram* intelligunt metropolim Arabiæ Petrææ, a qua Arabiæ illa pars denominatur : de qua vide Comm. in Iudic. I. 36. IECTHEEL. Hebr. יקתאל *Ioktheel*. Contendunt hanc eamdem i iam eſſe Ioktheelem in campeſtribus ſortis Iehudæ ſitam, Io ſue xv. 38. Sed ego id delirium puto. Vide Comm. in eum Ioſue locum. Diverſam omnino ſtatuo. Sonat *collectionem fortem*, quod locus eſſet natura & arte munitus. Alii interpretantur *obedientiam Dei* : ut indicaret quod ex mandato Dei vicerat, & punierat Idumæos.

V. 8. TUNC MISIT AMASIAS, &c. Notant, partim elatus animo nova victoria, infra verſ. 10. partim recordatione cædis maiorum a Iehu facta, ſupra cap. IX. verſ. 27. & cap. X. verſ. 13. & 14. partim etiam motus recenti iniuria Iſraelitarum, de qua II. Paralipom. xxv. 10. & 13. VENI, ET VIDEAMUS NOS. Quidam reddunt : *Veni, videamus nos facie*, vel *facibus* ; id eſt, Age, veniamus in conſpectum alter alterius, ut bello certemus. Sic Latini dicunt, *armis*, vel *bello, cernere*. Virgilius AEneidos XII.

.... *& cernere ferro.*

Vide Nonium cap. IV. §. 69. Quidam : *Age, videamus nos invicem facie* : vel, *Age, videamus alter faciem alterius* ; id eſt, coram dimicemus & conſligamus, alter contra alterum. Sic infra verſ. 11. Hiſpanice diceremus, *Affrontemonos*. Hiſpanicus Interpres notat, *Son palabras de deſafio* ; quaſi dicat : *Veamonos cara a cara*. Vide Comm. in Geneſ. XXXII. verſ. 30.

V. 9. CARDUUS LIBANI, &c. Voci *carduus*, ſeu *ſpinæ*, præfigitur articulus *He*, quem quidam pro nota interrogationis accipiunt : *An non carduus, qui eſt in Libano miſit*, &c. Alii nolunt eſſe interrogativum, ſed eſſe notificativum, non quidem ad amplificationem ſed ad depreſſionem ; quaſi dicat : *Carduus ille* viliſſimus & abiectiſſimus omnium qui naſcuntur in Libano, *miſit ad cedrum*, &c. Porro voci *cedrum*, præponitur idem articulus *He* amplificativus, id eſt ad cedrum illam altiſſimam & pulcherrimam omnium quæ ſunt in Libano : ut maiorem vim habeat parabola. Notant eſſe apologum, ut Iudic. IX. 8. in quo Rex Iſraelis Regem Iehudæ ſpinæ, ſe cedro Libani ; populatores beſtiæ agri ; damnum illatum conculcationi comparat ; quaſi dicat : Tu ipſe te infirmiorem eſſe ſentiens quam ut Edomæos ſolus expugnares, ultro ambiviſti coniunctionem mecum, ut cum multo potentiore, petens a me auxiliares copias : quod ſi inſperata dimiſſione efferati quidam ex meis, me inſcio, in agrum tuum irruerunt, non ſum in culpa. Iam tu iſta victoria inſolefcens, æquas ſpinam cedro, laceſſens me bello, & tibi, populoque tuo malum accerſis. Conferunt iſta cum hiſtoria II. Paralip. XXV. 6. & ſequentibus, unde hanc interpretationem ſumptam affirmant.

V. 11. ASCENDITQUE IOAS REX ISRAEL, non expectans donec Rex Iehudæ primus fines ſuos invaderet. IN BETHSAMES. Vide de hoc oppido Ioſue XV. 11. OPPIDO IUDAE. Hebr. *quæ ipſi Iehudæ*, vel *ad ipſam Iehudam*, pertinet. Hoc proculdubio additum eſt ad differentiam duarum aliarum Beth-Semeſium, alterius in ſorte Iſſachar, Ioſue XIX. 22. alterius in ſorte Naphthali, ibid. verſ. 38.

V. 13. FILII OCHOZIAE, quem Iehu avus ipſius Ioaſi interfecerat, ſupra cap. IX. verſ. 27. Sic ad contemptum proponit genus. A PORTA EPHRAIM. Exponunt, Id eſt ab aquilone verſus orientem aſcendendo. Vide ſupra cap. XI. verſ. 16. Portæ Ephraim ſit mentio Nehemiæ VIII. 16. & Nehem. XII. 38. de qua Brocardus : *Porta contra aquilonem vocatur porta Ephraim, & porta ſancti Stephani, quia extra eam lapidatus fuit : & hæc ducit in Sichem, Samariam, & Galilæam*. Eadem alii ſacri topographi. USQUE AD PORTAM ANGULI. Hebr. *uſque ad portam pinnæ*, vel *pinnaculi*. Fortaſſe quod murorum, aut turris alicuius pinnis eſſet inſignis. Vide Iudic. XX. 2. Plerique *portam anguli* interpretantur : quæ *porta angulorum* dicitur Zachariæ XIV. 10. *& porta aſpiciens* II. Paralipom. XXV. 23. De qua Brocardus : *Porta contra orientem in angulo civitatis iuxta torrentem Cedron, dicta eſt porta anguli, quia in angulo civitatis ſita erat. Dicta quoque eſt porta Beniamin, quia per eam fuit via in Anathoth, Bethel, in deſertum, & ad civitates alias*

tribus Beniamin. Eadem alii sacri topographi. Sed Zachariæ XIV. 10. manifeste discernitur *porta anzulorum* a *porta Beniamin*. QUADRINGENTIS CUBITIS. Iosephus: *At ille dirutis ad trecentorum* (potius quadringentorum) *cubitorum spatium mœnibus, currum per id interstitium triumphabundus invectus est, captivum præ se agens Amasiam*. Dixit Iosephus quod fieri verisimile fuit; sed divinavit quod factum est, nam id Scriptura non prodit.

V. 14. ET OBSIDES. Hebr. *Et filios mixtionum*. Quidam, *Filios arrhabonum, sponsionum, fiduciussionum, cautionum, oppignerationum*, nempe *obsides*. Nonnulli intelligunt filios nobilium, qui dati fuerant obsides Regi Iehudæ, ne patres rebellarent in eum. Alii, simpliciter Ioasum accepisse obsides ab Amatziah, & a Ierosolymitanis, ut in fide manerent.

V. 15. RELIQUA AUTEM VERBORUM, &c. Similem versum vide supra cap. XIII. vers. 8. Sic infra vers. 18. & 28.

V. 19. FACTAQUE EST CONIURATIO CONTRA EUM IN IERUSALEM, &c. Notant, factam nimirum anno quarto a morte Ioasi Regis Israelis, cum Iarobham filius eius ageret regni annum quartum. FUGIT IN LACHIS, ubi privatam vitam egisse volunt undecim reliquis annis, ex illis quindecim quorum meminit supra vers. 17. *Lachis* erat oppidum in tribu Iudæ, ad fines Philisthæorum. Vide Iosue x. 3. & xv. 39.

V. 21. TULIT AUTEM UNIVERSUS POPULUS IUDÆ AZARIAM, &c. Quidam: *Tum assumentes totus populus Iehudæ Hazariam*, &c. id est, cum consparirent in eum, & fugeret Amatziah. Ex quo, inquiunt, fit, ut undecim anni sequentes non tantum Amatziæ, sed etiam Hazariæ, communi iure tribuantur. *Azariam*. Hebr. *Ghazariah*. Infra cap. xv. vers. 13. & 30. & 32. & II. Paralipom. XXVI. vers. 1. appellatur *Ghuziiah*: utrique nomini affine significatum. עזריה *Ghazariah*, *Auxilium Domini*; עזיה *Ghuzziiah*, *Robur, Fortitudo Domini*.

V. 22. IPSE ÆDIFICAVIT AELATH: de qua vide Deuteronom. II. 8. & Numer. XXXIII. 35. ET RESTITUIT EAM IUDÆ. Quidam putant hanc urbem defeciviste a Iehudah, eo tempore quo Idumæa defecit, supra cap. VIII. vers. 20. & 22. a Ierobhamo autem captam, instauratam, & redditam regno Iehudæ.

V. 25. AB INTROITU EMATH. Terminus erat aquilonaris Israelitarum, de quo vide Numeror. XIII. 22 & cap. XXXIV. vers. 8. Putant hic tangi historiam quæ late describitur I. Paralipom. v. 17. usque ad 22. USQUE AD MARE SOLITUDINIS, id est mare salis, seu lacum Asphaltites. Vide Deuteronom. III. 17. IONAM FILIUM AMATHI, qui inter duodecim Prophetas minores, quintus est ordine. QUI ERAT DE GETH, QUAE EST IN HEPHER. Hebr. *Qui erat de Gbath Chepher*, vel *de Gatho Chepheris*: Oppidum erat sortis Zebulonis, Iosue XIX. vers. 13. de quo vide Comm. in Iosue XII. 17.

V. 26. AMARAM NIMIS. מרה *moreh* participium, proprie *mutantem*, vel *amaricantem*. Quidam, *rebellem valde*; id est, quæ domari, & pervinci, aut superari, seu tolli difficilis valde erat. Aliqui, *mutabilem, variam, multiplicem valde*. Alii, *mutabilem valde*; id est, quæ mutaret se in deterius; hoc est, quæ subinde, & in dies gravior evadebat. Nonnulli, *variantem admodum*, id est incertam, inmodicam, evagantem extra omnem modum, & morem. Aliqui ad Israelem referunt, *afflictionem Israelis iactati valde*. Plerique, *amaram, acerbam, valde*. ET QUOD CONSUMPTI ESSENT USQUE AD CLAUSOS CARCERE, ET EXTREMOS. Hebr. *Et defectus valide conclusi, & defectus derelicti*. Vide hanc locutionem expositam Deuteronom. XXXII. 6. Hic varie exponunt. I. *Et non retentus, & non relictus*: volunt esse hyperbolem; quasi dicat: Defecerunt tam retenti in frequentia civium, quam habiti pro derelictis: ad pauciissimos enim Israelitæ redacti fuerant, supra cap. III. vers. 7. II. *Et quod pessum iissent recluſi & derelicti*. III. *Et non erat clausus, neque derelictus*; id est, nemo tutus erat, five esset miles, aut alicuius honoris homo, qui se in locum tutissimum recepisset; five esset pauper, & abiectissimus quisque, cui parcere solent hostes. IV. *Et nihil esse conclusum, nihilque esse derelictum*, id est nullius facultatis, nullarumque virium ad salutem comparandam. Nonnulli exponunt: Carebant & opibus, & pecoribus.

V. 28.

V. 28. RESTITUIT DAMASCUM ET EMATH IUDAE. Damaſcus erat antea ditionis Iehudæ, II. Samuel. VIII. 6. Item & Chamath, II. Paralipom. VIII. 3. IN ISRAELE. Quidam, *pro Iſraele*; alii, *ipſi Iſraeli*. Hic *Iſrael* utrumque regnum complectitur, & Iehudæ, & Iſraelis. Aliqui: Reſtituit Iehudæ duas eas urbes quæ in finibus Iſraelitarum erant.

MENOCHII.

Verſ. 4. EXCELSA NON ABSTULIT. Vide dicta III. Reg. XXII. 44.

V. 5. PERCUSSIT SERVOS SUOS, &c. Hinc colligitur, eos qui Regem Ioas percuſſerunt, non fuiſſe fugitivos quoſpiam ſicarios, ſed viros potentes, quorum familiæ Ieroſolymis notæ eſſent, in quibus & liberi eſſent qui pœnas poſſent pro nocentibus parentibus luere.

V. 6. NON MORIENTUR PATRES PRO FILIIS, &c. Præceptum hoc habetur in Deuter. XXIV. 16. & apud Ezech. XVIII. 20. quod de humano iudicio, non de divino accipiendum eſſe tota Scriptura teſtatur, in qua frequenter occurrit Deum viſitare peccata parentum in filios uſque ad tertiam & quartam generationem.

V. 7. PERCUSSIT EDOM, Victoriam reportavit de Idumæis, qui tempore Ioram Regis Iuda rebellaverant, ut patet ex II. Paral. XXI. 10. IN VALLE SALINARUM, ita dictam a puteis ſalis, qui ibi viſuntur. Vallis ſilveſtris appellatur in Geneſ. XIV. 8. eſtque ad mare mortuum in finibus tribus Iudæ, & Regni Idumæorum. Vide Adrichomium in tribu Iuda num. 211. APPREHENDIT PETRAM IN PRAELIO, quæ Idumæorum præſidio tenebatur. IECTHEHEL, de nomine ſcilicet ducis, qui locum illum occupaverat, ut vult Vatablus.

V. 8. VIDEAMUS NOS. Sunt verba provocantis ad pugnam; quaſi diceret, ut explicat Ioſephus Lib. IX. Antiq. cap. X. Aut imperata fac, & mihi pareas; aut bello decernamus de iure imperii.

V. 9. CARDUUS QUI EST IN LIBANO, &c. Apologus eſt: ſolebant enim Hebræi frequenter apologis, & parabolis uti ad id quod volebant expreſſius ſignificandum. CONCULCAVERUNT CARDUUM; quaſi dicat. Cum maxime ſuperbiret carduus, & affinitatem cedri ambiret, obtritus eſt. Ita te conteram exercitu meo, ſi me provocare pergas.

V. 10. SEDE IN DOMO TUA; vel, ut eſt in Hebr. & LXX. *Gloriare ſedens in domo tua.*

V. 11. IN BETHSAMES OPPIDO IUDAE: erat enim altera Bethſames in tribu Nephthalim.

V. 13. ADDUXIT EUM IN IERUSALEM, vinctum videlicet, ut vult Toſtatus, aut acri potius ſeptum cuſtodia, ut explicat Ioſephus. INTERRUPIT MURUM IERUSALEM: diruit murorum partem, ut cum toto exercitu ingredi, atque egredi pro arbitrio poſſet. Ioſephus ait, curru per interſtitium illud triumphabundum ingreſſum eſſe Regem Iſrael in Ieruſalem. A PORTA EPHRAIM. &c. Portam Ephraim Villalpandus conſtituit a ſeptemtrionali urbis parte, ſicut & portam Anguli, ad turrim Pſephinam, ad eam partem qua murus ſeptemtrionalis occidentali coniungitur, & angulum facit. Porro porta Ephraim ſic dicta eſt, quod ea recta in tribum Ephraim, & Samariam duceret.

V. 14. OBSIDES. Voluit enim Ioas Amaſiam habere vectigalem, ideoque ex præcipuis familiis Iudæorum obſides adduxit ſecum.

V. 19. FACTA EST CONTRA EUM CONIURATIO IN IERUSALEM. Coniuratorum nomina Scriptura non expreſſit. Videntur fuiſſe viri potentes, ac primarii, quibus Rex auſus non eſt reſiſtere, aut plectere, ſed fuga ſe ſubduxit. LACHIS erat urbs fortiſſima, & munita tribus Iudæ in ſorte Dan, ut tradit Adrichomius in tribu Dan num. 41. apud quem vide plura. INTERFECERUNT EUM IBI. Ex quo apparet coniuratorum potentia, & populi amor in Regem.

V. 21. AZARIAM, qui etiam *Ozias* dictus eſt, ut patet II. Paral. XXVI. 1.

V. 22. AEDIFICAVIT AELATH. Pugnavit contra Idumæos, & AElath recepit, & inſtauravit. Erat hæc urbs ſita in littore maris rubri. Vide plura apud Adrichomium in deſcriptione deſerti Pharan num. 37. RESTITUIT EAM IUDAE: nam David cum Idumæos ſubiugaſſet, etiam

AElath, & portum eius in ſuam ditionem redigebat.

V. 25. AB INTROITU EMATH, qui locus prope Damaſcum, & montem Libanum Iſraeli ad ſeptemtrionem fuit. USQUE AD MARE SOLITUDINIS, quod uſque ad Idumæos ad meridiem Iuda protendebatur. IUXTA SERMONEM DOMINI, &c. De rerum ergo eventu a Propheta Iona admonitus fuit Ieroboam, & ad certas de Syris victorias animatus. QUI ERAT DE GETH, QUAE EST IN OPHER, ſcilitet in tribu Zabulon, ad differentiam alterius Geth Philiſthæorum.

V. 26. USQUE AD CLAUSOS CARCERE, ET EXTREMOS. Hebr. *Et non erat clauſus, nec derelictus*. Chald. *Et erant diſperſi, & deſerti*. LXX. *attenuatos*, vel *rarefactos, clauſos & derelictos*. Significat Iſraelitas eo redactos, ut nuſquam prodire auderent, totis campis hoſtibus late dominantibus, nec auſum apparere quemquam, niſi miſeros, & inopes, quos hoſtis ut armis, & ira ſua indignos contemneret. NEC LOCUTUS EST DOMINUS UT DELERET, &c. ſicut nomen Amalecitarum I. Reg. xv. 3.

V. 27. IN MANU IEROBOAM FILII IOAS: & prius in manu Ioas patris eius.

V. 28. RESTITUIT DAMASCUM ET EMATH, regno ſcilicet Iſraelis. Dicitur reſtituiſſe habita ratione Davidis, qui Damaſcum, & Syriam totam habuit tributariam. Emath autem pridem a Salomone occupatam legimus II. Paral. VIII. 3. Eſt autem Emath regio, quæ ab Aquilone terram ſanctam terminat. IUDAE IN ISRAEL. Quomodo Iudæ reſtituit cum ipſe eſſet Rex Iſraelis, & ſibi vicinæ eſſent, a Iuda vero longiſſime diſtarent? Dicendum videtur reſtituiſſe *Iudæ in Iſrael*. Iudæ quidem, quia David & Salomon, qui eas primum obtinuerant, fuerant Reges de tribu Iuda, & tribui ſuæ acquiſiviſſe debebantur, quamvis omnibus tribubus imperarent. In Iſrael autem, quia non ſunt factæ tributariæ Regi Iuda, ſed Ieroboamo qui in Iſrael imperabat.

TIRINI.

Verſ. 3. FECIT Amaſias RECTUM CORAM DOMINO: ex una parte, quod idola ſub initium regni ſui non coluerit, *non tamen corde perfecto*, ut legimus II. Paralip. XXV. 2. quia *exceſſa non abſtulit*, atque ita permiſit ſaltem aliis ut idola colerent: & ipſemet etiam poſtea delapſus eſt ad cultum idolorum, ut mox dicam. Unde procul abſuit a perfecta & conſtante pietate atavi ſui Davidis; ſed imitatus eſt imperfectam & inconſtantem vitæ rationem patris ſui Ioas, qui ſub initia regni pius utcumque, patriæque religionis zelator fuit, ſed mortuo Ioiada Pontifice, ad peſſima quæque deflexit.

V. 7. IPSE PERCUSSIT EDOM, ſeu Idumæos, IN VALLE SALINARUM. Rebellarunt enim Idumæi, & iugum excuſſerant Regum Iuda ſub Ioramo, ut vidimus cap. VIII. verſ. 20. Quos ut iteratо ſubiuget Amaſias, ex ſuis copias quantas potuit collegit, & ex vicino Iſraelis regno mercede centum talentorum multas quoque legiones conduxit. Sed mox hortatu Prophetæ cuiuſdam, conductitios iſtos domum remiſit: qui remiſſione illa quaſi ſibi iniuriosa & probroſa pluſculum offenſi, arma in ipſos Iudæos converterunt, & occiſis tribus hominum millibus opimas e Iudæa prædas abſtulerunt, II. Paralip. XXV. a verſu 6. uſque 14. Porro *vallis Salinarum*, a copia ſalis ſic dicta (quod iſtic ex vicino mari mortuo & ſaliſſimo defluente aqua continuo concreſcit) eadem illa vallis eſt in qua David eoſdem Idumæos primum contrivit & ſubegit, II. Reg. VIII. 13. I. Paralip. XVIII. 12. ET APPREHENDIT PETRAM IN PRAELIO, id eſt urbem, vel arcem in ardua & præruptа petra ſitam, veriſimiliter ad fauces & aditus tutandos. Ex hac rupe ſeu petra iam capta, in ſubiectam vallem præcipitarunt Iudæi decem millia in prælio cæſa, II. Paralip. XXV. 12. Ceterum arcem illam vocavit *Icctheel*, id eſt *obedientiam*, vel *exſpectationem Dei*, ut toti orbi notum eſſet iuſſu & potentia Dei Idumæos expugnatos & ſubactos eſſe, inquit Caietanus. Et hoc quidem pie, ſub initia victoriæ. Sed paulo poſt, occaſione eiuſdem huius victoriæ Amaſias valde impie, primo in idolomaniam, qua deos Idumæorum a ſe ſubiectorum coluit, & populo ſuo colendos propoſuit; deinde in ſtultam elationem animi lapſus eſt, qua Regem Iſrael ultro ad bellum provocans,

cæ-

cæſus ; captus, theſauris ſpoliatus ab eo, denique a ſuis iugulatus eſt.

V. 25. PER IONAM, &c. De hoc Ionæ vaticinio (quod inter illius prophetias iam non reperitur) ita ſcribit Ioſephus *a*: *Ieroboamo* Regi *Prophetа Ionas prædixit, quod devictis Syris ditionem ſuam eſſet amplificaturus, profatis eius terminis ad ſeptemtrionem uſque Ematham urbem : ad meridiem vero uſque ad Aſphaltitem lacum*, ſeu mare mortuum, quod hic *mare ſolitudinis* vocatur. *Quo oraculo excitatus Ieroboamus, totos eos tractus ademptos Syris ad ſuum regnum addidit*. Ex hoc loco aperte colligimus, Ionam *b* σύγχρονον fuiſſe Iſaiæ patrueli Oziæ ſeu Azariæ Regis Iuda, ut tradunt Hebræi ; item Prophetis Oſeæ, Ioeli, Amos, Nahum, qui ſub eodem Ozia Rege Iuda, & Ieroboamo Rege Iſrael prophetarunt, teſte S. Hieronymo.

V. 28. DAMASCUM ET EMATH. Has eaſdem urbes ceperat olim David, I. Paralip. XVIII. 3. & 6. & ſuæ tribui Iudæ vectigales annexas voluerat, ſicut & Siceleg *c*, & totam Idumæam : unde vocare ſolebant urbes vel provincias Iuda. Et ideo hic dicitur Ieroboamus Rex Iſrael eas urbes Syris ereptas, *reſtituiſſe Iudæ in Iſrael*, ſeu iunxiſſe aliis civitatibus iure ſpectantibus ad tribum Iuda, ſed quas Rex Iſrael ſubditas ſibi tenebat in terminis regni ſui Iſraelitici : ſicut & urbem Siceleg tenebat in finibus tribus Simeon, & alias plures urbes, quæ licet nomen retinerent Iudæ, ſuberant tamen dominio Regum Iſrael.

(*a*) Ioſeph. Lib. IX. Antiquit. cap. XI.
(*b*) Cronic. cap. XXX. & Præf. in Ionam.
(*c*) I. Reg. XXVII. verſ. 6.

GORDONI.

Verſ. 1. AMASIAS reſpondet ſecundo anno Regis Ioas, ut hic dicitur ; ſed inſuper occupat tertium annum ineuntem non modica ex parte : alioqui quomodo hic verſ. 17. dicitur Amaſias vixiſſe quindecim annis poſt mortem Ioas, ſeu uſque ad annum decimum quintum Ieroboami, vide diagramma huius rei.

Hic porro notandum eſt, Ieroboamum ſecundum (qui eſt filius Ioas) regnare cœpiſſe cum patre anno quinto patris. Nam ex IV. Reg. cap. XV. verſ. 4. primus annus Oziæ incidit in annum vigeſimum ſeptimum huius Ieroboami, nempe regnantis cum patre duodecim annis, & poſt patrem annis quindecim, ut tabulæ oſtendunt : non eſt infrequens hæc annorum implicatio in his Regum annis, & commodior difficilium locorum explicatio, quam ſi hoc loco interregnum confingas.

V. 7. PETRAM : locum arduum deſignat. De valle ſalinarum, vide II. Reg. cap. VIII. At quid eſt illud verſ. 8. VIDEAMUS NOS MUTUO ? Hunc ſenſum habent hæc verba : Conveniamus ad pugnam. Cauſam oblati belli tacet Scriptura. Ioas apologo uſus obiurgat Amaſiam, verſ. 29.

V. 21. Hos ſeptemdecim annos Oziæ ex tabulis vide, ubi natum ponimus anno quartodecimo patris regnantis.

V. 22. AEDIFICAVIT AELATH. Erat hæc urbs Idumææ, quæ antea ſubdita Iudæis deſecerat a Iuda.

V. 23. Quod aliqui legunt *anno vigeſimo quinto*, mendum eſt.

V. 26. Multa præſtitit Ieroboam iſte, opitulante, & prædicente victoriam Iona Propheta, quamvis hæc non ſint in libro Ionæ. Ceterum Emath & Damaſcus recuperatæ, funt duæ extremæ civitates terræ promiſſionis. Ut Ioam iuvit Eliſeus, ita nunc filium iuvat Ionas. AB..... EMATH (eſt Antiochia) USQUE AD MARE mortuum.

V. 27. Ieroboam ſecundus, qui regnabat in Iſrael, reſtituit Damaſcum, & Emath. At cui ? Certe vel Iudæ, ut hoc titulo Rex Iuda eſſet ſtipendiarius Regi Iſrael ; vel Iudæ in Iſrael ; hoc eſt, quæ in finibus erant Iſraelis, ea reſtituit Regi Iuda. Sept. τῷ Ιωδὰ ἐν Ισραήλ. Reſtituta vero Iudæ, ad quam certe tribum pertinebant, utpote olim a Davide bello obtentæ, & applicatæ tribui Iuda.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. De non ſublatis excelſis, ſupra.

V. 6. IN LIBRO LEGIS MOYSI, Deuter. XXIV. 16.

V. 7. Rebellaverunt Idumæi ſub Ioram Iudaico Rege, ex II. Paral. XXI. 10. IN VALLE SALINARUM, ubi putei ſalis vocatur *ſilveſtris* Gen. XIV. 8. ad mare mortuum.

V. 11.

V. 11. BETHSAMES, in Iuda. Est altera in Nephtalim.
V. 13. De portis Ieruſalem, ſupra.
V. 19. LACHIS, urbs valde munita in tribu Dan.
V. 22. AELATH urbs ad mare rubrum.

CAPUT XV.

Azariæ leproſo ſuccedit filius Ionathan in Iuda, Zachariæ autem in Iſrael ſuccedit Sellum, & huic Manahem qui fit tributarius Regi Aſſyriorum, & huic Phaceia, & huic Phacee; cuius temporibus Theglathphalaſar devictam magnam partem Iſraelitarum tranſtulit in Aſſyros: huic ſuccedit Oſee: in Iuda autem mortuo Ioathan, ſuccedit filius Achaz.

1. ANno vigeſimo ſeptimo Ieroboam Regis Iſrael, regnavit Azarias filius Amaſiæ Regis Iuda. 2. Sedecim annorum erat cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Iechelia de Ieruſalem. 3. Fecitque quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia quæ fecit Amaſias pater eius. 4. Verumtamen excelſa non eſt demolitus: adhuc populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in excelſis. 5. (*a*) Percuſſit autem Dominus Regem, & fuit leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitabat in domo libera ſeorſum: Ioathan vero filius Regis gubernabat palatium, & iudicabat populum terræ. 6. Reliqua autem ſermonum Azariæ, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? 7. Et dormivit Azarias cum patribus ſuis: ſepelieruntque eum cum maioribus ſuis in civitate David, & regnavit Ioathan filius eius pro eo. 8. Anno trigeſimo octavo Azariæ Regis Iuda, regnavit Zacharias filius Ieroboam ſuper Iſrael in Samaria ſex menſibus: 9. & fecit quod malum eſt coram Domino, ſicut fecerant patres eius: non receſſit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 10. Coniuravit autem contra eum Sellum filius Iabes: percuſſitque eum palam, & interfecit, regnavitque pro eo. 11. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 12. (*b*) Iſte eſt ſermo Domini, quem locutus eſt ad Iehu, dicens: Filii tui uſque ad quartam generationem * ſedebunt ſuper thronum Iſrael. Factumque eſt ita. 13. Sellum filius Iabes regnavit trigeſimo nono anno Azariæ Regis Iuda: regnavit autem uno menſe in Samaria. 14. Et aſcendit Manahem filius Gadi de Theſa: venitque in Samariam, & percuſſit Sellum filium Iabes in Samaria, & interfecit eum, regnavitque pro eo. 15. Reliqua autem verborum Sellum, & coniuratio eius, per quam tetendit inſidias, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 16. Tunc percuſſit Manahem Thapſam, & omnes qui erant in ea, & terminos eius de Theſa: noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes eius, & ſcidit eas. 17. Anno trigeſimo nono Azariæ Regis Iuda, regnavit Manahem filius Gadi ſuper Iſrael decem annis in Samaria. 18. Fecitque quod erat malum coram Domino: non receſſit a peccatis Ieroboam filii Nabat, * qui peccare fecit Iſrael cunctis diebus eius. 19. * Veniebat Phul Rex Aſſyriorum in terram, & dabat Manahem mille ta-

le talenta argenti, ut eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum eius : 20. Indixitque Manahem argentum ſuper Iſrael cunctis potentibus & divitibus, ut daret Regi Aſſyriorum, quinquaginta ſiclos argenti per ſingulos : reverſuſque eſt Rex Aſſyriorum, * & non eſt moratus in terra. 21. Reliqua autem ſermonum Manahem, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 22. Et dormivit Manahem cum patribus ſuis : regnavitque Phaceia filius eius pro eo. 23. Anno quinquageſimo Azariæ Regis Iuda, regnavit Phaceia filius Manahem ſuper Iſrael in Samaria biennio : 24. & fecit quod erat malum coram Domino : non receſſit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 25. Coniuravit autem adverſus eum Phacee filius Romeliæ, dux eius, & percuſſit eum in Samaria in turre domus Regiæ, iuxta Argob, & iuxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnavitque pro eo. 26. Reliqua autem ſermonum Phaceia, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 27. Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ Regis Iuda, regnavit Phacee filius Romeliæ ſuper Iſrael in Samaria viginti annis. 28. Et fecit quod erat malum coram Domino: non receſſit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 29. In diebus Phacee Regis Iſrael venit Theglathphalaſar Rex Aſſur, & cepit Aion, & Abel Domum, Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & univerſam Terram Nephthali : & tranſtulit eos in Aſſyrios. 30. Coniuravit autem, & tetendit inſidias Oſee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percuſſit eum, & interfecit : regnavitque pro eo vigeſimo anno Ioatham filii Oziæ. 31. Reliqua autem ſermonum Phacee, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iſrael? 32. (c) Anno ſecundo Phacee, filii Romeliæ Regis Iſrael, regnavit Ioatham filius Oziæ Regis Iuda. 33. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnavit in Ieruſalem : nomen matris eius Ieruſa, filia Sadoc. 34. Fecitque quod erat placitum coram Domino : iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater ſuus, operatus eſt. 35. Verumtamen excelſa non abſtulit : adhuc populus immolabat, & adolebat incenſum in excelſis : ipſe ædificavit portam domus Domini ſublimiſſimam. 36. Reliqua autem ſermonum Ioatham, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? 37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam, Raſin Regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ. 38. Et dormivit Ioatham cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt cum eis in civitate David patris ſui, & regnavit Achaz filius eius pro eo.

(a) II. Paralip. xxvi. 21. (b) Supra x. 30. (c) II. Paralip. xxvii. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Sedebunt ſuper thronum Iſrael.* Ommittendum eſt *de te*, quod multi adiiciunt verbo *ſedebunt*.

V. 18. *Qui peccare fecit Iſrael cunctis diebus eius.* Non eſt hoc *cunctis diebus eius* addendum ſequentibus *Veniebat Phul*.

V. 19. *Veniebat Phul Rex Aſſyriorum in terram.* Cave ne ſcribas nomen proprium *Therſam*, pro appellativo *terram*.

V. 20. *Et non eſt moratus in terra.* Idem hoc loco cavendum eſt.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Vers. 5. LIBERA, id est separata ab hominum commercio. Chald. *extra Ierusalem.*

V. 13. AZARIAE. Hebr. *Oziæ*: scilicet erat etiam ei id nomen.

V. 16. THAPSAM. Urbs est non procul a Thersa. DE THERSA, id est a Thersa usque, vel usque ad Thersam. APERIRE, scilicet portas.

V. 19. PHUL. Hic primus Rex Babyloniæ post Sardanapalum, secundus Theglathphalasar, tertius Salmanasar, quartus Sennacherib, quintus Asarhaddon, sextus Berodach, septimus Ben Berodach, octavus Nabuchodonosor. IN TERRAM, id est super, seu contra terram, scilicet Israelis.

V. 25. TURRE. Hebr. *palatio*. Chald. *conclavi*, alii *arce*. IUXTA ARGOB, ET IUXTA ARIE. Hebr. Chald. & LXX. *cum Argob & Aria*, scilicet sociis coniurationis. VIROS. Alii vertunt *viri*, ut significarentur non interfecti, sed interfectores.

V. 29. DOMUM MAACHA. Hebr. Chald. & LXX. *Beth Maacha:* scilicet nomen est proprium urbis, seu regionis.

V. 37. DOMUS DOMINI, scilicet atrii. Hanc quidam dicunt esse Speciosam, de qua Actor. III.

V. 37. ILLIS, scilicet mortuo Ioathan.

ESTII.

Vers. 29. IN DIEBUS PHACEE... VENIT THEGLATHPHALASAR REX ASSUR, ET CEPIT AION, ET ABEL...ET TRANSTULIT EOS IN ASSYRIOS. Ad quæ tempora Græcorum, & Latinorum, Roma nondum condita, referenda hæc sint, scribit & declarat Hieronymus super Osee v. Consule & chronologos, nominatim Augustinum Tornielium, qui satis feliciter videtur istiusmodi expedire.

V. 35. IPSE AEDIFICAVIT PORTAM DOMUS DOMINI SUBLIMISSIMAM. Hoc Scriptura de Ioathan filio Oziæ Rege Iuda. Putat Rabanus hanc esse portam speciosam, de qua in Actis cap. III. ad quam sedentem claudum Petrus sanavit. Sed id verum esse non potest, quia templum Domini totum exustum fuit a Chaldæis tempore Sedechiæ Regis, una cum tota civitate, ut narratur ultimo capite huius eiusdem Libri. Itaque verisimile est, fuisse aliam similem eius loco ædificatam quæ nomen antiquum retinuerit, ut & Speciosa, & porta Ioathan vocaretur. Interim videndum, an vocetur sublimissima, seu excelsa propter ipsius celsitudinem ex imo in altum, an vero excelsa, id est *superior*, quomodo vertit hic Pagninus, videlicet quod ad superiorem templi partem ædificata fuerit. Cum enim templum situm fuerit in iugo montis, ita ut ex civitate ad ipsum ascenderetur, ut patet ex eodem loco Actor. III. & aliis; potuit etiam una eius pars superiori loco terræ sita fuisse quam altera.

MARIANAE.

Vers. 1. AZARIAS, qui & *Ozias*. Matth. I. 8. Hic, quod esset leprosus, habitavit

V. 5. IN DOMO LIBERA SEORSUM. Hebr. *in domo libera:* sic Septuag. id est a commercio hominum remota. Chald. *extra Ierusalem*, scilicet in aliquo suburbano. Extra urbem liberior vita, multa in urbe servitus. Tum propter lepram fecessum captavit.

V. 8. REGNAVIT ZACHARIAS FILIUS IEROBOAM SUPER ISRAEL. Coniuravit contra eum Sellum.

V. 10. PERCUSSITQUE EUM PALAM. Hebr. *coram populo.*

V. 12. ISTE EST SERMO DOMINI, quem habes cap. X. vers. 30. FILII TUI USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM. Hebr. *filii quarti*: sic Sept. & Chald. pro, quatuor e posteris tuis sedebunt in throno Israel.

V. 13. TRIGESIMO NONO ANNO AZARIAE. Hebr. *Oziæ*. Fuit binomius. UNO MENSE. Hebr. *mensem dierum*; id est,

est, integrum mensem regnavit Sellum in Samaria.

V. 16. ET TERMINOS EIUS DE THERSA; id est, agros Thapsa percussit Manahem Rex Israel, incipiens a finibus Thersa unde erat Manahem. NOLUERANT ENIM APERIRE EI, id est intra urbem accipere, quamvis appellati de fœdere, sive initio rebellionis Manahem, sive post occuparum regnum percusso Sellum. ET INTERFECIT OMNES PRAEGNANTES EIUS, ET SCIDIT EAS. Hebr. *Percussit* (scilicet cives) *& omnes ipsius prægnantes scidit*. Hæc est vis vocis Hebr. propter duplex ה *he* emphaticum, alterum expressum, alterum in virtute, quod ex ratione punctorum colligit Hebræus. In quo sceleris atrocitas indicatur, הַהֲרִיוֹת *Hebarotheha*.

V. 19. PHUL. Primus Babylonis Rex, Veniebat IN TERRAM, scilicet Israel, Hebr. *super*, *contra terram*. DABAT MANAHEM. Hebr. Chald. & Græc. *Et dedit Manahem ei*. MILLE, scilicet talenta. Ut ea colligeret,

V. 20. CUNCTIS POTENTIBUS ET DIVITIBUS indixit tributum. Hebr. *super omnes fortes substantia*. Ratio optima ut divites ferant reipublicæ onera, eximantur tenues.

V. 25. PHACEE...DUX EIUS coniuravit contra Manahem. Hebr. *tertius eius*. Hic Sept. respicientes dixere *tristata eius*: nimirum viri militares & duces post sacerdotes tertium dignitatis locum occupabant in Regno. PERCUSSIT EUM IN SAMARIA, scilicet Manahem, IN TURRE DOMUS REGIAE. Hebr. *in palatio domo regia*, sive *domus Regis*. IUXTA ARGOB, ET IUXTA ARIE. Heb. *cum Argob & cum Arie*: sic Sept. & Chald. Itaque eos habuit socios Phaceia patratæ Manahem Regis cædis præcipuos. Hieronymus putavit esse duorum locorum nomina, prope quæ facinus sit patratum, & fortasse id est verius. ET CUM EO QUINQUAGINTA VIROS, scilicet occidit. Septuag. & Chald. *Et cum eo quinquaginta viri*: nimirum ii etiam socii Phaceiæ fuerunt, cum regnum invasit. Tunc venit Theglathphalasar, & cepit Aion,

V. 29. ET ABEL DOMUM MAACHA. Totum hoc unius urbis nomen. Hebr. *& Abel Bethmaacha*. Sic Chald. totum hoc pro una urbe sumit. Sept. distinguunt in duas, quando dicunt, *& Abel, & Bethmaacha*. Utrique vocem *Beth* non pro *domo* accipiunt, ut fecit Hieronymus, sed ut partem nominis proprii. Et sane urbs una mihi videtur tribus illis vocibus designari, quando particula את *eth* non apponitur secundæ & tertiæ vocibus, quod fit in singulis urbibus aliis, quas captas dicit. Ioathan filius Oziæ ædificavit

V. 35. PORTAM DOMUS DOMINI SUBLIMISSIMAM, sive in templo ipso, quod verius puto, in fronte templi, sive in atrio, sive novam fecit, sive e veteribus aliquam novis operibus exornavit. Fortasse hæc fit Speciosa, de qua Actor. III. 2. sed iam altera fabrica templi erat.

MALVENDAE.

Vers. 1. ANNO VIGESIMO SEPTIMO IEROBOAM. Notant fuisse hunc vigesimum quartum Hazariæ, seu Huziæ Regis Iehudæ, quo lepra percussus fuit, ut Hebræi tradunt, infra vers. 5. unde illud, *Regnavit*, exponunt pro *regnabat*, non quod tunc regnare inceperet, sed quod iam ad vigesimum quartum annum regnum protenderet, cum lepra tactus fuit.

V. 2. SEDECIM ANNORUM ERAT CUM REGNARE COEPISSET. Quidam convenienter præcedenti versus expositioni, reddunt: *Natus fuerat annos sexdecim, cum regnare inciperet*: & hos tres versus parenthesi includunt, ac verba duorum etiam sequentium versuum, per plusquam perfecta convertunt.

V 4. VERUMTAMEN EXCELSA NON EST DEMOLITUS, &c. Vide huic simile versum supra cap. XIV. vers. 4. & infra vers. 35.

V. 5. PERCUSSIT AUTEM DOMINUS REGEM, &c. Causam cur eum Deus lepra percusserit, vide II. Paralip. XXVI. 16. & seqq. IN DOMO LIBERA. Hebr. *in domo libertatis*, seu *libera*, id est reliquis non coniuncta, sed solitaria & a reliquis domibus semota, iuxta legem Levitic. XIII. 46. ut ibi tamquam solitarius ageret, ac si liber esset ab hominum reliquorum consortio, & commercio. Quidam Hebræorum ex significatione Arabicæ reddunt, *In domo parva*. Chaldæus Interpres, *In domo sepulcrorum*, ut alludatur ad

illud Pſal. LXXXVII. 6. *Inter mortuos* חפשי *chophſchi*, *liber*: ut inter ſepulcreta, ubi mortui liberi & exempti rebus humanis degunt, habitationem ſibi Rex leproſus, ſalutari mortis meditatione poſuerit.

V. 6. RELIQUA AUTEM SERMONUM, &c. Habes ſimilem verſum ſupra cap. XIV. verſ. 15. Sic infra verſ. 11. 15. 21. 26. 31. 36.

V. 7. SEPELIERUNTQUE EUM CUM MAIORIBUS SUIS. Non quidem in eodem ſepulcro Regum, ſed in agro religioſo ſepulturæ Regum, ut ſcribitur II. Paralip. XXVI. 23.

V. 8. ANNO TRIGESIMO OCTAVO AZARIAE, &c. Notant fuiſſe hunc ultimum Iarobhami.

V. 12. ISTE EST SERMO DOMINI, &c. Vide ſup. cap. X. verſ. 30.

V. 14. DE THERSA. Vide de hac urbe I. Reg. XIV. 17.

V. 16. THAPSAM. Hebr. *Thiphſach*, de qua egimus I. Reg. IV. 24. Sed hæreo num hæc noſtra Thiphſach, ſit illa Thaphſacus ad Euphratem: nam hæc propinqua videtur ac vicina Thirtzæ, regiæ Samariæ, ut plerique hic obſervant; cum hinc longe diſtaret Thaphſacus ad Euphratem. NOLUERANT ENIM APERIRE EI. Hebr. *Quia non aperuit*, ſubaudi ei portas proficiſcenti Thirtzah contra Salum. OMNES PRAEGNANTES EIUS.... SCIDIT. Sic ſupra cap. VIII. verſ. 12. Immane genus crudelitatis, cuiuſmodi quoque meminit Oſeas XIV. 1. & Amos I. 13. Inepte quidam Hebræorum hic הרות *baroth*, turres munitas in montibus extructas, ſeu urbes interpretantur, quod ſint inſtar montium propter ædificia: *Et omnes urbes eius perrupit.*

V. 19. PHUL. Vide de eo I. Paralip. V. 26. Hebræis *fabam* ſonat, quaſi dicas *Fabatum*, vel *Fabium*, quod etiam familiæ Romanæ cognomen fuit, a *fabis*. REX ASSYRIORUM. Hebr. *Rex Aſſur*. Vide Gen. X. 11. & 22. MILLE TALENTA ARGENTI, id eſt centies centum millia, & vigeſies centies millies regalium Caſtellanorum, ſive duodecim milliones drachmarum argenteorum Hiſpanicarum. Nam talentum, ut ſæpius dictum nobis, ter mille ſiclos, ſeu duodecim mille regalia Caſtellana continet. UT ESSET EI IN AUXILIUM. Hebr. *Ut eſſent manus eius ſecum:* metonymia; pro, ut eſſet adiumento ſibi; id eſt, pacem redemit ab eo, & eius opem obtinuit. Quidam: *Ut ſibi ſuppetias ferret*. ET FIRMARET REGNUM EIUS. Hebr. *Ad obtinere regnum in manu eius*. Quidam: *Ad confirmandum regnum in manu ipſius*. Poſſis reddere: *Ad obtinere facere, ad roborare, confortare facere regnum in manu ſua*: vel *ad apprehendere facere regnum in manu ſua*; id eſt, ut ipſum regnum apprehenderet, obtineret, roboraretur, confirmaretur in manu ipſius, ſive ut ipſe confirmaretur in regno.

V. 20. CUNCTIS POTENTIBUS ET DIVITIBUS. Hebr. *ſuper omnes prævalidos ſtrenuitatis*. Varie alii: 1. *ſuper cunctos potentes fortitudinis*, id eſt ſuper principes & duces exercitus: 2. *omnibus potentibus ſubſtantia*, vel *opibus & facultatibus*, id eſt omnibus opulentis: 3. *ab omnibus qui valebant facultatibus*: 4. *ſuper omnes potentes exercitus, copiarum*, id eſt ſuper viros militares. QUINQUAGINTA SICLOS ARGENTI, id eſt ducenta regalia Caſtellana viritim: nam ſiclus quatuor regalia Caſtellana continet.

V. 25. IUXTA ARGOB, ET IUXTA ARIE. Hebr. *Ad, apud, Argob, & ad, apud, Arieh*. Noſter, & alii, *Argob*, & *Arieh* nomina propria locorum vel in palatio, vel iuxta palatium, ſeu arcem, aut turrim munitiſſimam Samariæ intellexerunt. Alii nomina propria virorum. qui coniurarunt cum Phekacho, contra Phekachiam eſſe volunt: unde reddunt: *Cum Argob, & cum Arieh*; quaſi dicat, Fretus auxilio Argob, & Arieh, quos habuit ſocios coniurationis. Alii: *Cum Argobo, & cum eo qui dicebatur Leo*, nam אריה *arieh*, *leonem maiorem, & adultiorem*, ſignificat: unde ille vir propter robur & fortitudinem videtur nomen nactus. Aliqui, hos duos viros, Argob, & Arieh, non ſocios coniurationis Phekachi; ſed cum Rege Phekachia, a Phekacho interfectos exiſtimant. Unde illud, *Cum Argob*, &c. non ad Phekachum; ſed ad *percuſſit eum cum Argob*, &c. referunt; quaſi dicat: Percuſſit Phekachum, & Argobum, & Arieh, qui erant cum Rege. ET CUM EO QUINQUAGINTA VIROS. Noſter, & alii, hos ſimul cum Rege interfectos putant. Alii, inter coniurantes & interfecto-

fectores ponunt, unde convertunt: *Et cum eo*, ſubaudi erant, vel coniuraverunt, *quinquaginta viri. Quidam: Habens ſecum quinquaginta viros è Ghilhaditis.*

V. 29. THEGLATHPHALASAR. Hebr. *Thighlath-Phileſer*, qui I. Paralip. v. 6. vocatur, tranſpoſitis litteris, *Thilghath-Philneeſer*, & verſ. 26. dicitur *Thilghath-Philneſer*. Hunc quidam eum eſſe augurantur, quem ALlianus Lib. XII. Hiſtoriæ animalium, cap. XXI. corrupto vocabulo, *Tilgamum* appellat, cuiuſque ab aquila ſervati miram hiſtoriam, ſeu fabulam narrat. Somniant quoque a devicta & ſubiugata Galilæa nomen *Totglath* uſurpaiſe, more iam vetuſto, & poſtmodum Romanis uſitato, ut duces, & imperatores a devictis nationibus nomina ſumerent; quaſi dicat, *Galilæus Phileſer*: ut Scipio Africanus. ET CEPIT AION. Hebr. *Ghiron*: de qua vide I. Reg. XV. 20. ET ABEL DOMUM MAACHA. Hebr. *Et Abel. Beth-Mahachah*: de quo oppido vide II. Samuel. XX. 14. & 15. & I. Reg. XV. 20. ET IANOE. Hebr. *Ianoach*: de qua vide Ioſue XVI. 6. ET CEDES. Hebr. *Kedes*: de qua vide Ioſue XII. 22. & Ioſue XIX. 37. ET ASOR. Hebr. *Chatzor*: de qua vide Ioſue XI. 1. & ibid. XIX. 36. ET GALAAD, id eſt totam regionem trans Iordanem, quam Reubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Menaſeh obtinebant. ET GALILÆAM: de qua vide Ioſue XX. 7. Et quidem hic Galilæam ſuperiorem intelligo, nam quod ſubditur, *Et univerſam terram Nephtali*, Hebr. ſine coniunctione. *omnem terram Naphtali*, appoſitive, *& Galilæam*, nempe omnem terram Naphthali. ET TRANSTULIT EOS IN ASSYRIOS, nimirum in Chelach, & Chabor, & Hara, & flumen Gozan, ut ſcribitur I. Paralip. v. 26. S. Hieronymus in cap. v. Oſee: *Legimus Regum & Paralipomenon libros, & inveniemus ſub Rege Phacee, qui regnabat decem tribubus, veniſſe Thelgath-Phalaſor Regem Aſſyriorum, & magnam partem populi Samariæ in Aſſyrios tranſtuliſſe: quo tempore apud Græcos ſecundus annus primæ Olympiadis fuit, & apud Latinos (necdum Roma condita fuit) Albæ viceſimo anno Amulius imperabat: quem poſtea Romulus regno pepulit.*

V. 30. REGNAVITQUE. Exponunt, mero quidem imperio octo annis; tributario vero novem, infra cap. XVII. I. & 6. VIGESIMO ANNO IOATHAM. Explicant, anno vigeſimo a regno cœpto Ioathami, id eſt anno quarto Achazi: ſed quia eius adhuc nullam mentionem fecit, tempus deſcribit a ſuperiore Rege. Alioqui Ioatham ſedecim annis regnavit, inf. verſ. 33. Alii exponunt: *Anno vigeſimo*, ab eo tempore quo vivente patre regnare cœpit, non quo ſolus regnavit, ſup. verſ. 5. Vide Caietanum hic.

V. 33. CUM REGNARE COEPISSET. Exponunt: Id eſt cum regni adminiſtrationem iniit propter lepram patris, ſupra verſ. 5. ET SEDECIM ANNIS REGNAVIT. Explicant, a morte patris.

V. 35. PORTAM DOMUS DOMINI SUBLIMISSIMAM. Hebr. *exceſſam, altiſſimam, ſuperiorem*: proprie *aſcendentem, ſupremam*, a ſtructura, quod eſſet maxima ac præcipua portarum templi. Vide ea cap. XI. verſ. 6. & Ierem. XX. 2. & XXVI. 10. Notant, cum in Scriptura dicuntur portæ domus Domini, ſeu templi, non intelligendum id de דביר *debir*, *oraculo*, nec de היכל *hechal*, *baſilica*; ſed de atrio, in quo populus orabat, quod interdum nomine templi cenſetur, quod ei eſſet contiguum, & omnia illa tria oraculum, baſilica, atrium, templum dicerentur. Sic Actor. III. 2. & 10. dicitur *porta ſpecioſa templi*, id eſt atrii magni.

V. 37. IN DIEBUS ILLIS. Exponunt: Id eſt, ſub finem regni Iothami cœperunt calamitates illæ quæ conſecutæ ſunt regnante Achazo eius filio.

MENOCHII.

Verſ. 4. EXCELSA NON ABSTULIT. Vide dicta III. Reg. XXII. 44.

V. 5. FUIT LEPROSUS. Lepræ cauſam vide II. Paralip. XXVI. 19. HABITAVIT IN DOMO LIBERA SEORSUM. II. Paralip. XXVI. 21. dicitur habitaſſe *in domo ſeparata*. Domus libera, eſt quæ aliis annexa non eſt, ſed ſeparata, & ſeiuncta. Chaldæus habet: *Sedit extra Ieruſalem*: eadem vero erat ratio caſtrorum in deſerto, & civitatum in terra Chanaam. Vide Levit. XIII. 46.

V. 10. PERCUSSIT EUM PALAM.

At num. 15. huius cap. dicitur tetendiſſe inſidias. Dicendum coniuraſſe prius, & de modo occidendi Regis conſultaſſe; poſtea vero palam erupiſſe coniurationem, quæ Regem oppreſſit.

V. 12. SERMO DOMINI, &c. Vide ſup. cap. x. verſ. 30. USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM, quæ in Zacharia complebatur.

V. 14. DE THERSA. Vide dicta III. Reg. XIV. 17.

V. 16. PERCUSSIT THAPSAM, urbem poſitam in finibus Theriſa, eius imperium detrectantem. TERMINOS EIUS DE THERSA, id eſt uſque ad Theriſam, vel a parte quæ reſpiciebat Theriſam.

V. 19. VENIEBAT PHUL REX ASSYRIORUM, &c. Mille argenti talenta, quorum hic mentio fit, videntur fuiſſe annua: hoc enim ſignificant voces illæ, *veniebat*, *dabat*, &c. quod ita eſſe clarius patet ex LXX. in Bibliis Regiis, qui habent: *Cunctis diebus eius veniebat Phul*, &c.

V. 20. QUINQUAGINTA SICLOS, qui ducentis Hiſpanis regalibus æquivalent.

V. 25. DUX EIUS. LXX. τριάρχου vocant, Ioſeph. χιλίαρχον, id eſt tribunum, ſeu mille viris præpoſitum. Hebræi tertium a Rege. IUXTA ARGOB, ET IUXTA ARIE, &c. Ex Hebræo, Chaldæo, & Græco ſententia eſt, Phacee ſocios habuiſſe coniurationis Argob, & Ariam, & cum iis quinquaginta viros Galaaditas, quibus adiutus facinus perpetravit. Divus Hieronymus ea nomina tamquam locorum propria accepiſſe videtur, iuxta quæ patrata ſit cædes. Poterunt tamen inter ſe conciliari, ſi dicamus ſenſum eſſe, percuſſum fuiſſe Phaceiam, cum iuxta illum eſſent Argob, & Arie. VIROS. Verti etiam poſſet ex Hebræo *viri*, ut ſignificarentur non interfecti, ſed interfectores.

V. 29. THEGLATHPHALASAR REX ASSUR. Aſſyriorum Rex Phul, de quo num. 19. primus fuit Aſſyriorum Rex poſt Sardanapalum, ſecundus Teglathphalaſar, tertius Salmanaſar, quartus Sennacherib, quintus Aſſaradon, ſextus Berodac, ſeptimus Bemberodac, octavus Nabuchodonoſor. CEPIT AHION, ET ABEL DOMUM, &c. Hac clade quæ memoratur hoc verſiculo, amiſit Regnum Iſraelitarum duas tribus cum dimidia, quæ erant trans Iordanem, tribum ſcilicet Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe; cis Iordanem autem totam tribum Nephthalim, qua tota ſuperior Galilæa, quæ Gentium dicta eſt, continetur. TRANSTULIT EOS IN ASSYRIOS: captivos abduxit in Aſſur.

V. 35. PORTAM SUBLIMISSIMAM. Hebr. & Chald. vocant *portam ſuperiorem*, ſicut LXX. Sixti. In Paralip. eadem porta vocatur excelſa. Vatablus, cui conſentit Salianus, ait fuiſſe portam templi orientaliſm, cui portæ merito ſublimiſſimæ epitheton additur, aut excelſæ: nulla enim erat excelſior, ſive portæ nomine templi oſtium accipiamus, cui uſque ad fornicem triginta duos cubitos altitudinis tribuit Villalpandus, latitudinis vero quatuordecim; ſive orientalem faciem veſtibuli templi, quæ ad centum, & viginti cubitos erigebatur.

V. 27. RASIN REGEM SYRIÆ, de quo ſermo erit ſequenti capite.

TIRINI.

Verſ. 3. IUXTA OMNIA QUAE FECIT AMASIAS PATER EIUS, fecit Azarias ſeu Ozias Rex. Uterque enim initio pius, ac proinde in bello felix; ſed occaſione victoriæ uterque elatior factus, ille ad idola deflexit, ut vidimus cap. præced. iſte vetitum ſibi munus, thymiama ad altare incenſi offerendo, uſurpavit. Sed ſcelerum pœnas uterque mox dedit, ille ab hoſte proſtratus, hic lepra percuſſus, ut habes II. Paralip. XXVI. ubi & victorias illius celeberrimas ex Philiſthæis, Ammonitis, & Arabibus relatas, & alia certe illuſtria ab eo geſta leges, uti & apud Ioſephum *a*.

V. 7. SEPELIERUNTQUE EUM IN CIVITATE DAVID, *in agro regalium ſepulcrorum*, II. Paral. XXVI. ult. id eſt, prope quidem ſepulcrum Regum, ſed non in communi Regum ſepulcro, *eo quod* fuiſſet *leproſus*; quaſi lepram, etiam in regio corpore & cognato cadavere, mortuorum oſſa refugerent, & horrerent.

V. 14. ASCENDIT MANAHEM DE THERSA, quam nomine Regis ſui Zachariæ obſidebat, inquit Ioſephus *b*. Cumque poſt occiſum Sellum rapuiſſet ſibi ſceptrum, & ad Theriſam rediiſſet non iam dux, ſed Rex, nollentque Theriſani eum Re-

Regem agnoſcere, expugnavit eam vi, & cum in totam ditionem furibundus ſæviret, tum maxime in Thapſam illa edidit crudelitatis exempla, quæ hic deſcribuntur. Et quia hoc nomine, aliiſque compluribus valde exoſus eſſet Iſraelitis tyrannus, ut regnum ſibi ſtabiliret, ad externa confugit auxilia, ad Phul Regem Aſſyriorum tum temporis admodum celebrem, recentibusque victoriis maxime formidandum. Hic enim eſt ille *Phul-Belochus* Babyloniæ præfectus, qui ſub hoc tempus iunctis cum Arbace Medo viribus *c* Sardanapalum ultimum Aſſyriorum Monarcham poſt biennalem obſidionem in eas adegit anguſtias, ut conſtructa in regiæ ſuæ penetralibus altiſſima pyra quadringentorum pedum, in eaque menſis aurcis quinquaginta, cum totidem lectis, ſeipſum, uxores, pellices, liberos, mille myriades auri, & decem mille myriades argenti, & quidquid pretioſum ſupererat, flammis abſumpſit, quæ videntibus deforis hoſtibus totos quindecim dies durarunt. Ita Athenæus *d*, & alii. Exſtincta his flammis regia Aſſyriorum ſtirpe, quæ mille trecentis & duobus annis, ducto a Iove Belo exordio monarchiam tenuerat, *Phul-Belochus* ad Chaldæos ſceptrum tranſtulit, in Ninive tamen, utpote urbe regia, & capite Aſſyriaci imperii, ſedem fixit: unde & nomen gerere voluit Regis Aſſyriorum tam ipſe quam poſteri illius *Teglat-Phul-Aſſar*, *Salman-Aſſar*, *Sennacherib*, & *Aſſar-Adon*, &c. ut dixi in Chronico *e*. E quo etiam patet, annum primum regni Phul-Belochi concurrere cum 9. anno regni Oziæ Regis Iudæ: cuius quinto anno cœpit initium Olympiadum, 23. annis ante conditam urbem Romam.

V. 29. THEGLATHPHALASAR CEPIT ABEL DOMUM MAACHA. Nomen eſt urbis unius vel provinciæ, ut patet ex Hebræo, Chaldæo, & Græco. Cepit & Galaad trans Iordanem, in qua regione erant Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe, ut dicitur I. Paralip. v. 6. Cepit & Galilæam, quæ magna ex parte conſtabat Zabulonitica tribu & Nephthali, de quibus Iſaias IX. 1. *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephthalim: & noviſſimo aggravata eſt via maris trans Iordanem Galilææ Gentium*, id eſt Galaaditis regio, quæ trans Iordanem oppoſita iacet Galilææ. Et hæc eſt prima tranſlatio Iſraelitarum in Aſſyriam, quando fere dimidia pars eo avecta fuit, nempe quinque fere integræ tribus, quas tyrannus primo ſibi obvias, magiſque propinquas habuit. Quod contigit anno quarto regni Achaz Regis Iudæ, & anno primo Oſee filii Ela Regis Iſrael. Cum paulo ante idem Theglath-Phul-Aſſar occiſo Raſin Rege Syriæ, etiam habitatores Damaſci tranſtuliſſet Cyrenem, ut habes cap. ſeq. verſ. 9. & II. Paralip. XXVIII. Prædixerat autem Amos cap. I. verſ. 5. & Iſaias Propheta cap. VII. verſ. 16. aliquot annis antequam id fieret, tam Damaſcum quam Samariam ſuis Regibus ſpoliandos per Regem Aſſyriorum.

(*a*) Ioſeph. ſup. cap. XII.
(*b*) Ioſeph. capite I.
(*c*) Chron. cap. XXXIII. ſub initium.
(*d*) Athen. Lib. XII. cap. XII.
(*e*) Chron. cap. XXXIII. & XXXIV. Iſai. IX.

GORDONI.

Verſ. 1. DE hoc Azaria, vide quæ geſſit I. Paral. VI. 10. & II. Paralip. XXVI. 5. & feliciter initio omnia: habes hic verſ. 16. quomodo a priori gloria exciderit.

V. 4. De excelſis, vide III. Reg. cap. III.

V. 8. ANNO TRIGESIMO OCTAVO AZARIAE, &c. Nunc exactis ſex menſibus Zachariæ, vacillat in dies magis regnum Iſrael, nec ſatis conſtat qui ſint Sellum & Manahem. Hinc verſ. 19. Aſſyrii exigunt tributum. Vide ann. 3182. ubi dixi de hoc Phul Babylonio.

At unde iterregnum hoc in Iſrael, quod acciduſſe opportet ſub annum Oziæ vigeſimum ſeptimum? Certe nulla apparet melior cauſa quam ſi conferatur hoc in civilia bella ac tumultus. Ceterum in annis Regum Iuda non admitti interregnum, dixi in opere Chronolog. Qq. cap. II.

V. 23. Hic Phaceias filius Manaem videtur legitime regnaſſe: nam populus iam conſenſerat in regnum patris, licet male occupatum.

V. 35. AEDIFICAVIT PORTAM DOMUS SUBLIMISSIMAM. Aliqua ſuſpicio eſt, hanc eſſe portam Specioſam, de qua ante. Erat in fronte templi: & forte eſt illa quæ Ierem. verſ. 26. vocatur nova.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

V. 5. In domo libera, separata ab aliis. Vide Levit. xiii. 46.

V. 10. Percussitque eum palam. Quomodo ergo vers. 15. dicitur tetendisse insidias? Sane utrumque fecit: præcessit coniuratio.

V. 12. Quarta generatio finitur hic in Zacharia.

V. 14. Thersa: supra III. Reg. xiv. 17.

V. 16. Thapsa, urbs vicina Thersæ.

V. 19. Hæc mille talenta dantur annua.

V. 20. Siclus dat quatuor regales Hispanicos.

V. 25. Dux, χιλίαρχος, ex Iosepho. Argob, et Arie, Hieronymo sunt locorum nomina; tamen ex Græco & Chaldæo sunt duo socii coniurationis.

V. 29. De Regibus his Assyriorum vel Babiloniæ post Phul, dicis ad annum mundi 3181.

V. 29. Hac clade periit Israelitis Galilæa gentium. De eo quod erat trans Iordanem, vide cap. x. vers. 33.

CAPUT XVI.

Achaz filium suum per ignem consecrat: Regibus quoque Israel & Syriæ Ierusalem obsidentibus, auxilium a Rege Assyriorum missis muneribus obtinet; in cuius gratiam, ablato Dei cultu, diis Assyriorum sacrificat; cui succedit pius filius Ezechias.

1. ANno decimo septimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Ionathan Regis Iuda. (*a*) 2. Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Ierusalem: non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater eius: 3. sed ambulavit in via Regum Israel: insuper & filium suum consecravit: transferens per ignem secundum idola Gentium: quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. 4. Immolabat quoque victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso. 5. (*b*) Tunc ascendit Rasin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ Rex Israel, in Ierusalem ad præliandum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. 6. In tempore illo restituit Rasin Rex Syriæ, Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila: * & Idumæi venerunt in Ailam, & habitaverunt ibi usque in diem hanc. 7. Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar Regem Assyriorum, dicens: Servus tuus, & filius tuus ego sum: ascende, & salvum me fac de manu Regis Syriæ, & de manu Regis Israel, qui consurrexerunt adversum me. 8. † Et cum collegisset argentum & aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in thesauris Regis, misit Regi Assyriorum munera. 9. Qui & acquievit voluntati eius: ascendit enim Rex Assyriorum in Damascum & vastavit eam: & transtulit habitatores eius Cyrenen, Rasin autem interfecit. 10. Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar Regi Assyriorum in Damascum, cumque vidisset altare Damasci, misit Rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar eius, & similitudinem iuxta omne opus eius. 11. Extruxitque Urias sacerdos altare: iuxta omnia quæ præceperat Rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret Rex Achaz de Damasco.

12

12. Cumque veniſſet Rex de Damaſco, vidit altare, & veneratus eſt illud: aſcenditque & immolavit holocauſta, & ſacrificium ſuum, 13. & libavit libamina, & fudit ſanguinem pacificorum, quæ obtulerat ſuper altare. 14. Porro altare æreum, quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini: poſuitque illud ex latere altaris ad aquilonem. 15. Præcepit quoque Rex Achaz Uriæ ſacerdoti, dicens: Super altare maius offer holocauſtum matutinum, & ſacrificium veſpertinum, & holocauſtum Regis, & ſacrificium eius, & holocauſtum univerſi populi terræ, & ſacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem ſanguinem holocauſti, & univerſum ſanguinem victimæ ſuper illud effundes: altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam. 16. Fecit igitur Urias ſacerdos, iuxta omnia quæ præceperat Rex Achaz. 17. Tulit autem Rex Achaz cælatas baſes, & luterem, qui erat deſuper: & mare depoſuit de bobus æreis, qui ſuſtentabant illud, & poſuit ſuper pavimentum ſtratum lapide. 18. Muſach quoque ſabbati, quod ædificaverat in templo, & ingreſſum Regis exterius, convertit in templum Domini, propter Regem Aſyriorum. 19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iuda? 20. Dormivitque Achaz cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in civitate David, & regnavit Ezechias filius eius pro eo.

(a) II. Paralip. XXVIII. 1. (b) Iſai. VII. 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 6. *Et Idumæi venerunt in Ailam.* Quidam pro *Idumæi* ſcribunt *Syri*, quidam utroſque coniungunt, *Et Idumæi & Syri venerunt in Ailam* (qua de re in Notationibus noſtris.) Correctores eam lectionem prætulerunt, quæ ſolos nominat Idumæos.

V. 29. *Reliqua autem verborum Achaz quæ fecit.* Non adiicias *& omnia* ante *quæ fecit.*

Lectionum Varietas.

V. 8. *Et cum colligiſſet.* Quidam libri ſubdunt *Achaz*, alii ſubaudiunt.

Notatio.

V. 6. Textus vulgatæ editionis Regius ex Complut enſi expreſſus legit: *Ei eiecit Iudaos de Hayla, & Idumæi venerunt in Haylam*, Exemplar Domini Hunnæi habet: *Et eiecit Iudaos de Hailam, & Syri venerunt in Hallam.* Illud exemplar Idumæos, hoc Syros in Hailam veniſſe commemorat. Videtur autem varietas iſta ex Hebræo nata. Hebræi enim hoc loco ארומים ſcribunt, ארומים legunt: quorum iſtud quidem Idumæos ſignat; illud autem Syros denotare videtur: quamquam Syrus ארם ſine Vau littera dici ſoleat (Chaldaica paraphraſis Regiæ editionis legit ארומאי Venetæ, ארמאי.) Certe Syros Ioſephus (a) intellexit, cuius hæc eſt rei iſtius narratio. „ Syrorum vero Rex ſapiens civitatem Aila ad mare rubrum poſitam, & habitato„ res eius occidens, in ea Syros ſtatuit: & „ aliis in circuitu civitatibus ita fecit, per„ imens ubique Iudæos. " Sed & recentior quidam notat, Syros a ארוגים רום appellatos quod elati eſſent. Eſt autem Hebraice locus iſte ad hunc modum ſcriptus וינשל את ירושלים מואלות ואלומים (b) באו אילת *Et extirpavit Iudaos de Eloth, & Aromim venerunt Elath.* An autem ſcribarum errore varietas iſta nata ſit, quam poſtea deprehenſam in marginis ſpatio annotarint; an certo auctoris conſilio addita, equidem ignoro. Ut ut autem id ſe habeat, minime dubitandum eſt cum Idumæis Syros ad Ailam habitandam veniſſe. Et quidem Syros utpote victores & dominos Idumæis præfectos. Civitas erat Aila in Idumæorum regione ſita Regi Syriæ ſubiecta: quam poſt a Regibus Iu-

Iudæorum occapatam Rasin, & Syrorum ditioni, & Idumæorum mansioni restituit. Hinc plerique Latinorum librorum utrosque ad hunc modum iungunt : *Et eiecit Iudaeos de Aila* (*c*) *& Idumæi & Syri venerunt in Ailam*. Sunt autem nonnulla scriptorum nostrorum quæ primis quidem lectionibus accedant, sed certiam hanc redoleant. h. & l. legunt : *Et eiecit Iudaeos de Abila Syriæ, & Idumæi venerunt in Abilam*. Duo alia scribunt : *Et eiecit Iudaeos de Abila & Idumæa, & Syri venerunt in Abilam*. Quæ autem trium illarum lectionum nostro Interpreti attribuenda sit (satis enim verisimile est ipsius non esse duarum istarum maxime posteriorem) pronuntiare nolim ; forte diversa quæ legit, quia non est improbabile utraque accidisse, coniunxit. Ceterum Dominus Hentenius eam probavit lectionem, quæ solos nominat Idumæos : atque ea Græcæ interpretationi consonap.

(a) Iosephus Lib. IX. antiq. Iud. cap. XIII. vel secundum Gr. cum exemplar cap. XII.
(b) ק. ואדומים *Idumæi*.
(c) I. M. S. *Syri, & Iudæi*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. REGNAVIT, id est regnare cœpit.

V. 3. PER IGNEM. Incertum, an simul etiam cremarent : probabile solum traiecisse. IDOLA. Hebr. Chald. & LXX. *abominationes*.

V. 6. AILAM. Urbs est Idumææ. Heb. *Elath*. IDUMAEI. Sic etiam Chald. & LXX. at Hebr. varia lectio : itaque quidam vertunt *Syri*.

V. 9. CYRENEN, scilicet Mediæ urbem.

V. 12. VENERATUS EST. Hebr. Chald. & LXX. *Accessit ad*. ASCENDITQUE. Chald. *Obtulitque super illud*.

V. 13. SUPER. Alii, *iuxta*.

V. 14. AEREUM, scilicet Salomonis. DE LOCO ALTARIS. &c. Hebr. Chald. & in LXX. sensus est, abstulisse illud de loco in quo erat, scilicet inter templum & altare illud, quod Rex iste posuerat. ALTARIS, scilicet sui. AQUILONEM : scilicet cum antea esset ad austrum.

V. 15. MAIUS ; quasi dicat, Meum. AEREUM, scilicet Salomonis.

V. 17. BASES, scilicet concharum, seu luterum.

V. 18. MUSACH, id est *tentorium*, seu *operimentum* : scilicet sub quo perfuncti munere suæ hebdomadæ, quiescebant sabbato, postridie abituri. TEMPLO, id est atrio sacerdotum, scilicet deiecit. CONVERTIT IN TEMPLUM ; id est, fecit ut in templum duceret. REGEM, id est Regis metum, seu gratiam.

ESTII.

Verſ. 2. & 3. VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ CUM REGNARE COEPISSET .... NON FECIT QUOD ERAT PLACITUM IN CONSPECTU DOMINI ..... INSUPER ET FILIUM SUUM CONSECRAVIT, TRANSFERENS PER IGNEM, SECUNDUM IDOLA GENTIUM. Hebr. est. *Traduxit per ignem, iuxta abominationes gentium*. Hoc autem quod dicitur, per ignem traduxisse filium suum, dupliciter intelligi potest. Vel quod filium suum igne cremari iusserit ad honorem idoli Moloch, de qua impietate Levit. XXII. Et hoc modo Iosephus in Lib. Antiq. Iudaicarum intelligit, ubi refert, quod Achaz filium suum immolaverit idolo in holocaustum. Holocaustum autem totum cremari debebat. Tale autem sacrificium, ut Dromaxime displicet propter extremam crudelitatem, ita diabolo, qui in idolis colebatur, erat gratissimum. Vel intelligitur quod traduxerit filium per ignem, id est transire fecerit inter duos ignes. Ita enim credebant filios suos lustrari, id est purgari, propterea quod ignis habeat vim purgandi res corporeas. Si de primo modo intelligatur, certum est non intelligi de Ezechia filio Achaz. Nam ille (ut patet in sequentibus) supervixit, & post patrem regnavit. Si autem intelligatur modus posterior, fieri potest ut fuerit Ezechias hoc modo translatus per ignem, quem scilicet divina clementia custodierit, ut sicut ei non obfuit prava educatio, ita nec hæc impia consecratio, II. Paralip. XXVIII. de hoc Achaz legitur pluraliter :

Et

Et luſtravit filios ſuos in igne, &c.

V. 14. ET EIECIT IUDAEOS DE AILA, &c. Hoc loco primum in Bibliis reperitur nomen Iudæorum. Supra enim ſemper, filii Iſrael, vel Iſraelitæ & Hebræi vocati ſunt. Ideo autem hic & ſæpius deinceps vocantur Iudæi, quia decem tribubus abductis in captivitatem, remanſit ſola tribus Iuda, permixtis tantum ei Levitis, & in tribu Beniamin. Et poſt captivitatem Babylonicam ſoli illi ſolemniter redierunt in patriam. Unde factum eſt, ut ab eo tempore uſque in hunc diem, & Paleſtina ipſa, Iudæa, & omnes Iſraelitæ, Iudæi vocentur. Hebr. eſt *Iehudim*.

MARIANAE.

Verſ. 3. FILIUM SUUM CONSECRAVIT. Achaz Rex Iuda. Hebr. *Traduxit per ignem*. Sept. *Tranſtulit in igne*. Chald. *Tranſire fecit per ignem*. Sed ſive dicas *conſecravit*, ſive *traduxit*, perinde eſt ac ſi diceret *combuſſit*, ſcilicet in honorem Moloch, ſeu Melchom, Moabitarum idoli. Nam II. Paral. XXVIII. verſ. 3. ubi nos, & Sept. *Luſtravit filios ſuos in igne*, Hebr. legitur: *Combuſſit filios ſuos*, id eſt unum e filiis, ut hic dicitur. SECUNDUM IDOLA. Hebraice *abominationes*, id eſt ritus pravos gentium. Immolabat

V. 4. SUB OMNI LIGNO FRONDOSO. Alii *viridi*. Tu arbores intellige præceteris proceras & opacas, quibus divinitatem ineſſe, & in iis numen habitare Gentes exiſtimant. Huc ſpectat illud Ierem. II. verſ. 20. *Sub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix*, id eſt adorabas. Cap. XVII. 20. pro eadem voce Hieronymus *lignum* ibi *nemoroſum* poſuit.

V. 6. RESTITUIT RASIN REX SYRIAE AILAM SYRIAE. Hæc urbs erat in Idumæa: eam ædificavit Azarias Rex Iuda, cap. XIV. verſ. 22. & poſuit præſidiarios ex ſua gente, quos expulit Raſin, & Idumæos loco eorum poſuit, qui Syriæ contributi erant. Sic ait reſtituiſſe eam urbem Syriæ.

V. 9. ET TRANSTULIT HABITATORES EIUS. Hebr. *urbem*, id eſt cives. CYRENEN. Sed Cyrene Africæ provincia eſt. Hebr. *Rex Aſſur tranſtulit eam in Kir*: ſic Chald. Vatablus, *in regionem Cyrenaicam*, ut Hieronymus. Ego inter urbes Moab, Ierem. XLVIII. 41. invenio *Kerioth* urbem, ſic dictam. RASIN AUTEM INTERFECIT idem Aſſyriæ Rex Theglathphalaſar.

V. 10. IUXTA OMNE OPUS EIUS; id eſt, nulla re prætermiſſa eorum quæ in eo altari Damaſci Achaz vidit, fecit novum altare in templo. Novis oblectamur, contemnimus vetera.

V. 12. ET VENERATUS EST ILLUD. Hebr. *Et acceſſit Rex ad altare*. Sic Sept. & Chald. ASCENDITQUE. Hebr. *Et aſcendere fecit ſuper illud*: ſcilicet victimas obtulit. Chald. *Obtulit ſuper illud*. Sept. *Et aſcendit ſuper illud*.

V. 13. FUDIT SANGUINEM PACIFICORUM, QUAE OBTULERAT SUPER ALTARE. Hebr. *quæ ei ſuper altare*, ſcilicet oblata erant. *Ei*, id eſt ab eo.

V. 14. TRANSTULIT DE FACIE TEMPLI altare vetus. Hebr. *Appropinquare fecit de facie templi*, id eſt removit, ne, ut ante, eſſet e regione templi. ET DE LOCO ALTARIS. Hebr. *inter altare illud*, ſcilicet novum. ET DE LOCO TEMPLI. Hebr. *& inter templum*; quaſi dicat: Altare vetus poſuit inter novum & ſanctuarium. POSUITQUE ILLUD EX LATERE ALTARIS, ſcilicet illius, nempe novi, propter ה *he* emphaticum. Itaque altare æneum ſuo loco motum, collocarunt ad latus ſeptemtrionale, inter novum altare, quod e regione ianuæ erat, & inter ipſum ſanctuarium. Rex ad ſummum Sacerdotem: Sacrificia in novo altari fiant.

V. 15. ALTARE VERO AEREUM ERIT PARATUM AD VOLUNTATEM MEAM. Hebr. *erit mihi ad quærendum*. Sic Chald. Hieronymus ſententiam poſuit; id eſt, cum voluero ego, illud quæram ad ſacricandum. Tulit Achaz

V. 17. CAELATAS BASES. Hebr. *clauſuras baſium*, ſcilicet quibus conchæ inſidebant, ſive luteres; quaſi dicat: Amovit baſes. In quo quid quærebat? fortaſſis ut æs conflaret in alios uſus: quod de bobus idem credam, e quibus mare æneum detraxit. Sic faciunt avari Principes.

V. 18. MUSACH QUOQUE SABBATI. Interpres vocem Hebraicam reliquit intactam. Alii *teſtum* explicant, ſub quo

umbram captabat populus in ſabbato, præſertim cum maior frequentia erat, & fortaſſis illud ex ære etiam erat. QUOD AEDIFICAVERAT. Hebr. *ædificarunt*, certe maiores. ET INGRESSUM REGIS EXTERIUS fecit; id eſt, cum Rex intraret antea in templum per ianuam externam & communem, ipſe aditum ſecretum excogitavit, quo ex Regia iret in templum. Fortaſſe non aud. bat ſe in turbam dare propter odium quo flagrabat. PROPTER REGEM ASSYRIORUM. Fortaſſe eo auctore, aut eius exemplo ita fecit. Quidam ad metum referunt, ut tutior eſſet, ſi poſſet ingruente hoſte, in templum, quaſi ad aream confugere.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ANNO DECIMO SEPTIMO, &c. Notant, hunc eumdem annum fuiſſe Iothami decimum ſextum.

V. 2. VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ CUM REGNARE COEPISSET. Hebr. *Filius viginti annorum erat Achaz in regnando eum*. Quidam: *Natus viginti annos erat Achaz, cum ille regnare inciperet*. Exponuntque, *Ille*, Iotham nimirum, de quo verſ. 1. Ita accipiendum eſſe oſtendit, inquiunt, ætas Chizkiiæ, qua ad Regnum pervenit, cum huius ætate comparata, infra cap. XVIII. verſ. 2. Simile vide II. Chronic. XXXVI. 9. Sane ſi Achaz non niſi annos viginti natus erat, cum regnare inciperet; cum ſexdecim annis tantum regnaverit, ut hic dicitur: certum eſt obiiſſe anno ætatis ſuæ trigeſimoſexto: & cum infra cap. XVIII. verſ. 2. diſerte ſcribatur, Ezechiam mortuo patre, regnum auſpicantem, natum iam tunc fuiſſe viginti quinque annos; oportuit Achaz geniiſſe Ezechiam undecimo ætatis ſuæ anno quod videtur abſurdum. Sed hanc difficultatem late ſolvit S. Hieronymus epiſtola CXXXII. ad Vitalem: quem conſule, & Notas Genebrardi in Seder Holam Zuta.

V. 3. ET FILIUM SUUM CONSECRAVIT TRANSFERENS PER IGNEM. Hebr. *Et etiam filium ſuum tranſire fecit*, vel *traduxit*, *in igne*. De hoc impio ritu vide Notas in Levit. XVIII. 21.

V. 4. IMMOLABAT QUOQUE VICTIMAS. Hebr. *Et ſacrificavit*. Quidam ob coniugationem Pihel, reddunt: *Et ſacrificabat ſtudioſe, in excelſis, & in collibus*, &c. contra legem Deuter. XII. 2.

V. 5. TUNC ASCENDIT RASIN, &c. Vide Iſaiæ VII. 1.

V. 6. IN TEMPORE ILLO RESTITUIT RASIN, &c. Quidam exponunt, Eo tempore, cum ſcilicet diſcederet ab obſidione Ieruſalaim. Alii iam ante id factum volunt, unde per pluſquam perfectum reddunt: *Tempore illo averterat Rezin Rex Syriæ*, &c. & totum verſum parentheſi includunt. AILAM. Hebr. *Elath*: de qua vide ſupra cap. XIV. verſ. 22. DE AILA. Hebr. *de Eloth*, ſive *Elothis*: eſt enim plurale; id eſt, a tota ditione, & agro Elathæ. ET IDUMAEI VENERUNT, &c. Hebr. duplex eſt lectio: in textu ſcribitur ארומים *aromim*, *Araméi*, *Syri*; in margine אדומים *adomim*, *Edomæi*, ſive *Idomæi*. Eſt magna ſimilitudo inter Daleth & Reſch.

V. 9. ET TRANSTULIT HABITATORES EIUS CYRENEN. Hebr. *Et deportavit incolas eius in Kir. Cyrenem* hic, & Amos I. 5. & cap. IX. verſ. 7. Noſter, & plerique alii interpretantur. Euſebius, & S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Cyrene in finibus Aegypti, ad quem locum Rex Aſſyriorum tranſtulit Damaſcenos*. Cyrenem late deſcripſerunt Herodotus Lib. IV. Strabo Lib. XVII. Plinius Lib. V. cap. v. Mela Lib. I. cap. VIII. Solinus cap. XXX. Ptolemæus Lib. IV. cap. IV. & plures alii. Conditorem Cyrenæorum fuiſſe Hanamim nepotem Cham, annotavimus in Geneſ. X. verſ. 13. Sonat עכמים *ghanamim*, *fontem aquarum*; fortaſſe propter mirabilem fontem illum apud Cyrenas, quem deſcribunt Herodotus Lib. IV. num. 181. Diodorus Siculus Lib. XVII. num. 189. Lucretius Lib. VI. Ovidius ultimo Metamorphoſeos, Plinius Lib. II. cap. CIII. Mela Lib. I. cap. VIII. Solinus cap. XXX. Arrianus Lib. III. Rerum Alexandri, Q. Curtius Lib. IV. Quin non deſunt qui nomen *Kirene* ex Hebraicis componant, *Kir*, vel *Kiriah*, *urbs*, *civitas*, & *ghen*, *fons*; quaſi ſit *Kirena*, *Urbs fontis*, ut congruat cum Hanamim, propter celebrem illum fontem Cyrenes. De conditu Cyrenes, ut varient auctores, abunde docebunt te Reinerius Reineccius Part. I. Heroici Syntagmatis, in 20. Regno Cy-

Cyrenaico, Ioſephus Scaliger in Euſebianis, pag. 68. Ubbo Emmius Lib. V. Rerum Chronologicarum, pag. 148. Sane per hæc tempora nempe ſub finem Ioramhi, & initia Achazi colonias a Theræis miſſas in Cyrenem duce Batto, qui dictus eſt Ariſtoteles, auctor eſt Euſebius in Chronico. Alii *Kir* hic non Cyrenem in Lybia, ſed urbem aut regionem in Aſſyria, ſeu Media intelligunt. Ioſephus: *Damaſcenos vero in ſuperiorem Mediam populariter traduxit: & pro illis quaſdam Aſſyriorum gentes in agrum Damaſcenum repoſuit.* Certe in media ſunt *Cyrus* fluvius, & urbes *Cyropolis*, *Curena*, *Carine*, apud Ptolemæum Lib. VI. cap. 11. quæ omnia nomina alludunt vocabulo *Kir*. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *In Kirum, id eſt in eam Mediæ partem quæ ab hac deportatione Syro-Media eſt dicta: appellatur autem Kir, id eſt murus, quod monte Zagro veluti muro circumquaque cingatur. De Cyrene accipere, alienum eſt, cum numquam ad Aſſyriorum regnum pertinuerit, & ab agro eorum ſit remotiſſima. Media autem Regibus Aſſyriæ parebat, ut apparet infra, cap. XVII. verſ. 6.* Syro-Mediæ meminit Ptolemæus Lib. VI. cap. 11. Zagri montis idem Ptolemæus ibidem, Polybius Lib. V. pag. 389. Strabo Lib. XI. pagina 524. Plinius Lib. VI. cap. XXVII. Fortaſſe Noſter Cyrenem, non intellexit illam Lybicam, ſed vocem Hebræam voluit tantum ea pronuntiatione repræſentare, pro *Kir* dicens *Cyrenem*, ut alibi ſæpe ſolet. Vide Geneſ. 11. 12. Kir urbis Moabiticæ meminit Iſaias XV. verſ. 1. & cap. XVI. verſ. 11. & nos de ea egimus ſupra cap. III. verſ. 25. ſed nec iſta erat ditionis Aſſyriorum, ut in eam Damaſcenos potuerint deportare.

V. 10. PERREXITQUE REX ACHAZ IN OCCURSUM THEGLATHPHALASAR: nimirum ad gratulandum ei de victoria; tum etiam ut impetraret ab eo auxilium, quo recuperaret quæ ademerant ei Peliſthæi, II. Paral. XXVIII. 18. CUMQUE VIDISSET ALTARE DAMASCI. Conferendus hic locus cum II. Paralip. XXVIII. 23. IUXTA OMNE OPUS EIUS. Quidam reddunt, *Secundum totum artificium eius*. Alii, *Iuxta omnem fabrefactionem eius*. Nonnulli, *Cum omni opificio eius*. Iliſpanicus, *Conforme a toda ſu hechura*.

V. 12. ET VENERATUS EST ILLUD. Hebr. *Et appropinquavit Rex ſuper altare*, vel *iuxta altare*. ASCENDITQUE. Heb. *Et aſcendit*, vel *aſcendere fecit ſuper illud*. Quidam ſimpliciter intelligunt: *Et aſcendit* ad videndum illud, quod altare illud eſſet in eminentiori gradu, & forte gradibus ad illud aſcenderetur. Alii: *Et aſcendere fecit*, id eſt obtulit, ſeu ſacrificavit ſuper illud, nempe ſacrificia ſua.

V. 14. PORRO ALTARE AEREUM, &c. Hunc verſum nos iuſto verborum ordine ex Hebræo expreſſimus (*Et altare æris, quod faciebus* IHUH, *& appropinquare fecit de ad facies domus, de inter altare, & de inter domum* IHUH: *& dedit illud ſuper femur altaris in aquilonem.*) Alii diverſimode convertunt. I. *Et poſuit illud iuxta altare æreum, quod erat coram Iehova, & accedere fecit amplius a conſpectu domus, inter altare & domum Iehovæ: poſuitque illud ad latus altaris ad aquilonem.* Subaudiunt nonnulla, ut clarior ſit ſenſus; id eſt, ſuum illud altare novum poſuit iuxta altare æreum, quod Salomon faciendum curaverat, quodque erat ante Dominum, hoc eſt ante veſtibulum domus Domini: & poſuit illud ſuum altare in loco viciniore veſtibulo domus Dei quam illud quod prius collocatum erat a Salomone ante ipſum veſtibulum templi: poſuitque illud ſuum in altare latere ſeptemtrionali ipſius altaris Salomonis, ad dexteram ſcilicet introeuntibus in templum. II. *Altare quoque æneum, quod coram Domino erat, & appropinquare fecit ante faciem domus, vel admovit extra faciem ædis, inter altare*, Salomonis, *& inter templum Domini*; id eſt, illam ſuam aram poſuit in viciniore loco, & propius ædi conſtituit quam eſſet altare æneum a Salomone fabricatum: *poſuitque illud ad latus aræ*, Salomonis, *verſus aquilonem*, id eſt ad dexteram introeuntibus in templum. III. *Altare vero æneum, quod fuerat coram Iehova, longius amovit ab anteriore parte ipſius domus, ne eſſet inter ſuum altare, & domum Iehovæ: poſuitque illud ad latus ſui altaris aquilonem verſus*: nimirum ut ſuum altare eſſet in medio ante ædem, & in loco præſtantiori. Quidam, quod hic altare Salomonis ſignate appellatur æreum, conjectant novum illud altare Achazi lapideum fuiſſe. No-

tant insuper, Uriiam facerdotem, absente Achazo. constituisse eius iussu altare novum instar illius Damasceni; sed posuisse illud remotius ab æde versus populum, ut inter ipsum & ædem Iehovæ interpositum esset altare æreum Salomonis: Achazum vero cum venit, ac vidit, invertisse situs, uti diximus.

V. 15. SUPER ALTARE MAIUS. Hebr. *super altare magnum*, id est meum, quantitate, vel dignitate maius. ALTARE VERO AEREUM ERIT PARATUM AD VOLUNTATEM MEAM. Hebr. *Et altare æreum erit mihi ad inquirendum*; id est, quando erit mihi cordi ut inquiram aut requiram illud, seu quando voluero in eo sacrificare; quasi dicat: In altari illo Salomonis deinceps nulla sacrificia fient; servabitur tamen, ut cum venerit mihi in mentem, illic sacrificem. Alii reddunt: *Sed de altari æreo erit mihi inquirendum*; subaudi, quid de eo fiet; ac si dicat: De altari illo Salomonis postea videro quid mihi de eo sit faciendum. Quidam: *De altari vero æneo ego curabo*. Nonnulli: *Altare vero æreum erit ad requisitionem meam*, id est cum illud requisiero. Aliqui: *Altare vero æneum erit penes me inquirere*, id est Deum in eo consulere, si quando placebit; quasi dicat: Altare æreum Salomonis servetur, si forte casus, aut voluntas tulerit, ut in eo consulam Iehovam. Notant esse prætextum hypocritæ.

V. 17. CAELATAS BASES. Hebr. *claustras basium*, מסגרות *misgheroth*. Exponunt, *Circumclusiones*, *peripherias*, *circumferentias*, *limbos*, *fascias*, *tænias*, *abacos*, *zophoros*. Vide I. Reg. VII. 28. & sequentibus.

V. 18. MUSACH QUOQUE SABBATI. Heb. scribitur מיסך *misach*, & legitur *musach* Kimchius reddit, *Et tectum*, *tegmen*, *locum tectum sabbati*. *Videtur*, inquit, *quod pro custodia quæ egrediebatur sabbato, fecerint illud. Erat enim exempta ab officio hebdomadario, ab illo die: & manebant ibi donec appeteret dies crastinus, quo discedebant*. Vatablus: *Et tentorium sabbati, sub quo totum sabbatum quiescebant qui hebdomada sua perfuncti erant, postridie abituri, quod fuerat ædificatum in atrio sacerdotum*. Tremellius & Iunius: *Tegmen quoque sabbati, id est paratum pro custodibus templi, qui singulis sabbatis functiones suas obibant per vices; de quibus supra cap. XI. vers. 5. Est autem synecdoche, pro eo quod est, Occlusit fores templi Iehovæ, II. Chronic. XXVIII.* 24. Marinus: *Et porticum sabbati. Sic dictam quod protegat & cooperiat divertentes sub ea. Hanc autumant fabrefactam fuisse, ut sub ea populus die sabbati solem & pluviam evitaret*. Forsterus: *Musach, operculum, opertorium, tegumentum, tectorium, tabulatum. II. Reg. XVI. Et tabulatum sabbati, quod ædificaverunt intrinsecus: Hebræi sentiunt in atrio templi fuisse tentorium, sub ter quod custodes templi singulis sabbatis excubias egerint. Mihi autem videtur fuisse tabulatum, sub quo sacerdotes Mosen, & Prophetas Regi, ac populo exposuerunt: quod impius Rex Achaz amovisse legitur: cui respondet adhuc in Iuæorum synagogis tabulatum, e quo decem præcepta, & lectiones cum ex Lege, tum ex Prophetis enarrant: & lingua potius Chaldaica quam Hebræa,* על מטרא *ghal memra*, & *Germanica Aufseher Sage, appellant. Videturque ad imitationem turris illius factum, cuius mentio fit Nehemiæ VIII.* 5. & *apud nos Christianos concio, seu suggestum dicitur*. Assentiuntur huic sententiæ Vatablus, Leo Iudas, Mercerus, Avenarius, qui *suggestum*, *pulpitum*, *sabbati* interpretantur, & volunt fuisse in modum cathedræ, quam *cathedram Mosis* Christus, appellat Matth. XXIII. 2. Plerique Hebræorum, & nostrorum e superiore versu subaudiunt, *Et tegmen sabbati*, depositi, amovit, absconditi. Alii non tam recte construunt cum verbo sequenti, *Convertit in templum*, &c. id est, inclusit intra templum, quod antea foris erat. QUOD AEDIFICAVERAT IN TEMPLO. Hebr. *in domo*. Exponunt, In atrio sacerdotum. Alii, *intus*, seu *intrinsecus*. ET INGRESSUM REGIS EXTERIUS CONVERTIT IN TEMPLUM DOMINI. Varie hunc locum interpretantur. I. *Et ingressum Regis foris fecit circumdare domum Iehovæ*; id est, locum in quo manebat Rex ingressus ad sacrificia, qui erat foris, hoc est extra templum, redegit intra templum Iehovæ, ut sacrificia immolarentur intra ipsum templum more Ethnicorum, & Rex maneret intra templum. II. *Et introitum Regis externum reverti fecit in domum Iehovæ*; id est, introitum domus regiæ exteriorem reduxit in domum Iehovæ, ita ut non li-

ceret

ceret ingredi, vel egredi regia nisi per templum ipsum. Regia prius habebat duplicem introitum: exteriorem, per quem ingrediebantur regiam, non ingrediendo templum; interiorem, quo per templum erat ingressus in regiam. Ergo Achaz obstructo exteriore introitu regiæ, reliquit interiorem per templum. III. *Et transitum Regis exteriorem*, id est per quem ingredi quivis poterat regiam, non ingrediendo templum; *convertit ad domum Domini*, ita ut non liceret ingredi domum Regis nisi per templum. Quidam exponunt: Et transitum exteriorem, publicum, patentem a regia in templum, convertit in alium occultiorem & secretiorem: ut si hostis ingrueret, posset se tuto a regia in templum ut in arcem occulto meatu subducere. IV. Tremellius, & Iunius: *Et accessum Regis extinum amovit a domo Iehovæ*, id est accessum illum de quo I. Reg. x. 5. & 12 & supra cap. x. vers. 20. PROPTER REGEM ASSYRIORUM. Hebr. *A facie Regis Assyriæ*. Quidam, *Ia gratiam Regis Assyriorum*; id est, ut ei adularetur, & gratificaretur, admisso cultu gentilico intra templum. Alii, *Metu Regis Assyriæ*; id est, ut se in templum conciceret, si Rex Assyriæ regiam oppugnaret. Tremellius, & Iunius: *Metu Regis Assyriæ*, id est a vi Regis Assyriorum sibi metuens, ne forte per illum accessum, seu aggestam stratam in regia irrumperet. Nec desunt qui exponant, *A facie Regis Assyriæ*, id est auctore Rege Assyriorum; quasi dicat: Hæc omnia, quæ vers. 17. & 18. describuntur, fecit Achaz, auctore, & impulsore Rege Assyriorum. Hispanicus Interpres hunc locum ita convertit: *Y elpassadizo de a fuera del Rey* id est *por donde el Rey venia de su casa al Templo*; *mudò a las espaldas de la casa de Iehova, por amor del Rey de Assyria*: qui sensus rectus mihi videtur, & cum Hebræo congruere; quasi dicat: Transitum a domo tua ad templum amovit, & alio avertit. Verbum סבב *hesheb* in Hiphil, proprie est *circuire, circumgyrare fecit, circumavertit, circumvertit*.

V. 19. RELIQUA AUTEM VERBORUM, &c. Confimilem huic versum vide supra cap. XV vers. 6.

V. 20. ET SEPULTUS EST CUM EIS IN CIVITATE DAVID: in eadem quidem urbe Davidis, ubi sepulti erant patres eius, sed non in eodem sepulcro quo patres eius Reges Iehudæ. Vide II. Paralipom. XXVIII. vers. 27.

MENOCHII.

Vers. 3. FILIUM SUUM CONSECRAVIT, TRANSFERENS PER IGNEM: quod fiebat in honorem Moloch idoli Ammonitarum. Transferebant autem per ignem, aut amburendo tantum, aut etiam penitus cremando. Vox *transferens*, lustrationem tantum superstitiosam significare videtur, non exustionem.

V. 6. AILAM, quæ alio nomine dicebatur AElath: de qua urbe dictum est supra cap. XIV. num. XXII. IDUMAEI VENERUNT IN AILAM, qui ab illa fuerant electi, ut dicitur cap. XIV. cit. eodem num. 22.

V. 7. SERVUS TUUS, ET FILIUS TUUS; quasi dicat, Clientulus tuus, qui sub tua latet tutela. ASCENDE, ET SALVUM ME FAC, &c. Qua postulatione auxilii peccavit Achaz, auxilium petens ab homine profano, præsertim cum nominatim Deus illi per Isaiam, securitatem ab hisce Regibus sponderat, & eius rei signum obtulerat, quod ille neglexerat.

V. 9. DAMASCUM, Syriæ metropolim. CYRENEN, id est in Meliam superiorem, ut Iosephus interpretatur. RASIN INTERFECIT, qui ut regnum suum vastari cognovit, Damascum versus exercitum movit, & cum Assyriorum Rege infeliciter conflixit.

V. 10. MISIT EXEMPLAR EIUS, &c. ut in templo aliud fieret iuxta formam, & modulum transmissum ad Pontificem Uriam. Non est dubium Achaz templum profanasse sublato altari legitimo. An vero etiam in templo sacrificaverit idolis, incertum est. Videtur dicendum, sacrificarum vero Deo, quia id fiebat ab Uria Pontifice, ritu, modoque consueto, ut patet ex num. 15. huius capitis. Sunt tamen qui dicant in eo altari Damasc sacrificatum. Ita docet Abulensis, Genebrardus, & Adrichomius. Fortasse utraque sententia vera est. Videtur enim facer textus num. 12. indicare, Regem ipsum sacrificia super illo altari ritu Damascenorum

rum per ſe ipſum obtuliſſe ; & ſuper eodem etiam ſacrificia a Pontifice offerri voluiſſe iuxta morem Hebræorum, quod ut dixi habetur ex num. 15.

V. 11. DONEC VENIRET, id eſt interim dum aberat, necdum reverſus e Damaſco.

V. 12. PACIFICORUM, in gratiarum actionem pro reditu, & pro ſalute ſua, & regni ſui proſperitate. EX LATERE ALTARIS, quod novum extruxerat.

V. 13. ALTARE MAIUS, novum ſcilicet quod ipſe excitari iuſſerat.

V. 15. HOLOCAUSTUM MATUTINUM, ET SACRIFICIUM VESPERTINUM, quod etiam *inge ſacrificium* appellatur, & præſcribitur in lege Moſis Exod. XXIX. 38. & Num. XXVIII. 3. HOLOCAUSTUM REGIS: vel quod pro principis peccato offertur Levit. IV. 21. Vel quæ fundata erant a Regibus, ac præſertim a Salomone, de quo dicitur II. Paralip. VIII. 12. *Tunc obtulit Salomon holocauſta*, id eſt expenſas pro perpetua fundatione holocauſtorum, *ut per ſingulos dies offerretur in eo*, &c. ALTARE VERO AEREUM, a Salomone factum. ERIT PARATUM AD VOLUNTATEM MEAM; id eſt, ex eo quod libuerit faciam.

V. 17. POSUIT SUPER PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE, ut ibi nulli uſui eſſe poſſent, ſed contemptim iacerent, iuxta illud Paralip. Lib. II. XXVIII. 22. *Inſuper & tempore angustiæ auxit contemptum in Dominum*. Id vero factum eſt tempore angustiæ, cum ſcilicet malis reſpublica premeretur, & pœnitentia potius placandus eſſet Deus, quam ſceleribus irritandus.

V. 18. MUSACH QUOQUE SABBATI, quod extructum erat in atrio, deiecit, ac ſuſtulit. Id quidam interpretantur pulpitum ; Chaldæus exemplar ; alii velum, operimentum; alii aiunt fuiſſe tentorium, ſub quo ſacerdotes, aut Levitæ perfuncti munere ſuæ hebdomadæ, quieſcerent ſabbato, poſtridie abituri, ut ait hoc loco Emanuel Sa. LXX. vocant fundamentum cathedræ ſabbatorum, quod ædificaverat in domo Domini. Significari videntur æneam quamdam baſim (nam de huiuſmodi vaſis eſt toto hoc loco mentio) ad eius ſimilitudinem, quam conſtruxerat Salomon orandi cauſa, ſuper quam Regis cathedra cum in ſabbatis adeſſet, aut ſacrificiis, aut expoſitioni divinæ legis componeretur, quam baſim vel ipſe extruxerat, vel aliquis a prioribus Regibus, nam illud *ædificaverat*, Vatablus paſſive interpretatur, *extructum erat*. INGRESSUM REGIS, porticum, qua in templum ibatur ex regio palatio. EXTERIUS CONVERTIT, occluſit, ita ut a Regia volenti in templum ire, non iam recta ut prius, aditus pateret, ſed longo circuitu opus eſſet, quod ex Hebræo etiam clarius patet, in quo, ut vertit Pagninus, habemus: *Ingreſſum Regis exterius circuire fecit*. PROPTER REGEM ASSYRIORUM, ut ſcilicet illi gratificaretur, iſque intelligeret Achaz plane ad idolorum cultum tranſiviſſe.

TIRINI.

Verſ. 3. ACHAZ FILIUM SUUM CONSECRAVIT, TRANSFERENS PER IGNEM. Theodoretus putat ſolum afflatum leviter, atque ita luſtratum igni fuiſſe, ritu Gentili, ut Virgilius, Ovidius, & Tibullus *a* teſtantur, & Abulenſis dicit, Tartaris etiamnum in uſu eſſe. Sed veriſimilius eſt quod Ioſephus, *b* Hugo, Comeſtor, & Abulenſis tradunt, Chananæorum ritu holocauſtum ab Achaz oblatum fuiſſe filium idolo Moloch, & totum igne abſumptum fuiſſe: ut & Manaſſes fecit inf. XXI. 6. & familiare erat tum temporis, teſte Ieremia VII. 31. & Pſalm. CV. 37. Vide infra cap. XXI. Lyranus putat, præter unum iſtum filium vere exuſtum, reliquos etiam omnes filios Achaz piacularibus flammis, ut ſupra Theodoretus cenſebat, luſtratos fuiſſe, quia II. Paralip. XXVIII. 3. in plurali dicitur: *Luſtravit filios ſuos in igne iuxta ritum Gentium*.

V. 5. TUNC ASCENDIT RASIN, Sed antequam hi duo Reges, puta Syriæ, & Iſrael, iunctis viribus obſiderent Ieroſolymam, iam ante ſeorſim & diverſis præliis graviſſime afflixerant Iudæam, ut ſuſe narratur II. Paral. XXVIII. 5. & ſeqq. Et Rex quidem Syriæ, qui paulo ante recuperarat Damaſcum a Ieroboamo interceptam IV. Reg. XIV. 28. recuperavit quoque hoc prælio Ailam ab Ozia Syris ereptam, II. Paral. XXVI. 2. eamdemque Iu-

Idumæis Iudææ iam rebellibus incolendam tradidit, ut hic dicitur vers. 6. Qui iidem Idumæi, ſicut & Philiſthini, ſub idem tempus multas alias urbes Iudæ ſubtraxerunt, II. Paral. XXVIII. 17. Quin & ipſe Rex Aſſyriorum Theglath-Phul-Aſſar, multis precibus maximiſque impenſis evocatus a Rege Achaz ut ſibi ſuccurreret, ita morem illi geſſit, ut occiſo Rege Syriæ Raſin, & incolis Damaſci in Cyrenem, non illam Libyæ, vel Moabitidis, *c* ſed aliam Mediæ, translatis, & paulo poſt etiam de Iſraele fere quinque tribubus eodem abductis, ut vidimus cap. præced. nihilominus etiam arma mox in eumdem a quo evocatus fuerat Regem Achaz, & in terram illius Iudaicam tyrannus converterit, eamdemque nullo reſiſtente vaſtarit, II. Paral. XXVIII. 20. Et hoc prædixerat Iſaias VII. 17. ubi inter alia, quibus ab evocando Rege Aſſyrio deterrere Regem Achaz Propheta conabatur, minando prædicit: *Adducet Dominus cum Rege Aſſyriorum*, non tam ſubſidium quod exſpectas, quam exitium & peſtem, *ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui*, quales *dies non venerunt a diebus ſeparationis Ephraim a Iuda*.

V. 18. MUSACH QUOQUE SABBATI. Ita eſt Hebraice, & ſignificat tentorium ſabbatinum, ſeu theatrum regium, iuxta portam atrii interioris ſacerdotalis, ſplendide conſtructum, & pretioſo conopæo de ſuper coopertum, in quo ſedebat Rex in ſabbatis, & aliis ſolemnioribus diebus, & audiebat hymnos, ſpectabatque ſacrificia, ut colligitur ex Ezechielis XLVI. 1. Et hoc eſt tribunal in quo IV. Reg. XI. 14. Athalia vidit Regem Ioas in templo ſtantem *iuxta morem*, id eſt eo loco & modo quo Reges ſolerent communiter in templo ſedere. Porro ad theatrum iſtud, ſeu tribunal regium ingreſſus patebat ex ipſo Regis palatio per intermedia atria. Achaz vero in gratiam Regis Aſſyriorum, qui probro ſibi duxiſſet, ſoris cum populo ſtare, muſach iſtud ſeu tribunal regium CONVERTIT IN TEMPLUM DOMINI, ſeu in interius atrium ſacerdotum, iuxta ipſum ſanctuarium, ut nempe conſpicere cominus poſſet omnia, etiam quæ intus in Sancto ſeu ſanctuario fiebant. Iam vero promoto muſach, promoveri quoque ſeu protendi debuit per tranſverſum atrium ſacerdotale illa fabricæ pars, qua Rex ei ſuo palatio ad muſach deſcendebat: & hic vocatur *ingreſſus Regis*, qui ante *exterius*, ſeu extra atrium ſacerdotale terminabatur, nunc vero ad uſque ipſum templum ſeu ſanctuarium pertingebat. Ita fere ex Rabbi Salomone Lyranus, & Sanctius.

(*a*) Virg. IV. AEneid. Ovid. in Faſtis Lib. IV. Tibull. Lib. II. elegia v.
(*b*) Ioſeph. ſupra cap. XII.
(*c*) Act. II. vers. 10. Iſai. XVI. vers. 7. Ioſeph. Lib. VII. Antiq. cap. XIII.

GORDONI.

Vers. 3. VEtitum erat ut graviſſimum ſcelus igne conſecrare filios alicui idolo, ſive uſtos omnino, ſive leviter uſtulatos. Quo horum modorum Achaz filium per ignem conſecraverit, eſt incertum: probabilius eſt, ductos fuiſſe per ignem filios hos, non combuſtos. Ita Theodoret. quæſt. XVI.

V. 9. CYRENEN. Hebr. *Kir*. Eſt Cyrene provincia Africæ. Verum hæc Cyrene in quam translati ſunt exules Damaſceni, fuit in Aſſyria.

V. 10. PERREXITQUE REX ACHAS IN OCCURSUM THEGLATHPHALASAR. Hic quidem Aſſyrus hoſtes Iudæorum domat; ſed poſtea ſe etiam contra Iudæos convertit, II. Paralip. XVIII. 20. atque ita inteſtino bello, & invitatis in auxilium gentilibus, corruere incipit totum regnum Davidicum. Inter hæc Achas Damaſci (ut ibi gratularetur Regi Aſſyro de victoria) videns altare quod idolis poſitum erat, curat illius formam deſcribi, mittique Ieruſalem, ac ſimile ibi excitari, ſemoto altari quod prius erat: ſic in peiora prolabitur infelix Achas.

V. 18. Diſcrepant auctores, quidnam ſit מוסך *muſach*: Interpres vocem retinuit. Forte tectum erat ſub quo populus in ſabbato umbram captabat. ET INGRESSUM REGIS.... IN TEMPLUM fecit novum & ſecretum; forte ut non communi, ſed tutiore via veniret in templum.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 6. AILA, urbs ſita in littore maris rubri, Adrichom. De electis hinc Idumæis, vide cap. XIV. vers. 23.

V. 13.

V. 13. ALTARE MAIUS, novum. HOLOCAUSTUM REGIS: quod pro peccato Principis offerebatur, Levit. IV, 12. ALTARE .... AEREUM, a Salomone factum: *V.* 18. PROPTER REGEM, ut illi placeret.

CAPUT XVII.

Post multa filiorum Iſrael quæ commemorantur facinora, Salmanaſar ſub Oſee rege ſante antiquum Aſſirio pendere tributum, tranſfert Iſrael in Aſſyrios: & quia Aſſyrii in Samaria miſſi cultum Dei ignorantes devorabantur a leonibus, mittitur ei ſacerdos Iſraeliticus qui ipſos inſtituat: ſicque factum eſt, ut & Deo, & idolis ſervirent.

1. ANno duodecimo Achaz Regis Iuda regnavit Oſee filius Ela in Samaria ſuper Iſrael novem annis. 2. Fecitque malum coram Domino: ſed non ſicut Reges Iſrael, qui ante eum fuerant. 3. (*a*) Contra hunc aſcendit Salmanaſar Rex Aſſyriorum, & factus eſt ei Oſee ſervus, reddebatque illi tributa. 4. Cumque deprehendiſſet Rex Aſſyriorum Oſee, quod rebellare nitens miſiſſet nuntios ad Sua Regem AEgypti, ne præſtaret tributa Regi Aſſyriorum, ſicut ſingulis annis ſolitus erat, obſedit eum, & vinctum miſit in carcerem. 5. Pervagatuſque eſt omnem terram: & aſcendens Samariam, obſedit eam tribus annis. 6. (*b*) Anno autem nono Oſee, cepit Rex Aſſyriorum Samariam, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios: poſuitque eos in Hala, & in Habor iuxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. 7. Factum eſt enim cum peccaſſent filii Iſrael Domino Deo ſuo, qui eduxerat eos de Terra AEgypti, de manu Pharaonis Regis AEgypti, coluerunt deos alienos. 8. Et ambulaverunt iuxta ritum Gentium, quas conſumpſerat Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, & Regum Iſrael: quia ſimiliter fecerant. 9. * Et offenderunt filii Iſrael verbis non rectis Dominum Deum ſuum: & ædificaverunt ſibi excelſa in cunctis urbibus ſuis, a turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam. 10. Feceruntque ſibi ſtatuas, & lucos, in omni colle ſublimi, & ſubter omne lignum nemoroſum: 11. & adolebant ibi incenſum ſuper aras in morem Gentium, quas tranſtulerat Dominus a facie eorum: feceruntque verba peſſima irritantes Dominum. 12. & coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc. 13. Et teſtificatus eſt Dominus in Iſrael & in Iuda, per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: (*c*) Revertimini a viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea, & cæremonias, iuxta omnem legem quam præcepi patribus veſtris: & ſicut miſi ad vos in manu ſervorum meorum Prophetarum. 14. Qui non audierunt, ſed induraverunt cervicem ſuam iuxta cervicem patrum ſuorum, qui noluerunt obedire Domino Deo ſuo. 15. Et abiecerunt legitima eius, & pactum quod pepigit cum patribus eorum, & teſtificationes quibus conteſtatus eſt eos: ſecutique ſunt vanitates, & vane egerunt: & ſecuti ſunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, ſuper quibus præceperat Dominus eis, ut non facerent ſicut & illæ faciebant. 16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei ſui: feceruntque ſibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adoraverunt univerſam milia-

tiam

tiam cæli: servieruntque Baal, 17. & consecraverunt filios suos, & filias suas per ignem: & divinationibus inserviebant & auguriis: & tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. 18. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo. 19. Sed nec ipse Iuda custodivit mandata Domini Dei sui: * verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. 20. Proiecitque Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proiiceret eos a facie sua: 21. (*d*) ex eo iam tempore, quo scissus est Israel a domo David, & constituerunt sibi Regem Ieroboam filium Nabat: separavit enim Ieroboam Israel a Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum. 22. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Ieroboam quæ fecerat: & non recesserunt ab eis, 23. (*e*) usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum: translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc. 24. * Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Avah, & de Emath, & de Sepharvaim: & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel: qui possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus eius. 25. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 26. Nuntiatumque est Regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 27. Præcepit autem Rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ. 28. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum. 29. Et unaquæque Gens fabricata est deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, gens & gens in urbibus suis, in quibus habitabat. 30. Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asima. 31. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharvaim. 32. & nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in fanis sublimibus. 33. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam: 34. usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias eius, iudicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Iacob, (*f*) quem cognominavit Israel: 35. & percusserat cum eis pactum, & mandaverat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis: 36. sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra AEgypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipsum timete, & illum adorate, & ipsi immolate. 37. Cærimonias quoque, & iudicia, & legem, & mandatum quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus: & non timeatis deos alienos. 38. Et pactum quod percussit vobiscum, nolite oblivisci: nec colatis deos alienos, 39. sed Dominum Deum vestrum timete, & ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. 40. Illi vero non audierunt, sed iuxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. 41. Fuerunt igitur gentes istæ ti-

mentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſervientes: nam & filii eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt uſque in præſentem diem.

(*e*) Infra XVIII. 9. Tob. I. 2. (*b*) Infra XVIII. 10. (*c*) Ierem. XV. 5. (*d*) III. Reg. XII. 19. (*e*) Ier. XXV. 3. (*f*) Geneſ. XXXIII. 28.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Et offenderunt filii Iſrael verbis non rectis Dominum Deum ſuum.* Non iudicarunt Romani Patres, *offenderunt*, mutandum cum *operuerunt*, aut *irritaverunt*.

V. 19. *Verum ambulavit in erroribus Iſrael.* Recte emendatum eſt, poſito ſimplici *verum* pro compoſito *verumtamen*.

V. 24. *Adduxit autem Rex Aſſyriorum de Babylone.* Non addas nomen *vires* ante *de Babylone*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. REGNAVIT, ſcilicet excuſſo iugo Aſſyriorum: alioqui anno quarto Regni Achaz regnare cœpit.

V. 3. ASCENDIT, pro aſcenderat, ſcilicet quarto anno Regni Achaz.

V. 4. CARCEREM, ſcilicet capta Samaria. Anticipatio eſt: poſtea enim narratur quo modo id factum.

V. 9. VERBIS, id eſt rebus. CUSTODUM, ſcilicet fructuum in agris. Chald. *forti*.

V. 10. NEMOROSUM, id eſt frondoſum.

V. 11. VERBA, id eſt res.

V. 12. IMMUNDITIAS, id eſt idola. VERBUM HOC, id eſt eiuſmodi res.

V. 13. TESTIFICATUS, id eſt voluit teſtibus adhibitis conteſtatus. ET VIDENTIUM; pro, id eſt Videntium. CAEREMONIAS. Hebr. *ſtatuta*, ſeu *decreta*: ſic & infra. SICUT. Hebr. Chald. & LXX. *quam*.

V. 14. NOLUERUNT OBEDIRE. Hebr. Chald. & LXX. *Non crediderunt*.

V. 15. LEGITIMA. Hebr. *decreta*.

V. 18. IUDA, ſcilicet & Beniamin.

V. 19. ERRORIBUS. Hebr. & Chald. *ſtatutis*, ſeu *decretis*. LXX. *iuſtificationibus*, ſeu *iuſtitiis*.

V. 26. LEGITIMA. Hebr. Chald. & LXX. *iudicium*, id eſt ritum colendi: ſic & infra.

V. 29. GENS ET GENS, id eſt ſingulæ gentes.

V. 30. SOCHOTHBENOTH, id eſt *gallinam cum pullis*: Chaldaicæ voces ſunt. NERGEL, id eſt *gallum gallinaceum*: vox Chaldaica. ASIMA, id eſt *hircum ſilveſtrem*: Chaldaica vox.

V. 31. NEBAHAZ, id eſt *canem*. THARTHAC, id eſt *aſinum*. ADRAMELECH ET ANAMELECH, id eſt *mulo & equo*.

V. 32. NOVISSIMIS, id eſt obſcuris hominibus. SUBLIMIBUS. Hebr. Chald. & LXX. *exceſſorum*.

ESTII.

Verſ. 9. ET AEDIFICAVERUNT SIBI EXCELSA IN CUNCTIS URBIBUS SUIS, A TURRE CUSTODUM USQUE AD CIVITATEM MUNITAM. Senſus eſt, In cunctis ſcilicet urbibus, & locis celebrioribus, a minori uſque ad maiorem. Urbium enim nomine etiam vicos, & caſtella, & turres videtur comprehendere.

V. 25. NON TIMEBANT DOMINUM. Timor Domini pro cultu & religione Dei veri ſæpe ponitur in Scripturis. Unde cum hic Scriptura narraſſet quod gentes iſtæ ab Aſſyriis in Samariam miſſæ non timerent Deum, & quod propterea Deus immiſiſſet in eos leones qui interficiebant eos, cum miſiſſet Rex Aſſyriorum illuc unum de ſacerdotibus captivorum, ad eva-

den-

dendum hanc plagam, dicit Scriptura: *Ut doceat eos legitima Dei terræ*: & paulo poſt *Et docebat eos quomodo colerent Dominum*: ſatis innuens idem eſſe quod prius dixerat, *timere Dominum*, & nunc *colere Dominum*. Vocatur tamen cultus Dei timor, maxime tempore veteris teſtamenti, quia qui Deum colebant, metuebant ne, ſi in eum peccarent, ab eo punirentur; colebant igitur ut peccatorum iuſtum & ſeverum vindicem: filii autem novi teſtamenti magis eum colunt ut patrem & benefactorem, a quo ſperent æterna bona.

V. 41. FUERUNT IGITUR GENTES ISTAE TIMENTES QUIDEM DOMINUM, SED NIHILOMINUS ET IDOLIS SUIS SERVIENTES. Non timebant Dominum ex vera aliqua fide quam habebant in Deum verum, quia plures Deos colentes, non poterant veram habere fidem de Deo Iſrael; ſed ex ea tantum perſuaſione, qua exiſtimabant eum eſſe Deum illius terræ, & potentem eſſe ad puniendum eos a quibus in illa terra non coleretur. Quod autem eſſet omnipotens, ſolus Deus, æternus, totius creaturæ Dominus, id non credebant; ſed alios præterea habebant, & colebant Deos, præſides aliarum terrarum, ſicut ille de quo Poeta:

Ilium in Italiam portans, victoſque penates.

Item illi qui dicebant: *Deus montium eſt, & non Deus vallium*: III. Reg. XX.

MARIANAE.

Verſ. 1. ANNO DUODECIMO ACHAZ REGIS IUDA REGNAVIT OSEE. Poſt excuſſum Aſſyriorum imperium is annus duodecimus intelligatur: alioqui anno quarto Achaz cœpit regnare Oſee, ut Vatablus ait, aut anno tertio iuxta Euſebii Chronicon.

V. 3. REDEBATQUE ILLI TRIBUTA, Oſee Salmanaſaro. Hebr. *munus*. Sed *munus* pro *tributo*. Quo negato ſumit arma, cepit Regem, & Samariam obſedit.

V. 4. NE PRAESTARET TRIBUTA. Hebr. *Et non præſtitit munus*.

V. 6. ANNO AUTEM NONO. Tunc cepit Samariam Aſſyrius, tunc etiam Regem Oſee miſit in carcerem, qui finit finis regni eius; tametſi id prius eſt dictum.

IN HABOR IUXTA FLUVIUM GOZAN. Hebr. *In Hala & in Habor urbibus fluvii Gozan*; id eſt, iuxta eum fluvium ſitis. Sept. *In Hala & in Habor fluviis Gozan*. Ibi Iſraelitas poſuit. Id accidit, quia

V. 7. COLUERUNT DEOS ALIENOS. Hebr. *timuerunt*. Sic Sept. ſed veneratio timor eſt. Eodem modo verſ. 28.

V. 8. ET AMBULAVERUNT. Locus implicitus: ſic totum ordino: *Coluerunt deos alienos* (Iſraelitæ) *& ambulaverunt iuxta ritum gentium, quas conſumpſerat* (ſeu *expulerat*) *Dominus in conſpectu filiorum Iſrael*: & (iuxta ritum) *Regum Iſrael, quia* (pro qui אשר *Aſer*) *ſimiliter fecerunt*. Hæc ſcilicet fuit cauſa ruinæ eius gentis. Vox *ſimiliter* Hebr. non eſt: hoc tantum, *qui fecerunt*. Noſter ſupplevit.

V. 9. ET OFFENDERUNT FILII ISRAEL. Hebr. *Et abſconderunt*, pro occulte dixerunt, *verba quæ non ſic* (id eſt non vera) *contra Dominum Deum ſuum*. Quæ ſunt illa verba? *Non videbit Dominus, non curat quæ in terris aguntur*. Sic quæſierunt alios deos, ut ſequitur. AEDIFICAVERUNT SIBI EXCELSA, id eſt altaria. A TURRE CUSTODUM. Ea ſpecula eſt: ſcilicet in agro, & urbibus ædificarunt excelſa.

V. 11. VERBA PESSIMA, id eſt res peſſimas fecerunt.

V. 12. ET COLUERUNT IMMUNDITIAS. Heb. *idola*: ſic Sept. & Chald.

V. 13. ET TESTIFICATUS EST DOMINUS; id eſt, adhibitis teſtibus admonuit. PER MANUM OMNIUM PROPHETARUM. Hebr. *Prophetarum eius*. Verum iuxta litteras Hebraicas, demptis Maſſoritharum punctis, *per manum Prophetæ eius*. Sic Sept. verterunt. Sed ſingulare pro plurali. Nimirum docet veros fuiſſe Prophetas, non mendaces, quia dicit, *eius*. ET SICUT MISI. Hebr. *Et quam miſit*, ſcilicet legem ad vos per Prophetas: cuſtodite eius præcepta.

V. 14. NOLUERUNT OBEDIRE. Hebr. *Non crediderunt*.

V. 17. CONSECRAVERUNT FILIOS. Hebr. *Traduxerunt*. PER IGNEM. Hebr. *in igne*. ET TRADIDERUNT. Hebr. *Et vendiderunt ſe*. Sed quod venditur, utique emptori traditur. Sept. *Et venditi ſunt, ut facerent malum*.

V. 19. IN ERRORIBUS ISRAEL. Hebr. *inſtitutis*. QUOS OPERATUS FUERAT Iſrael. Hebr. *quæ fecerunt*. Ex hoc verſus octavus melius intelligitur.

V. 21. SEPARAVIT ENIM IEROBOAM. Hebr. *Avolare fecit Ieroboam Iſrael de poſt Dominum*.

V. 22. NON RECESSERUNT AB EIS, ſcilicet *peccatis*: ſic Sept. & Chald. Hebr. *Non receſſerunt ab ea*, ſcilicet culpa: ſed ſingulare pro plurali, *ab ea*, pro ab eis. His omnibus verbis explicat cauſam cur Iſraelitæ Aſſyrio traditi ſunt, qui miſit alias gentes, ut in Samaria habitarent.

V. 29. GENS ET GENS; id eſt, ſingulæ gentes deos ſuos & idola fecerunt.

V. 30. SOCHOTHBENOTH. Rabbi Selemo fuiſſe ait idolum forma gallinæ cum pullis: an id eorum lingua voces illæ ſignificant? aiunt quidam, nobis incertum. NERGEL, idolum forma galli. Hæc ſunt idolorum eorum nomina quæ miſſa ſunt in Samariam.

V. 31. NEBAHAZ, forma canis. THARTHAC, forma aſini. ADRAMELECH, forma muli. ANAMELECH, forma equi. Sic Hebræus. Lyra hæc refert ad cæli conſtellationes, quas per aves has & animalia ſignificarent, & colerent: neſcio quam apte.

V. 31. FECERUNT AUTEM SIBI DE NOVISSIMIS, id eſt obſcuris, ignobilibus, SACERDOTES. Hebr. *de partibus eorum*, id eſt quoſdam e ſuo numero. Sept. & Chald. *de parte eorum*. IN FANIS SUBLIMIBUS. Hebr. *In fano exceſſorum ponebant eos ſacerdotes*.

V. 34. NON TIMENT DOMINUM illæ gentes. Verba Auctoris, id eſt colunt: etſi videbantur utrumque facere, certe Deum non colebant, quia eſt conſortis impatiens. ET LEGEM, ET MANDATUM QUOD PRAECEPERAT DOMINUS FILIIS IACOB, ſcilicet non obſervant. QUEM COGNOMINAVIT ISRAEL, ſcilicet Deus. Hebr. *Cui poſuit nomen ſuum*, aut *eius, Iſrael*: ſcilicet Iacob nominavit Iſraelem Deus: ſcilicet id ei nomen, quo vocatur, impoſuit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ANNO DUODECIMO ACHAZ, &c. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Anno duodecimo Achazi Regis Iehudæ regnabat Hoſcheah filius Elæ, Schomrone, ſuper Iſraelem nono anno*, ſcilicet tributario, cum iam regnaviſſet octo liberis. Vide ſup. cap. xv. verſ. 30. & infra verſ. 6. Alii aliter. Vide hic Caietanum, & Lyranum.

V. 4. CUMQUE DEPREHENDISSET REX ASSYRIORUM OSEE, QUOD REBELLARE NITENS, &c. Hebr. *Et invenit Rex Aſſur in Hoſeah coniurationem*, &c. Quidam: *Poſtea invenit Rex Aſſyriæ in Hoſeah conſpirationem*: exponunt. Nimirum quinto, aut ſexto anno, poſtquam tributarius factus eſſet: videlicet tertiodecimo, aut quartodecimo anno ſimpliciter regni ſui. Vide infra cap. XVIII. verſ. 9. AD SUA REGEM AEGYPTI. Hebr. *ad So*, vel *Soum Regem AEgypti*. Hunc *Bocchorim Saitem* fuiſſe rationes Euſebianæ teſtantur: de quo vide Plutarchum in Demetrio, & libello de vitioſo Pudore, AElianum Lib. XI. de Animalibus, cap. XI. & Lib. XII. cap. III. Athenæum Lib. X. cap. IV. eius quoque meminit Diodorus Siculus Lib. I. num. 41. Hunc Bocchorin volunt eiſe eum quem Herodotus Lib. II. num. 136. *Aſychin* appellat. Alii, *Soum* exiſtimant eſſe *Sabacum*, de quo Herodotus Lib. II. num. 137. & ſeqq. & num. 152. & Diodorus Lib. I. num. 41. Vide Scaligerum Lib. III. Canonum Iſagogicorum, pag. 311. ET VINCTUM MISIT IN CARCEREM. Hebr. *Et vinciit eum in domo careceris*. Notant id factum nono anno ex quo tributarius factus fuerat, ut ſequentia indicant.

V. 5. OBSEDIT EAM TRIBUS ANNIS, nimirum ſeptimo, octavo, & nono anno regni eius tributarii: ſic enim intelligunt.

V. 6. ANNO AUTEM NONO OSEE, &c. Exponunt: *Anno nono* ex quo tributum pendere cœpit Regi Aſſyriæ, ſive anno nono regni eius tributarii, qui fuit decimus ſeptimus & ultimus regni ipſius. TRANSTULIT ISRAEL IN ASSYRIOS, id eſt in ditionem ſuam. Ioſephus: *Populum traduxit in Mediam & Perſidem*,

IN-

IN HALA. Hebr. *in Chelach*. Quidam *Colchos* interpretantur. Alii *Chalfitidem Meſopotamiæ*, Ptolemæo Lib. V. cap. XVIII. vel *Chalcinem Aſyriæ*, ſupra Adiabenem ſitam, apud Ptolemæum Lib. VI. cap. I. aut Chalonitidem Meſopotamiæ, apud Plinium Lib. VI. cap. XXVI. & XXVII. ET IN HABOR. Hebr. *Chabor*. Nonnulli *Iberos Ponticos* putant. Alii *Chaboram* fluvium, & oppidum in Acrabene Meſopotamiæ, Ptolemæo Lib. V. cap. XVIII. aut *Chaboram* regionem montanam Aſſyriæ, Mediæ conterminam, de qua Ptolemæus Lib. VI. cap. I. IUXTA FLUVIUM GOZAN. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gozan in regione Emath, & huius meminit Iſaias. Eſt autem in finibus Damaſci*. Aliqui regionem *Gauzanitidem* accipiunt, quam fluvius Chaboras ab Acrabene diſterminat, apud Ptolemæum Lib. V. cap. XVIII. Alii *Nehar-Gozan*, nomen proprium regionis augurantur, *Mediæ*, *Gelois*, ſeu *Gelonis* conterminam, ubi *Margaſos* conſtituit Ptolemæus Lib. VI. cap. II. unde & *Gauſania* oppido nomen fuit. Sic in veteſtiſſimis vocabulis divinant. At de loco in quem decem tribus Iſraelis a Salmanaſſare translatæ fuerunt, oppido quam multa congeſſimus ex variis auctoribus Lib. XI. de Antichriſto, cap. XVIII. Ergo vult dicere divinus Auctor, Salmanaſſarem relegaſſe Iſraelitas in extimam Aſſyriam, ſeptemtrionem, & orientem verſus. Diſperſas inde fuiſſe per univerſum orbem, indicare videtur Sirachides cap. XLVIII. verſ. 16.

V. 7. FACTUM EST ENIM, CUM PECCASSENT FILII ISRAEL DOMINO. Quidam: *Sic fuit, eo quod peccaverant filii Iſraelis contra Iehovam*. Notant eſſe æthiologiam iudiciorum Dei, qua explicatur, quibus ſceleribus provocatus Deus, Iſraelis regnum peſſum dederit, uſque ad finem capitis.

V. 9. ET OFFENDERUNT FILII ISRAEL VERBIS NON RECTIS DOMINUM. Varie hunc locum ex Hebr. reddunt. I. *Et texerunt filii Iſrael verba, quæ non recta ſuper Iehovah*; id eſt, palliatis ſeu coloratis verbis, vel factis adverſus Deum uſi ſunt. II. *Et occultaverunt filii Iſraelis verba, quæ non recta ſuper Iehovam*; id eſt, clam dixerunt verba, quæ non erant vera; quaſi dicat: Impie ac blaſpheme obloquti ſunt Deo. III. *Et abſconderunt filii Iſraelis verba, quæ non recta ſuper Iehovam*; id eſt, putarunt prava ſua facta poſſe latere divinos oculos: ſibi perſuaſerunt Deum hæc mortalia non curare; quaſi dicat: In tantam ſtultitiam devenerunt filii Iſrael, ut exiſtimarent Deum ignorare facta eorum, & quod abſcondere poſſent facta ſua ab oculis eius. IV. *Et operuerunt filii Iſrael facta, vel res, quæ non ſic, ita, contra Iehovam*: vel, *Et celarunt, texerunt, velaverunt, facta, quæ non ita contra Iehovam*. Notant verbum כָּסָה *chippa* eſſe *velare* aliquid, ornandi vel diſſimulandi gratia, ne id quod turpe eſt appareat. V. *Cumque filii Iſrael clam verſarent animo res pravas contra Dominum*. VI. *Et prætexerunt filii Iſrael res illas, quæ non erant ita, vel rectæ, contra Iehova*. VII. *Et cooperuerunt filii Iſraelis verba, quæ non ſunt ita contra Iehovam*. VIII. *Et muſſantes filii Iſraelis res quæ rectæ non ſunt, contra Iehovam*, quaſi clanculum, & ſecrete murmurantes, facientes. IX. *Et fucaverunt*, ſeu *palliaverunt filii Iſrael ſermones falſos ſuper Iehovah*. A TURRE CUSTODUM. Exponunt, Id eſt ſpeculatorum, quæ ſcilicet non eſt facta ad habitandum, ſed ut in ea maneant ſpeculatores. Alii turrim intelligunt quæ ædificari ſolet in agris ad cuſtodiendos fructus adhuc pendentes, & maxime uvas; id eſt ubique, æque in ſolitariis locis, ac frequentibus, tam in magnis urbibus quam in parvis. Proverbiale dictum. Sic infra cap. XVIII. verſ. 8.

V. 13. ET VIDENTIUM. Hebr. *omnis Videntis*, id eſt cuiuſcumque Prophetæ. Quidam חֹזֶה *chozeh* ſubſtantive accipiunt, *cuiuſcumque viſionis*; id eſt, quacumque ratione, vel forma illis cernendam proponebat voluntatem ſuam. Vid. Num. XII. 6.

V. 14. IUXTA CERVICEM PATRUM SUORUM. Id eſt, ſuam cervicem tam duram & intractabilem reddiderunt, ac iugo legis indomabilem, ut patres eorum ſuam reddiderant. Quidam hypallagem eſſe aiunt, *Ut cervicem maiorum ſuorum*; pro, ut maiores cervices ſuas.

V. 15. SECUTIQUE SUNT VANITATES. Hebr. *Et ierunt poſt vanitatem*, id eſt inanes deos, idola, vana & muta ſimulacra: imitati ſunt ritus ac cultus gentium vicinarum. Vide I. Reg. XVI. 13. & 26 *V.* 17.

V. 17. ET CONSECRAVERUNT, &c. Hebr. *Et traduxerunt*, *tranſmiſerunt filios ſuos*, *& filias ſuas per ignem*. De hoc immani ritu vide in Levit. XVIII. 21. ET TRADIDERUNT SE UT FACERENT MALUM, &c. Hebr. *Et venum dederunt ſe ſe ad faciendum malum*; id eſt, tamquam ſervos addictos ſe dediderunt ad male faciendum, quaſi aliud facere non poſſent: ſe malo faciendo penitus mancipaverunt. Vide ſimilem locutionem I. Reg. XXI. 20.

V. 18. NISI TRIBUS IUDA TANTUMMODO, nimirum cum adhærentibus Levitis, & Biniaminitarum reliquiis. Vide I. Reg. XI. 32. Synecdoche.

V. 19. SED NEC IPSE IUDA, &c. Hebr. *Etiam Iehudah*, &c. Notant, reddi hic alteram cauſam iudicii in Iſraelitas, nempe contagium regni Iehudæ, in eamdem labem prolabentis vicini regni exemplo, Oſeæ IV. 15.

V. 20. DONEC PROICERET EOS A FACIE SUA, id eſt a terra in qua faciem & præſentiam ſuam exhibebat, ubi colebatur, & habitabat præſentia maieſtatis eius; vel a favore, caritate, benevolentia, ſingulari cura ſua, & inſpectione. Sic ſupra verſ. 18. & infra verſ. 23.

V. 21. EX EO IAM TEMPORE QUO SCISSUS EST ISRAEL A DOMO DAVID. Quidam verbum קרע *karagh* intranſitive capiunt: *Cum ſcidit Iſrael*, *ſcidit ſe*, *diſciſſus*, *diſruptus eſt Iſrael*: quem ſenſum Noſter ſecutus eſt. Alii tranſitive: *Quoniam ſcidit Iſraelem a domo Davidis*, ſcilicet Deus. Nonnulli: *Poſtquam laceravit Iſraelitas a domo Davidis*, ſubaudi Iarobham. SEPARAVIT ENIM IEROBOAM. In textu legitur ויוא *vaiiadda*, cum Aleph pro He, a נוה *nadah*, *Et elongavit*, *fugavit*, *amovit*, *removit*, *avertit*, *amolitus eſt*, *excommunicavit*: alii a ידה *iadah*, *Et fecit*, *proiecit*, *eiaculatus eſt*, quod ſane hic magnam vim habet. In margine vero ſcribitur cum Cheth, וידח *vaiiaddach*: *Et impulit*, *depulit*, *pepulit*.

V. 22. ABEIS. Hebr. *ab eo*, ſcilicet Iarobhamo, vel ab unoquoque peccatorum eius. Vide ſup. cap. III. verſ. 3.

V. 24. REX ASSYRIORUM: nempe vel ipſemet Salmaneſer, qui Iſraelitas inde deportaverat, ſupra verſ. 6. vel, ut alii malunt, Eſar-Chadon, filius Sancherib, ut dicitur Ezræ IV. 2. & infra cap. XIX. verſ. 37. Vide in Iſaiæ VII. 8. DE BABYLONE, vel *Babylonia*. Satis hinc apparet, his temporibus Babyloniam ſeu Chaldæam Aſſyriis Regibus paruiſſe; ut infra cap. XIX. verſ. 12. Vide in Iſaiæ XXIII. 13. DE CUTHA. Ioſephus: *Ceterum novi Samariæ coloni Chuthæi*, *ſic enim tunc appellabantur*, *quod a Perſidis regione Chutab*, *& flumine Chuto eſſent traducti*. *Suſæos* in Perſide ponit Ptolemæus Lib. VI. cap. IV. Maſius exiſtimat *Chuthæos* eſſe *Coſæos*, montanos Mediæ tractus incolentes, de quibus Polybius Lib. V. pag. 389. Diodorus Lib. XVII. num. 621. Plinius Lib. VI. cap. XXVII. Plutarchus in Alexandro, Adrianus Lib. VII. rerum Alexandri: quos Ptolemæus Lib. VI. cap. III. in Suſiana collocat. Tremellius, & Iunius putant, *Cutha* eſſe regionem Arabiæ deſertæ, quam incolunt *Catanii*, Syriæ contermini, ut vocat Ptolemæus Lib. V. Geographiæ, cap. XIX. Idem Ptolemæus Lib. VI. cap. VI. in Carmania deſerta collocat *Cuthos*, vel, ut alia exemplaria habent, *Zuthos*. DE AVAH. Hebr. *Hava*. Notant eſſe regionem Arabiæ deſertæ, in quam Havæi pulſi a Peliſthæis ſe receperant. Sed vide Deuter. II. 23. Infra cap. XVIII. verſ. 34. dici videtur *Hiuva*. DE EMATH, Hebr. *Chamath*, urbe Syriæ, in finibus Chenahaneæ: de qua vide Geneſ. X. 18. & Numer. XIII. 22. DE SEPHARVAIM. Formam dualis, aut pluralis habet. Exponunt, Id eſt de agro Sepharæ urbis ad Euphratem in Meſopotamia: de qua Ptolemæus Lib. V. cap. XVIII. Vide Geneſ. X. verſ. 30.

V. 25. NON TIMEBANT DOMINUM; id eſt, non reveriti fuerunt, non coluerunt IHUH externo cultu.

V. 27. VADAT ET HABITET CUM EIS. Hebr. *Et ambulabunt*, *& habitabunt ibi*. Exponunt: Id eſt, eant alii Aſſyrii, ſcilicet loco eorum qui fuerunt interfecti a leonibus, cum ſacerdote illo, & habitent illic. Quidam reddunt: *Et abeuntes reſidento ibi*; id eſt, legati qui expoſtulatum venerant, cum ſacerdote quem ſecum deduxerint, & totus populus ibi conſiſtunto, nec terram deſerunto.

V. 28. QUOMODO COLERENT DEUM. Hebr. *Quomodo reveriturі*, *venerаturi*, *eſſent Iehovah*. Quidam exponunt, Id eſt co-

colerent vitulum Beth-Elis, cuius ſpecie putabant Deum repræſentari.

V. 29. QUAE FECERANT SAMARITAE, id eſt decem tribus incolæ regni Samariæ.

V. 30. SOCHOTHBENOTH. Notant, hoc nomen, & ſequentia quæ hoc verſu, & ſequente ponuntur, eſſe Syriaca, ſeu Chaldaica, propria eorum deorum quos gentes iſtæ colebant. Hebræi aiunt *Sucboth Benoth* ſignificare *gallinam cum pullis*; quaſi dicas Hebraice, *Protectiones filiarum*, ut eſſet idolum gallinæ protegentis pullos ſuos ſub alis; vel ut סכה *ſuccah* ſit gallina, ut סכוי *ſecui* gallus, Iob XXXVIII. 36. ibi vide Comm. Lyranus exiſtimat fuiſſe conſtellationem cæleſtem, quam vulgo vocant *Gallinam Pullinariam*, & docti *Pleiades*, ſeu *Vergiliae*, quas fabulantur ſeptem ſorores fuiſſe, Lycurgi filias: de quibus vide Arati Phænomena, & Germanici Cæſaris Commentaria. Hebraice expones, *Tabernacula Filiarum*, quaſi domunculas, & ædiculas Pleiadum. Eodem Babylonios ſidera coluiſſe, & obſervaſſe conſtat. Claudianus Lib. VI. de conſulatu Honorii:

> ....*Stellas Babylonia cura ſalubres*
> *Optimatum ſpondet mortalibus edere fata*,
> *Cælicolæ cum celſa tenent, ſummoque feruntur*
> *Cardine, nec radios humili ſtatione recondunt.*

NERGEL. Hebr. *Neregal*. Hebræi aſſerunt eſſe *gallum gallinaceum*, ſeu *gallum*, aut *gallinam* ſilveſtrem. ASIMA. Hebræi interpretantur hircum ſilveſtrem, abſque lana, calvum, & album, ab אשם *aſcham*, quaſi afflatum, deſolatum, deſtitutum lana.

V. 31. NEBAHAZ. Hebr. eſt duplex lectio: נבחז *nibchaz* cum Zain; & נבחן *nibchan* cum Nun: volunt eſſe *canem latrantem* a נבח *nabach*, quod Hebraice, & Chaldaice *latrare* ſignificat. Virgilius VI. AEneidos:

> *Omnigenumque deum monſtra, & latrator Anubis.*

Servius: *Latrator Anubis, quia capite canino pingitur: hunc volunt eſſe Mercurium: ideo quia nihil eſt cane ſagacius.* Ultima littera huius vocis, ſive Nun ſit, ſive Zain, eſt magna, & eſt quartadecima magna littera Hebraica, quæ in Scriptura ponitur. Myſterium ego aliud hic augurari non poſſum, quam ingentem portentoſitatem monſtroſi idoli. Vide Deuteron. XXXII. 4. THARTHAC. Hebr. תרתק *Tharthak*. Hebræi conſtanter *aſinum* exponunt. ADRAMELECH. Hebræi effigiem muli habuiſſe volunt; alii pavonis. Ego facile crediderim eſſe *Molech*, de quo Levitic. XVIII. 21. quaſi dicas, *Amplum, magnificum Regem*, nempe *Saturnum*, cui gentes, præſertim Charthaginienſes, filios ſuos cremabant, ut auctor eſt Diodorus Siculus Lib. XX. num. 740.

V. 32. ANAMELECH. Hebr. ענמלך *Ghanammelec*. Formam equi, vel phaſiani habuiſſe Hebræi hariolantur. Hebr. exponetur *oppreſſor Rex*. Forte Mars.

V. 32. FECERUNT AUTEM SIBI DE NOVISSIMIS SACERDOTES EXCELSORUM. Hebr. *Et fecerunt ſibi de extremitatibus ſuis ſacerdotes excelſorum*. Quidam, *de partibus ſuis*, id eſt ex quibuſdam eorum. Alii, *e numero ſuo*. Nonnulli, *partem ſuorum*, vel *aliquot ſuorum*. Aliqui, *ex obſcuris hominibus qui erant inter eos*. Alii, *de extrema fæce eorum*. Nec deſunt qui, *de extremis ſuis*, id eſt de præcipuis, & præſtantiſſimis quibuſque ſuorum. Sic extremum, in bonum, & in malum ſumi poteſt. Vide ſimilem locutionem I. Reg. XII. 31. ET PONEBANT IN FANIS SUBLIMIBUS. Hebr. *Et fuerunt facientes eis in domo excelſorum*. Quidam: *Et fuerunt facientes eis ſacrificia & munera*, id eſt qui offerebant, & ſacrificabant pro illis, *in æde excelſorum*. Alii: *Qui ſacra faciebant eis in æde excelſorum*. *Facere* pro ſacrificare, uſitatiſſimum in ſacris, & profanis litteris. Ergo, *Et fuerunt facientes eis*; pro, & *fuerunt ſacrificantes eis*. Pronomen *eis* poteſt referri ad novos colonos, id eſt pro eis; vel ad Iehovæh, & ad deos alienos; id eſt, ſacrificabant Iehovah, & diis ſuis.

V. 33. IUXTA CONSUETUDINEM GENTIUM, DE QUIBUS TRANSLATI FUERANT SAMARIAM. Hebr. *Secundum iudicium gentium, quibus tranſtulerunt eos de ibi*. Quidam, *iuxta morem gentium, unde tranſtulerant eos*; id eſt, quemadmodum facere ſolent Aſſyrii, unde fuerant adducti in Samariam. Hunc ſenſum ſecutus eſt Noſter, & plerique

alii

alii; quaſi dicat: Colebant deos ſuos iuxta ritus patrios earum gentium, ex quibus demigraverant in Samariam. Nonnulli, *Iuxta ritum gentium, quos tranſtulerant illinc*, id eſt de Samaria; hoc eſt, quemadmodum facere ſolebant Iſraelitæ antequam deportarentur in exſilium; vel olim Chananæi, quos ſcilicet inde tranſtulerant & abegerant Iſraelitæ. Quidam hunc verſum reddunt: *Iehovam reverebantur, & deos ſuos colebant ex ritu gentium, quas deportaverant inde*, id eſt ex ritu decem tribuum deportatarum. Sed ſenſus Noſtri omnino præferendus.

V. 34. USQUE AD PRAESENTEM DIEM MOREM SEQUUNTUR ANTIQUUM. Hebr. *Uſque ad diem iſtam ipſi facientes ſecundum iudicia priora*. Quidam intelligunt de ipſis coloniis Aſsyriis poſitis in Samaria, qui cum deberent obſervare legem, quod facti eſſent proſelyti, ritus ſuos priſtinos gentilitios retinebant. Alii de ipſis Iſraelitis tranſmigratis accipiunt: unde reddunt: *Uſque in hunc ipſum diem iſti faciunt ex ritibus priſcis*, id eſt decem tribus, quas proxime commemoravit: nam ex comparatione iſtarum coloniarum quas Rex Aſsyriæ tranſmiſerat, contumacia Iſraelitarum oſtenditur: qui toties caſtigati graviter, & nunc demum tam dura ſervitute preſſi, ne minimum quidem reſipiſcentiæ ſignum dederunt. NON TIMENT DOMINUM, vel Chuthæi, qui non recto & legitimo cultu colebant Iehovah, vel Iſraelitæ translati. NEQUE CUSTODIUNT CAEREMONIAS EIUS, &c. Hebr. *Et non ipſi faciendes ſecundum ſtatuta eorum, & ſecundum iudicium eorum*. Exponunt: *Eorum*, ſcilicet Aſsyrii coloni Iſraelitarum, vel ſua ipſorum Iſraelitarum exulum. Unde reddunt: *Neque ſuos ipſorum ritus & cæremonias obſervant*. Alii: *Neque faciunt ſecundum ſtatuta ipſorum, & ſecundum ritum ipſorum*. FILIIS IACOB, QUEM COGNOMINAVIT ISRAEL, Geneſ. XXXII. 28. Notant eſſe exaggerationem, ut I. Reg. XVIII. 31.

V. 41. FUERUNT IGITUR GENTES ISTAE, &c. Hæc plerique de Iſraelitis exulibus intelligunt. Alii de Chuthæis, ſive Aſsyriis colonis Samariæ, quod puto rectius, & Noſtro conformius. ITA FACIUNT USQUE AD PRAESENTEM DIEM. Hinc apparet, auctorem, ſeu concinnatorem huius libri, longe poſt hæc tempora vixiſſe. Ioſephus: *Permanentque nunc quoque in ea religione, Chuthæi vocati Hebræis, Græcis vero Samaritæ. Qui pro præſenti ſemper conditione temporum mutabiles, quotiens feliciter degere Iudæos viderint, cognatos ſe eorum appellant, utpote a Ioſepho oriundos, & hac ratione ſanguine illis coniunctos: quando vero in rebus adverſis eos aſpiciunt, nihil ad ſe pertinere aiunt, nec illis quidquam deberi benevolentiæ, cum ipſi ex remotis gentibus ad ea loca venerint: de quo alias dicetur opportunius*. Vide ipſum XII. Lib. Antiquit. cap. VII. De his Samaritanis vide plura apud S. Epiphanium Lib. I. hæreſi IX. & ſeqq.

MENOCHII.

Verſ. 2. SED NON SICUT REGES ISRAEL, QUI ANTE EUM FUERANT. Chronicon Hebræorum cap. XXII. ait, Oſeam cum cerneret abductos eſſe ab Aſſyriis vitulos aureos, qui erant in Dan, & Bethel, non prohibuiſſe quo minus ſubditi regni ſui ter in anno Ieroſolymam aſcenderent ad adorandum, quod hactenus ab Iſraelis Regibus vetitum fuerat: quod Genebrardus probat, & Salianus.

V. 3. CONTRA HUNC ASCENDIT SALMANASAR, &c. quia Oſee tributa pendere recuſavit, & delectionem ſpectare viſus eſt, ut habetur num. 4. ſeqq.

V. 4. VINCTUM MISIT IN CARCEREM, ſcilicet capta Samaria: eſt anticipatio, poſtea enim narratur quomodo id factum.

V. 6. IN HALA, ET IN HABOR IUXTA FLUVIUM GOZAN. Hoc idem repetitur cap. XVIII. ſed cum nonnulla diverſitate. *Collocavitque eos*, inquit, *in Hala, & in Habor fluviis Gozan, in civitatibus Medorum*. Itaque cap. XVIII. Hala, & Habor fluvii dicuntur; hoc autem cap. XVII. oppida. Verum cum alibi quoque; hoc eſt I. Paral. v. 26. Gozan dicatur fluvius, Hala vero, & Habor civitates; ſuſpicatur Salianus Tom. IV. anno mundi 3314. num. 11. in loco capitis XVIII. non eſſe legendum *fluviis Gozan*, ſed *fluvii Gizan*.

V. 7. FACTUM EST ENIM CUM PECCASSENT, &c. Enumerantur Iſraelitarum

rum peccata, quæ regni illius eversioni causam dederunt.

V. 8. SIMILITER FECERANT, idola illorum more colendo.

V. 9. VERBIS NON RECTIS, rebus, operibus sceleſtis. A TURRE CUSTODUM. Quod ſimpliciter dixerat, *In cunctis urbibus*, nunc explicat proverbio, ne quis putet illum de magnis, ac munitis oppidis tantum loqui; quaſi dicat, Amapali uſque ad metropolim. *Turres cuſtodum* illæ ſunt quæ excitabantur in ſolitudine, ubi ſua mapalia, & pecora habebant paſtores, ut hoc qualicumque munimento a ſubitis latrunculorum excurſionibus tuti redderentur. Vide II. Paralipom. XXVI. 10. ubi dicitur Oziam huiuſmodi turres excitaſſe. Huic Scripturæ proverbio reſpondet Italorum phraſis adagialis, qua diceremus: *Dovunque erano tre caſe, & un forno, poſero gl'idoli.*

V. 11. TRANSTULERAT DOMINUS: ſedibus exturbarat, quas occupabant, aut Hebræorum gladiis perdiderat. VERBA PESSIMA, res peſſimas.

V. 12. IMMUNDITIAS, id eſt idola. גלל *galal* Hebræis excrementum, & ſtercus ſignificat, hinc ad contemptum idola dicta ſunt גלולים *gillulim*, *ſtercora*. VERBUM HOC, rem hanc.

V. 13. VIDENTIUM. Qui dicantur Videntes dicitur I. Reg. IX. 9. REVERTIMINI, &c. Vide Ierem. XXV. 5. CAEREMONIAS, leges cæremoniales, quæ ad religionem pertinebant. IN MANU PROPHETARUM. Phraſis Hebræa idem ſignificans quod per Prophetas.

V. 15. ABIECERUNT TESTIFICATIONES: neglexerunt, & ſpreverunt verba Prophetarum, & pro deliramentis habuerunt.

V. 16. MILITIAM CAELI, aſtra, quæ ſunt quaſi milites Deo famulantes, & pro eo, cum opus eſt, depugnantes.

V. 17. PER IGNEM. Vide dicta cap. XVI. num. 3.

V. 21. SEPARAVIT ISRAEL A DOMINO: a veri Dei cultu ad idololatriam traduxit.

V. 24. DE CUTHA, ET DE AVAH, quæ regiones dicuntur ad Arabiam deſertam pertinuiſſe. EMATH. Terra Emath eſt iuxta montem Libanum in confinio regionis Damaſci. Vide plura apud Adrichomium in tribu Nephthalim num. 45. SEPHARVAIM, videtur oppidum, aut regio ad mare ſita nam vox hæc ſignificat librum, vel numerum maris, vel portum maris, ut Arias Montanus interpretatur in opuſculo de nominum interpretatione.

V. 25. IMMISIT IN EOS LEONES: Cur immiſſi fuerint dicitur hoc eodem verſiculo, quia ſcilicet *non timebant Dominum*. At nec domi ſuæ colebant Dominum, & tamen nihil mali patiebantur. Cauſa ergo cladis huius fuit, quia in terra pertinente ad cultores Dei, & quam peculiariter ſibi Deus elegiſſet, idololatriam exercebant.

V. 28. DOCEBAT EOS QUOMODO COLERENT DOMINUM: vel verum Dei cultum docuit, qualis exercebatur Ieroſolymis; vel imperfectum, qualis in regno Iſraelis ante captivitatem uſurpari ſolebat. Si hunc docuit, videtur Dominus qualemcumque cultum maluiſſe quam merum gentilitium, cum plagam leonum, quaſi aliquo modo placatus repreſſit. Ita Carthuſian. hic, & Genebrard. in Chronico. Toſtatus putat non ſolum immiſſos leones a Deo, ut novos Samaritas idololatras puniret; ſed etiam ut oſtenderet ſe Iſraelitas permiſiſſe in ſervitutem abduci, quia ſibi non ſerviebant, & poſſe ſe ad ſervitutem ſuam cogere quos vellet, ut hos novos regni incolas cogebat. Itaque finis plagæ immiſſæ non tam fuit peccatorum emendatio, quam oſtenſio divinæ potentiæ: qui finis conſtabat, etiamſi Deum Iſraelis non ſincero cultu colerent.

V. 29. FABRICATA EST DEUM SUUM, qualem ſcilicet habebant prius in regionibus ſuis. IN FANIS EXCELSIS, QUAE FECERANT SAMARITAE, Iſraelitæ ſcilicet priuſquam abducerentur in captivitatem. GENS ET GENS, unaquæque gens.

V. 30. SOCHOTHBENOTH, &c. Sunt nomina idolorum, quæ novi Samaritæ coluerunt iuxta patrium ritum. Nominum interpretationem qui volet, videat apud Ariam Montanum.

V. 31. COMBUREBANT FILIOS SUOS, &c. ut fiebat ab Ammonitis in cultum Moloch.

V. 32. NIHILOMINUS COLEBANT DOMINUM: exiſtimabant enim plures

deos simul coli posse. FECERUNT AUTEM SIBI DE NOVISSIMIS SACERDOTES EXCELSORUM: vilissimos hemunciones assumpserunt ad hæc sacerdotia.

V. 34. USQUE IN PRÆSENTEM DIEM, usque ad Ieremiæ tempus, quem plerique existimant hæc scripsisse. QUEM COGNOMINAVIT ISRAEL, cum prius Iacob diceretur.

V. 40. IUXTA CONSUETUDINEM SUAM PRISTINAM PERPETRABANT, idololatriæ adhærentes, a qua abuuci noluerunt.

TIRINI.

Vers. 2. FECIT MALUM Oseæ Rex Israel, SED NON SICUT ALII REGES ISRAEL: quia licet idola coleret; tamen, ut aiunt Hebræi *a*, non inhibuit subditis suis adire, si vellent, Ierosolymam & templum Domini, & sacra illic obire, quod alii reges severe inhibuerant, etiam dispositis per vias custodibus, ne cui aditus eo pateret.

V. 3. FACTUS EST OSEE SERVUS, Salmanassari Regi Assyriorum, qui defuncto Thelgar-Phul-Assari recens successerat. Cum enim res Israelitica, abductis fere quinque tribubus, admodum accessa, & Oseæ Rex initio regni imparatus ab instrumentis bellicis, resistendo non esset tam potenti Monarchæ, maluit se suoque ultro dedere, & vectigales facere Assyriis, saltem ad tempus, & quo ad evocassent aliunde auxilia, quam vires hostiles cum certo regni sui excidio frustra experiri. Hæc est secunda Assyriorum expeditio adversus Israelitas, itemque secunda Samariæ, ceterarumque urbium captivitas, toto octennio posterior altera priore, quando fere media incolarum pars in Assyriam abducta fuerat, ut dixi cap. xv. Sed in hac secunda, quia ultronea deditione contigit, nulla facta fuit abductio: solum tributa imperata, & alia quæ subditis præscribi solent. Et præstita hæc ex fide ad quinque vel sex annos; quando suitus auxiliis Sua Regis AEgypti conatus est Oseæ iugum, & servitutem Assyriorum excutere: sed frustra, nam mox reverso Salmanassare, obsessa iam tertio Samaria, ac post triennium capta spoliataque fuit, & Rex in compedes conjectus, & reliquæ tribus Israeliticæ in Halam, & Habor civitates Medorum, in perpetuum exilium abductæ sunt. Et hæc tertia & ultima captivitas domus Israel, novem annis posterior secunda: nam contigit anno sexto Ezechiæ Regis Iuda, & anno nono Oseæ, ex quo ipse a Salmanassare subactus, ipsique vectigalis, & ab eo Rex Israeliticus confirmatus fuit. Stetit ergo regnum Israelis, a primo anno Ieroboami, seu a morte Salomonis, usque ad præsentem annum abducti Israelis in regionem Medorum, toris 256. annis, ut patet ex nostro Chronico *b*. Ab hoc vero anno usque ad exustum templum & urbem Ierosolymitanam, quando etiam tertio capta, & in Babyloniam abducta fuit tribus Iuda, undecimo anno Regis Sedeciæ, fluxerunt anni 130.

V. 9. A TURRE CUSTODUM, non speculatoria militum, sed rustica pastorum, vel agricolarum, ad quam, seu hostibus, seu imbribus ingruentibus, haberent familiare refugium. Alio nomine *castella* vocant: & sunt rusticanæ villæ, horreis, & stabulis instructæ. Tales enim ipsis turres complures & castella extruxit Ozias Rex Iuda II. Paral XXVI. 10. Hæ turres civitatibus munitis ac frequentibus in Scriptura opponi solent: & proverbiali phrasi, cum omne habitationum genus Hebræi complecti volunt, *turres custodum* cum *civitatibus munitis* coniungunt, ut videre iterum est cap. seq. vers. 8. & aliis locis.

V. 24. ADDUXIT AUTEM REX ASSYRIORUM DE BABYLONE, &c. Hinc patet, hoc adhuc tempore Babyloniam subiectam fuisse Regibus Assyriorum in Ninive imperantibus; sicut ex vers. 6. supra constat, regionem Medorum eisdem tunc paruisse. Neque enim alias potuisset tantam Israelitarum catervam in civitates Medorum transmittere; neque incolas Babylonis in terram Israel evocare. Sed paucis posthac annis & Medi, auctore Deioce, & Babylonii, duce Merodach, rebelles facti sunt Assyriis, fere sub idem tempus quo Ezechias Rex Iuda ab iisdem defecit, & Merodacho Regi Babylonis novo fœdere sociatus est. COLLOCAVIT item REX ASSYRIORUM IN CIVITATIBUS

BUS SAMARIAE, etiam evocatos E CUTHA. Et forte nobiliores, forte etiam plures ex illa quam ex aliis regionibus, eo traducti sunt: unde Samaritani multis sæculis etiam *Cuthæi* vocati fuerunt, teste Iosepho, Epiphanio, & ex his Abulensi, Toleto, & Pereira *c*. Porro ex tot gentium, tot religionum, tot deorum colluvie, tanta legum, tanta morum confusione, id consecuti sunt Samaritani, ut monstrum quoddam essent ex variis variorum maxime dissidentium rituum assumentis compactum. A Iudæis habebant circumcisionem, & sabbata, & alias pleraque cæremonias Pentateucho Moysis comprehensas; neque alios Scripturæ libros admittebant, teste Origene, Ambrosio *d*. & aliis iam citatis. Ab aliis gentibus mutuabantur ingentem farraginem uti falsorum & ignotorum deorum (qui hic vers. 30. & 31. recensentur) ita etiam vanarum religionum ac rituum sacrorum & profanorum. Unde & vicinis omnibus contemptui ac risui erant, maximeque exosi; sed præ omnibus, nationi Iudæorum, in qua qui maxime odiosus alicui foret, Samaritanus vocabatur, neque induci potuerunt umquam Iudæi ut conterentur Samaritanis. Ioan. IV. Et vicissim Samaritani, ubicumque possent, officiebant Iudæis, ut patet Esdræ II. cap. IV. ubi remigrantes Iudæos ab exilio in patriam conantur impedire ab instauratione urbis & templi. De hoc odio mutuo vide S. Hieronymum *e*, & alios iam citatos. Interim Samaritani pro temporum, & rerum varietate, sic suadente seu necessitate, seu publica utilitate, fingebant modo se Iudæos esse, ut qui saltem in pauculis cæremoniis cum Iudæis convenirent: modo se prorsus alienos esse, (ut erant revera) a genere & religione Iudæorum; usi eodem artificio, quo apud Æsopum vespertilio, qui quod alas gestaret instar volucris, reliqua forma muri similis esset, modo volucrem, modo murem se nominans, bis periculum mortis effugit. Sic Samaritani cum didicissent. Alexandrum Magnum Iudæis amicum, & in ipsos admodum beneficum esse ut similem ab Alexandro gratiam beneficiique referrent, ortos se ex Iudæis, & iisdem cum ipsis institutis uti iactabant. At vero cum sentirent Antiochum Epiphanem infensum esse Iudæis, & pessima quæque adversus ipsos moliri, Iudæos se palam negabant. Ita Iosephus *f*.

(*a*) In Sedec. Olam cap. XXII.
(*b*) Chron. capite XXIX.
(*c*) Ioseph. sup. Abul. hic quæst. XXIV. Tolet. & Pereir. in capite VII. Ioannis.
(*d*) Orig. Tom. IV. in Ioannem. Ambros. in I. Corinth. IX.
(*e*) Hieron. epist. ad Algasiam quæst. V. Tom. III.
(*f*) Ioseph. Lib. XI. Antiqu. cap. VIII. & Lib. XII. cap. VII.

GORDONI.

Vers. 1. COmponuntur recte anni isti, si intelligantur de secundo regno Oseæ, cuius initium, ut in expansis tabulis notavi, incidit in annum duodecimum Achas, & finem accepit, in regno destructo.

V. 9. & 11. A TURRE CUSTODUM. Aedificaverunt sibi excelsa non tantum in urbibus, sed etiam in agris. *Turris custodum* est specula ad custodiendos fructus. Septuagint. ἀπὸ πύργου φυλασσούντων. Denique EGERUNT VERBA PESSIMA, res nefandas.

V. 30. SOCHOTHBENOTH, &c. Sunt ista nomina idolorum, quæ missa sunt ab Assyriis in Samariam. Quid hæc barbara nomina significent, an gallinam, canem, asinum, & similia, parum refert: sunt uno verbo idola. De hac captivitate dixi ad annum 3260. est annus Romuli octavus, & ab initio Olympiadum trigesimus tertius.

V. 41. Samaritani qui sint, hinc constat: nam origine Cuthæi sunt ex Cutha civitate: religionem sequebantur qualem indicavit synopsis. Ordinem gestorum hic pete ex tabulis expansis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Ex Chron. Hebr. cap. XXII. Osee non prohibuit (abductis ab Assyrio vitulis aureis e Dan, & Bethel) ne ter in anno populus iret Ierosolymam ad adorandum.

V. 4. VICTUM MISIT IN CARCEREM, sed post captam Samariam. Anticipatio.

V. 6. IN HALA, ET IN HABOR. De his iterum capite insequenti vers. 11. item I. Paralip. cap. V. Modo oppida vo-

cantur, modo fluvii. Ceterum eadem notatur provincia. Nec eſt quod prohibeat idem aliquando eſſe nomen flumini, & urbi adiacenti; ut etiam eſt nominum aliquando varietas: nec diſcedendum eſt a lectione vulgata.

V. 13. VIDENTIUM. Prophetæ *Videntes* vocantur.

V. 17. Peigit recenſere cauſas everſi regni, quod colerent aſtra, Baal, & filios ritu gentium immolarent, ut ſupra.

V. 24. CUTHA, & AVAH, regiones Arabiæ deſertæ. EMATH eſt prope Libanum, verſus damaſcum.

V. 34. USQUE IN PRAESENTEM DIEM quo ſcriptus eſt hic Liber. Vide ad initium Libri primi.

CAPUT XVIII.

Ezechias pietate eximius, diſſipatis idolorum delubris, ac æneo Moyſi ſerpente confracto, percutit Edom, & cum Aſſyriis rebellaſſet, Rex Aſſyriorum expugnatis civitatibus Iuda, Ezechiæ veniam precanti, magnam pecuniæ vim imponit, miſſa quoque manu valida Ieruſalem obſidet, multis probris in Ezechiam, & blaſphemiis in Deum per Rabſacem iactatis.

1. ANno (*a*) tertio Oſee filii Ela Regis Iſrael, regnavit Ezechias filius Achaz Regis Iuda. 2. Vigintiquinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet: & vigintinovem annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Abi filia Zachariæ. 3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat David pater eius. 4. Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque serpentem æneum, (*b*) quem fecerat Moyſes: ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum: vocavitque nomen eius Noheſtan. 5. In Domino Deo Iſrael ſperavit: itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis Regibus Iuda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt: 6. & adhæſit Domino, & non receſſit a veſtigiis eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moyſi. 7. Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat. Rebellavit quoque contra Regem Aſſyriorum, & non ſervivit ei. 8. Ipſe percuſſit Philiſthæos uſque ad Gazam, & omnes terminos eorum, a turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam. 9. (*c*) Anno quarto Regis Ezechiæ, qui erat annus ſeptimus Oſee filii Ela Regis Iſrael, aſcendit Salmanaſar Rex Aſſyriorum in Samariam, & oppugnavit eam, 10. & cepit. Nam poſt annos tres, anno ſexto Ezechiæ, id eſt nono anno Oſee Regis Iſrael, capta eſt Samaria: 11. & tranſtulit Rex Aſſyriorum Iſrael in Aſſyrios, collocavitque eos in Hala & in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum: 12. quia non audierunt vocem Domini Dei ſui, ſed prætergreſſi ſunt pactum eius: omnia quæ præceperat Moyſes ſervus Domini, non audierunt, neque fecerunt. 13. (*d*) Anno quartodecimo Regis Ezechiæ, aſcendit Sennacherib Rex Aſyriorum ad univerſas civitates Iuda munitas: & cepit eas. 14. Tunc miſit Ezechias Rex Iuda nuntios ad Regem Aſyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me: & omne quod impoſue-

ris

ris mihi, ſeram. Indixit itaque Rex Aſyriorum Ezechiæ Regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. 15. Dedítque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris Regis. 16. In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dedit eas Regi Aſyriorum. 17. Miſit autem Rex Aſyriorum Tharthan, & Rabſaris, & Rabſacen de Lachis ad Regem Ezechiam, cum manu valida, Ieruſalem: qui cum aſcendiſſent, venerunt Ieruſalem, & ſteterunt iuxta aquæductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via Agrifullonis. 18. Vocaveruntque Regem: egreſſus eſt autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph a commentariis. 19. Dixitque ad eos Rabſaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit Rex magnus, Rex Aſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia qua niteris? 20. Forſitan iniſti conſilium, ut præpares te ad prælium? In quo confidis, ut audeas rebellare? 21. an ſperas in baculo arundineo atque confracto AEgypto, ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? ſic eſt Pharao Rex AEgypti, omnibus qui confidunt in ſe. 22. Quod ſi dixeritis mihi: In Domino Deo noſtro habemus fiduciam: nonne iſte eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria: & præcepit Iudæ & Ieruſalem: Ante altare hoc adorabitis in Ieruſalem? 23. Nunc igitur tranſite ad dominum meum Regem Aſyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis aſcenſores eorum. 24. Et quo modo poteſtis reſiſtere ante unum ſatrapam de ſervis domini mei minimis? An fiduciam habes in AEgypto propter currus & equites? 25. Numquid ſine Domini voluntate aſcendi ad locum iſtum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Aſcende ad terram hanc, & demolire eam. 26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahe, Rabſaci: Precamur ut loquaris nobis ſervis tuis Syriace: ſiquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Iudaice, audiente populo, qui eſt ſuper murum. 27. Reſponditque eis Rabſaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, & ad te miſit me dominus meus, ut loquerer ſermones hos, & non potius ad viros, qui ſedent ſuper murum, ut comedant ſtercora ſua, & bibant urinam ſuam vobiſcum? 28. Stetit itaque Rabſaces, & exclamavit voce magna Iudaice, & ait: Audite verba Regis magni, Regis Aſyriorum. 29. Hæc dicit Rex: Non vos ſeducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea. 30. Neque fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur civitas hæc in manu Regis Aſyriorum. 31. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit Rex Aſyriorum: Facite mecum quod vobis eſt utile, & egredimini ad me: & comedet unuſquiſque de vinea ſua, & de ficu ſua; & bibetis aquas de ciſternis veſtris: 32. donec veniam, & transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram olivarum, & olei ac mellis, & vivetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. 33. Numquid liberaverunt dii Gentium terram ſuam de manu Regis Aſyriorum? 34. Ubi eſt deus Emath, & Arphad? ubi eſt deus Sepharvaim, Ana, & Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 35. Quinam illi ſunt in univerſis diis terrarum, qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, ut poſſit eruere Dominus Ieruſalem de manu mea? 36. Tacuit itaque populus, & non reſpondit ei quidquam: ſiquidem præceptum Regis acceperant, ut non reſponderent ei. 37. Venitque Eliacim filius Helciæ, præpoſitus domus, & So-

& Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph a commentariis, ad Ezechiam, ſciſſis veſtibus, & nuntiaverunt ei verba Rabſacis.

(*a*) II. Paralip. XXVIII. 27. & XXIX. 1. (*b*) Numer. XXI. 9. (*c*) Supra XVII. 6. Tob. I. 2. (*d*) II. Paralip. XXXII. 1. Iſaiæ XXXVI. 1. Eccli. XLVIII. 20.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. TERTIO, ſcilicet Regni eius liberi a tributo.

V. 4. NOHESTAN, id eſt res ænea; quaſi dicat, Vile æs.

V. 5. ANTE EUM, ſcilicet poſt David. Vide inf. cap. XXIII. ubi de Ioſia ſimile quid dicitur.

V. 8. CUSTODUM, ſcilicet fructuum; quaſi dicat, Parvas, & magnas civitates. Chald. *forti*.

V. 11. FLUVIUS: ſic etiam LXX. At Hebr. & Chald. *fluvio*. Alii, *iuxta fluvium*.

V. 17. MISIT, ſcilicet poſt, ubi Ezechias renuiſſet pendere tributum. AGRIFULLONIS: ſic dictus, quod illic fullones aqua piſcinæ veſtes lavarent.

V. 18. VOCAVERUNTQUE, ſcilicet ad colloquium.

V. 20. FORSITAN INISTI? &c. Hebr. ſenſus eſt: An eſt tibi conſilium, & fortitudo ſufficiens ad bellum? vel, Conſilio, & fortitudine fit bellum; non ſolis verbis. REBELLARE, ſcilicet non ſolvendo tributum.

V. 21. INGREDIETUR MANUM; quaſi dicat: Tandem plus incommodi afferet, quam commodi.

V. 22. ABSTULIT. Id dicitur ad invidiam ei concitandam: non enim Dei abſtulerat, ſed idolorum, ut quidam aiunt: quod ſi Dei, ſancte fecit: volebat enim Deus ſolo in templo ſibi ſacrificari. Vide Iſa. XXXVI.

V. 23. TRANSITE, &c. Hebr. *Fideiube domino meo*. Alii: *Dato pignore certa cum Domino meo*.

V. 25. DOMINI; quaſi dicat, Dei veſtri vobis irati. DIXIT MIHI. Sciebat per Prophetas prædixiſſe.

V. 31. QUOD VOBIS EST UTILE. Hebr. *benedictionem*, id eſt pacem. Chald. *pacem*.

V. 32. FRUCTIFERAM, ET FERTILEM. Hebr. Chald. & LXX. *frumenti &c.*

V. 34. EMATH, Antiochia eſt, vel Epiphania. ARPHAD urbs eſt prope Damaſcum.

ESTII.

Verſ. 4. CONFREGITQUE SERPENTEM AENEUM, QUEM FECERAT MOYSES: SIQUIDEM USQUE AD ILLUD TEMPUS FILII ISRAEL ADOLEBANT EI INCENSUM. Ex hoc loco manifeſtum eſt, populo Iſraelitico non fuiſſe ſimpliciter prohibitum habere ſimulacra, ſeu imagines, ſed tantum prohibitum fuiſſe malum ſimulacrorum uſum. Nam æneus ſerpens iuſſu Domini a Moyſe factus erat, & erectus in deſerto, ut qui a ſerpentibus percuſſi erant, aſpicerent eum, & ſanarentur, Num. XXI. Poſtea vero multo tempore relictus eſt ſerpens ille æneus in populo, in memoriam tam inſignis miraculi. At poſtquam tandem populus in deteriora prolapſus eſt, abuti eo ad idololatriam cœpit, & adolere ei incenſum, quod eſt ſignum divini honoris; & idcirco iuſtiſſime ab Ezechia ſublatus eſt, & confractus. VOCAVITQUE NOMEN EIUS NOHESTAN, id eſt æs, ſive cuprum in diminutis; quaſi dicat: Res iſta, quam hactenus coluiſtis, nihil aliud eſt quam vile metallum, nihil in ſe habens divinitatis.

V. 5. ITAQUE POST EUM NON FUIT SIMILIS EI DE CUNCTIS REGIBUS IUDA, SED NEQUE IN HIS QUI ANTE EUM FUERUNT. Quid? an ergo non ei ſimilis? vel etiam ſanctitate excellentior David? Reſpondeo, id non dici, ſed tantum quod ei non fuerit ſimilis quiſquam de Regibus Iuda. David autem non fuit tantum Rex Iuda, ſed totius Iſraelis. Et quod Scriptura Ezechiam non vo-

voluerit præferre Davidi, satis insinuatur cap seq. ubi Dominus promittit se servaturum civitatem propter se, & propter David servum suum. Non dicit autem Dominus ad Ezechiam, propter me, & te, sed scilicet propter David. Aliqui etiam significari tantum volunt, quod fuerint quædam peculiaria virtutis insignia, & pietatis opera in Ezechia, quæ in aliis non fuerunt. Velut quod excelsa abstulit, quod serpentem æneum confregit, quod ad preces eius tot millia Assyriorum ab Angelo interfecta sunt; quod ad petitionem eius sol decem gradibus retrocesserit: hæc omnia enim valde insignem, & præ aliis singularem reddiderunt. Certe de omni confessore sancto Pontifice canit Ecclesia: *Non fuit inventus similis illi*. Omnes enim aliquid singulare, & quasi eximium habent. Nisi dicere malimus, quodammodo hyperbolicam esse locutionem, vel auxesim rhetoricam: quo modo latini sæpe superlativo utuntur tantum ad excellentiam quamdam significandam, quemodo dicimus de homine bene docto: Nihil eo doctius, & alia similia.

V. 13. ANNO QUARTODECIMO REGIS EZECHIAE ASCENDIT SENNACHERIB REX ASSYRIORUM. Ab hoc loco quæ sequuntur usque ad illud cap. xx. sub finem: *Reliqua autem sermonum Ezechiæ*: omnia pene eadem, & iisdem verbis habentur apud Isaiam cap. XXXVI. 37. 38. & 39. Tantum apud Isaiam exstat Canticum Regis. In ceteris paucula sunt diversa. Est autem probabilius huius Libri Auctorem, sua, quæ cum Propheta communia habet, ex Propheta (qui pars magna rei gestæ fuit, ut patet in decursu narrationis) sumpsisse, quam Prophetam ex huius Libri Auctore.

V. 14. TUNC MISIT EZECHIAS REX IUDA NUNTIOS AD REGEM ASSYRIORUM IN LACHIS, DICENS: PECCAVI, RECEDE A ME. Non satis liquet quare Ezechias dixerit, *Peccavi*. Quidam putant ipsum habuisse fœdus cum Rege Assyriorum, illudque rupisse; aliis tantum patrem Ezechiæ. Id conflat, Deum hac vice civitatem non liberasse, sed Ezechiam magna vi argenti pacem redemisse. At postquam contra pactum rediit Rex Assyriorum, ad obsidendam civitatem, tunc Deus magno miraculo civitatem ab hoste liberavit. An autem Ezechias recte fecerit ad redemptionem pacis, dando aurum multum, & æs, spoliando templum, vide supra cap. XII. in simili argumento explicatum de Rege Ioas.

MARIANAE.

Vers. 4. CONFREGITQUE SERPENTEM AENEUM EIUS Ezechias: VOCAVITQUE NOMEN EIUS NOHESTAN, id est *æs*, nihil præterea: forma diminutiva, ad significandum, æs vile esse, prodesse nihil. Sed cur non licuit serpentem illum colere, quasi Moysis monimentum? certe, sed ut Deum latria colebant, sacrificia offerentes. Id per *adolebant ei incensum* intelligo.

V. 7. SAPIENTER SE AGEBAT; id est, prospere cuncta cadebant Ezechiæ. Sic solent quæ prudenter fiunt, non temere sine intellectu.

V. 8. A TURRE CUSTODUM, id est specula. Nihil reliquit immune, villas Philisthinorum, & urbes vexavit Ezechias.

V. 9. ASCENDIT SALMANASAR: Repetit quod cap. XVII. vers. 6. dixerat, ut quasi res insignis magis infigatur memoriæ, grave infortunium illud regni Israel.

V. 11. IN HALA ET IN HABOR FLUVIIS GOZAN. Melius vertit cap. XVII. vers. 6. *iuxta fluvium Gozan*. Hebr. *in Hala & in Habor fluvii Gozan*, id est urbes quæ alluuntur eo fluvio. Sed nimirum hic Hieronymus Sept. versionem est secutus. Vide I. Paralip. v. vers. 26. & confer cum his. Ezechias ad Regem Assyriorum.

V. 14. PECCAVI, scilicet deficiendo a te. QUOD IMPOSUERIS MIHI, FERAM, scilicet mulctam quam volueris. TRECENTA TALENTA ARGENTI, ET TRIGINTA TALENTA AURI induxit. Par pretium & valor utriusque metalli: auri ad argentum decupla proportio.

V. 16. CONFREGIT EZECHIAS VALVAS TEMPLI. Sic Sept. Pagn. *abscidit*. Chald. *abrasit*: scilicet aurum detraxit quo obductæ erant. In summa angustia aurum sacrum conflari potest. LAMINAS AURI. Hebr. *columnas*. Chald. *limina*. QUAS IPSE AFFIXERAT. Hebr. *quas obduxerat*, scilicet auro.

V. 17.

V. 2. VIGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT, CUM REGNARE COEPISSET. Notant, admirandum naturæ opus fuisse quod Achaz undecimo ætatis suæ anno genuerit Ezechiam: nam ex cap. XVI. vers. 2. habetur Achaz vixisse triginta sex annos; & hic scribitur, Ezechiam vigintitres annos ætatis egisse, cum patri mortuo successit in regno. Vide S. Hieronymum epist. CXXXII. ad Vitalem. Alii aliter accipiunt, de quo vide supra cap. XVI. vers. 2. NOMEN MATRIS EIUS. II. Paralip. XXIX. 2. appellatur אביה *Abiiah*, id est *Pater meus Deus*.

V. 4. ET CONTRIVIT STATUAS, ET SUCCIDIT LUCOS, CONFREGITQUE SERPENTEM, &c. Hebr. sunt futura, *Et confringet statuas, & excindet lucum: & contundet serpentem æreum*. Notant, futura indicare hic diligentiam, & continuitatem tam pii operis, ut totus in eo continenter fuerit ad extirpationem superstitiosi cultus. NOHESTAN. Plerique volunt esse nomen diminutivum. *Nechuschtan*, sic appellatum per contemptum, quasi ænulum, vel æreolum, ut indicaret nihil numinis aut divinitatis continere, sed esse tantum nihil aliud quam modicum æs, seu parum æris, seu cupri, aut chalybis. Quidam cum affixo accipiunt, *Æmulum eorum*; qua ratione forma diminutiva stare non potest. Aliqui exponunt, *Serpentulum*.

V. 7. SAPIENTER SE AGEBAT. Heb. *Intelligere faciet*. Vide hanc ipsam locutionem expositam I. Samuel. XVIII. 5. REBELLAVIT QUOQUE CONTRA REGEM ASSYRIORUM. Exponunt: Id est, elatus, & confirmatus rebus secundis, sequenti versu; seu potius ope divina fretus, excutiens iugum Regis Assyriæ, quod receperat pater eius Achaz, sup. cap. XVI. vers. 17. desiit esse ei tributarius.

V. 8. IPSE PERCUSSIT PHILISTHAEOS, qui patri Achazo multa ademerant, II. Paralip. XXVIII. 18. A TURRE CUSTODUM USQUE AD CIVITATEM MUNITAM. Vide de hac locutione sup. cap. XVII. vers. 9.

V. 9. QUI ERAT ANNUS SEPTIMUS OSEE. Intelligunt, annos septimus tributarius, nimirum regni eius tributarii.

V. 10. POST ANNOS TRES OBSIDIONIS: supra cap. XVII. vers. 5.

V. 11. ET TRANSTULIT REX ASSYRIORUM, &c. De hoc versu vide sup. cap. XVII. vers. 6.

V. 13. ANNO QUARTODECIMO REGIS EZECHIAE, &c. De tota hac historia vide Isaiæ XXXVI. ET CEPIT EAS: non omnes, sed aliquas. Synecdoche.

V. 14. IN LACHIS. Vide supra cap. XIV. vers. 19. Eam tunc Assyrius oppugnabat, II. Paralip. XXXII. 9. TRECENTA TALENTA ARGENTI, id est trigesies centies millies, & sexcenties millies drachmarum Hispanicum, nempe tres milliones, & sexcenta millia Regalium Castellanorum. ET TRIGINTA TALENTA AURI, hoc est trecenta millia, & sexaginta millia escutorum aureorum Hispanicorum.

V. 16. CONFREGIT. Verum קצץ *hitztzatz* in Pihel, varie hic reddunt, *Præfecit, abscidit, detraxit, decorticavit, detruncavit, expoliavit, amputavit, mutilavit*. ET LAMINAS. אמנות *omenoth*. Non alibi hæc vox occurrit, diversimode reddunt: 1. *columnas*; 2. *limina, liminaria*; 3. *postes*; 4. *antas*, id est ostiorum latera. Ex verbo, *Fidelitates, firmitudines, firmamenta*, id est postes, & limina: ea nimirum quibus ostia, & portæ nituntur. *Trabes* alii reddunt. ET LAMINAS AURI, QUAS IPSE AFFIXIT. Hebr. *postes quos texit, obduxit, Chizkiiah Rex Iehudæ*. Exponunt: Obduxerat laminis aureis, cum rursus aperiret domum Iehovæ primo mense anni primi, II. Paralipom. XXIX. 3. Alii: *Obduxerat laminis aureis*, vel *argenteis*; id est, detraxit laminas auri, vel argenti, quibus tecti erant postes & liminaria. ET DEDIT EAS REGI ASSYRIORUM. Quidam: *Et dedit aurum earum Regi*, &c.

V. 17. MISIT AUTEM REX ASSYRIORUM, &c. non stans promissis post acceptam pecuniam. RABSARIS. Hebraice sonat *inclytum, primarium, eunuchum*, seu *aulicum*, vel *præfectum aulicum*. Vide in Ierem. XXXIX. 3. & 13. RABSACEN. Hebr. רב שקה *rab-schakeh*, libet exponere *primarium, magistrum potus*, id est *pocillatorem, pincernam*. IERUSALEM. Exponunt: Ut eam suis præsidiis firmarent, & tyrannidi Regis Assyriorum essent administri, contra quam transactum fuerat, supra vers. 14. IN VIA. מסלה *mesil-*

meſſilah, reddunt, *in aggere*, *aggeſta*, *ſtrata*, *trita*, *regia via*, quam Latini vocant *aſtum*. AGRI FULLONIS. כובס *cobes*, notant eſſe participium, ſeu nomen participiale, id eſt *lavans*, *lotor*, *fullo*, *candidator*: cuius ſignificationis vim pulchre expreſſam volunt Marci IX. 2. cum dicitur: *Et veſtimenta illius facta ſunt ſplendida, candida valde velut nix, qualiter gnapheus, fullo ſuper terram non valet candidare*, ſeu *dealbare*. Vide de hoc loco in Iſaiæ VII. verſ. 3.

V. 19. DIXITQUE AD EOS RABSACES, recuſantes præſidia Aſſyriaca intra urbem admittere. HAEC DICIT REX MAGNUS, &c. Obſervant eſſe increpationem dilemmaticam; quaſi dicat: Si tuis viribus fidis, vanitatis eſt; ſin alienis, cuius obſecro? an AEgypti? at ſocietas illius exitialis eſt: an vero Dei? at illius cultum minuiſti. Nam blaſpheme vitio vertit quod imperavit Deus, Deuteron. XII. a verſ. 2. uſque ad 7.

V. 20. FORSITAN INISTI CONSILIUM? &c. Hunc verſum noſtra Translatio verbatim ex Hebræo reddidit (*Dixiſti: Verumtamen verbum labiorum: conſilium, & prævaleſcentia cæſioni: nunc ſuper quem confiſus fuiſti, quia defeciſti in me?*) Alii varie. I. *Dixiſti tantum verbum labiorum: conſilium, & fortitudo ad prælium*; id eſt, dixiſti ad populum verba exhortatoria, ſed quæ tantum verba labiorum eſſent, id eſt quæ nullam aliam habent efficaciam, niſi motum & ſonum labiorum: ſed ad prælium non ſufficit eloquentia verborum: conſilio enim, & fortitudine opus eſt ad bellum. II. *Dicis: Certe verbis labiorum; at conſilio, & fortitudine opus erit gerendo bello*. III. *Dixiſti apud te: Certe ſermo labiorum eſt mihi, conſilium, & magnanimitas ad gerendum bellum*; quaſi dicat: Tu ſuperbis nimium, dixiſti apud te: Facundia eſt mihi ad cohortandos milites, conſilium ad ſubitas res, & fortitudo ad ſuſtinendam utramque fortunam: putas te his tribus, quæ in Imperatore eſſe debent, poſſe reſiſtere? falleris. IV. Aliqui exponunt: *Sermo labiorum*, id eſt oratio ad Deum; quaſi dicat: *Dixiſti* apud te, *Profecto*, vel *tantummodo verbum labiorum*, id eſt preces & orationes meæ ad Deum efficient ut mihi ſit *conſilium*, & *fortitudo ad* gerendum *bellum*, ut dicat Ezechias, non defuturum obſeſſis conſilium & robur ad reſiſtendum Sancheribo, modo orationes & preces fide plenas ad Deum funderent. V. *Dixerit* (*verumtamen verba labiorum*, id eſt *futilia*) adeſſe *conſilium*, & *fortitudinem ad bellum*; id eſt, tecum cogitaveris, & populo perſuaſeris, nihil tibi deeſſe, quod ad propulſandum Regem opus ſit. Quæ tamen verba, ſeu cogitata vana & futilia ſunt. Vide Iſaiæ XXXVI. 5. ubi pro ſecunda perſona *dixiſti*, ponitur prima *dixi*.

V. 21. SUPER QUEM SI INCUBUERIT HOMO, &c. Notant eſſe exegeſim ſimilitudinis, nam ſcipio arundineus ſi frangitur & conquaſſatur, fragmentis illis acutis, dum manu diſtringitur, graviter lædit manum.

V. 23. NUNC IGITUR TRANSITE AD DOMINUM MEUM REGEM ASSYRIORUM. Noſter vel ſenſum reddidit, vel legit ערב *ghabar* pro ערם *gharab* tranſpoſito: nunc codices conſtanter habent התערב *hithgharab*, imperativum Hithpahel, quod varie exponunt. I. *Et nunc fide iube, obſecro, domino meo Regi Aſſyriæ*, vel *fideiuſſorem, vadem, ſponſorem da domino meo Regi*, &c. *da obſides domino meo*, &c. II. *ſponde, ſponſionem fac, quæſo, cum domino meo Rege Aſſyriæ*, &c. Aut *depone, in ſponſione colloca, ſequeſtra aliquid, pignore aliquo certa cum domino meo Rege Aſſyriæ*: ut Damętas apud Virgilium loquitur ecloga III.

> .....*ego hanc vitulam* ....
> *Depono: tu dic mecum quo pignore certes*;

cui reſpondet Menalcas:

> *De grege non auſim quidquam deponere tecum*.

III. *Et nunc ſub arrha obſecro, dominum meum*, &c. vel *arrhabonem, pignus da domino meo*. IV. *Sed nunc miſce te bello*, vel *miſce bellum cum domino meo Rege Aſſyriæ*. Sarcaſmus, quo ludificatur audaciam Ezechiæ, propter tenuitatem virium eius. V. *Et nunc conventionem fac, quæſo, cum hero meo Rege Aſſyriæ*. Vide Iſaiæ XXXVI. 8. ET VIDETE AN HABERE VALEATIS ASCENSORES EORUM. Hebr. *Si poteris ad dare tibi vehentes ſuper eos*? Quidam, *Num tu illis equites imponere poteris*? Alii, *Si poſſis dare ſeſſores ſuper eos*; id eſt, qui more ſeſſorum peritorum eos age-

agere possint; quasi dicat: Non posses invenire in regno tuo bis mille equites: quomodo ergo poteris? &c. Nonnulli, *Si poteris suppeditare qui equitent eos pro te.*

V. 24. ET QUOMODO POTESTIS RESISTERE ANTE UNUM SATRAPAM? &c. Hebr. ex verbo: *Et quomodo revertere facies facies ducis unius?* &c. Quidam: *Et quomodo vertere facies faciem ducis unius?* &c. Alii: *Et quomodo feres, tolerabis, sustinebis, faciem ducis unius?* Aliqui: *Et quomodo averfaberis, reprimes, repelles, faciem ducis unius?* Nonnulli: *Quomodo ergo retundes faciem ducis unius?* Alii: *Quomodo ergo averteres faciem ducis unius?* &c. id est propulsares, seu quomodo faceres faciem & terga vertere unum ducem, de minimis?

V. 25. NUMQUID SINE DOMINI VOLUNTATE ASCENDI AD LOCUM ISTUM, &c. Hebr. *Num absque* IHUH *ascendi contra locum istum?* Quidam: *Num vero citra consilium & iussum*, seu *mandatum Iehovæ ascendi hunc locum?* &c. DOMINUS DIXIT MIHI. Hebr. *Iehovah edixit mihi*; id est, testatur mihi in animo, fore me vindicem iniuriarum quibus affecisti eum, supra vers. 22.

V. 26. DIXERUNT AUTEM ELIACIM, &c. Hebr. *Et dixit Eliakim*, &c. id est unus eorum de sententia omnium.

V. 27. UT COMEDANT STERCORA SUA. חוריהם *chorehem*, forma plurali cum affixo, aiunt proprie esse *foramina* ventris posteriores unde excrementa exeunt, id est stercora anum perforantia, vel ex foramine ani, seu podice exeuntia, metonymice. Hebræi, quod hanc vocem obscœnam, & indecoram existimarent, aliam pro hac legendam honestiorem in margine appofuerunt, reverentiæ causa, ut obscœna vitarent, & aures non offenderent: nempe צואתם *tzoatham*, id est *exitus, egressiones, egesta sua*, quæ eiusdem est ferme significatus, sed honestioris, unde voci contextus, puncta marginalis huius vocis adiecerunt, quasi esset חורהם *chorahem*, volentes pronuntiari *tzoatham*, pro חוריהם *chorehem*. Vide supra cap. x. vers. 27. URINAM SUAM. שיניהם *schenehem*, forma plurali cum affixo, proprie *urinas, mictiuras, lotia sua*. Hoc vocabulum Hebræi in sermone vulgari pro obscœno, & impuro habent, proinde pro eo aliud legendum in margine affixerunt, honestatis causa, מימי רגליהם *meme raglehem*, id est *aquas pedum suorum*, quo urinam honeste circumloquuntur, quod pedes meientis perluat; vel quod e genitalibus exeat, quæ honeste *pedes* vocantur, ut Genes. XLIX. 10. Deuteron. XXVIII. 57. Atqui duarum harum vocum marginalium vocalia puncta, ipsi vocabulo textus indiderunt, ut indicarent legendas esse voces marginis, non textus, scribentes *schenehem* pro שיניהם *schenehem*, ut legendum sit *meme raglehem*, loco *schenehem*, cui insunt expressa puncta vocum *meme raglehem*. Verum ego hanc Iudæorum nimiam religionem, seu potius superstitionem existimo, ut etiam in vocabulo præcedenti: sat nobis sit ita locutum Spiritum sanctum puritatis omnis & honestatis auctorem. Vide supra cap. x. vers. 27. Non placet, quod quidam autumant, hanc, & præcedentem esse voces Chaldaicas; cum Rabsakeh, pure Iudaice, hoc est Hebraice, non Aramithice, seu Syriace, vel Chaldaice loqueretur, supra vers. 26. & vers. sequente. Notant autem, locutione ista, *Ut comedant excrementa sua, & bibant lotia sua*, significari extremas calamitates; quasi dicat: Quibus nisi mature ab hac pertinacia discedant, eventuræ sunt calamitates istæ, & rerum summa difficultas.

V. 28. STETIT ITAQUE RABSACES, ET CLAMAVIT, &c. Exponunt: Id est, obfirmato ac pertinaci animo clamavit. Quidam: *Itaque subsistens, persistens, Rabsakeh exclamavit*, &c.

V. 31. FACITE MECUM QUOD VOBIS EST UTILE. Hebr. *Facite mecum benedictionem*. Exponunt quasi dicat: Ne istis erga me parci, sed magnifice ac liberaliter mecum agite, nempe summa fiducia, atque omni timore depofito, ad me egredimini, vos, vestraque meæ curæ & fidei credentes. Nomen benedictionis Hebræis copiam & largitatem denotat. Alii: *Facite mecum benedictionem*, id est beneficium: conserte mihi hoc beneficium, hanc gratiam. Nonnulli: *Mihi obsequimini*. Aliqui: *Transigite mecum munere*. Hispanicus: *Dad me presente en reconocimiento de señorio. Benedictio* pro *munere*, *dono*, II. Samuel. XXV. 27.

V. 34. DEUS EMATH. Hebr. *Chamath*: de qua vide Genes. x. 18. & Num.

XIII. 22. ET ARPHAD. Tremellius, & Iunius divinant esse regionem Assyriæ *Arraphachitem*, quæ iuxta Armeniam est, apud Ptolemæum Lib. VI. cap. I. Sed iis postmodum in Ieremiæ XLIX. 23. ex ipsis verbis Ieremiæ emendarunt, *Arphad*, reliquam Syriæ esse partem supra regnum Chamathæ; denique totum tractum, qui monti Tauro, & Amano substernitur. Alii volunt esse Pariam, vel Aradum insulam in Mari Phœnicio, apud Plinium Lib. V. cap. XXXI. & Melam Lib. I. cap. XII. SEPHARVAIM. Vide supra cap. XVII. vers. 22. ANA. Hebr. *Henagh*, hariolantur esse *insignem* regionem Mesopotamiæ sub Gaulanite, apud Ptolemæum Lib. V. cap. XVIII. quam S. Epiphanius Lib. II. hæresi LX. *Ingilinem*, vel *Anglinem* vocat: nam *Ghain* per *G*, fere exprimere solent Historici. ET AVA. Heb. *Ghivah*. Vide supra cap. XVII. vers. 24. Hebræorum nonnulli hoc & præcedens nomen pro verbis appellativis capiunt, *Movit*, *& subvertit*, scilicet eos omnes e terra. Frigide. NUMQUID LIBERA VERUNT SAMARIAM. Hebr. *Quia eripuerunt Samariam*. Quidam: *Quin eripuerunte Someronem*? subaudi, dii Someronis, ἀπὸ τοῦ.

MENOCHII.

Vers. 3. IUXTA OMNIA, QUAE FECERAT DAVID PATER EIUS. Hæc laus perpaucis Regibus tribuitur, scilicet Asæ III. Reg. XV. 11. Iosaphat II. Paral. XVII. 3. 4. Ioſ. 11. Paral. XXXIV. 2. & hoc Lib. cap. XXII. vers. 2.

V. 4. DISSIPAVIT EXCELSA, &c. Videtur hoc cum aliqua exceptione intelligendum, nam inf. cap. XXIII. num. 13. & 14. dicitur Iosiam succidisse lucos, & contrivisse statuas a Salomone in monte offensionis excitatas. Ezechias ergo, qui illum antecessit, illa reliquit intacta: vel quod populus non permitteret auferri; vel quod populus non peccaret, quod ea idola non coleret, quibus ille locus iam pridem fuerat consecratus. CONFREGIT SERPENTEM AENEUM, in quo rudis populus aliquid divinitatis latere existimabat. NOHESTAN, id est *æs eorum*, ita contemptim vocat serpentem; quasi diceret, nihil serpentem hunc esse præter æs, & in Domino sperandum esse, non in illo: unde Scriptura statim subdit: *In Domino Deo Israel speravit*.

V. 5. NON FUIT SIMILIS EI, &c. Idem elogium Iosiæ tribuitur infra cap. XXII. num. 25. quod intellige quo ad aliquid, sicut & illud: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi*. Vel est hyperbole.

V. 8. A TURRE CUSTODUM, &c. Vide dicta cap. proxime superiore num. 9.

V. 9. ANNO QUARTO EZECHIAE, &c. Hæc explicata sunt cap. XVII. num. 6.

V. 14. PECCAVI, RECEDE A ME, &c. quasi dicat: Imprudenter egi, cum tributi iugum excutere conatus sum. INDIXIT ITAQUE REX ASSYRIORUM, &c. Simulavit Assyrius non ingratam sibi esse legationem, ratus se, & quod ultro daretur mulctæ nomine primo habiturum, deinde reliqua omnia quæ invitis esset erepturus. TALENTA ARGENTI, &c. Talentum unum argenti continet tria millia siclorum argenteorum; siclus vero unus, ut sæpe dictum est, æquivalet quatuor Hispanicis regalibus. Talentum vero unum auri, continet tria millia siclorum aureorum, & siclus aureus æquivalet quatuor aureis nummis noſtratibus.

V. 17. DE LACHIS, quam urbem obsidebat. CUM MANU VALIDA, cum magno comitatu.

V. 18. VOCAVERUNT REGEM: quia nimirum in civitatem non admittebantur, evocant Regem ad colloquium qui tamen egredi noluit, sibi timens; sed tres misit, qui hoc versiculo memorantur. PRAEPOSITUS DOMUS. LXX. vocant ἐπιτρόπου τῆς βασιλείας, id est *procuratorem regiæ*, quem aliqui *præfectum prætorio* interpretantur. Ita Salianus cum aliis. Multi tamen & graves auctores, quos idem Salianus recenset, putant Eliacim præpositum domus dici, quod esset Pontifex, & domui Domini, hoc est templo, præpositus. SOBNA SCRIBA. LXX. vocant γραμματέα. Vatablus litteratum, aut legisperitum interpretatur. A COMMENTARIIS. Quale hoc munus esset, diximus II. Reg. VIII. 16.

V. 20.

V. 20. UT AUDEAS REBELLARE? id eſt reſiſtere, & obſidionem expectare, nam prius rebellaverat cum negaverat tributa.

V. 21. AN SPERAS IN BACULO ARUNDINEO, ATQUE CONFRACTO? &c. ſuper AEgyptum. Alludit ad arundines quæ abundant in ripa Nili; quaſi dicat: Sicut arundo infirmior eſt, quam ut ei incumbentem ſuſtineat, ut potius manum ſe apprehendentis pungat, & perforet; ita erit & Iudææ AEgyptus, eiuſque copiæ, & auxilium, quod ab illo ſperatur. Vide Delrio Tom. I. Adagial. adagial. CCX.

V. 22. IN DOMINO DEO NOSTRO, &c. Calumniatur Rabſaces Ezechiam, vitio enim ei vertit quod erat laudi dandum, nam excelſa auferri iuſſerat Deus, ſed fortaſſe hoc ignorabat Rabſaces. ANTE ALTARE HOC, quod ſcilicet in templo conſtitutum erat.

V. 23. TRANSITE AD DOMINUM MEUM; in Hebræo eſt התערב *hithareb*, id eſt commiſcere, coniungere, paciſcere, ini fœdus cum domino meo. Pagninus, & Vatablus vertunt, *Fide iube domino meo Regi*, datis ſcilicet obſidibus. Forerius, Iſa. XXXVI. 8. ubi hæc eadem habentur, vertit, *Oppignera dominum meum*; id eſt, devinci muneribus, vel obſidibus vel te in manus eius tradendo. AN HABERE VALEATIS ASCENSORES EORUM? quaſi dicat: Cum ad tantam paucitatem redacti ſitis, cur adhuc tanto Regi, & exercitui reſiſtitis?

V. 25. NUMQUID SINE DOMINI VOLUNTATE, &c. Aliud argumentum petitum ex divina voluntate, quæ Sennacherib commovit ut Iudæos perderet; quaſi dicat: Nec valetis, nec debetis divinæ voluntatis decreto repugnare. Voluit quidem Deus Iudæos per impium illum Regem atterere, ſed tandem populum ſuum ex illius manibus eripere voluit, illo male perdito.

V. 26. PRECAMUR UT LOQUARIS SYRIACE. Quod ſignum eſt, linguam Syriacam vulgo ignotam fuiſſe. Cupiebant orationem Rabſacis a gregariis militibus non intelligi, ne offenderentur, & iram continere non valentes, ſagittas in Rabſacem iacularentur; aut cerne nimis terrerentur.

V. 27. AD VIROS QUI SEDENT SUPER MURUM, &c. Rabſaces maiori voce Hebraico ſermone ad populum orationem convertit, quod eius intereſſe diceret hæc noſſe, qui alioqui fame, & ſiti in obſidione periturus erat. UT COMEDANT STERCORA SUA, &c. quaſi dicat: Qui ſi pergant obſidionem tolerare, eo fames obſcœna illos adiget, ut a proprii corporis excrementis non abſtineant.

V. 32. DONEC VENIAM, ET TRANSFERAM VOS, &c. de more Regum Aſſyriorum, qui quos ſubegerant populos, alio migrare iubebant, ne novis rebus ſtuderent, aut iugum ſervitutis excutere tentarent. Sic factum cum Iſraelitis vidimus paulo ſupra cap. nimirum XVII. DOMINUS LIBERABIT NOS; quaſi dicat: Deus veſter liberare vos non poterit, ſicut dii gentium, quas ſubiugavit Aſſyriorum Rex, cultores ſuos ab eius vi tutos reddere non potuerunt.

V. 34. EMATH, &c. Vide dicta cap. proxime ſuperiore num. 24. ANA, ET AVA videntur nomina idolorum, quæ etiam in Samaria colerentur.

V. 36. PRAECEPTUM REGIS ACCEPERANT, &c. Prudenter enim veritus eſt, ne inter reſpondendum aliquid inconſulte dicerent, quo rebus turbatis obeſſet potius, quam prodeſſet, hoſtem exacerbaret, aut reliquum populum terreret.

V. 37. SCISSIS VESTIBUS, ut fiebat ab Hebræis, cum blaſphemias in Deum audiebant.

TIRINI.

Verſ. 3. CONFREGITQUE Ezechias SERPENTEM AENEUM, QUEM FECERAT MOYSES. De hoc vide Num. XXI. VOCAVITQUE NOMEN EIUS NOHESTAN, vel, ut in Hebræo eſt, *Nechuſtan* (נחשתן) id eſt *parvum æs*, ſeu *ærulum*, vel *metallulum*, nempe vile ac nihili; quaſi dicat: In illo ſerpente nihil eſt magnum, nihil vivum, quod ab homine prudente obſervari, multoque minus quod pro Deo (ut factum hactenus) coli debeat. Vide plura apud Philaſtrium, in hæreſi de *æneo ſerpente*. Chronicon Alexandr. & Euſebius *a* tradunt,

dunt, ab eodem Ezechia etiam *libros* aliquos *Salomonis*, quod quidam illis abuterentur, *de medio fublatos* fuiſſe, ut *quos de omni, genere morborum curando* conſcripſerat, & *de natura plantarum*, & *de omni genere animalium*: idque *quia populus hauſta inde ſufficienti morborum medela, negligebat petere a Deo curationem*: quod in Rege Aſa reprehenditur II. Paral. XVI. verſ. 12. Sane S. Franciſcus Xaverius, cum Evangelii gratia in regionem barbaram ingrederetur, ubi frequens erat venenorum uſus, & quotidianæ cædes, noluit tamen antidota ab amicis oblata admittere, ne quid de ſpe, quam in Deo ſemper collocaret, vel tantillum ea ratione remittere videretur.

V. 5. POST Ezechiam NON FUIT SIMILIS EI DE CUNCTIS REGIBUS IUDA, SED NEQUE IN HIS QUI ANTE EUM FUERUNT. Idem de Ioſia dicitur cap. XXIII. verſ. 23. Et quidem vere ac proprie: nam licet David ſanctitate præcelluerit, ut eſt communis opinio, morum tamen innocentia non præcelluit, propter adulterium, homicidia, &c. In aliquo etiam deliquit Ioſias, in quo Ezechias non deliquit, ut quod bello non neceſſario adverſus Regem AEgypti ſe ſe implicuerit, & ſe, & ſuos perdiderit. In pluribus quoque Ezechias ceſſit Ioſiæ; verbi gratia, cum ſe vectigalem & tributarium *b* fecit Regi Aſſyriorum, cum ex iactantia *c* legatis Babylonici Regis ſuos oſtentavit theſauros, &c. Itaque æqualitas ſanctitatis inter hos tres hic non negatur; ſed ſola ſimilitudo morum geſtorumque, quibus ſanctitatem nacti, vel promeriti fuerunt, propter diverſos modos, & occaſiones, & tempora, in quibus ſuam ſinguli probarunt vel patientiam, vel magnanimitatem, vel zelum, vel fortitudinem, vel morum innocentiam. Simili prorſus modo Eccleſia de ſingulis Confeſſoribus Pontificibus canit: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui cuſtodiret legem Excelſi*. Quia ſinguli habuerunt aliquid peculiare, quod non inveniretur in aliis. Porro præclara Ezechiæ geſta, quæ hic non niſi obiter inſinuantur, fuſe expreſſa habes II. Paralip. XXIX. XXX. & XXXIII.

V. 7. REBELLAVIT QUOQUE CONTRA REGEM ASSYRIORUM. Iam enim a tempore Achaz patris Ezechiæ dederant ſe Iudæi Aſſyriis, ut patet ex IV. Reg. XVI. verſ. 7. Unde uſque ad hoc tempus Ezechias ſubditus illis & tributarius fuerat: ſed iam urgenti Aſſyrio, ut conſuetum tributum penderet, negabat Ezechias, bellumque ni faxit minanti, reſiſtere, & bellum bello propulſare parabat. Nam, ut habes infra cap. XX. verſ. 20. & II. Paral. XXXII. & Eccl. XLVIII. muros urbis inſtauravit, militem undique evocavit, & ad Aſſyriorum impetus retardandos obturavit capita fontium, & perfoſſa rupe rivum Gihon ita detorſit, ut aquæ illius, quæ extra urbis Ieroſolymæ muros late vagabantur, & obſidentibus maxime uſui futuræ erant, omnes in urbem cogerentur, & obſeſſis ſervirent. Sed brevi conciderunt tanti animi. Nam ut primum ſenſit Aſſyrium tyrannum ferro flammaque viciniam vaſtare, non auſus aleam belli exſpectare, miſit obviam in urbem Lachis haud procul Ieroſolyma legatos, qui ſuo nomine ſponderent ultroneam ſubiectionem, & tributi quantumcumque imperaret penſitationem. Quin & imperanti ſubmiſit ſtatim trecenta talenta argenti, & triginta auri. Neque tamen hac via quidquam profecit: nam tyrannus etiam accepto tributo, nihilo moderatius aut mitius ſe geſſit, quam ſi repudiatus aut hoſtiliter reiectus fuiſſet.

V. 18. PRÆPOSITUS DOMUS, ſupple regiæ, ut Ioſephus habet, & Abulenſis, & Torniellus, & Vatablus, & Arias, & Pradus *d*. Poteſt nihilominus etiam admitti fuiſſe præpoſitum *domus Domini*, nempe vel theſaurarium templi, ut habent LXX. & tenet Forerius: vel unum ex 24. principibus ſacerdotum, ut volunt S. Hieronymus, S. Thomas, Dionyſius, & alii *e*. Nam plures fuiſſe præpoſitos domus Domini, patet infra cap. XXII. verſ. 5. Et forte præerat hic militari cuſtodiæ templi, ſicut II. Machab. III. 4. Simon Beniaminita præpoſitus templi fuiſſe dicitur. SCRIBA eſt doctor in lege. Porro *Sobna* & *Eliacim*, qui hic legati deſignantur, qui & quales fuerint, vide Iſaiæ XXII. ubi alteri Sobnæ a præpoſitura ob nimiam animi ſuperbiam depoſito alius Eliacim ſucceſſiſſe ſcribitur. A COMMENTARIIS is eſt qui, res geſtas, & præclariora facinora publicis monumentis conſignat, & Regi commodo tempore in memoriam re-

vo-

vocat : patet Eſther VI. verſ. 1. Reliqua huius cap. vide expoſita Iſaiæ XXXVI.

(*a*) Chronicon Alexandr. ad Olympiadem IX. Euſeb. citatus ab Anaſtaſio Nicæno.
(*b*) Hic verſ. 14.
(*c*) II. Paralip. XXXII. verſ. 25.
(*d*) Joſeph. Lib. X. Antiqu. cap. 1. Torniellus anno mundi 3322. Pradus in Ezech. XVII. verſ. 23.
(*e*) In Iſaiæ XXII.

GORDONI.

Verſ. 1. ACHas tantum vixit annis triginta ſex: & quod hinc ſequitur, mirum eſt ab eo genitum Ezechiam anno ætatis undecimo, & natum anno duodecimo. Verum, ut in annis expanſis noto, ἐκτατον eſt, & divinæ providentiæ non ordinarius effectus.

V. 3. DAVID PATER EIUS. Hinc facile apparet nomina hæc, *Pater*, *Frater*, & ſimilia, extendi in Scripturis, ut qui avus eſt, dicatur pater, & ſimilia.

V. 4. NOHESTAN. Sermo eſt de ſerpente æneo, de quo vide Num. cap. XXI. Ezechias antiquum hoc monumentum confregit, quia res abierat in idololatriam, & cultum latriæ: & ut memoriam etiam deleret, ac æſtimationem, vocavit *Nohe-ſtan*, Heb. נחשתן *nechuſtan* : diminutivum eſt, ut gæculus; ac ſi dicas æs nullius pretii; ſeu nihil præterea; æs eſt, ac præterea nihil. Vide rad. נחש.

V. 5. & 8. NON FUIT SIMILIS. Vix, ac ne vix quidem inter homines reperitur qui in rebus omnibus ſit ſuperior aliis: ſint æquales, ſint alii aliis inferiores: eſt etiam aliquis ita in aliqua re ſuperior, ut in ea nemo ſit illi æqualis. Sic ergo hunc locum intelligo. Alii hyperbolem eſſe volunt. Similia ſunt de Ioſia cap. XIII. verſ. 25. Vide Abulenſem quæſt. XVII. De turre cuſtodum dixi cap. XVII. verſ. 9.

V. 9. & 10. ANNO QUARTO. Iam ſubacta erat Samaria; ſed dicturus de adventu Aſſyriorum in Iudæam, cladem illam memorabilem repetit, quæ contigit anno ſexto, vel ſeptimo Ezechiæ.

V. 11. & 14. Aſſyrius iam Iudæam invadit. Notatur annus. Ezechias in hac extrema anguſtia aurum ſacrum detraxit, & conflare illud iuſſit ac potuit. Si vero eſt auri ad argentum decupla proportio, fuit hic æqualis valor auri & argenti. LACHIS urbs non multum aberat a Ieroſolymis.

V. 17. Rapſaces non habebat exercitum; ſed gravem manum, ſeu gravia mandata ad Ezechiam, & populum de deditione. Sic barbarus Rex accepto auro immemor datæ fidei urget ad deditionem.

V. 22. NONNE ISTE EST? &c. Exprobrat ad invidiam excitandum. Aut non abſtulit quidquam legitime poſitum in hoc genere; aut forte abſtulit aliqua prohibita altaria, extra Ieruſalem. Vide Iſa. cap. XXXVI. verſ. 7. Denique multa hic & deinceps mentitur Rapſaces.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 14. Talentum argenti habet tria millia ſiclorum argenteorum (ſiclus hic habet quatuor regales) talentum auri habet tria millia ſiclorum aureorum. Siclus aureus continet quatuor aureos nummos Gallicos.

V. 17. LACHIS. Hanc obſidebant.

V. 34. EMATH inter Libanum & Damaſcum, ANA & AVA, idola Samariæ.

CAPUT XIX.

Ezechia, & Iſaia converſis ad Dominum, & pro liberatione precantibus, propter Rabſacis blaſphemias, percutit Angelus Domini centum octoginta quinque millia Aſſyriorum, & fugiens Sennacherib in templo idolorum ſuorum a filiis ſuis occiditur.

1. QUæ cum audiſſet Ezechias Rex, ſcidit veſtimenta ſua, & operatus eſt ſacco, ingreſſuſque eſt domum Domini. 2. Et miſit Eliacim præpoſitum domus, & Sobnam ſcribam, & ſenes de ſacerdotibus, opertos ſaccis, ad Iſaiam Prophetam filium Amos. 3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphemiæ, dies iſte: venerunt filii uſque ad partum, & vires non habet parturiens. 4. Si forte audiat Dominus Deus tuus univerſa verba Rabſacis, quem miſit Rex Aſſyriorum dominus ſuus, ut exprobraret Deum viventem, & argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus: & fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ ſunt. 5. Venerunt ergo ſervi Regis Ezechiæ ad Iſaiam. 6. Dixitque eis Iſaias: Hæc dicetis domino veſtro: Hæc dicit Dominus: Noli timere a facie fermonum, quos audiſti, quibus blaſphemaverunt pueri Regis Aſſyriorum me. 7. Ecce ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & revertetur in terram ſuam, & deficiam eum gladio in terra ſua. 8. Reverſus eſt ergo Rabſaces, & invenit Regem Aſſyriorum expugnantem Lobnam: audierat enim quod receſſiſſet de Lachis. 9. Cumque audiſſet de Tharaca Rege AEthiopiæ, dicentes: Ecce, egreſſus eſt ut pugnet adverſum te: & iret contra eum, miſit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicite Ezechiæ Regi Iuda: Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Ieruſalem in manus Regis Aſſyriorum. 11. Tu enim ipſe audiſti quæ fecerunt Reges Aſſyriorum univerſis terris, quo modo vaſtaverunt eas: num ergo ſolus poteris liberari? 12. Numquid liberaverunt dii Gentium ſingulos, quos vaſtaverunt patres mei, Gozan videlicet, & Haran, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thelaſſar? 13. Ubi eſt Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex civitatis Sepharvaim, Ana, & Ava? 14. Itaque cum accepiſſet Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, 15. & oravit in conſpectu eius, dicens: Domine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus Regum omnium terræ: tu feciſti cælum, & terram. 16. Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui miſit ut exprobraret nobis Deum viventem. 17. Vere Domine diſſipaverunt Reges Aſſyriorum gentes, & terras omnium. 18. Et miſerunt deos eorum in ignem: non enim erant dii, ſed opera manuum hominum ex ligno, & lapide, & perdiderunt eos. 19. Nunc igitur, Domine Deus noſter, ſalvos nos fac de manu eius, ut ſciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus ſolus. 20. Miſit autem Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quæ deprecatus es me ſuper Sennacherib Rege Aſſyriorum, audivi. 21. Iſte eſt ſer-

sermo, quem locutus est Dominus de eo: Sprevit te, & subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem. 22. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel. 23. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, & succidi sublimes cedros eius, & electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos eius, & saltum carmeli eius 24. ego succidi. Et bibi aquas alienas, & siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. 25. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, & nunc adduxi: * eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ. 26. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt & confusi sunt, facti sunt velut fenum agri, & virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem. 27. Habitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præscivi, & furorem tuum contra me. 28. Insanisti in me, & superbia tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti. 29. Tibi autem Ezechia hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum. 30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum. 31. De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, & quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33. Per viam qua venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. 34. Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum. 35. (*a*) Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abiit, 36. & reversus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive. 37. (*b*) Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech & Sarasar filii eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnavit Asarhaddon filius eius pro eo.

(*a*) Tob. 1. 21. Eccli. xlviii. 28. Isa. xxxvii. 36. I. Mach. vii. 41. II. Mach. viii. 19. (*b*) Tob. 1. 24.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 25. *Eruntque in ruinam collium pugnantium*. Alii pro simplici *pugnantium*, scribunt compositum *compugnantium*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 3. INCREPATIONIS, ſcilicet qua arguimur ab Aſſyriis. BLASPHEMIAE, ſcilicet qua Deum blaſphemant. VENERUNT FILII, &c. quaſi dicant: Sumus in magnis anguſtiis & periculo.

V. 4. SI FORTE, coniungendum cum *fac orationem*. Chald. *utinam*. EXPROBRARET, id eſt probris afficeret. REPERTAE SUNT, pro reperiuntur, ſeu ſuperſunt, ſcilicet Iuda, & Beniamin.

V. 7. SPIRITUM, id eſt voluntatem, ſcilicet revertendi in patriam.

V. 8. RECESSISSET, ſcilicet eo.

V. 9. EUM, ſcilicet Regem AEthiopiæ.

V. 12. VIRGO FILIA SION. Chald. *Regnum congregationis Sion*: ſcilicet ſolet regnum ſervari, ut virgo. Nota, ſenſum eſſe: O Rex Aſſur, paulo poſt te contemnet, & videbit civitas hæc, ſcilicet cum hinc abibis amiſſo exercitu.

V. 22. SANCTUM, ſcilicet Deum.

V. 23. ASCENDI, pro aſcendam. IN SUMMITATE. Hebr. *latera*. LIBANI, id eſt Ieruſalem. SUCCIDI, pro ſuccidam. ABIETES. LXX. *Cypreſſos*. INGRESSUS SUM, pro ingrediar. CARMELI, id eſt agri fertilis.

V. 24. CLAUSAS, ſcilicet in urbibus.

V. 25. PLASMAVI ILLUD, &c. quaſi dicat: Decrevi per te multos perdere, quod iam feci. ERUNTQUE, id eſt ut eſſent. COLLIUM PUGNANTIUM; quaſi dicat, Sitæ in collibus, qui ſe bello tuentur. Hebr. *acervorum deſolatorum*, ſeu *deſtructorum*.

V. 26. SEDENT, id eſt habitant. HUMILES MANU. Hebr. *abbreviati manu*; quaſi dicat, Debiles viribus. LXX. *infirmi manu*. CONFUSI, id eſt pudore affecti.

V. 28. PONAM, &c. quaſi dicat: Velut impoſito circulo, & camo, reducam, &c.

V. 29. COMEDE, &c. quaſi dicat: His duobus annis, etſi nihil ſeminetur, erit tamen quod edatis. QUAE REPERERIS, ſcilicet natum e granis lapſis tempore meſſis. LXX. *congregata*; alii, *repoſita*. NASCUNTUR, ſcilicet non iacto ſemine.

V. 30. MITTET RADICEM, &c. quaſi dicat, Creſcet, ſeu multiplicabitur.

V. 31. ZELUS, id eſt nimius amor, ſcilicet in vos.

V. 34. PROPTER DAVID, non propter te, qui Regi Aſſyriorum obtuleris Domino conſecrata. Hieronymus II. cont. Pelag.

ESTII.

Vers. 21. SPREVIT TE, ET SUBSANNAVIT TE..... VIRGO FILIA SION: POST TERGUM TUUM CAPUT MOVIT, FILIA IERUSALEM. Iſta ſententia admittit amphibologicum ſenſum, quia dubium eſt ad quem, & de quo dicatur. Nam illud, *Virgo filia Sion*, & illud, *Filia Ieruſalem*, vel accipi poteſt in caſu nominandi, vel in caſu vocativo. Ab Interpretibus fere accipitur in hunc ſenſum: O virgo filia Sion, Rex Aſſyriorum ſprevit te, & ſubſannavit te: o filia Ieruſalem, ipſe caput ſuum movit poſt tergum tuum: ut ſermo ſit de Rege Aſſyriorum, & dirigatur ad populum in Ieruſalem. D. Hieronymus ſcribens in Iſaiam, ubi hæc eadem repetuntur, intelligit dictum de filia Sion ad Regem Aſſyriorum, ut ſenſus ſit: O Rex Aſſyriorum, virgo filia Sion ſpernet te, & ſubſannabit te. Item filia Ieruſalem movebit caput ſuum poſt tergum tuum, quando videlicet, occiſo exercitu, cum paucis turpiter te coniicies in fugam. Ut prophetice præteritum pro futuro poſitum ſit: nempe quia ita certa ſunt Prophetis illa quæ prædicunt, tamquam ſi iam facta fuiſſent. Atque hic ſenſus eſt verior. Nam licet in latina verſione ſenſus ſit ambiguus, in Hebræo nulla eſt ambiguitas, ubi manifeſta eſt diſtinctio generis maſculini, & feminini, tam in verbis quam in nominibus. Et eumdem ſenſum exprimunt Septuaginta.

V. 34. PROTEGAMQUE URBEM HANC, ET SALVABO EAM PROPTER ME, ET PROPTER DAVID SERVUM MEUM. Eadem verba repetuntur ſequenti cap. Quidam ſuſpectæ religionis illud, *Propter David ſervum meum*, ſic interpretan-

tantur: Protegam urbem hanc propter fœdus quod inivi cum Davide, ut appaream verax: quaſi non reſpiceret Deus ad merita Davidis, ſed tantum ad promiſſionem ei factam. Sed audiant illi Hieronymum eamdem ſententiam multo plenius, & catholico ſenſu interpretantem. *Illud*, inquit, *ſignificat, quod non merito ſuo, ſed Dei clementia conſerventur, immo patris eorum Davidis memoria: in quo admonentur & ſuæ negligentiæ, & illius fidei atque iuſtitiæ, quod in tantum iuſtitiam diligat Deus, ut etiam poſteros ſanctorum hominum non ſuo merito, ſed eorum virtute tueatur.* Hæc Hieron. Ecce non de promiſſione Davidi facta, ſed de merito eius, fide, iuſtitia, aliiſque virtutibus, quibus Deo placuit, interpretatur. Vide etiam III. Reg. xv. & Pſal. CXXXI.

MARIANAE.

Verſ. 1. OPERTUS EST SACCO Ezechias. Lugubres veſtes ad commovendam miſericordiam pertinent apud Deum, & homines. Miſit Rex ſuos ad Iſaiam

V. 2. FILIUM AMOS. Hic non eſt Amos e Prophetis duodecim, quod Hebr. Scriptura ſatis declarat: hic אמוץ *Amoz*, ille עמוס *Hamos* ſcribitur. Dixerunt ei:

V. 3. VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM. *Maſber* vox Hebr. ſignificat *ſellam parientis*, aut *os vulvæ*: cum eo filius acceſſit, dolores ſunt graviſſimi; quod ſi virtus deſit, nulla evadendi ſpes. Sic anguſtiæ erant quas patiebantur Iudæi.

V. 4. SI FORTE, iungitur cum ſequentibus verbis *audiat Dominus*. Fac orationem, o Ioſia, PRO RELIQUIIS, QUAE REPERTAE SUNT, ſcilicet tribu Iuda. Reſpondet Iſaias: Ne timeas, nec cures quæ dixerunt

V. 6. PUERI REGIS ASSYRIORUM, id eſt miniſtri Regis. Puerorum eſt miniſtrare.

V. 7. IMMITAM EI SPIRITUM, id eſt voluntatem revertendi in terram ſuam, in Aſſyriam.

V. 9. CUMQUE AUDISSET, ſcilicet Aſſyrius, DE THARACA REGE AETIOPIAE. Ab Herodoto vocatur *Tharaco*, Lib. II. ubi Sennacheribi expeditionem narrat, & ad Peluſium ait acceptam cladem, corroſo a muribus omni bellico inſtrumento. Sic neceſſario rediiſſe in patriam. ET IRET CONTRA EUM. *Et reverſus eſt*, ſeu *rediit*: ſcilicet Sennacherib ivit obviam ei, relicto ſcilicet Rabſace cum copiis, ut Ieroſolymam premeret. Aſſyrius ad Ezechiam: Ubi ſunt dii gentium? num liberarunt

V. 12. FILIOS EDEN? Paradiſus erat in Eden, fortaſſis in provincia quam hic deſignat.

V. 14. EXPANDIT EAS epiſtolas, quas ſcripſit Sennacherib iturus contra Tharacam. Hebr. *eam*; id eſt, unamquamque earum epiſtolarum, aut ex illis eam potiſſimum in qua convitia erant, expandit in templo.

V. 16. AUDI OMNIA VERBA SENNACHERIB, o Deus, QUI MISIT. Hebr. *qui miſit eum*; pro, aliquem miſit Sennacherib. UT EXPROBRARET NOBIS DEUM VIVENTEM. Hebr. non eſt vox *nobis*, neque Sept. habent.

V. 17. DISSIPAVERUNT.... GENTES Aſſyrii Reges. ET TERRAS OMNIUM. Hebr. *terras eorum*: ſic Sep. & Chald. *earum*. Sic etiam Noſter Iſai. XXXVII. 18. *Deſertas fecerant Reges Aſſyriorum terras & regiones earum*. Quid Deus?

V. 21. SPREVIT TE. Præteritum pro futuro, ſpernet te, ſcilicet cum inglorius redibis. VIRGO FILIA SION. Ieruſalem virgo vocatur, quaſi nondum a Gentibus ſubacta. POST TERGUM TUUM, poſt te ſcilicet cum terga vertes tu Sennacherib, Ieruſalem movebit caput, ridendo te ſcilicet. Verba Hebr. ſunt feminina, *ſprevit*, *ſubſannavit*: ideo de Ieruſalem intelligitur, id facturam.

V. 22. CONTRA SANCTUM ISRAEL. Hebr. *ſuper ſanctum Iſrael*, ſed *ſuper* ſumi poſſet pro *contra*, niſi Iſaiæ XXXVII. 23. ubi hæc verba repetuntur, legeretur Hebr. *ad ſanctum Iſrael*. Hieronymus ibi etiam poſuit *contra ſanctum Iſrael*, ſcilicet exprobraſti, o Sennacherib.

V. 23. PER MANUM SERVORUM TUORUM. Hebr. *Per manum nuntiorum tuorum*, id eſt per nuntios tuos, *exprobraſti Domino*. Voces *manus*, & *facies* ſæpe redundant. INGRESSUS SUM USQUE AD TERMINOS EIUS. Hebr. *Ingrediar diverſorium finis eius*, id dixiſti; id eſt, extremum habitaculum, Ieruſalem ſcilicet & templum, ubi Deus habitat, ingrediar.

SALTUM CARMELI. Per *Carmelum* quidam agrum fertilem intelligunt, quod aliis locis fæpe fit: aut ſic templum vocat, ob pulchritudinem.

V. 24. EGO SUCCIDI. Hoc iungi debet cum proximis verbis, *& bibi aquas*, ut fit Iſaiæ XXXVII. 25. etiam in Vulgata. Hebr. *Ego fodi*. ET BIBI AQUAS ALIENAS, quæ ſcilicet ignotæ erant ob profunditatem. ET SICCAVI VESTIGIIS PEDUM MEORUM. Hebraice *planta greſſuum meorum*. AQUAS CLAUSAS. Hebr. *rivos munitionis*. Utrumque pertinet ad oſtendendum numerum militum, quorum multitudine & fodiet aquas ubi ſunt, & ubi fuerint, etiam ſi præſidio impoſito defenſas, ut fit, eas exſiccabit, divertendo alio curſum. Chald. *fluvios profundos* dixit, pro *rivos munitionis*.

V. 25. NUMQUID NON AUDISTI QUID AB INITIO. Verba ſunt Dei; quaſi dicat: Si hæc quæ iactas, feciſti, ex meo decreto facta ſunt. Hebr. pro *ab initio, a longe*. FECERIM. Hebr. *Ipſam feci*, id eſt decrevi ipſam ſententiam. EX DIEBUS ANTIQUIS PLASMAVI ILLUD. Hebr. *Formavi illam*, id eſt decrevi. ERUNTQUE IN RUINAM. Hebr. *Et erit ad perdendum*, ſeu *deſolandum*. COLLIUM PUGNANTIUM. Hebr. (in) *cumulos deſtructos civitates munitæ*. Verba ſunt Dei; quaſi dicat: Non eſt quod glorieris, ſi tu & maiores alias gentes viciſtis, ſi civitates evertiſtis, redegiſtisque in cumulos: hoc ex meo decreto antiquo factum eſt.

V. 26. ET QUI SEDENT IN EIS, HUMILES MANU. Sept. *infirmi manu*. Hebr. *& habitatores earum abbreviati manu*; quaſi dicat, Nec mirum. Nam in civibus nulla virtus erat. ANTEQUAM VENIRET AD MATURITATEM. Hebr. *ad culmum*. In primo exortu herba eſt areſacta.

V. 27. HABITACULUM TUUM. Hebr. *Seſſionem tuam egreſſum tuum & adventum tuum novi*: ſcilicet quid cogitaſti in patria, quomodo & quo veneris, nihil niſi me ſciente & providente factum eſt.

V. 28. INSANISTI IN ME. Hebr. *Quia inſaniſti in me*. ET SUPERBIA TUA. Hebr. *& tumultus tuus*. PONAM ITAQUE CIRCULUM IN NARIBUS. Hebr. *hamum*. ET CAMUM. Hebr. *& frenum*; quaſi dicat: Sic compeſcam furorem tuum, & retro convertam te, ſicut freno iumenta.

V. 29. TIBI AUTEM EZECHIA; Vox *Ezechia* additur ab Interprete. QUAE REPERERIS comede. Chald. *ſponte naſcentia*. Id ſignificat vox Hebr. *ſapiah*, quod ſine cultu terræ provenit. QUAE SPONTE NASCUNTUR. Vox Hebr. *ſabis*, quod ex radicibus pullulat. Chald. *decidua*. Significat autem duobus annis fore annonæ anguſtiam, tertio laxitatem, propter libertatem colendi agros. Non occupabit hanc urbem

V. 32. CLYPEUS, pro militibus clypeo tectis. NEC CIRCUMDABIT EAM MUNITIO. Hebr. *Nec effundet ſuper eam aggerem*, ſcilicet Rex Aſſur.

V. 35. CUMQUE DILUCULO SURREXISSET, ſcilicet populus. Hebr. *ſurrexiſſent*, Iudæi ſcilicet, viderunt cadavera. VIDIT OMNIA. Hebr. *Ecce omnia cadavera mortua*. Sic Iſai. XXXVII. 36. etiam in Vulgata: *Ecce omnes, cadavera mortuorum*. Sic hoc loco Sept. & Chald. Itaque verbum ſurgendi non referunt ad Sennacherib, ſed ad Iudæos. Sennacherib

V. 36. MANSIT IN NINIVE. Clades quam accepit Ieroſolymis, occaſio extitit carnificinæ quæ exercebatur in filios Iſrael in Aſſyria, & Ninive, ut in Libro Tobiæ.

MALVENDAE.

Verſ. 1. SCIDIT VESTIMENTA SUA, &c. Mæroris & luctus ſymbolum. Nedum ob imminens urbi & genti diſcrimen, ſed præcipue ob auditam Rabſakis blaſphemiam; ut Matth. XXVI. 65.

V. 3. DIES TRIBULATIONIS; Hebr. *dies anguſtiæ*, id eſt calamitoſus, in quo ad ſummas anguſtias redacti ſumus. ET INCREPATIONIS. תוכחה *tochechach*, proprie *arguitionis, correptionis, caſtigationis, obiurgationis*. Quidam exponunt: Id eſt in qua Deus arguit, corripit, obiurgat, caſtigat nos. Alii: Id eſt in qua increpamur ab hoſtibus de facto noſtro. Rectius, In qua arguit Rabſakeh Deum, infra verſ. 4. ET BLASPHEMIAE. נאצה *neatzah*, reddunt, *Laceſſitionis, infeſtationis, execrationis, contume-*

meliæ, *blasphemiæ*, *probri convitii*. Nonnulli exponunt: Id est, dies hic eiusmodi est quem merito quisque maledictis insectetur, atque execretur, quod sit tribulatione & castigatione plenus. Alii: Id est in qua nomen Dei contumelioſe præscinditur. QUIA VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM. Hebr. *usque ad fracturam*, scilicet matricis. Notant esse periphrasim Hebraicam forma proverbiali, qua summos dolores, & ingentia pericula, resque fere desperatas significant: accedente enim ad exitum fetu, & ad arctiorem locum matricis perveniente, nempe ad os ipsum, seu orificium vulvæ, seu pudendi, quod cedit vi, ac plane disrumpitur, unde & fracturæ nomine Hebræis significatur: maxime tunc necessarii sunt nixus ac vires parturienti; quibus deficientibus, iam iam mors expectanda est. Allegoria ergo est summi doloris, & extremæ, lethalisque calamitatis. Nonnulli notant, describi hic partum plurium simul fetuum, se invicem ad exitum prorudentium, qui solet esse difficillimus, ac ingentium dolorum, simulque periculosissimus. Quidam convertunt: *Cum venerint filii usque ad os matricis*: observantque, in hac allegoria Ezechiam se parturienti, & populum suum fetui, præsentis vero periculi magnitudinem gravissimæ pariendi difficultati comparasse, quasi dicat: Tantæ sunt angustiæ, ut neque fetus se ipsum iuvare, neque ego ipsum ex angustia liberare possim. Hispanicus Interpres: *Porque los hiios an venido haſta la rotura*; id est, *haſta el rompimiento dela tela del agua dela matriz*; quasi dicat: *Ya muy cerca del nacimiento*. משבר *masciber* aiunt esse *matricem*, *vulvam*, seu *os matricis*, quasi dicas *fracturam*; sic dictam a frangentibus doloribus, qui cum mulieri parienti, tum ipsi fetui in articulo partus obveniunt: in quo & parturientis corpus frangitur, & os sacrum laxatur, & fetus egredi nitens colliditur. Quidam Hebræorum *sellam parturientis* exponunt. Aliqui *rupturam uteri*, id est partem illam qua fetus erumpunt ex utero. Nonnulli vertunt: *Ut cum fetus ad procinctum partus venit*. Alii: *Nam venerunt fetus usque ad angustias uteri parturientis*.

V. 4. SI FORTE AUDIAT DOMINUS, &c. Non dubitantis, sed bene ominantis, & sperantis, & committentis aliquid meliori eventui. אולי *ulai* particulam esse, recte plerique notant. Vide in Numeror. XXII. 33. & Iosue XIV. 12. Vel dubitat non de Dei misericordia, sed de suis ac populi peccatis. Aliqui exponunt: *Forte audiet Iehova*; id est, signo aliquo declarabit se audivisse. Quidam istud coniungunt cum eo paulo inferius, *Fac orationem*, &c. *si forte audiet Iehovah*, &c. DEUS TUUS. Emphasim habet *tuus*; id est, qui sanctus es, & Deo carus: non audet dicere, *Deus noster*; quod ob sua & populi peccata indigni essent qui Deum propitium haberent. ET ARGUERET VERBIS, QUAE AUDIVIT DOMINUS. Hebr. in futuro: *Et arguet in verbis*, *quæ audivit Iehovah*. Quidam ad Rabsakem referunt: Et ipse Rabsakeh *obiurgavit* Deum, vel nos *verbis*, *quæ audivit Iehovah*. Aliqui reddunt: *Ut criminaretur verbis*, &c. Alii ad Deum: *Et arguet* Iehova *verba ista Rabsakis*, *quæ audierit Iehova Deus tuus*. ET FAC ORATIONEM. Hebr. *Et levabis orationem*. Quidam: *Cum extuleris precationem tuam*, id est propones, incipies, ordieris, excitabis, elevabis precationem tuam. Singulari phrasi dicunt Hebræi, *Levare orationem*, ut *Levare parabolam*, Num. XXIII. 7. *Levare rumorem*, Exodi XXIII. 1. *Levare convicium*, Psalm. XIV. 3. *Levare lamentationem*, Ezechiel. XIX. 1. *Levare prophetiam*, supra cap. IX. vers. 25. Aliqui hic reddunt: *Tu ergo intendes orationem*. S. Hieronymus exponit: *Leva ergo orationem nostram iacentem*. PRO RELIQUIIS, QUAE REPERTAE SUNT. Aliqui reddunt: *Pro hoc residuo quod præsens est*. Reliquæ enim decem tribus iam in captivitatem abierant, supra cap. XVII. vers. 6. & cap. XVIII. vers. 10. & 11. & regni Iudaici pars iam ab Assyrio obtinebatur, supra cap. XVIII. vers. 13.

V. 7. ECCE EGO IMMITTAM EI SPIRITUM. Hebr. *Ecce ego dans in eo spiritum*. Quidam: *Ecce ego indam ei spiritum*. Varie vocem spiritus accipiunt. 1. Animum, mentem, voluntatem, impulsum, efficacitatem redeundi in terram suam; id est, afficiam animum eius hac voluntate, ut revertatur in patriam suam.

II. Spiritum malignum, seu adversarium, vel spiritus timoris, & fugæ. III. Spiritum, id est Angelum lehovæh, qui eius exercitum internecione deleat, infra vers. 35. IV. Spiritum, id est pestem, qua absumptus est eius exercitus, teste Iosepho. V. Aerem, ventum, qui rumorem & famam celeriter deferat adventus Thirhachæ Regis AEthiopum, infra vers. 9. quasi dicat: Veniet per aera nuntius vel rumor, id est citissime, & non expectatus, & quasi incerto auctore, veluti si vento advehereturr. Hispanica phrasis, *Por los ayres*. Unde quidam reddunt: *Ecce ego mittam in eum ventum, cuius sonitum protinus ut audierit, revertetur interram suam.* ET AUDIET NUNTIUM. Hebr. *Et audiet auditionem, famam, rumorem, sonitum*. Quidam exponunt de adventu Thirhachæ, infra vers. 9. ET REVERTETUR IN TERRAM SUAM. Aliqui exponunt, ut hostem invadentem depellat: sic experiemini, periculum ron ita præsens esse ut putatis. Alii volunt id compendio dictum, ut intercesserit Sennacherib bellum AEgyptiacum, & AEthiopicum, de quo dicemus infra vers. 9. ET DEIICIAM EUM GLADIO IN TERRA SUA, nimirum his gestis, quæ prædicuntur vers. 8. & seqq. & completa narrantur vers. 37.

V. 8. LOBNAM. Heb. *Libnah*, de qua vide supra cap. VIII. vers. 22. LACHIS. Vide supra cap. XVIII. vers. 14. & cap. XIV. vers. 19.

V. 9. CUMQUE AUDIVISSET DE THARACA REGE AETHIOPIAE, &c. Hebraice vocatur *Thirhakah*. Notant, hunc a Strabone Lib. I. pag. 61. & Lib. XV. pag. 686. & 687. appellari *Tearconem*, cuius longinquas peregrinationes ibi describit Strabo. Nonnulli volunt hunc AEthiopiæ, & Arabiæ late imperitasse. Vide de *Chus* Genes. X. vers. 6. De bellis Sennacheribi cum Thirhaka AEthiope, & Sethone AEgyptio, S. Hieronymus hæc scribit: *Pugnasse autem Sennacherib Regem Assyriorum contra AEgyptios, & obsedisse Pelusium, iamque extructis aggeribus urbi capiendæ, venisse Tharacham Regem AEthiopum in auxilium, & una nocte iuxta Ierusalem centum octoginta quinque millia exercitus Assirii pestilentia corruisse narrat Herodotus, & plenissime Berosus Chaldaicæ scriptor historiæ, quorum fides de propriis libris petenda est.* Iosephus: *Profectus Sennacheribus ipse cum copiis contra AEgyptios, & AEthiopes, Rapiacem ducem cum duobus aliis ad continuandum Ierosolymitanum bellum reliquit*. Et post alia: *Sennacheribus multum temporis contrivit in apparanda oppugnatione Pelusii, iamque aggerem pene mœnibus æquaverat, & videbatur assultum propediem facturus, cum audivit adventare Tharsicem Regem AEthiopum, AEgyptiis laturum suppetias, & per desertum copias ducere, ut improvisos adoriatur Assyrios. Territus igitur hoc rumore Sennacheribus propere inde cum suis abiit. Herodotus autem hunc contra Vulcani sacerdotem bellum gessisse dicit, nimirum quod idem & Rex esset & sacerdos. Oppugnans, inquit, Pelusium, hac de causa obsidionem solvit. Rex AEgyptius imploravit opem sui numinis: quod exoratum magnum Arabi incommodum attulit. Nam & in hoc errat, quod pro Assyrio scribit Arabem. Una, inquit, nocte murium vis tanta extitit, ut hostium arcus, & reliqua arma corroderent, quo factum est ut exarmatus Rex a Pelusio suum exercitum abduceret. Berosus autem Chaldaicarum rerum scriptor Sennacheribi Regis meminit, & quod apud Assyrios regnaverit, totamque Asiam, atque AEgyptum bello infestaverit, his verbis narrat: Sennacheribus autem ab AEgyptiaco bello revertens, offendit ibi exercitum, quem sub Rabsacis imperio reliquerat, peste divinitus immissa deletum, prima nocte, postquam urbem oppugnare cœperat, absumptis cum ducibus, & tribunis centum octoginta quinque millibus militum: qua clade territus, & de reliquis copiis solicitus, maximis itineribus in regnum suum contendit, ad regiam, quæ Ninus dicitur, &c.* Hactenus Iosephus. Narratio vero Herodoti Lib. II. num. 141. hæc est: *Post hunc Anysin regnasse in AEgypto sacerdotem Vulcani, nomine Sethon: eumque bellatoribus AEgyptiis abusum fuisse, contemptui habentem tanquam sibi non opportunos, & cum aliis ignominiis affecisse, tum vero agris exuisse, quibus fuerant a superioribus Regibus singuli donati duodenis. Ex quo factum est, ut suum posiea Sannacharibus Arabum, Assyriorumque Rex, cum magnis copiis invasisset AEgyptum, noluerint ei opitulari. Tunc sa-*

ſacerdotem conſilii inopem, in cœnaculum ſe contuliſſe, ibique apud ſimulacrum complorraſſe, quanta pati periclitaretur : eique inter lamentationem obrepſiſſe ſomnum, & inter quietem viſum aſtare deum exhortantem nihil eum moleſte paſſurum, ſi copiis Arabum obviam iret, ſe enim auxiliarios ei miſſurum. His inſomniis fretum ſacerdotem, ſumptis AEgyptiorum his qui ſequi vellent, caſtra in Peluſio poſuiſſe (hac enim AEgyptus invaditur) nec eum fuiſſe quempiam bellatorum ſecutum, ſed inſtitores & operarios, & forenſes homines. Eo cum perveniſſent noctu, effuſam ipſis hoſtibus vim agreſtium murium, qui illorum cum pharetras, tum arcus, tum ſcutorum habenas abederunt ; ita ut poſtera die hoſtes armis exuti fugam fecerint, multis amiſſis. Eoque nunc iſte Rex in templo Vulcani lapideus ſtat, manu murem tenens, atque hæc per litteras dicens : In me quis intuens pius eſto. Hæc Herodotus. Suſpicantur aliqui, Sethonis huius liberatione mirifica alluſiſſe Herodotum ad hiſtoriam hanc Ezechiæ quæ hoc capite deſcribitur, ſed ut in profunda antiquitate, non exacta veritate prodiiſſe. ET IRET CONTRA EUM. Hebr. *Et reverſus fuit*. Exponunt : Id eſt, ſoluta obſidione Ieruſalaimorum, vertit exercitum in Regem Chus, ſive AEthiopiæ; quo devicto, rurſus obſedit Ieruſalem. Alii, ex narratione Beroſi, Herodoti, & Ioſephi, explicant: *Et reverſus eſt*, ab AEgyptiaca, & AEthiopica expeditione victus, fugatuſque ad exercitum, quem ſub Rabſakeh reliquerat obſidentem Ieruſalem. Nonnulli omni difficultate ſe liberant, notiſſimo Hebraiſmo: *Et reverſus eſt, & miſit legator* ; id eſt, rurſus, ſeu iterum miſit legatos ad Chiskiiahu, &c.

V. 12. GOZAN: de qua vide ſupra cap. XVII. verſ. 6. HARAN. Hebr. *Charan*, id eſt Charras Meſopotamiæ. Vide Geneſ. XI. 31. RESEPH. Hebr. *Retzeph*. Putant eſſe *Reſciphan* Meſopotamiæ apud Ptolemæum Lib. V. cap. XVIII. Alii *Reſapham* Palmyrenes apud eumdem Ptolemæum Lib. V. cap. XV. Euſebius, & S. Hieronymus de locis Hebraicis : *Rezeph civitas Syriæ*. ET FILIOS EDEM. Quidam reddunt *Hedenitas*. Facile intelligimus regionem Meſopotamiæ, ſeu Syriæ, Charris conterminam, cum qua hic, & Iſaiæ XXXVII. 12. & Ezechiel. XXVII. 23. coniungitur, fuiſſe. QUI ERANT IN THELASSAR. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis : *Thelaſſar regio Syriæ*. Laute hic hariolantur. Quidam aiunt orientalem regionem olim fuiſſe ultra Syriam, & ultra Arabiam, ad Perſiam, ut videtur, vergentem, deliciosam, atque amœnam, quod vel nomine ipſo indicatur, quod libet exponere *tumulum*, cumulum, acervum beatum, felicem. Tremellius, & Iunius, *Nomen* תלאשר *telaſſar eſt*, inquiunt, *caſtrorum ſive munitionis in medio Euphratis ſitæ, quam Ammianus Marcellinus Lib. XXIV. cap.* IV. *Hiſtoriarum, appellat Thilutham, quo Hedenitæ præfidiarii a Rege Babylonis videntur fuiſſe miſſi, ut adverſus vim Aſſyriorum defenderent locum. Sic autem dicitur, quaſi obiectum Aſſyrio propugnaculum. Ieroſolymitanus Paraphraſtes, pro Reſeno, de quo Geneſ.* X. 12. *alii pro Seleucia accipiunt : iam neutrum probamus*. Sic illi. Verba Ammiani ſunt: *Ad caſtra perventimus nomine Thilutha in medio fluminis* Euphratis *ſita, locum immenſo quodam vertice tumeſcentem, & poteſtate naturæ velut manu circumſeptum humana. Thelaſar* exponunt, id eſt *tumulum, aggerem* videlicet propugnaculum obiectum Aſſur, ſive Aſſyrio: nec nomen *Thilutha* Syriacum ab aggeris ſeu tumuli ſignificatione abluditur.

V. 13. EMATH. Hebr. *Chamath*. Vide ſupra cap. XVIII. verſ. 34. ARPHAD. Vide ibidem. SEPHARVAIN. Vide ſupra cap. XVIII. verſ. 34. & cap. XVII. verſ. 22. ANA, ET AVA? Hebr. *Henagh*, & *Ghiva* : de quibus vide ſupra cap. XVIII. verſ. 34.

V. 14. ET EXPANDIT EAS. Hebr. ſingulariter: *Et expandit*, ſeu *explicavit*, *eum* ; id eſt, unumquemque libellorum, ſeorſim, diſtincte explicavit coram Iehovah. Geſtus hic magnam vim habet; ac ſi diceret: Tua IHUH Iehovah hæc cauſa eſt, tuum nomen proſcinditur, hæc in te immaniſſima blaſphemia eſt : tu eam vindica.

V. 15. QUI SEDES SUPER CHERUBIM. Vide I. Samuel. IV. 4. Quidam hic exponunt : *Qui inhabitat Cherubim*, vel *Cherubim inhabitator* : ut ſedes beatas intelligant, ubi angelicorum ſpirituum eſt frequentia. Aliqui, quod Cherubinis ſpiritibus angelicis velociſſimis ac celerrimis uta-

utatur Deus ad præſentiſſima imperia; & iis, quaſi curruſ pennatorum & perniciſſimorum animantium invehens, celerrimam, & efficaciſſimam ſuam providentiam ubique adminiſtrer. Vide II. Samuel. XXII. 11. TUES DEUS SOLUS REGUM OMNIUM TERRAE. Hebr. *Tuipſe Deus ſolus omnibus regnis terræ*. Reſellit dictum Aſſyrii, ſupra verſ. 12. & cap. XVIII. verſ. 35.

V. 21. HIC EST SERMO QUEM LOCUTUS EST DOMINUS DE EO. Aliqui dilucidius reddunt: *Hoc eſt verbum quo edicit Iehova reſponderi ei*, nempe Aſſyrio. SPREVIT TE, ET SUBSANNAVIT TE ... FILIA SION: POST TERGUM TUUM CAPUT MOVIT FILIA IERUSALEM. Hebr. tria hæc verba ſunt feminea, & tria pronomina maſculea: unde ſuppoſitum verborum eſt *filia Sion*, & *filia Ieruſalem*, quæ hic non in vocativo, ſed nominativo accipienda eſt; pronomina vero referunt Aſſyrium: quocirca quidam ut Latinam ambiguitatem tollant, ita reddunt: *Contempſit ac ſubſannavit te, o Rex, virgo filia Sion: poſt te caput movit filia Ieruſalem*. Quidam ſine ratione paſſive reddunt: *Deſpecta tibi fuit, o Rex*, Aſſur, & *ſubſannata virgo filia Tzion*. SPREVIT TE. Heb. *Sprevit tibi*: quæ conſtructio maiorem vim habet. בזה *bazah* aiunt proprie eſſe, *Animo concalcandam abiecit, conculcavit, proculcavit animo, deſpexit ex alto*, & *alto ſupercilio contempſit, cum faſtu*, & *faſtidio reiecit, dedignatus fuit, indignatus fuit*. Unde hic reddes: *Indignata fuit tibi*; id eſt, nulla re te dignum exiſtimavit, nullo te metu dignum reputat, nihil te curat; ſed ex alto te deſpicit, ac animo proculcat, quantumvis infirma & imbecilla eſt. CAPUT MOVIT. Exponunt: Id eſt, amarulenter irriſit: ſynecdoche: eſt enim geſtus ſubſannantium, & illudentium; ut Pſalm. XXI. 8. Pſalm. XLIII. 15. & Matth. XVII. 39. Threnor. II. 15.

V. 23. ET INGRESSUS SUM USQUE AD TERMINOS EIUS. Hebr. *Et veni ad pernoctatorium finis eius*. Quidam: *Et ingreditar habitaculum finis eius*. Alii: *Et veni in cubiculum finis eius*; quaſi dicat: Intima & extrema cubicula eius penetravi. Nonnulli: *Et introibo in habitaculum ſummitatis eius*, id eſt extremum habitaculum, hoc eſt templum ipſum in quo habitat Dominus eius. Aliqui: *Et ingredior extremum diverſorium eius*; id eſt, nihil non pervadam. Pro מלון *malon*, *diverſorio*, quod hic ponitur, Iſaiæ XXXVII. 24. ſcribitur מרום *marom*, *excelſitas*, *ſublimitas*, *altitudo*. *Et veni ad altitudinem extremitatis eius*, id eſt extremam celſitudinem, vel celſiſſimam extremitatem eius; quaſi dicat: Nihil altum, ac ſublime, nihil arduum ac difficile in Iudæa, quo ego non pertingam. SALTUM CARMELI EIUS. Quidam Hebr. reddunt, *Saltum*, *agrum cultum eius*, id eſt terræ eius optima quæque. Alii, *Ad ſaltum agrorum*, ſeu *camporum eius cultorum*, id eſt camporum conſitorum arboribus frugiferis. Aliqui, *Silvam plantiei eius*. Nonnulli, *Silvas*, & *arva eius*. כרמל *carmel* aliquando appellative ponitur pro *valle*, ſeu *agro frugibus, arboribus, ſeu vineis conſito*. Vide Levit. II. 14. plerumque pro monte ipſo Carmelo feraci ac fertili: de quo vide Ioſue XII. 22. Hic pro monte Carmelo rectius acceperim, quod præceſſerit Libanus.

V. 25. AQUAS ALIENAS: exponunt, ab humanis uſibus, nempe ſubterraneas: metaphorice theſauros reconditos ſubtus terram, viarmorum erutos. Alii, *Aquas exteras*, id eſt novas, antea incognitas, quas ingenti vi molitum effodiebam. ET SICCAVI VESTIGIIS PEDUM MEORUM. Thraſonica hyperbole. OMNES AQUAS CLAUSAS. Varie vocem מצור *matzor* elucidant. I. *Omnes rivos fortitudinis*: metaphora, id eſt omnes auxiliares copias. II. *Omnes rivos munitionis*, ſive munitos. III. *Omnes rivos obſidionis*, id eſt locorum obſeſſorum. IV. *Omnes rivos qui pro munitione ſunt*, nimirum foſſas aquarum, quæ circum aggeres urbium munimenti loco eſſe ſolent. V. *Omnes rivos AEgypti*. Notant enim poni hic *matzor* per paranomaſiam, pro מצרים *mitzraiim*, *AEgypto*, ab arcibus, civitatibus, munitionibus, quas ubique ad aquas habuit munitiſſimas; quaſi dicat, Munitiſſima AEgypti. Sic Iſaiæ XIX. 6. S. Hieronymus hunc verſum ita explanat: *Ego fodi*, & *bibi aquam*, & *exſiccavi veſtigio pedis mei omnes rivos aggerum. Iuxta hiſtoriam hoc intelligi poteſt, quod præ multitudine exercitus omnia fluenta exſiccaverit, ut puteos ſibi fodere ſit compulſus*. De Xerxis exercitu Iuſtinus Lib. II. *Ut non immerito proditum ſit flumina ab exer-*

exercitu eius fiecata. De voce *matzor* vide Deuteronom. xx. 19.

V. 25. NUMQUID NON AUDISTI, &c. Nemo mediocriter Hebraice doctus affirmare poterit hunc versum non recte a Nostro conversum, quem ita exponit S. Hieronymus: *Hæc ex persona Dei contra verba Assyrii sentienda sunt, quod ad blasphemiam eius sic responderit Dominus: Num ignoras, quod hæc quæ fecisti, mea fecerim voluntate, & ego hæc futura prædixerim, ac per te faciendæ mandaverim? Itaque quod olim decrevi, hoc expletum est tempore, ut colles, id est principes, qui inter se antea pugnabant: & civitates munitissimæ, me contrahente manum meam, nec solitum præbente auxilium eradicarentur, & contremiscerent, ac perirent*, &c. Ceterum quia Hebræa obscura sunt, tantisper ea libet expendere. *Numquid non audisti quid ab initio fecerim?* Hebr. *An non audivisti, ad de longinquo eam feci?* Illud, *Ad de longinquo* emphasim habet, id est a multo iam tempore, iam olim, inde a longo tempore, iam a longe. Pronomen femineum *eam*, possit neutraliter more Hebraico accipi, pro id, istud, ipsum, hanc rem, hoc negotium: *Quod istud fecerim*. Sic in sequentibus. EX DIEBUS ANTIQUIS. Hebr. in dativo, *Diebus, per, in, ad, dies* קדם *kedem, anteriioritatis, antiquitatis, quondam, prioritatis, ante, originis: diebus. antiquis, priscis, superioribus*. Isaiæ XXXVII. 26. in ablativo: *A diebus*, &c. ERUNTQUE IN RUINAM. Hebr. *Et fuit*, vel *erit ad obruere*, vel *ad obruendum*. Infinitivum להשת *lahschot* verbi שאה *schaa*, vel נשה *naschah*, exponunt, *Ad destruendum, conterendum, conquassandum, devastandum, desolandum*, vel *faciendum desolare*. Propius, *Ad repente irruendum, ad impressionem faciendum, ad præcipitanter ingruendum, ad obruendum cum magno impetu, fragore, & strepitu*: ut sit in subitis malorum irruptionibus. Quidam cum Nostro nominaliter capiunt, *In desolationem, in ruinam*, seu *in ruinas*. Nostri Isaiæ XXXVII. 26. *in eradicationem* dixit. COLLIUM. גלים *gallim* proprie *volutiones*; quidam *acervos, tumulos, cumulos* interpretantur, ut Genes. XXXI. 46. Alii, *fluctus, procella*, exponunt, ut Zachariæ X. 11. quod quasi acervi aquarum in orbem volutentur. PUGNANTIUM. Participium נצים *nitztim* ex Niphal varie exponunt, *destructos, devastatos, vastos*: seu substantive, *destructionum, desertionum, devastationum*. Alii, *corrixantes, contendentes, litigantes*: proprie, *involantes, irruentes, obruentes*, vel *obrutos*. Nescio cur aliqui *æternos* reddant, & alii *combustos*. Vide in Exod. 11. 13.

Iam versum verbis, & sensu difficilem, variæ aliorum interpretationes explanabunt. I. Caietanus: *Nonne audisti a longe? ipsam feci a diebus antiquitatis, & formavi ipsam: nunc feci venire ipsam, & erit ad faciendum desolare in acervos desertionum, civitates munitas*. Exponit: *A longe*, id est rem gestam in longinqua & distanti regione, ad te remotissima fama perlatam: nempe me fecisse & formasse gentem Israeliticam seu Iudaicam, iam inde a diebus antiquis, nempe a temporibus Abrahæ gregavi eam mihi: deinde ab exitu ex Aegypto legibus & institutis formavi, curamque eius ac tutelam perpetuo gessi, quæ tu fama percepisti: nunc autem venire feci ipsam Israeliticam gentem in eum statum, ut suis culpis civitates eorum desolentur in acervos desertionum; quasi dicat: Ne glorieris, te tuis viribus tantam vastitatem intulisse huic genti: nam id opus proprium est divinæ meæ iustitiæ. II. Alii: *An non audivisti, quod in longinquum*, vel *a longinquo* tempore *ipsam feci* Ierusalaim? *& in dies multos, sive iam olim ipsam formavi? modone adducam eam ut sit in desolationem, in acervos ruinarum, ut civitates munitæ?* Volunt, hic Iehovah se declarare Ierosolymæ tutorem esse, nec unquam Ecclesiæ defuturum: neque passurum aboleri ipsam in acervos ruderum, ut alias urbes munitas, quæ ab Assyrio eversæ fuerant. III. Hispanicus Interpres: *Nunca has oydo, que de luengo tiempo la hize yo a Ierusalem, y de dias antiguos la he formado? y ahora la he hecho venir*; id est, la he llamado, le he dado cargo: *y sera para destruycion de ciudades fuertes en montones de assolamientos*. Victoria prædicitur regni Messiæ. IV. Sanctes: *Numquid non audivisti a longe, quod feci in diebus antiquis, & plasmavi illud? nunc adduxi illud, & erit ad desolandum, in acervos destructionum civitates munitas*. Traiectio: & erit ad desolandum civitates munitas, quæ redigentur in acervos destru-

ctæ ac deſolatæ. V. Leo Iudas: *An non audiviſti quod hoc negotium iam olim fecerim, retroque temporibus formaverim illud? iam vero adduco illud, nempe ut vaſtem urbes munitas, & redigam eas in acervos & ruinas.* VI. Vatablus: *Nonne audiviſti a longo tempore? eam feci a diebus antiquis? & plaſmavi eam: nunc evenire feci eam, & fuit ad deſtruendum in acervos deſolatos civitates munitas.* Id eſt, O Sennacherib, numquid non a longo tempore, ſive iam olim audiviſti, ſive intellexiſti ſententiam decreram, cuam prænuntiaveram in gentes, etiam in Iſraelem ipium; vel prophetiam illam quam prædixeram per Prophetas, nempe me perditurum regna partim tuo tempore, partim aliorum Regum Aſſyriæ? quod igitur ſtatueram me facturum, iam executus ſum & adimplevi hoc tempore: nimirum ut urbes munitiſſimæ redigerentur in acervos deſtructos ac deſolatos, utque ex illis urbibus nihil præter acervos ruderum relinqueretur. VII. Munſterus, & Iſidorus Clarius: *Numquid non audiſti quid ab initio fecerim? ex diebus antiquis plaſmavi illud, & nunc adduxi: eritque in deſolationem, & munitæ urbes redigentur in acervos ruinarum.* Id eſt, iam diu illam terræ huius, & gentium deſolationem, quam iactas, præordinavi, & per Prophetas prædixi; ſed modo ſub Regibus Aſſyriis volui eam in effectum venire, nimirum ut urbes munitiſſimæ paſſim in ruinas collaberentur. VIII. Forſterus: *Nonne audiviſti in longinquo*, id eſt iam olim, *quod eam fecerim, quod a diebus originis cogitaverim iſtud? nunc adduxi eam, & erit in ruinas acervorum combuſtorum*, vel *obrutorum, urbibus munitis.* Verbum יצר *iatzar*, quod alii per *formare, plaſmare, effingere*, vertunt, iſte *cogitare* convertit: notat enim, quando id verbum poſt ſe regit, ut hic, accuſativum, tunc tranſitive ſignificare, vel mente & animo aliquid quod ſuſum erat, concipere, comprehendere, imaginari, cogitare, effigiare, formare; vel foris ſecundum illum animi conceptum & ideam, rem corpoream formare, figurare, effigiare, & ei dare formam, quocumque id tandem fiat modo; quod quidem eſt etiam aliquid in actum redigere, quod ante informe erat, quæ eſt primaria verbi ſignificatio. IX. Forerius: *An non audiviſti iam olim, quid fecerim a diebus priori-*

bus, & formaverim ipſum? nunc adduxi eum, & erit, ut corruant in acervos obrutos civitates munitæ. Id eſt, Numquid non audiſti, o Sancherib, hoc ipſum quod tu te feciſſe modo gloriaris; me ab antiquo uſque feciſſe, & a diebus prioribus me id præcogitaſſe; & nunc adduxiſſe, atque opere compleviſſe, ut ſcilicet fierent, & redigerentur civitates munitæ in ruinas acervorum obrutorum? hoc eſt in acervos ex ruinis ſubito congeſtos. Putavit quoque verbum *iatzar* de cogitatione, & formatione, quæ in animo fit, hic dici. Poſtremam clauſulam aliter convertit: *Et erit ut revere faciat, vel illidat, fluctus compugnantes in civitates munitas*; hoc eſt, ut procellas immittat in urbes munitas. X. Avenarius: *An non audiviſti de procul, feci eam, a diebus pridem, & formavi eam: nunc venire feci eam, & erit ad conquaſſandum*, ſeu *devaſtandum in acervos implicitos*, vel *implicatos, civitates munitas.* XI. Montanus: *Numquid non audiſti a longe, illud feci a diebus quondam, & plaſmavi illud? nunc adduxi illud, & erit ad deſolandum acervos deſtructos civitates munitas.* Aliter: *Numquid non audiſti, quæ olim fecerim ei*; vel *quod olim fecerim eam?* ſcilicet felicitatem; quaſi dicat: Nonne audiviſti me quondam felicitatem iſtam feciſſe? eamque me uno & auctore, & informatore conſtare? *ex diebus antiquis ego plaſmavi eam*; id eſt, fortitudinem, potentiam, & proſperitatem, quam iactas, tibique arrogas, iſte quondam inſtitueram, prædicendamque curaveram, ut non tibi, aut ulli, præterquam uni mihi, tribuendus ſit eventus: *& nunc adduxi eam*; id eſt, quidquam a te factum eſt, ex iudicio conſilioque meo profectum fuerat, idemque quondam prædictum, nunc demum evenerat: *& factum eſt in eradicationem collium compugnantium civitatum munitarum*; id eſt, effectum eſt ut quæ munitæ ac firmæ cenſebantur urbes, in tumulos cumuloſque lapidum, atque in rudera ſint redactæ. *Colles compugnantes*, interpretatur tumulos ex mixta, confuſa, ac temere iacente ruina factos. Feci, inquam, ut civitates munitæ everterentur, ac redigerentur in tumulos & acervos tumultuarie ac confuſe corruentes. Aliter exponit, *In eradicationem collium æternorum*; id eſt, ut deinceps æterni ſint colles, & tu-

tumuli, quæ quondam civitates munitæ fuerant. Sed verbo נצח *nitztzah* undenotio æternitatis ? XII. Tremellius, & Junius: *An non audiviſti inde e longo tempore me id facere?* quod tu tibi arrogas, ſupra verſ. 22. & 23. *inde a diebus priſcis, ut formaverim illud? nunc adduco illud, ut ſis ad deturbandum in acervos vaſtos civitates munitas*, id eſt evenire facio, præſto nunc illud in tuis victoriis quas iactas; quaſi dicat: Ego ipſe ſum auctor, & non tu, & tuo miniſterio utor ad deturbandum, &c. Quid igitur inaniter, & thraſonice gloriaris? Iſti יתהי *uthebi*, quod alii pro tertia perſona futuri feminea capiunt, & *erit*; pro ſecunda maſculea ſumpſerunt, & *eris*, vel *ut ſis*.

V. 26. HUMILES MANU. Hebr. *Decurtati, curti, breves, præfciſſi, breviati, manci, manus*, vel *contracti manu*, id eſt impotes, imbecilli, ſine viribus, imbelles, debiles. Sic Agrippina Burrho obiectabat, Annal. XIII. Taciti: *Debilis Burrhus, truncа manu*. CONTREMUERUNT. Verbum חתו *chattu* hæc omnia ſuſtinet: *Conterriti, conſternati, perculſi, fracti, contriti, diſiecti, proſtrati fuerunt*; quaſi dicat: Ut tibi animum adieci, ita illis abſtuli, ut nullo negotio vinceremur. QUAE AREFACTA EST. ישופה *uſchdephah*, pro quo Iſaiæ XXXVII. ſcribitur ושדמה *uſchdemah*, notant utrumque pro uno eodemque accipi, ac varie interpretantur: 1. & *verba percuſſa ariditate*; 2. & *uſta, arefacta*; 3. & *ariditas, uredo*; 4. & *arvum tactum uredine*, vel *ager tactus uredine*. Vide Deuteronom. XXVIII. 22.

V. 27. HABITACULUM TUUM, &c. Hebr. hoc verſu ſunt quatuor infinitiva pro nominibus ſubſtantivis: *Et habitationem, ſeſſionem, manſionem, tuam*, & *exitum tuum*, & *introitum tuum cognovi*, & *commotionem, iram, furorem tuum in me*. Quidam: *Utique ſeſſionem tuam*, & *profectionem tuam*, & *inceſſum tuum novi: etiam furorem tuum contra me*. Alii: *Ego converſationem tuam, ego profectionem tuam*, & *reditum tuum novi: æque furorem, bilem tuam contra me*. Exponunt: Id eſt, novi quæ conſilia ceperis cum eſſes in patria tua, quot milites, quantum apparatum belli eduxeris dum es egreſſus, & introitum tuum in hanc terram novi; quaſi dicat: Me neſciente nihil egiſti. Alii notant eſſe proverbialem formam; id eſt, univerſas tuas actiones, mores, omnem vitæ tuæ rationem novi plenifſime.

V. 28. INSANISTI IN ME. Hebr. nos verbatim expreſſimus (*Correſpondentia commovere te facere tui ad me.*) Alii diverſimode I. *Pro eo quod iratus tu in me*. II. *Pro iraſci te ad me*. III. *Quoniam iratus es adverſum me*. IV. *Quoniam tu furis contra me*. V. *Propter commoveri te*, vel *tuum ad me*. Aliqui Hebræorum iſtud referunt ad verborum commotionem, reboationem, ſeu atrocitatem inſtar ſonitus tonitrui, aut terræ motus, quibus Sancherib Deum proſcidit, quæ ſignificatio recte verbo רגז *ragaz*, ex agnatis verbis affingitur. ET SUPERBIA TUA. שאנן *ſchaanan*, plerique deducunt a שאה *ſchaah*. I. *obruitio, irruptio, impreſſio, præcipitantia, præcipitium, temeritas, ruina tua*, ſcilicet qua irruiſti in terras, & in Iudæam. II. per metalepſim, *ſonitus, fragor, tumultus, tumultuatio, ſtrepitus, fremitus, ſonus tuus*, nempe qui ruinam ſubſequi ſolet. Loqui putant de tumultuatione, ſeu armorum ſtrepitu, quo Sancherib ſuperbiebat, & gloriabatur, ac etiam confidebat. III. Alii a שאן *ſchaan* arceſſunt, *quies, tranquillitas tua*, id eſt pacatus, atque florens ſtatus tuus: *felicitas tua, opulentia tua*. Quidam reddunt, *ſecura opulentia tua*. IV. per metalepſim, *ſecuritas, inſolentia tua*, eo quod tranquillitas, & felicitas, homines reddere ſoleat ſecuros, & inſolentes. Notant, geminationem litteræ Nun ſignificatum intendere. ET CIRCULUM. Plerique *hamum*: notant eſſe metaphoram ſumptam a piſcatoribus, qui hamo capiunt piſces, & ducunt quo volunt. Alii a bubalis, quibus annulus, ſeu hamus in naſum injicitur, ut hoc pacto frenati circumducantur, & pareant. ET CAMUM: metaphora ab agaſonibus, qui freno, ſeu capiſtro ducunt iumenta quo volunt. S. Hieronymus: *Itaque ponam circulum, ſive hamum in naribus tuis, ut blaſphemantia ora conſtringam, ut nequaquam ultra talia loqui audeas: frenumque iniiciam labiis tuis, quod tuam ferociam domet*, & *te reducat in Aſſyrios*. Sic Pſalm. XXXI. 9.

V. 29. TIBI AUTEM, EZECHIA, HOC ERIT SIGNUM. Hebr. *Et iſtud tibi ſignum*. Perſpicuum eſt apoſtrophem eſſe ad Ezechiam, quæ eſt altera prophe-

tiæ pars. QUAE SPONTE NASCUNTUR. סחיש *ſachiſch*, prima Samech, & ultima Scin, aiunt eſſe *quod ſponte pullulat & germinat e radicibus ſeminis*, ſponte & ſine cultura naſcens, quod ſponte provenit poſt ſponte naſcentia, ut ספיח *ſaphiach*, quod præceſſit comedendum in primo anno, ſit *ſponte naſcens, ſine aratione, & ſeminatione, aut cultura* ex granis caducis: *ſachiſch* vero comedendum in ſecundo anno, quod *germinavit*, ſeu *ſponte recrevit e radicibus reſectis*, ſeu *ſemine ſponte naſcentis* anterioris anni. Quidam *ſponte renatum* vertunt. Iſaiæ XXXVII. 30. tranſpoſitis litteris, ut prima ſit Scin, poſtrema Samech, ſcribitur שחים *ſchachis*, ut in כשב *ceſeb*, & כבש *cebes*, *agnus*, שמלה *ſimlah*, & שלמה *ſalma*, *veſtis*. Quidam reddunt: *Comedendo anno cadiva*, & *in anno ſecundo naſcentia ex cadivis*. Aliqui: *Comedere anno iſto per ſe germinantia; anno autem ſecundo, quæ a ſponte naſcentibus repullulaverint*. Alii: *Hoc anno comedes repoſita, proximo anno quæ ſponte naſcentur*. Nonnulli: *Illud autem eſto tibi huius rei ſignum: comedere vos anno uno ſponte natum, & anno altero ſponte renatum*. Id eſt, hæc rerum copia ſine cultura, qua ex Dei liberalitate iam biennio, quamvis graſſantibus hoſtibus, fruimini, confirmet in vobis certitudinem liberationis promiſſæ, & venturæ tranquillitatis. Biennio videntur hoſtes Aſſyrii in terra Iudææ graſſati. Vide Caietanum hic. Quidam coniectantur, primum annum fuiſſe ſextum hebdomadis annorum, quo, ingruente hoſte, nihil ſeri, aut coli potuit: ſecundum fuiſſe ſabbaticum, qui ex lege fuit שמטה *ſchemitta*, intermiſſionis culturæ omnis, & agricolationis, Deuteronom. XV. 1. SEMINATE ET METITE, &c. id eſt, metu ab hoſtibus abiecto, agros audenter, & ſecure colite, atque eorum fructibus fruimini.

V. 30. ET QUODCUMQUE RELIQUUM FUERIT, &c. Hunc verſum nos verbatim ex Hebræo tranſtulimus (*Et addet evaſio domus Iehudah rehêta radicem deorſum: & faciet fructum ad ſupra.*) Varie alii. I. *Et addet quæ evaſit familiæ Iehudah, quæ remanſit, mittere radicem deorſum, & facere fructum ſurſum*. II. *Rurſumque in unum coibit, quod evaſet e domo Iehudæ iactaque deorſum radice, quod reliquum eſt, fructum ſurſum reddet*. III. *Nam reſiduum domus Iehudæ quod reliquum fuerit, rurſus radicabitur inferne, & fructum proferet ſuperne*; id eſt, ex omni parte proſperabitur: metaphora a plantis, quæ ut fructus uberrimos ferant, oportet ut imas radices agant. Illud, *Addet radicem*; id eſt, magna vi radices aget, vel iterum, rurſus, denuo aget. Myſterium hic de reliquiis Iſraelitarum per Evangelium multiplicandis, quæ quaſi ſemen gentium ſalutis fuerunt in toto orbe; ut verſu ſequente.

V. 31. DE IERUSALEM QUIPPE EGREDIENTUR RELIQUIAE, &c. id eſt, reliquiæ populi, quæ intra muros Ieruſalaimorum propter hoſtes ſe continebant, prodibunt liberæ ab obſidione. Typus liberationis a ſatana per Chriſtum. ZELUS DOMINI EXERCITUUM FACIET HOC. Vox *exercituum* non ſcribitur in Hebræo, ſed Hebræi, adiectis punctis eius vocis, legendam monent, e Iſaiæ XXXVII. 32. ubi exprimitur צבאות *tzebaoth*. *Zelus*, id eſt amor erga Ieruſalaim, ut Iſaiæ IX. 7. vel zelus divini nominis blaſphemati ab Aſſyriis.

V. 32. QUAMOBREM HAEC DICIT DOMINUS, &c. ut promiſſionis ſuæ fidem, & veritatem oſtendat. NON INGREDIETUR URBEM HANC, &c. Exponunt: Id eſt, non inſtituet obſidionem in ſecundo ſuo adventu. NEC MITTET IN EAM SAGITTAM: quoniam omnes confregit Dominus, Pſalm. LXXV. 4. NEC OCCUPABIT EAM CLYPEUS. Hebr. *Et non anteriorabit eam clypeus*. Quidam: *Neque præoccupabit eam ſcutum*, vel *ſcuto*, id eſt *oppugnabit*. Alii: *Neque oppoſiturus eſt ei ſcutum*. Nonnulli: *Neque præcipiet eam clypeus*. Aliqui: *Et non anticipabit eam clypeus*. Plerique: *Et non præveniet eam clypeus*. Nec deſunt qui: *Neque occurret ei clypeus. Scutum, clypeus*, metonymice, id eſt clypeati, & ſcutati milites. NEC CIRCUMDABIT EAM MUNITIO. Varie Hebr. convertunt. I. *Et non verſabit ſuper eam aggerem*. II. *Nec effundet iuxta eam aggerem*, ad oppugnandum eam. III. *Neque excitabitur contra eam agger*. IV. *Neque diffundet contra eam ballıstam, vel catapultam*: metonymia, id eſt miſſilia catapultaria. Vide II. Samuel. XX. 15. PROPTER DAVID SERVUM MEUM, id eſt promiſſionem illi factam, I. Reg. XI. verſ. 12. 13.

V. 33.

V. 35. IN NOCTE ILLA. Hebr. *in nocte ipſa*. Explicant, Id eſt quæ proxime ſubſecuta eſt diem qua venit Rex Aſſyriorum Sencharib ut obſideret Ieruſalaim ſecundo, poſt biennium a ſupra dicta prophetia qua Iſaias prædixerat, biennio Ieroſolymitanos uſuros ſponte naſcentibus propter graſſantes hoſtes in provincia. Alii rectius: Ipſa nocte quæ proxime ſubſecuta eſt diem illum, quo Iſaias hæc futura prædixerat, ut res ſtatim vaticinio tanti Prophetæ ſuccederet: nam illud de biennio non fuit prophetia, ſed ſignum iam exhibitum. Vide ſupra verſ. 29. Neſcio unde hauſerint Hebræi noctem illam fuiſſe qua Ieroſolymis Peſach celebrabant. ET PERCUSSIT IN CASTRIS ASSYRIORUM CENTUM OCTOGINTA QUINQUE MILLIA. S. Hieronym. in x. Iſaiæ, ad verſ. 16. & Auctor Sermonum ad Fratres in eremo, Auguſtini nomine, ſcribunt ex traditione Hebræorum, hos omnes interno igne, velut fulmine ictos, illæſis veſtibus combuſtos fuiſſe, atque in cinerem & favillam redactos. Cajetanus, combuſtionem corporum illæſis veſtibus citra reſolutionem in cineres non omnino aſpernatur, ut veſtes ſpolio eſſent Ieroſolymitanis. Vide Lyranum. Vide Iſaiæ XXXII. 12. ubi hæc innui videntur. Sed ſunt hæc prorſus incerta.

V. 36. ET MANSIT IN NINIVE. Hebr. *Et habitavit, conſedit, in Nineveh*: de qua urbe vide in Geneſ. x. 12. & in Ione III. 3. CUMQUE DILUCULO SURREXISSET, VIDIT, &c. Hebr. pluraliter: *Et manicaverunt in mane*; id eſt, ſurrexerunt ſummo mane: *& ecce omnes ipſi cadavera*, &c. nempe Ieroſolymitani, vel alii ex caſtris Aſſyriis, vel ex comitatu Regis, quos non percuſſerat Angelus.

V. 37. FILII EIUS. Non ſcribitur Hebraice, ſed appoſitis punctis Hebræi legendum volunt e Ieſaiæ XXXVII. 38. ubi exprimitur בנין *banau*. Fortaſſe hic reticetur in deteſtationem parricidii. IN TERRAM ARMENIORUM. Hebr. *Ararat*: de qua vide in Geneſ. VIII. 4.

MENOCHII.

Verſ. 1. INCREPATIONIS, ſcilicet qua arguimur ab Aſyriis. BLASPHEMIAE, qua ſcilicet Deum blaſphemant. VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM, &c. quaſi dicat: Concepit quidem Rex, & populus univerſus iuſtiſſimum dolorem, & appetitum vindictæ contra Aſyrios; ſed deſideria irrita ſunt atque inania contra potentem adverſarium. Itaque ad Deum confugiendum eſt.

V. 4. SI FORTE AUDIAT, &c. ad vindictam ſcilicet ſumendam: cum enim differt ultionem, ita ſe gerit quaſi non audiat, aut videat mala quæ perpetrantur. PRO RELIQUIIS QUAE REPERTAE SUNT, pro reliquiis populi ex tribu Iuda, & Beniamin.

V. 7. IMMITTAM EI SPIRITUM, timoris, & perturbationis, nuntium ſcilicet de adventu Tharaca Regis AEthiopiæ, qui eum ab obſidione Hieroſolymæ ſubmoveat, ut contra eum pugnet. DEICIAM EUM GLADIO IN TERRA SUA, occidetur in regno ſuo.

V. 8. EXPUGNANTEM LOBNAM, præliantem adverſus Lobnam, ut dicitur Iſa. XXXVII. 8.

V. 10. NON TE SEDUCAT DEUS TUUS, &c. Eadem repetit Aſyrius quæ ſupra audivimus cap. XVIII. num. 34. intelligebat enim ſpem Iudæorum Deo niti, ideoque eam aliarum gentium exemplo labefactare nititur.

V. 13. REX CIVITATIS, idolum quod colebatur in civitate. Fortaſſe dicitur *Rex civitatis*, quod quaſi Reges, idola corona redimita eſſent, & quod civitati, aut regno in quo adorabantur, dominari crederentur.

V. 14. EXPANDIT EAS CORAM DOMINO, quod erat eximiæ in Deum fiduciæ ſignum. Sic enim filii recitant, vel oſtendunt parentibus, quæ in ſe, vel in ipſos dicta, factave fuerint. Erat & obiectum efficax movendæ indignationis in blaſphemos Aſyrios. Nam Deus noſtro ſeſe captui accommodat, quos præſens doloris obiectum ad vindictam acrius extimulat.

V. 15. QUI SEDES SUPER CHERUBIM, in propitiatorio ſuper arcam. Vide Ex-

Exodi xxv. 18. REGUM OMNIUM TERRAE, in Isaiæ cap. xxxvii. 16. habetur, *Omnium regnorum terræ*.

V. 16. EXPROBRARET NOBIS DEUM VIVENTEM: insultavit nobis, & exprobravit quod te coleremus, & spem in te locaremus, quem negat posse nos ab hac calamitate vindicare.

V. 21. SPREVIT TE. Convertit Prophetæ orationem ad Regem Assyriorum. VIRGO FILIA SION, Ierusalem: nam Scriptura de provinciis & civitatibus loquitur ac si viri, aut potius mulieres essent, & filiæ, ob earum pulchritudinem, & luxum: sic FILIA IERUSALEM hoc eodem versiculo. CAPUT MOVIT: qui habitus, & gestus subsannantis est, aut minitantis.

V. 22. CONTRA SANCTUM ISRAEL, Deum Israel.

V. 23. PER MANUM SERVORUM TUORUM, scilicet per Rabsacem, & eius socios. SUCCIDI SUBLIMES CEDROS, &c. ad complanandam viam curribus, & exercitui meo. ELECTAS ABIETES, excelsas, egregias. SALTUM CARMELI EIUS, montem Carmeli, qui est in Iudæa.

V. 24. BIBI AQUAS ALIENAS, cum scilicet in alienam ditionem irrupissem. SICCAVI VESTIGIIS PEDUM MEORUM; id est, ubicumque exercitus meus vestigium poneret, siccabat fontes propter multitudinem. OMNES AQUAS CLAUSAS in cisternis, & puteis. S. Hieronymus explicat de rivis fluentibus, qui utrimque ripis quasi aggeribus concluduntur. In cap. xxxvii. Isaiæ num. 25. quæ hic dicuntur *Aquæ clausæ*, appellantur *Rivi aggerum*, qui scilicet agricolarum industria in varias partes derivantur ad rigandos agros; & ne temere diffluant, utrimque aggesta terra reguntur: quæ est eadem explicatio quæ Divi Hieronymi.

V. 25. QUID AB INITIO FECERIM ego Deus Israel, id est facere decreverim genti Iudæorum. EX DIEBUS ANTIQUIS PLASMAVI ILLUD, id est formavi, finxi, formam rei gerendæ concepi, ordinavi, præscripsi, ut scilicet ita fieret ut factum est; quare tibi tribuere non debes victorias, aut tuæ potentiæ, sed meæ voluntati. NUNC ADDUXI, effecta dedi. ERUNT IN RUINAM COLLIUM PUGNANTIUM CIVITATES MUNITAE. Clare vertit Vatablus: *Ad destruendum in acervos ruinarum civitates munitas*. Aliqui per colles pugnantes intelligunt principes inter se dissidentes, aut civitates in collibus sitas, quæ pugnabant contra Assyrios illis resistentes.

V. 26. HUMILES MANU, vel, ut est in Isaia xxxvii. 27. *breviata manu*; id est, infirmi, imbelles, ac quasi manci Iudæi contremuerunt coram Assyriis.

V. 27. HABITACULUM... EGRESSUM, ET INTROITUM. Hæc tria significant omnes motus, situs, & actiones hominis; quasi dicat: Ego prænovi quidquid acturus eras.

V. 28. CIRCULUM IN NARIBUS TUIS, quo te quasi freno circumagam, & ut feram bestiam aut bubalum, quo voluero, ire compellam. CAMUM, species freni, forsan quale equis iis qui mordere solent circumponitur cancellatum e ferreis bracteis. Itali vocant *la musarola*. REDUCAM TE IN VIAM PER QUAM VENISTI: cogam te repetere regnum tuum.

V. 29. HOC ERIT SIGNUM. Non datur hic signum Ezechiæ ad confirmanda quæ de Sennacherib dixerat Isaias, signa enim pio, & fideli Regi non erant necessaria; sed quæ hic facer textus vocat signa, sunt potius effecta, quæ prædictionem Prophetæ, & divinam in populum suum providentiam consequuntur, dum quo modo futuræ necessitati prospicere debeant, docet. QUAE REPERERIS: quæ scilicet tibi, tuoque populo reposita habes ad bellum, & ad obsidionem tolerandam. Biblia LXX. Compluti edita, & Biblia regia habent *συντμήνα collecta*. QUAE SPONTE NASCUNTUR: cum enim suo tempore agros ferere non potuissent, iis quæ sponte nascebantur contenti esse debebant, quibus tamen Dominus pollicetur se illos sufficienter pasturum. Apud Isaiam xxxvii. 30. secundo anno poma assignantur in cibum. Utrumque verum fuit: nam exigua illa segete quæ ex granis deciduis pullulavit, & pomis in arboribus sponte nascentibus victitarunt. SEMINATE ET METITE, &c. hostium metu soluti, & periculo liberati.

V. 30. MITTET RADICEM DEORSUM, ET FACIET FRUCTUM SURSUM;

sum; hoc est, Iudæorum reliquiæ reflorescent, crescent, propagabuntur, ad instar arborum, quæ altas agunt radices, & ramos late fundunt, & multos fructus proferunt.

V. 31. De Ierusalem egredientur reliquiae; hoc est, iterum germinabit, & florebit Ierusalem, & quasi novi ex illa surculi egredientur. Et quod salvetur. Pagninus, & Vatablus ex Hebræo vertunt, *Et evasor*: & sensus esse potest, ex arbore hac familiæ Iuda novos surculos erupturos qui salventur, vel qui evadant, quos scilicet tempestas hæc & calamitas Deo protegente corripere non possit. Zelus Domini, ardens amor Domini.

V. 32. Nec occupabit eam clypeus. Vatablus vertit: N*on occupabit eam clypeo munitus*. Nec circumdabit eam munitio; id est, non cingetur obsidione.

V. 34. Propter me, qui hanc urbem elegi ut in ea collocarem sanctuarium meum.

V. 35. In nocte illa. Quidam putant noctem hanc eam esse quæ subsecuta est editam ab Isaia prophetiam. Sed hoc dici non potest, quia in hac eadem prophetia, ut vidimus num. 29. Assyriorum clades tertio anno futura indicatur. Itaque illud relativum positum est ad emphasim addendam, ut *in illa nocte* idem sit quod in celebri illa nocte, & miraculi tanti conscia. Sic apud Isaiam cap. xxvii. dicitur: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro*, &c. Angelus Domini, quem Abulensis Angelum bonum fuisse existimat, Gabrielem, aut Michaelem synagogæ præsidem. Alii putant tam hunc, quam illum qui percussit primogenita AEgyptiorum (ut insinuatur Ps. lxxvii. 49.) fuisse dæmonem. Percussit, occidit. Quo genere mortis occubuerint, non habemus ex sacro textu. Tradunt Hebræi, & ex iis Abulensis, & Caietanus, Assyrios ab Angelo, igne, id est pestilentia, ut ait Iosephus, fuisse percussos. Vidit, scilicet Sennacherib.

TIRINI.

Vers. 2. Filium Amos. Non est hic *Amos* is Propheta qui inter minores numeratur, sed alius, ut dicam Isaiæ I. 1.

V. 3. Dies, seu tempus, iam est tribulationis populi; increpationis, seu punitionis, Dei; et blasphemiae Sennacherib. Ita S. Hieronymus. Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens, & consequenter vehementissimo cruciatu torquetur propter rupturam vulvæ, cuius os, dum angustius est, a fetu disrumpitur. Videtur Ezechias alludere ad apparatum quem fecerat bellicum: nam ut summis animis pararit omnia tum ad urbis defensionem, tum ad hostis invasionem necessaria; tamen, cum ad rem iam ventum est, ipsa experientia deprehendit se tantæ potentiæ parem non esse. Ita Theodoretus, Procopius, Eucherius, Abulensis & Caietanus.

V. 7. 8. & 9. Ecce ego, dicit Dominus, immittam ei spiritum, id est affectum, seu internum in animo motum, puta timoris ingentis; forte ne Rex AEthiopum, quem iam pridem aliquid novi moliri audierat, se absente res turbaret Assyrias: atque ita dum aliena venatur in Iudæa, ipse propria sua sede spolietur in Assyria. Hoc anxius metu, ecce nuntium trepidum audit: Tharacas Rex AEthiopum egressus est ut pugnet adversum te. Rex hic erat AEthiopiæ, non illius in deserto Sinai, in regione Madianitarum, unde erat uxor Moysis AEthiopissa; sed alterius, quæ post AEgyptum sita est, & nunc Abyssina vocatur. Ita Iosephus *a*, & apud eum Berosus: itemque Herodotus, ut citat S. Hieronymus *b*. Et idem sentiunt alii Patres. Et colligitur ex Isaiæ xx. 3. 4. 5. ubi AEthiopiam & AEgyptum Propheta tertio simul coniungit, dum de hac eadem agit Sennacheribi expeditione.

V. 23. In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium; id est, loca inaccessa, & vix peditibus pervia, dissectis scopulorum, & silvarum obstaculis, sic aperui, & complanavi, ut etiam quadrigis commodus pateat transitus. Eadem hæc loca aperuit etiam postea Vespasianus, teste Iospho *c*, cum per easdem Libani fauces exercitum traduceret, iuxta illud Zachar. xi. *Aperi, Libane, portas tuas*. Idem in Alpibus fecit An-

Annibal, ut Iuvenalis *d* canit, & hiſtorici deſcribunt.

V. 42. BIBI AQUAS ALIENAS; id eſt, quas vos Iudæi, vobis veſtriſque familiis aſſervabatis more patriæ in ciſternis veſtris, ego per meos milites exhauſi: ET SICCAVI OMNES AQUAS CLAUSAS, ſcilicet aggeribus: nam Iſaiæ XXXVII. verſ. 25. dicit ſiccatos a ſe *omnes rivos aggerum*, id eſt omnia ſtagna & fluvios. Sic Xerxen, cum copias in Græciam traduceret, flumina ſiccaſſe teſtantur Heredotus, Juſtinus, & Iuvenalis *e*.

V. 25. NUMQUID NON AUDISTI, &c. quaſi dicat: Ignoras, o ſtulte Sennacherib, quod quæcumque feciſti, ſeu adverſus Iudam, ſeu adverſus alias Gentes iam ſubactas, mea unius potentia, ac decreto feceris? an neſcis, me iam inde ab initio conditi univerſi ſolitum ſcelera mortalium punire gladio aliunde immiſſo? De te certe iam pridem ILLUD ſtatui, & in mente mea quaſi PLASMAVI, quin & per Prophetam meum Iſaiam non obſcure prædixi, quod tu *Aſſur virga* eſſes *furoris mei*. ET NUNC te EO ADDUXI, ut colles ſterneres, & urbes quantumcumque munitas ſubverteres, quæ contra me pugnant, & me ſcelerſbus ſuis offendunt: has enim omnes per te quaſi per flagellum meum corripere volui, & HUMILES MANU, ſeu, ut habet Iſaias cap. XXXVII. *breviata manu*, id eſt deſtitutas viribus, & potentia reſiſtendi, contremiſcentes ſubieci tibi.

V. 27. HABITACULUM TUUM, ET EGRESSUM TUUM, ET INTROITUM TUUM EGO PRAESCIVI; id eſt, quæcumque molitus es hactenus, ſive in intimis regiæ tuæ penetralibus, ſive in eductione copiarum, ſive in expugnatione urbium, omnia a me præcognita, a me permiſſa, pleraque a me prædecreta ſunt: nec ſine me potuiſſes movere vel manum vel pedem. At tu tuis omnia viribus inſigni ſuperbia adſcribis: quin & ſtupendo furore & bruta inſania meam auſus es blaſphemare potentiam. Ego quoque te inſtar bruti tractabo, & naribus hamum ceu bubalo inſigam, & ori blaſphemo frenum injiciam: neque te patiar ad ulteriores triumphos, ut ardes, provehi, ſed in inſaniem fugam, in triſtem cladem, in horrendam mortem te cogam. Ita fere ſanctus Hieronymus, Abulenſis, Vatablus, & Lyranus.

V. 29. TIBI AUTEM EZECHIA HOC ERIT SIGNUM, omnia quæ iam dixi, a me profecta fuiſſe, ac præciſpoſita; meoque unius nutu ac potentia abactum e Iudæa tyrannum Sennacherib. *Signum*, inquam, iſtud *tibi* manifeſtum *erit*, quod, licet iam tyrannus immenſis copiis ſuis ſegetes omnes protriverit, arboreſque viteſque pene totius regionis tuæ ſucciderit, neque ſpes hoc anno videatur alicuius meſſis aut vindemiæ; inſequens quoque annus, eo quod ſabbathicus ſit, non permittat aut ſerere, aut metere: tamen reipſa deprehendes, nihil tibi tuiſque defuturum; ſed benedicente & multiplicante me, colliges etiam huius anni reliquum ex relictis ſtipulis & truncis, proximo vero anno ſabbatico ex deciduis granis tantam copiam frumenti, uvarum, & pomorum, ut abunde ſufficiat omnibus toto regno alendis uſque ad tertii anni meſſem & vindemiam. Quod certe miraculum eſſe evidentiſſimum nemo negarit.

Reliqua huius cap. de clade, de fuga, de cæde Sennacherib, vide II. Paralip. XXXII. & Iſaiæ XXXVII.

(*a*) Ioſeph. Lib. X. Antiq. cap. 1.
(*b*) Hieron. in Iſai. XXII
(*c*) Ioſeph. Lib. III. Belli cap. v.
(*d*) Iuvenal. ſatyra x.
(*e*) Herodot. Lib. VII. Iuſtinus Lib. II. Iuvenal. ſupra.

GORDONI.

Verſ. 8. REVERSUS EST ERGO RABSACES. Narratur quomodo Sennacherib, audito motu AEthiopum, coactus fuerit ire contra novos hoſtes. Scriptis tamen minacibus litteris ad Sedechiam, quas hic refert Hiſtoricus uſque ad verſ. 14.

V. 9. AEthiopia hæc, aliquibus eſt illa ultra AEgyptum; aliis placet eſſe illam quæ eſt adiuncta terræ promiſſionis, & eſt ad deſertum Sinai, in regione Madianitarum; unde Madianitæ dicuntur AEthiopes: de qua re alibi.

V. 21. SPREVIT TE. Oraculum & reſponſum ab Eſaia ad Regem. Hic eſt pars prior per apoſtrophen ad Ieruſalem. Virgo vocatur, nondum ſcilicet a gentibus ſubacta.

V. 22.

V. 22. Altera pars oraculi, & conversio sermonis ad Sennacherib; ac si diceretur illi: Nescis cui bellum indicis. Vide Isa. cap. x. ubi est huius historiæ explanatio.

V. 25. NUMQUID NON AUDISTI? Pergit loqui de Sennacherib, ac si diceret Deus ad Sennacherib: Male gloriaris in tua potentia: quæ iactas te fecisse, fuerunt a me permissa, immo decreta.

V. 28. INSANISTI IN ME, sed PONAM CIRCULUM IN NARIBUS TUIS, ET REDUCAM TE IN VIAM: humiliaberis: convertam, ut freno iumentum.

V. 29. TIBI AUTEM EZECHIA HOC ERIT SIGNUM. Postrema pars oraculi est ad Ezechiam: tranquillitas promittitur reliqua oratione usque ad vers. 35. Sennacherib audito nuntio de rebus Æthiopiæ, avertit exercitum a Iudæa; absuitque biennio, quod prædixit Isaias; denotando duobus his annis fore annonæ angustias, tertio anno copiam ex libero cultu agrorum.

V. 35. FACTUM EST IGITUR, &c. Iam exacto biennio ab hoc Isaiæ vaticinio, redit devictis Æthiopibus Sennacherib, nempe postquam populus (ob vastatos agros) uno anno comedisset sponte nata, & altero victitasset pomis. Ergo exacta hac temporis periodo, Angelus delet exercitum, & forte prope Ierusalem, ad vallem Iosaphat.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. DIES INCREPATIONIS. Mala hæc agunt Assyrii.

V. 12. Terrorem iniicit exemplo subactarum provinciarum.

V. 31. QUOD SALVATUR; hoc est, quod salvabitur, & evadet incolume ex his belli angustiis.

V. 35. IN NOCTE ILLA, die illo quod delebitur exercitus Sennacherib. *τὸ illa*, emphaticum est.

CAPUT XX.

Isaias ægrotantem Ezechiam moriturum denuntiat; at ille sua oratione sanitatem cum prorogatione vitæ ad quindecim annos a Deo impetrat, dato sanitatis signo per solis regressum: Assyriis autem munera deferentibus thesauros ostendit, & ob id per Isaiam reprehensio, captivitas Babylonica denuntiatur, cui impius succedit filius Manasses.

1. IN diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: & venit ad eum Isaias filius Amos, Propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives. 2. Qui convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, dicens: 3. Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: 5. Revertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini. 6. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem istam, propter me, & propter David servum meum. 7. Dixitque Isaias: Affer-

te maſsam ficorum. Quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper ulcus eius, curatus eſt. 8. Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini? 9. Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum a Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt: Vis ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? 10. Et ait Ezechias: Facile eſt, umbram creſcere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, ſed ut revertatur retrorſum decem gradibus. 11. Invocavit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus. 12. (a) In tempore illo miſit Berodach Baladan, filius Baladan, Rex Babyloniorum, litteras & munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotaſſet Ezechias. 13. Lætatus eſt autem in adventu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum, & omnia quæ habere poterat in theſauris ſuis. Non fuit quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua. 14. Venit autem Iſaias Propheta ad Regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri iſti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 15. At ille reſpondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque ſunt in domo mea, viderunt: nihil eſt quod non monſtraverim eis in theſauris meis. 16. Dixit itaque Iſaias Ezechiæ: Audi ſermonem Domini: 17. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. 18. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis. 19. Dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonus ſermo Domini, quem locutus es: * ſit pax & veritas in diebus meis. 20. Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piſcinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iuda? 21. Dormivitque Ezechias cum patribus ſuis, & regnavit Manaſſe filius eius pro eo.

(a) Iſai. XXXIX. 1.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 19. *Sit pax & veritas in diebus meis.*

Non adiicias verbo *ſit* adverbium *tantum*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. IN DIEBUS ILLIS, ſcilicet ſub tempus adventus Aſſyriorum, anno Regni ſui circiter decimo quinto. PRÆCIPE, ſcilicet quæ velis poſt mortem fieri.

V. 2. PARIETEM, ſcilicet verſus templum.

V. 3. FLEVIT, ſcilicet vitæ deſiderio. Hieron. II. cont. Pelag. *Flevit, quia nullus intrepidus vadit ad iudicium Domini, habens conſcientiam peccatorum.*

V. 5. SANAVI, pro ſanabo. TERTIO, ſcilicet a primo morbi, vel ſanitatis, vel quo hæc dicebantur.

V. 8. QUOD ERIT SIGNUM? Parvæ

væ id fidelitatis eſt indicium: Hieron. ubi ſup.

V. 9. ASCENDAT. Hebr. & LXX. *eat*. Chald. *procedat*. LINEIS. Hebr. & LXX. *gradibus*. Chald. *horis*, ideſt horarum ſpatiis: ſic & inf.

V. 10. CRESCERE, ſcilicet ſolis progreſſu. Hebr. & LXX. *declinare*. Chald. *procedere*.

V. 11. REDUXIT, ſcilicet in momento: quamdiu ſic manſerit, incertum. Dio epiſtola VII. ait, ſolis regreſſu & progreſſu conſumptas horas viginti, diemque illum fuiſſe triplo maiorem ſolito. Nota, quod dies erat horarum duodecim; fuit autem ille triginta duarum.

V. 13. AROMATUM. Hebr. *deſiderabilium*, ideſt divitiarum. Chald. *theſaurorum*. PIGMENTA, ideſt res odoriferas. VASORUM, ideſt bellicorum inſtrumentorum, ſeu armorum. POTESTATE SUA, adeoque etiam vaſa templi eis oſtendit: Hieron. II. cont. Pelag.

V. 17. AUFERENTUR: ſcilicet diſplicuit Deo illa opum oſtentatio.

V. 18. FILIIS, ideſt nepotibus, ſeu poſteris. EUNUCHI, ideſt primarii ſervi. Chald. *magnates*.

V. 19. VERITAS, ideſt ſtabilitas.

ESTII.

Verſ. 1. PRAECIPE DOMUI TUAE: MORIERIS ENIM TU, ET NON VIVES. Non abſolute prædicit quod futurum eſſet: ſatis intellexit etiam ipſe Ezechias, quando Deum oravit pro vitæ prorogatione, quod non licuiſſet ei facere, ſi exiſtimaſſet abſolutam eſſe prædictionem. Quod autem petendo non peccaverit, liquet, quia exauditus eſt a Deo propitio. Quod ſi Ezechias intellexit non eſſe abſolutam prædictionem eius quod futurum eſſet, quanto magis ipſe Propheta Iſaias? Igitur ex hac admonitione divina ſciebat uterque morbum eſſe ad mortem quo ad cauſas naturales. De abſoluta autem Dei voluntate neuter ſciebat, niſi poſtea ex nova Dei revelatione. Talis fuit etiam prædictio Eliſei de Benadab, de qua egimus ſupra cap. VIII. verſ. 10.

V. 3. OBSECRO DOMINE MEMENTO QUAESO QUOMODO AMBULAVERIM CORAM TE IN VERITATE, ET IN CORDE PERFECTO. Sed quare Ezechias audita ſententia mortis commemorat apud Dominum ſuam ſanctitatem? Reſpondet Hieronymus in Iſaiam: Ut moriturus fiduciam in Deum erigeret. *Iturus*, inquit, *ad Dominum, narrat opera ſua, quomodo ambulaverit coram eo in veritate & corde perfecto, felix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur*. Ita ille, ſignificans recordatione bonorum operum afflictionis tempore conſcientiam reddi tranquilliorem. Id quod & ſanctus Hilarion fecit iam iam moriturus, quando dixit: *Egredere anima mea. Septuaginta annis ſervisti Deo, & mori times?* quemadmodum refert idem Hieronymus in eius vita. Notanda autem hæc ſunt contra hæreticos noſtri ſæculi, qui omnem fiduciam bonorum operum conantur Chriſtianis eripere. Porro idem Hieronymus interpretans illud, *In corde perfecto*, perfectionem cordis Ezechiæ in eo collocat, quod ſubvertit idolorum cultum, atque hoc integre, & ex animo fecerit. Auguſtin. de perfect. iuſtitiæ; *In corde perfecto*, accipit ut ſit idem quod irreprehenſibiliter, & ſine crimine.

V. 8. QUOD ERIT SIGNUM, QUIA DOMINUS MESANABIT? Huius petitionis ſigni non meminerunt Lib. II. Paralipom. & Iſaias; ſed ſimpliciter dicunt Dominum dediſſe ei ſignum. Nec eſt improbabile Prophetam prius dixiſſe Regi, *Pete tibi ſignum*, ſicut dictum fuerat Achaz patri eius; & Regem reſpondiſſe: *Quod erit ſignum?* ut hic narratur. Et ſecundum hoc nulla hic fidei tarditas notanda eſt in Ezechia, ſed magis obedientia, cum e contrario pater eius recuſando petere ſignum, graviter Dominum offenderit per inobedientiam, & animi ſuperbiam. Si tamen ſponte petiit ſignum, quod innuere videtur Hieronymus Lib. II. Dial. contra Pelag. cap. VIII. ita excuſabitur, quemadmodum Abraham, & Gedeon, de quibus ſuis locis.

V. 10. VIS UT ASCENDAT UMBRA DECEM GRADIBUS? Putat Burgenſis quod in curſu ſolis, aut diei, nullum acciderit miraculum, ſed ſolum in motu umbræ indicis in horologio. Et quidem hoc loco ſolis nulla fit mentio. Sed tamen Eccleſiaſticus cap. XLVIII. in

curſu ipſo ſolis agnoſcere miraculum videtur his verbis: *In diebus ipſius rediit ſol, & addidit Regi vitam*. Et II. Paralipomen. XXXII. miſiſſe leguntur ad Ezechiam proceres Babylonis legationem, ut interrogarent de portento quod accideret ſuper terram. Vide D. Auguſtin. de Mirab. ſacræ Script. Lib. II. cap. XXVIII. qui intelligit ſolem vere retroceſſiſſe. Sic & Prudentius in Enchiridio his verbis:

Quod gradibus, quos veſpera texerat umbra,
Lumine perfuſus docuit ſol verſus in ortum.

MARIANAE.

Verſ. 1. PRAECIPE DOMUI TUAE; ideſt, teſtamentum facito, o Ezechia.

V. 3. IN VERITATE; ideſt, ſine ſimulatione ambulaverim. FLEVIT vitæ deſiderio, aut quia nullus intrepidus vadit ad iudicium Domini: Hieronymus II. contra Pelag.

V. 5. SANAVI TE, pro ſanabo: ſic Iſaias Dei nomine.

V. 6. PROPTER ME. Hoc Hebr. non eſt.

V. 7. CURATUS EST. Sept. *ſanaberis*. Chald. *ſanatum eſt*, ſcilicet ulcus. Hebr. *& vivit*: ſcilicet Rex ipſe a morte, quæ illi imminebat, eſt liberatus. Petit Rex ſignum. Iſaias:

V. 9. VIS UT ASCENDAT UMBRA DECEM LINEIS? Hebr. *Ivit* (pro ibit) *umbra decem gradibus, ſi revertetur decem gradibus*? quaſi dicat: Optio tibi datur, quod mavis elige, aut progrediatur umbra, aut retrocedat. Facile eſt.

V. 10. CRESCERE DECEM LINEIS, ideſt progredi ulterius. NEC HOC VOLO. Hebr. *Non*, ſupple *fic*, aut *hoc volo*: ſed ut revertatur retro.

V. 11. REDUXIT UMBRAM: non minori ſcilicet tempore quam in quo venerat, retro umbra rediit. PER LINEAS, id eſt per gradus. IN HOROLOGIO ACHAZ. Hebr. *in gradibus Achaz*. Sic ſolare horologium vocatur tum hoc loco, tum ſuperius cap. IX. verſ. 13. ixta Chald. interpretationem, quod inſtar tribunalis ea arte eſſet fabricatum, ut ſingulis horis umbra ſingulos gradus aſcenderet ante meridiem, poſt meridiem deſcenderet. Porro *horologium Achaz* vocatur, quoniam ab eo Rege factum erat. Sane umbra reverti non potuit, niſi ſole retro converſo. Ex hoc facto quidam putant Phaetontis ortam fabulam, ſolis radiis eo auriga combuſtas terras. Et Dionyſius Areopagita epiſt. VII. facerdotum apud Perſas monimentis rei huius memoriam contineri ait: neque aliud triplicis Mithræ, id eſt ſolis, memoriam apud magos ſignificare, quam eius diei prodigioſam durationem triplo fere quam ſolet longioris. Ita dies ille horarum triginta duarum fuit, cum alii dies eſſent duodecim horarum.

V. 12. AUDIERAT Babylonius Rex QUOD AEGROTASSET EZECHIAS. Fama vulgarat tum morbum, tum ſanitatem, tum ea cauſa ſolem rediſſe retro. Hæc præcipua huius legationis cauſa.

V. 13. LAETATUS EST AUTEM... EZECHIAS. Sic Sept. Chald. *Excepit eos*. Hebr. *Et audivit eos*, id eſt legationem eorum. OSTENDIT EIS DOMUM AROMATUM. Hebr. *domum deſiderabilium*; id eſt, ubi pretioſa quæque ſervabantur: *la recamara*. PIGMENTA VARIA. Hebr. *unguenta*. UNGUENTA QUOQUE. Hebr. *oleum bonum*, id eſt oleum pretioſum, ſcilicet balſamum. IN OMNI POTESTATE SUA. Chald. *in omni imperio ſuo*: ſic Hebr. *In omni dominatione ſua, quidquid erat, oſtendit eis*. Iſaias increpat:

V. 17. ECCE DIES VENIENT. Non fuit magnum peccatum oſtendiſſe Babyloniis theſauros, ſed ea occaſione voluit Iſaias Regi futura prædicere, quo ſe cautius cum ea gente gereret.

V. 18. DE FILIIS TUIS, id eſt nepotibus, poſteris. TOLLENTUR. Gotth. *Tollent*. Sic Hebr. & Iſai. XXXIX. 7. etiam in Vulgata. ERUNT EUNUCHI. Chald. *Principes*. Hoc dicit propter Danielem, & ſocios eius Ezechias:

V. 19. BONUS SERMO DOMINI; faciat quod ei placuerit. SIT PAX ET VERITAS. Hebr. *Nonne ſi pax & veritas erit in diebus meis?* quaſi dicat: *Nonne* (ſcilicet ita erit) *ſi pax & veritas*, (ſcilicet eorum quæ mihi ante ea pollicitus) *erit in diebus meis*? Chald. Nonne

ne pax, & veritas erit in diebus meis?

V. 20. SERMONUM Hebr. *verborum*, pro rerum geſtarum: reliqua Ezechiæ nonne ſcripta ſunt?

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN DIEBUS ILLIS. Notant hanc ægritudinem Ezechiæ inciditſſe in annum quartum decimum regni eius, cum Sancherib invaſit Iudæam, ſupra cap. XVIII. verſ. 13. & adventu Thirhachæ AEthiopis Aſſyrius avocaretur a Iudæa, ſupra cap. XIX. verſ. 9. Siquidem Ezechias univerſe regnavit viginti novem annos, ſup. cap. XVIII. & quindecim ex his regnavit poſt hanc ægritudinem, ut perſpicue dicitur infra verſ. 6. Evincitur ergo anno decimoquarto regni ægrotaſſe. PRAECIPE DOMUI TUAE. צו *tzau*, *manda*, *præcipe*, *da mandata & præcepta*, *ordina*, *diſpone* (ſic ſumitur id verbum II. Samuel. XVII. verſ. 14.) familiæ tuæ: nihil de rebus regni meminit, quia carebat filio regni ſucceſſore; ſed monetur ut leget, & teſtamentum condat de re familiari. Neſcio cur aliqui abiecto ſod, & aliis punctis, legant לבתך *lebitiecha*: *Da præcepta filiæ tuæ*. Fortaſſe quia non niſi filiam habebat: nam filium tunc non habuiſſe certum eſt, ex cap. XXI. verſ. 1. Sed exemplaria conſtanter legunt לביתך *lebetbecha*, ſod interiecto, *domui tuæ*. MORIERIS ENIM TU. מת *meth*, vel participium, vel præteritum eſt, *quia moriens*, vel *mortuus*, ſeu *mortuus fuiſti tu*, id eſt illico, brevi, certiſſime moriturus. Sic Gen. XX. 3. ET NON VIVES; id eſt, ſi vim morbi ſpectes, lethalis eſt, non potes vivere ex tanto morbo ullo naturæ remedio. Notant, hæc omnia & ſubeſſe, & pronuntiari ſub conditione voluntatis, & potentiæ divinæ.

V. 2. QUI CONVERTIT FACIEM SUAM AD PARIETEM, ut attentius collecto ſpiritu oraret, averſus ab aliorum aſpectu. Chaldæus Interpres divinat, converſiſſe faciem verſus templi parietem, ut Deum intento animo precaretur.

V. 3. MEMENTO, QUAESO, QUOMODO AMBULAVERIM CORAM TE. Hebr. *Recordare*, *obſecro*, *quod ambulare me feci faciebus tuis*. Quidam: *Recordare iam me indefinenter ambulaſſe coram te*, &c. quaſi dicat, Me pro virili meo conditioni adhæſiſſe, quam propoſueras I. Reg. VIII. 25. peto igitur, ut memor promiſſi tui ibidem, non patiaris vita excedere me ſine ſucceſſore filio. Nam trienio poſt Menaſeh ei natus eſt, inf. cap. XXI. verſ. 1. *Ambulare coram Deo*, eſt Deo inſervire, ſancte, pieque vivere ex præſcripto legis Dei, eiuſque præcepta ſervare. Vide in Geneſ. v. 24. Et coniugatio Hithpahel maxime hic ſignificatum auget; quaſi dicat, Me omnem dediſſe operam ut tibi placerem.

V. 4. MEDIAM PARTEM ATRII. Hebr. ſcribitur in textu העיר *haghir*, *urbem mediam*, ſeu *civitatem medianam*; in margine vero חצר *chatzer*, *atrium medium*, vel *medianum*, quam lectionem fere ſequuntur Hebræi, & Noſter amplexus eſt. Tremellius, & Iunius reddunt, & exponunt in hunc modum: *In civitatem medianam: nam duplex erat civitas præter civitatem Davidis, ut diximus in Iudic. I. verſ.* 8. *& ex hiſtoria Ioſchiiæ infra cap. XXII. verſ.* 41. *& Nechemiæ conſtat. Hebræi omnes legunt* (*ut ante fecimus*) *in atrium medianum, præter fidem Scripturæ, & citra neceſſitatem: quamobrem id nunc improbamus. Quod ſi quis ſervare mavult atrium medianum, intelligendum erit, interius ipſa porticu, quod I. Reg. VII. 8. atrium alterum vocatur.* Caietanus, *A civitate medii*, id eſt a medio civitatis Davidis, ſeu arcis Sion: adhuc enim recedendo non tranſierat medium montis Sion. Alii medium urbis Ieruſalem univerſe intelligunt. Plerique *medium atrii* regiæ baſilicæ accipiunt.

V. 5. VIDI LACRYMAS TUAS. Heb. ſingulariter, *lacrymam tuam*. Quidam numerum ſingularem hic emphaſim habere volunt promptiſſimæ miſericordiæ Dei, qui ad primam Ezechiæ lacrymulam placatus ſit, & ei opitulatus. Sed ſic loqui Scriptura ſolet, ut Pſalm. CXXV. 5. Ieremiæ XXXI. 16. &c.

V. 7. AFFERTE MASSAM FICORUM. Quidam notant, hoc adhibitum medicamentum e diametro fuiſſe contrarium morbo, ſeu ulceri, quo laborabat Ezechias, ut magis eluceſceret divina miraculi virtus. Alii morbum Ezechiæ putant fuiſſe ulcus malignum, inflammatione compli-

catum. Vide Exodi IX. 9. alii tumorem, vel durum tuberculum; quibus curandis aptas esse caricas Medici affirmant. Sed morbo Iezechiæ, ut potuerint esse caricæ conveniens medicamentum, pluribus disputat Valles medicus regius in sacra Philosophia, cap. XXXIX. Illud satis constat, morbum illum fuisse lethalem, & omnem medicamentorum vim superantem; atque curationem eius, & ex natura morbi, & ex brevi tridui curatione, omnino fuisse miraculo divinæ virtutis adscribendam. CURATUS EST: non ex facultate ficuum, cum morbi natura esset indomabilis a mediis naturalibus; sed ex Dei verbo.

V. 8. DIXERAT AUTEM EZECHIAS. Hebr. *Et dixit Chizkiiahu.* Noster, & alii præteritum perfectum pro pluisquam perfecto acceperunt: *Dixerat autem*, nimirum antequam imponeretur cataplasma caricarum: nam hæc præcedunt quæ dicta sunt versu superiore. Alii præteritum perfectum, *& dixit*, retinent, ut potuerit Ezechias iam adhibito cataplasmate, signum triduanæ curationis postulare. QUOD ERIT SIGNUM? &c. Quidam exponunt quasi dicat: Modo dixisti actum esse de vita mea: iam vero sanitatem promittis: vellem signo confirmari hoc promissum. Non ex infidelitate, sed ut magis in fide confirmetur, amore vitæ; quamvis S. Hieronymus II. in Pelagianos scribit: *Quod tamen parvæ fidelitatis indicium est.*

V. 9. VIS UT ASCENDAT UMBRA DECEM LINEIS, AN UT REVERTATUR TOTIDEM GRADIBUS? Hebr. *Ivit umbra decem ascensionibus*, seu *gradibus*: *si revertetur decem ascensionibus*, seu *gradibus?* Quidam volunt priorem partem esse affirmativam, & optionem tantum dari posteriorisi partis; quasi dicat: Umbra iam in horologio progressa est decem gradus, visne ut retrogrediatur eos totidem decem gradus? Alii notant mutilum esse sermonem, & propositæ optione unius, intelligendam utriusque optionem ex subiunctis Ezechiæ verbis. Plerique tamen, utramque optionem his verbis expressam autumant, & interrogative reddunt: *Visne, ut progrediatur umbra decem gradibus, an revertatur decem gradibus?* vel, *Abeatne ista umbra decem gradibus, vel retrocedat decem gradibus?* *Decem gradibus?* מעלות *maalaloth* proprie *ascensiones*, seu *gradus* significat. Quidam volunt illud horologium solare Achazi ita constructum arte mechanica, ut gradibus pictis, aut fabrefactis, per modum ascendentis umbra progrederetur usque ad meridiem, & per modum descendentis umbra progrederetur a meridie usque ad noctem. Alii vero *gradus* intelligunt *lineas* in horologio solari, quas sciatheræ, vel gnomonis umbra ferit. Sic Noster versu sequente.

V. 10. FACILE EST UMBRAM CRESCERE DECEM LINEIS. Hebr. diversimode reddunt. I. *Leve est umbræ declinare decem gradibus.* II. *Levius esset umbram declinare decem gradibus*; id est, uno momento ulterius decem gradus, seu lineas percurrere; vel subito in decimum gradum abripi: nam id quo ad modum esset miraculosum, quod uno nimirum momento umbra decem gradus ulterius progrederetur; non quo ad rem, nam umbram procedere ulterius in horologio, secundum naturam est. Retrogredi vero momento decem gradibus seu lineis, & quo ad rem, & quo ad modum, supra naturam est, ac proinde maius miraculum: & hoc postulat Ezechias.

V. 11. ET REDUXIT UMBRAM. Quidam, retrocessisse umbram solum, non solem ipsum in cælo existimant: nam *id* non erat necesse ad miraculosum signum, ut ordo ipse, & cursus cælorum verteretur: & si Isaiæ XXXVIII. 8. dicitur: *Et reversus est sol decem gradibus*: id metonymice capiunt, pro umbra solis; ut vulgo dicimus: Iam sol, id est umbra solis, terit decimam, aut duodecimam lineam horologii. Itaque aiunt retrogressam umbram, procedente tamen sole, nec secutam fuisse umbram motum solis. Verum alii rectius existimant, solem quoque ipsum in cælo a suo cursu retrocessisse eos decem gradus aut lineas gnomonis: quæ sententia disertissime est sancti Dionysii Areopagitæ epistola VII. ad S. Polycarpum, & Georgii Pachymeris in scholiis eiusdem epistolæ; S. Hieronymi, S. Cyrilli, Procopii, in Isaiæ XXXIX. sub initium; Theodoreti, & Rabbani in hunc locum; Michaelis Glycæ Parte II. Annalium; Georgii Cedreni Annalium pag. 49. & plurimorum recentiorum: quam egregie

gie firmant verba Isaiæ, & observatum id prodigium Babylone a Chaldæis, ut mox dicemus, cum solius umbræ miraculum Babylone observari non potuerit.

Iam qualiter id miraculum patratum fuerit, varie differunt Explanatores: lector eos adeat: nobis illorum sententia verisimilior visa qui statuunt. I. Solarium illud, seu horologium Solare Achazi, fuisse hemihorion, ad semihoras, non integras horas notandas constitutum. Solarium enim diurnum horas duodenas indicat, vel semihoras vicenas quaternas, quarum gradus totidem commatis distinguuntur: umbra vero per sciatheram, vel gnomonem, seu stylum secundum solis cursum pervadit omnia commata solarii. Fuisse autem hemihoreos gradus, evincere denarii numeri duplicationem, qua Deus uti Prophetam voluit, cum Regi Chizkiiæ optionem daret, nam cum optio detur, si velit umbram decem gradus progredi, vel decem alios retrogredi; iam evincitur ad minus viginti gradus seu lineas fuisse in horologio solari, quæ horas integras indicare ex umbra solari non poterant, cum longior dies in Palæstina non excedat quindecim solis horas: semihoras ergo gradus illi, seu lineæ horologii indicabant. Unde constat quinque horarum spatio tantum retractum solem, & umbram, quas indicabant semihorei illi decem gradus, quibus retroacta fuit umbra. II. Illam solis & umbræ per decem gradus retrogressionem fuisse momento temporis peractam: alioqui in priori parte optionis, nullum fuisset propositum miraculum: nam naturali cursu solis die illo progressura erat umbra solito tempore. III. Illud vero difficile, & ambiguum, retroactus sol decem gradibus, seu ad decimum retrogradum, quamdiu ibi substiterit; vel num ex eo loco ad quem retrocessit, naturali, & ordinario suo cursu iter suum deinde peregerit; vel num statim post animadversum, & observatum ab Ezechia, domesticisque eius, & Ierosolymitanis prodigium illud, momento ad locum priorem unde retroactus fuerat, redierit. Unde incertum, quantum dies ille duraverit: nam quidam volunt duravisse decem horis amplius ordinariis aliis diebus: nam cum alii dies solares sint duodecim horarum, hunc fuisse viginti duarum horarum. Alii, non excessisse alios dies saltem decem integris horis, sed infra has. Ex analogia eorum quæ diximus, videtur quinque paulo plus minus horis maiorem aliis diebus fuisse. Illud tamen certissimum non duravisse tantum, quantum diem illam sub Iosue, cap. x. vers. 13. & 14. Vide Glycam II. Par. Arnalium accurate de hoc miraculo differentem.

In horologio Achaz. Hebr. *in ascensionibus Achaz*, seu *in gradibus Achaz*; sed *maghaloth* accipi pro gradibus, seu lineis horologii solaris, seu pro solario, seu horologio solari, omnes intelligunt. Vide sup. cap. XIII. vers. 9. Unde hic exponunt: *In gradibus Achazi*, id est in lapide in quo gradus solis, sive horæ notabantur. Chaldæus reddidit, *In lapide horarum Achazi*. S. Hieronymus: *Gradus quos nos iuxta Symmachum lineas, & horologium vertimus: qui gradus intellexit in lineis, ut manifestiorem sensum legentibus faceret. Sive ita extructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens, horarum spatia terminaret. Solent sanctorum locorum in hac provincia monstratores, intra conseptum templi ostendere gradus domus Ezechiæ, vel Achaz, quod sol per eos descenderit. Sed numquam ego credam, non dico Achaz, qui Rex impius fuit, sed cuiuslibet Regis iusti domum iussse in templo Dei.* S. Cyrillus: *Dicunt autem, Achazum Ezechiæ patrem in domo sua, velut machina, & arte quadam gradus quosdam confici curavisse, qui velut horas numerarent, & cursum solis, decursu umbræ in illis factæ metirentur.* Quidam hic reddunt, *In ascensibus*, seu *gradibus*, vel *cochlea, quam fecerat Achaz.* In hac cochlea erant gradus, seu lineæ signatæ in lapide quodam, ex quibus discebatur hora diei sole splendente, hoc est Solarium lapidi incisum. Ambiguum ergo, an illud Solarium fuerit ut nostra, gnomone sua umbra notante lineas horarum, aut semihorarum; an per veros structos gradus mathematica arte, solis umbra descendens horarum spatia designaret.

V. 12. Misit, ad congratulandum Ezechiæ de salute recuperata, & ad inquirendum de prodigio retroacti solis, prout observatum fuerat a Chaldæis, ut dicitur II. Paralip. XXXII. 31. Berodach. Hic Isaiæ XXXIX. 1. vocatur Merodach. Iosephus:

phus: *Circa eadem ferme tempora imperium Aſſyriorum per Medos diſſolvi contigit*. Iam ſub Arbace multo ante Medi, interfecto Sardanapalo, imperium Aſſyriorum everterant, & dynaſtiam Medorum in oriente condiderant; tametſi laciniæ quædam imperii Aſſyriorum manſerant, qui & interdum ipſis Medis rebellaverant, & rerum potiti ſunt; ut ſub Phul, Teglathphalaſar, Salmanaſſar, Sennacherib, &c. Primus Nabonaſſarus dynaſtiam Babyloniorum, excuſſo Medorum iugo, condidit, a quo Chaldæi novam illam epocham quam Nabonaſſari æram appellant, & a qua aſtronomicas rationes ſupputant, inſtituerunt. Ab hoc Nabonaſſaro quartus in dynaſtia Babylonica conſtituitur Mardokempadus, quem anno vigeſimo ſeptimo æræ Nabonaſſaris in Babylone regnare cœpiſſe, auctor eſt Ptolemæus Lib. IV. Almageſti, cap. VI. Hunc ergo Mardokempadum plerique putant eumdem ipſum fuiſſe qui Merodah, ſeu Berodah dicitur. Vide de his Scaligerum Lib. II. iſagogicorum Canonum, pag. 132. & 134. & Lib. III. pag. 314. 315. & Ubbonem Emmium, in Canone chron. qui notant, hoc anno, Ezechiæ decimoquarto, quo ægrotavit, & interfectum Sennacheribum a filiis, & miſſile Merodachum, ſeu Mardokempadum Regem Babylonis ad ipſum Ezechiam legatos; qui fuit imperii eius ſeptimus, & morte Romuli inſignis, & ingenti defectione ſolis, quam maximæ tenebræ conſecutæ ſunt. Ego facile crediderim interfecto a filiis Sennacheribo, & exortis civilibus motibus inter Aſar-Hadonem & fratres, auctas vires Babylonicorum dynaſtarum, & Aſyriorum imperium peſſum iiſſe. Nec vilis prorſus ſuſpicio fuerit, magnam illam ſolis eclipſim quam hoc anno circa mortem Romuli contigiſſe, auctores produnt, forte fuiſſe ingens illud portentum retroacti ſolis precibus Iſaiæ in gratiam Ezechiæ Regis, quod hoc anno factum eſt; quod ab exteris ſcriptoribus parum ex vero cognitum, ſub alieno ſolaris defectionis nomine traditum fuerit.

V. 13. LAETATUS EST AUTEM IN ADVENTU NUNTIORUM EZECHIAS. Hebr. *Et audivit ſuper eos Chizkiiahu*. Videtur indicare, excepiſſe eos Ezechiam in magno conſeſſu procerum, magnoque apparatu, & magnificentiæ oſtentatione, ut ſolent excipi, & audiri plena curia magnorum principum legati. Quidam reddunt: *Et acquievit*, ſeu *paruit eis*. Hebræi exponunt: Rogaverunt eum ut oſtenderet eis domum, quod & fecit. Alii reddunt: *Ad quos intentus Chizkiiahu, oſtendit*, &c. Iſaiæ XXXIX. verſ. 2. dicitur: *Et lætatus eſt ſuper eos Chizkiiahu*. DOMUM AROMATUM. De voce נכות *nechoth* vide de Comment. in Geneſ. XXXVII. 25. hic varie reddunt: 1. *omnem domum deſiderabilium ſuorum*, vel *deſiderabilem ſuam*; 2. *omnem domum pretioſorum ſuorum*; 3. *omnes cellas aromatum ſuorum*; 4. *totum gazophylacium ſuum*; 5. *omnem domum reconditi ſui*. ET DOMUM VASORUM SUORUM. Poſſit quoque intelligi domum inſtrumentorum, ſuppellectilis, armorum. Quidam exiſtimant oſtendiſſe quoque eis optima & pretioſa templi vaſa, quod S. Hieronymus in XXXV. Iſaiæ, & Lib. II. in Pelagianos affirmat. Alii eunt inficias, e verſ. 15. quod veriſimilius puto. Hebræi notant hic in textu deeſſe vocem כל *col*, *omnem domum*, quam margini appingunt, ex Iſaiæ XXXIX. 2.

V. 18. ERUNT EUNUCHI. Quidam vertunt *aulici*, quod notant completum legi infra cap. XXIV. & XXV.

V. 19. SIT PAX ET VERITAS IN DIEBUS MEIS. Hebr. *Et dixit: An non, ſi pax, & veritas erit in diebus meis?* Exponunt: *Nonne* gratia mihi fiet, *ſi pax & veritas erit in diebus meis?* Quidam: *Et adiecit: Nonne bonum eſt, ſi pax & veritas futura ſit in diebus meis?* vel *quid ni, ſi pax & veritas*, &c. id eſt, modo tranquillitate, & quiete fruar, quamdiu vixero, & præſtet Dominus quod eſt pollicitus, ne ab hoſtibus arguatur mendacii. Aliqui: *Et dixit: Modo pacatæ ſint, atque tutæ res diebus meis*. Alii: *Præterea dixit: Nonne? quandoquidem pax & ſtabilitas futura eſt diebus meis*. Explicant, *Nonne?* id eſt omnino bonum, & iuſtum. Graviſſima affirmandi ratio apud Hebræos uſitata. Sic I. Samuel. X. 1.

V. 20. PISCINAM: de qua vide Nehemiæ III. verſ. 16. ET INTRODUXERIT AQUAS IN CIVITATEM. Exponunt, Ut eas hoſtibus interciperet, II. Paralipom. XXXII. 3. 4. & 30. vide in Eccleſiaſtici XLVIII. 19. NONNE HAEC SCRI-

SCRIPTA SUNT, &c. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 19.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN DIEBUS ILLIS, eo ſcilicet anno quo Sennacherib ab Ieruſalem profectus eſt contra Tharaca Regem AEthiopum. AEGROTAVIT EZECHIAS, Deo morbum immittente ne inſoleſceret ob victoriam; vel quia pro eo, ut par erat, gratus non fuit; vel ut ægritudine corporis purgaretur animus, & pii Regis virtus exerceretur. Ita paſſim ſacri Interpretes, quos citat Salianus anno mundi 3322. num. 67. Ipſe tamen cum Torniello, & aliis putat Ezechiam ægrotaſſe antequam Aſſyriorum obſidio ſolveretur, nam huius capitis num. 6. dicitur: *De manu Regis Aſſyriorum liberabo te*. PRAECIPE DOMUI TUAE: *diſpone domui tuæ*, ut habemus Iſa. XXXVIII. 1. MORIERIS ENIM TU ET NON VIVES, ſcilicet ſi naturam, & naturales cauſas ſpectes: morbus enim erat lethalis.

V. 2. AD PARIETEM, verſus templum, vel ut magis quiete oraret, nec inter orandum affectus, & lacrymarum teſtes haberet.

V. 3. IN VERITATE, ET IN CORDE PERFECTO, ſerio te colens, idola deſtruens, ſerpentem æneum comminuens, &c. FLEVIT ITAQUE EZECHIAS FLETU MAGNO, *propter promiſſionem Domini ad Davıd*, ait D. Hier. *quam videbat in ſua morte perituram: eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Nam poſt mortem eius Manaſſes cum duodecim eſſet annorum, regnare cœpit in Iudæa: ex quo perſpicuum eſt, poſt tertium annum conceſſæ vitæ, Manaſſem eſſe generatum. Ergo iſte omnis eſt fictus, quod deſperabat Chriſtum de ſuo ſemine naſciturum*. DIE TERTIO, ab hoc die computando, quo Iſaias hæc Regi dicebat, ut placet Toſtato, licet aliter numerent.

V. 7. AFFERTE MASSAM FICORUM. An cataplaſma ex ficubus ulcus illud ſanare poſſet facultate naturali, incertum eſt. Non deſunt qui putent potius nocere potuiſſe; adhiberi tamen iuſſiſſe Prophetam, ut magis divina virtus appareret. Vide Valleſium de ſacra Philoſophia cap. XXXIX.

V. 8. QUOD ERIT SIGNUM? &c. Noluit Ezechias ſigni poſtulatione tentare Deum, ſed Prophetæ fidem explorare, qui tam brevi tempore contraria prædixiſſet, & moriturum, & morbum evaſurum.

V. 10. FACILE EST UMBRAM CRESCERE, &c. Facilius videtur umbram in momento, aut breviſſimo tempore creſce progrediendo, iuxta motum naturalem quem habet a ſole, quam regredi: nam cum regreditur breviſſimo tempore, aut in momento, duplex eſt miraculum, alterum quod ſtylus tam brevi tempore tot horas decurrat, alterum quod non progrediatur more naturali, & ſolito, ſed regrediatur.

V. 11. REDUXIT UMBRAM: non ſolum umbram, ſed ſolem etiam ipſum a Deo retroactum communiter docent Patres, & Scriptura ſatis clare indicat, nam Iſaiæ XXXVIII. 8. dicitur: *Reverſus eſt ſol decem lineis*. Idem diſerte aſſerit Eccleſiaſticus cap. XLVIII. 26. Sunt tamen qui ſentiant tantum umbram reductam fuiſſe, & Iſaiæ verba utcumque explicant, ne ſuæ interpretationi adverſetur. DECEM GRADIBUS. Caietanus, & alii gradum unum mediam tantum horam habuiſſe putat, itaque diei additæ ſunt tantum quinque horæ.

V. 12. LITTERAS, ET MUNERA. Iſaiæ XXXIX. 1. eodem ſenſu legimus, *Miſit libros, & munera*, nam ספרים *ſepher* Hebræis libros ſignificat, & epiſtolas. AUDIERAT ENIM QUOD AEGROTASSET. Mittuntur legati officii cauſa, ut ſcilicet Ezechiæ gratularentur quod convaluiſſet. Alia additur cauſa II. Paralip. XXXII. 31. ubi legimus: *In legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram*, &c. cum ſcilicet ſol retroceſſit, ut diximus num. præcedenti.

V. 13. LAETATUS EST EZECHIAS, quod a magno Principe ſe videret honorari. PIGMENTA, ideſt res odoriferas. DOMUM VASORUM. Emanuel Sa putat intelligi armamentarium, in quo reponuntur vaſa, hoc eſt inſtrumenta bellica. Fortaſſe dici poſſit Domum vaſorum eam eſſe quam appellant Itali, *la guardarobba*, in qua vaſa, & ſupellex

pretioſior reconditur, tabulæ pictæ, & huiuſmodi.

V. 17. ECCE DIES VENIENT, &c. Gravis Prophetæ comminatio: peccaverat enim Ezechias elatione animi cum ingratitudine coniuncta, de divino beneficio ſuperbiens, & glorians, & ſibi quodammodo tribuens quod Dei munere poſſidebat, quamvis hæc eius ſuperbia fortaſſe tantum venialis fuerit.

V. 18. DE FILIIS TUIS, fortaſſe nepotibus, quos Scriptura etiam filios appellat. Salianus in eam propendit ſententiam, ut ſermo ſit de filiis immediate ab Ezechia genitis, fratribus Manaſſis natu minoribus. EUNUCHI, cubicularii Regi famulantes.

V. 19. BONUS SERMO DOMINI. Verba ſunt Deo ſe ſubmittentis, & in illius voluntatis decreto acquieſcentis. SIT PAX ET VERITAS IN DIEBUS MEIS. *Veritas* idem eſt quod ſtabilitas: rogat enim, ut ſi quid Dominus pro ſua iuſtitia in regno ſuo turbare voluerit, ne id contingat tempore vitæ ſibi a Deo miſericorditer promiſſæ, ſed firma, & ſtabilis ſit illa promiſſio.

TIRINI.

Verſ. 3. FLEVIT ITAQUE EZECHIAS FLETU MAGNO: non tam quod moreretur (uti comminando prædixerat Iſaias) quam quod illiberis, & ſine herede, ex quo naſciturus eſſet Chriſtus, moreretur. Nam Manaſſes ſucceſſor Ezechiæ, moriente patre non erat niſi duodecim annorum; Ezechias vero ab hoc morbo ſupervixit totis quindecim annis: ergo Manaſſes nonniſi tertio anno ab hoc patris morbo natus eſt. Ita Ioſephus, Auguſtinus, Abulenſis, Caietanus.

V. 6. SED ET DE MANU REGIS ASSYRIORUM LIBERABO TE. Cum ex Iſaiæ XXXVI. conſtet, Regem Aſſyriorum Sennacherib veniſſe in Iudæam anno decimo quarto Regis Ezechiæ, & Ezechias poſt morbum ſuum ſupervixerit quindecim annis (verſ. 6.) neque pluribus univerſim regnarit quam viginti novem *a* annis: certo colligitur, hunc morbum Regi Ezechiæ obveniſſe cum primum Sennacherib in Iudæam aſcendit: idque, ut ait Hieronymus, ne Rex Ezechias prodigioſa clade & fuga Aſyrii tyranni, & tam glorioſo rerum eventu nimis inſoleſceret.

V. 7. DE FICORUM cataplaſmate, quo ulcus Regis ſanavit Propheta Iſaias, an vi naturali potuerit afferre ſanitatem, vide Franciſcum Valeſium *b*, & alios medicos. Ego ſupra naturæ medicinæque vires accidiſſe certum habeo, quod tam brevi ſpatio, Rex a morbo ſecundum naturæ curſum lethali, non modo convaluerit, ſed & tanto robori redditus ſit, ut tertio poſt die in templum ſe conferret.

V. 9. VIS UT ASCENDAT UMBRA DECEM LINEIS? quibus vel horæ in horologio notantur, ut vult Chaldæus, S. Dionyſius, Beda, Eucherius *c*, & Angelomus; vel potius mediæ horæ, ut putat Abulenſis, Caietanus, Cornelius a Lapide *d*, & Alvarez. Nam cum daretur optio Ezechiæ ut aut progreſsum umbræ, aut regreſsum ad decem lineas eligeret; erat ſine dubio talis deſcriptio linearum in horologio, & talis iam ſitus ſolis, ut utrumque fieri, & ab Ezechia ſpectari poſſet. Ergo ſol momento iſto ut minimum decem poſt ſe lineas ad ortum, totidemque ante ſe verſus occaſum deſignatas relinquebat. At vero dies, etſi longiſſimus, in climate Iudææ, numquam extenditur ad horas viginti. Quare ad ſemihorarum lineas confugiamus neceſſe eſt.

Petes primo, an ſola umbra retrocеſſit? Ita cenſet Vatablus, Paulus Burgenſis, Arias Montanus, & probabile putant Emanuel Sa, & Gaſpar Sanctius. Sed communis eſt SS. Patrum ſententia, etiam ſolem ipſum retroactum fuiſſe; & conſequenter prodigium hoc toti orbi patuiſſe. Probatur ex Iſaiæ XXXVIII. 8. ubi expreſſe dicitur: *Reverſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat*: & Eccli. XLVIII. *In diebus ipſius retro rediit Sol*. Et cur alioqui II. Paralip. XXXII. 31. e Babylone ſubmiſſi legati inquirerent de hoc portento, ſi iſtud umbratile tantum, nec niſi Ieroſolymis in unico Regis horologio ſpectatum fuiſſet?

Petes ſecundo, an ſolus ſol, an vero etiam reliqua aſtra, & cæli omnes retroceſserint? Reſpondeo, ſimul omnia retroceſſiſſe; ſicut Ioſue X. ſimul omnia ſteterunt. Nam alioqui, maiori nec neceſſario mira-

miraculo totus cælorum ordo perturbatus fuiſſet. Ita Abulenſis, & ſubindicat S. Dionyſius.

Petes tertio, an hæc retrogreſſio facta ſit ſubito, an ſucceſſive & lente, motu ſolis ordinario? Caietanus cum quibuſdam aliis vult, ſubito, & quaſi in momento, vel ſaltem velociori motu quam ſolet, retrogreſſum ſolem. Sed probabilius cum Chaldæo, & S. Dionyſio *e* putarim, motu prorſus ordinario retroceſſiſſe, & decem lineas mediarum ſingulas horarum percurrendo, impendiſſe in regreſſu quinque horas, & rurſus alias quinque in ſecundo progreſſu: atque ita totis decem horis auctum fuiſſe hoc miraculo diem. Patet, quia lentiore illo ſolis regreſſu certius evidentiuſque redditum fuit miraculum. Addit ſanctus Dionyſius, Perſas in memoriam tanti prodigii ſolitos triplicem ſolem celebrare, puta progredientem, regredientem, ac rurſum progredientem.

Notat S. Auguſtinus *f*, & Angelomus, hoc ſignum litteraliter ſignificaſſe, retexendam eſſe telam vitæ Regi Ezechiæ: t opologice, convertentibus ſecum Ezechia ad Deum per pœnitentiam, redditum iri priſtina merita, & gratiam: allegorice, Chriſtum in paſſione totis decem lineis, id eſt ſumme, infra novem choros Angelorum, & decimum hominum deſcendiſſe, rurſumque inde longe altius aſcendiſſe ad Patrem. Denique nota, Herodotum quoque in ſua Euterpe mentionem feciſſe tum cædis Sennacheribi, tum ſolaris huius prodigii, ſed veris multa falſa permiſcuiſſe, ut ait Ioſephus *g*.

V. 12. BERODACH. Iſaiæ XXXIX. *Merodach* vocatur, filius Baladan. Hic enim parens eius cum adhuc privatam degeret vitam, *Baladan* vocabatur; ſed cum Prorex Babylonis a Rege Aſyriorum conſtitueretur, dictus eſt *Nabon-Aſſar*, a quo nomen ſumpſit celebris æra Nabon-Aſaris. Huius nepos & ſucceſſor Bᵒn Merodach occaſione proſtrati Sennacheribi, cui vectigalis factus fuerat, excuſſit iugum Aſyrium, ſeque, ſuumque regnum Babylonicum rurſus in libertatem aſſeruit. Et ideo iam ad Ezechiam, quem norat hoſtem quoque eſſe eiuſdem Aſyrii tiranni, ſolemnem hanc legationem mittit. Paulatim vero in tantam crevit potentiam, ut paucis poſt annis ab excuſſo iugo Aſyrio, Aſyrium ipſum imperium, devicto Aſar-Haddone, non parum labefactarit *b*.

(a) IV. Reg. XVIII. verſ. 2. & II. Paralip. XXIX. verſ. 1.
(b) Valeſius de ſacra Philoſophia, cap. XXXIX.
(c) Dionyſ. epiſt. ad Polycarpum. Eucherius, & alii hic.
(d) A Lapide in Iſaiæ XXXVIII.
(e) Dionyſ. epiſt. ad Polycarpum.
(f) S. Auguſtin. de Mirab. Script. Lib. II. cap. XLVIII. &c.
(g) Ioſeph. Lib. X. Antiquit. cap. I.
(h) Chron. cap. XXXIII. & XXXIV.

GORDONI.

Verſ. 1. QUo anno, & ordine hæc acta ſint attigi in indice Chronologico, ubi de annis Ezechiæ, ad finem Lib. I. Reg. Hic annus eſt Ezechiæ decimus quintus & ann. mundi 3268.

V. 11. & 13. At quas opes oſtentare potuit Ezechias poſt tot talenta perſoluta Regi Sennacherib? Sane eas quas recuperavit ex clade Aſſyriaca, ex qua etiam ſecuta eſt ibi regnorum diviſio, & gratulatio illa a Babylonio novo Rege, attritis rebus Aſſyriorum. Reſtat verſ. 11. an ſol redierit tunc retrorſum decem horas; an vero ſole tenente curſum, umbra in horologio retroceſſerit; hoc eſt, an in hoc ſole retrogrado (& ſic dies fuiſſet longior) an in umbra tantum facta ſit mutatio: ſimile de ſole eſt illud Ioſue cap. X. in præſenti quæſt. utraque pars defendi poteſt; neutra demonſtrari.

V. 17. ECCE DIES VENIENT. Quodnam fuit peccatum, oſtendiſſe legatis novi, & amici Regis theſauros? forte non magnum; tamen Propheta hinc ſumpſit occaſionem aperiendi, quod poſteris erat eventurum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. MORIERIS. Morbus ſane lethalis erat vi ſua, ſi ſpectes cauſas mortis in Rege illo naturales. Vide quæ dixi Iſaiæ XXXVIII.

V. 7. Si, quod multi dicunt, cataplaſma hoc natura ſua noxium potius quam ſalutare fuit, inde magis apparet Dei virtus.

V. 8. QUOD ERIT SIGNUM? Non petitur ut a tentante Deum, ſed ut ab explorante fidem Prophetæ. Vide citatum locum Iſaiæ XXXVIII.

V.18. DE FILIIS TUIS. Sæpe nomine filiorum intelligi ſolent nepotes, aut poſteri: cur etiam non poteſt hoc intelligi de fratribus Manaſſis natu minoribus?

CAPUT XXI.

Propter abominandam Manaſſis impietatem prædicit Dominus ſe Iudam ac Ieruſalem deleturum: cui ſuccedit impius filius Amon; & hoc a ſervis occiſo, regnat ſuper Iudam pius filius Ioſias.

1. DUodecim (*a*) annorum erat Manaſſes cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta quinque annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Haphſiba. 2. Fecitque malum in conſpectu Domini, iuxta idola Gentium, quas delevit Dominus a facie filiorum Iſrael. 3. (*b*) Converſuſque eſt, & ædificavit excelſa, quæ diſſipaverat Ezechias pater eius: & erexit aras Baal, & fecit lucos ſicut fecerat Achab Rex Iſrael, & adoravit omnem militiam cæli, & coluit eam. 4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: (*c*) In Ieruſalem ponam nomen meum. 5. Et extruxit altaria univerſæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. 6. Et traduxit filium ſuum per ignem: & ariolatus eſt, & obſervavit auguria, & fecit pythones, & aruſpices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum. 7. Poſuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini; (*d*) ſuper quod locutus eſt Dominus ad David, (*e*) & ad Salomonem filium eius: In templo hoc, & in Ieruſalem, quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum. 8. Et ultra non faciam commoveri pedem Iſrael de terra, quam dedi patribus eorum: ſi tamen cuſtodierint opera omnia quæ præcepi eis, & univerſam legem, quam mandavit eis ſervus meus Moyſes. 9. Illi vero non audierunt: ſed ſeducti ſunt a Manaſſe, ut facerent malum ſuper Gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Iſrael. 10. Locutuſque eſt Dominus in manu ſervorum ſuorum Prophetarum, dicens: 11. (*f*) Quia fecit Manaſſes Rex Iuda abominationes iſtas peſſimas, ſuper omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis ſuis: 12. propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem & Iudam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius. 13. Et extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius ſtylum ſuper faciem eius. 14. Dimittam vero reliquias hereditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius: eruntque in vaſtitatem, & in rapinam cunctis adverſariis ſuis: 15. eo quod fecerint malum coram me, & perſeveraverint irritantes me, ex die qua egreſſi ſunt patres eorum ex AEgypto, uſque ad hanc diem. 16. Inſuper & ſanguinem innoxium (*g*) fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Ieruſalem uſque ad os: abſque peccatis ſuis, quibus peccare fecit Iudam, ut faceret malum coram Domino. 17. Reliqua autem ſermonum Manaſſe, & univerſa quæ fecit, & peccatum eius quod peccavit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Iuda? 18. Dormivitque Manaſſes cum patribus ſuis,

suis, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: & regnavit Amon filius eius pro eo. 19. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Messalemeth filia Harus de Ieteba. 20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius. 21. Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater eius: servivitque immunditiis, quibus servierat pater eius, & adoravit eas, 22. & dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulavit in via Domini. 23. Tetenderuntque ei insidias servi sui, & interfecerunt Regem in domo sua. 24. Percussit autem populus terræ, omnes qui coniuraverant contra Regem Amon: & constituerunt sibi Regem Iosiam filium eius pro eo. 25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Iuda? 26. Sepelieruntque eum in sepulcro suo, in horto Oza: & regnavit Iosias filius eius pro eo.

(a) Paral. XXXIII. 1. (b) II. Paralip. XXXIII. 3. (c) II. Reg. VII. 10. (d) II. Reg. VII. 10. (e) III. Reg. VIII. 16. & IX. 5. (f) Ierem. XV. 4. (g) Infra XIV. 2.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. DOLA. Hebr. Chald. & LXX. *abominationes*.

V. 3. CONVERSUSQUE, &c. quasi dicat: Iterum ædificavit. MILITIAM, id est exercitum, scilicet planetas. Chald. *virtutes*.

V. 5. DUOBUS ATRIIS, scilicet sacerdotum, & populi.

V. 6. ARIOLATUS EST. Alii, *Observavit tempora*. FECIT, id est instituit. PYTHONES. LXX. *ventriloquos*.

V. 7. IDOLUM LUCI, scilicet lucum sculptum.

V. 9. SUPER, id est pluſquam, scilicet peius quam.

V. 10. PROPHETARUM, scilicet Ioel, Nahum, & Malachiæ.

V. 11. IMMUNDITIIS. Chald. & LXX. *idolis*: sic & inf.

V. 13. FUNICULUM, id est filum quo designare solent architecti demoliendæ; quasi dicat: Sic diruam, ut olim Samariam. Chald. *filum desolationis*. PONDUS; quasi dicat: Extendam perpendiculum, ut perdam, sicut olim domum Achab. ET DELEBO, &c. Hebr. *Et abstergam Ierusalem, ut solet quis scutellam tergere, & terſam vertere ſuper faciem eius*, scilicet scutellæ. Sic & Chald. & LXX. nisi quod Chald. pro *scutella*, *lecythum* ponit; at LXX. *pyxidem*: significat autem *abstergere*, purgare pessimis hominibus. TABULAE, scilicet cum evelluntur & transportantur. STYLUM, scilicet designantem quantum destruendum sit.

V. 14. DIMITTAM. Hebr. & Chald. *deseram*, seu *derelinquam*. LXX. *delebo*. RELIQUIAS, scilicet tribum Iuda, & Beniamin.

V. 16. USQUE AD OS: scilicet ut solet vas cum impletur. Hebr. *de ore ad os*, seu *os ad os*. LXX. *os super os*. Chald. *ab extremitate ad extremitatem*; quasi dicat, Ad totam.

V. 17. PECCATUM. Chald. & LXX. *peccata*.

V. 21. IMMUNDITIIS. Chald. & LXX. *idolis*.

V. 24. TERRAE, scilicet illius.

ESTII.

Vers. 11. QUIA FECIT MANASSES & 12. REX IUDA ABOMINATIONES ISTAS PESSIMAS..... PROPTEREA HAEC DICIT DOMINUS DEUS ISRAEL: ECCE EGO INDUCAM MALA SUPER IERUSALEM ET IUDAM. Sic & infra cap. XXIII. *Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui, propter irritationes quibus provocaverat eum Manasses*. Quæ non sunt ita intelligenda, quasi propter solius Manassæ peccata fuerit populus Iudaicus ductus in

in captivitatem. Nam Scriptura alibi etiam in populum culpam illius exterminii conicit. Et Ieremias Thren. ult. *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus*. Et clarius Danielis IX. commemoratur non ſolum de peccatis Regum, & principum, ſed etiam populi. Et his ipſis quoque commemorantur peccata populi, quibus meruit, ut proiiceretur a facie Domini. Sed idcirco nominatur peculiariter peccatum Manaſſæ, quia ille populo auctor fuit peccandi: unde additur hoc loco: *Et peccare fecit etiam Iudam in immunditiis ſuis*.

V. 18. DORMIVITQUE MANASSES CUM PATRIBUS SUIS, ET SEPULTUS EST IN HORTO DOMUS SUAE, IN HORTO OZA, ET REGNAVIT AMON FILIUS EIUS PRO EO. Quare hic nulla mentio fiat pœnitentiæ Manaſſæ, quam commemorat Lib. II. Paralip. & quid ſit illud, quod ſepultus dicatur in horto domus ſuæ, vide II. Paral. XXXIII. 11. & 20.

MARIANAE.

Verſ. 2. IUXTA IDOLA GENTIUM fecit, malum Manaſſes. Hebr. *abominationes*; ſed *idola* ſic vocantur in Sacris ſæpe. Inferius verſ. 11. pro eadem voce Hebr. Hieronymus *abominationes* vertit.

V. 3. CONVERSUSQUE; id eſt, contra quam pater eius fecerat, eius inſtitutis mutatis, fecit exceſſa.

V. 4. EXTRUXITQUE ARAS: ſcilicet diis gentium aut militiæ cæli, ut ait proximo verſu, extruxit aras, idque in domo Domini: quæ maior perverſitas?

V. 6. ET TRADUXIT FILIUM SUUM PER IGNEM. Sic Hebr. ſic Sept. Idem tamen Hieronym. ſuperius cap. XVII. verſ. 17. idem verbum העביר *behebir* vertit in ſignificatione conſecrandi. Porro *traducere* eſt *comburere*, ut ſuperius cap. XVI. verſ. 3. ET ARUSPICES MULTIPLICAVIT. Alii *ſciolos*, aut *magos* vertunt. Sept. *coniectores*. Chald. *divinatores*: nimirum quid proprie ידעונים *idbonim* ſignificet, incertum eſt.

V. 7. IDOLUM LUCI: quod in luco colebatur, id poſuit in templo Domini. Locutuſque eſt Deus in manu

V. 10. PROPHETARUM. Ioel, Nahum, & Malachias per hæc tempora vixerunt, tum Iſaias, quem Manaſſes ſecuit medium, offenſus eius libertate ſcilicet.

V. 21. IN IMMUNDITIIS SUIS. Hebr. *in idolis ſuis* Manaſſes peccare fecit Iudam: ſic Sept. Chald. *in cultu idolorum ſuorum*. Sed nimirum *ghalal* vox Hebr. *ſtercus* ſignificat: ex eo Hieronymus vocem *ghilghul*, ab eadem radice, tum hoc loco, tum aliis, per *immunditias* vertit. Sic etiam verſ. 21. Addit Deus:

V. 13. EXTENDAM SUPER IERUSALEM FUNICULUM SAMARIAE. Sept. *menſuram*. Chald. *filum*. Pagn. *lineam*; ſed *filum* etiam *linea* vocatur. Vox קו *kau* hoc loco *filum* ſignificat *perpendiculi*, quo latomi ſtructuram dirigunt. Sic quod ſequitur, ET PONDUS DOMUS ACHAB, perpendiculi plumbum ſignificat, quo domum Achab evertit. Perſtat in metaphora a latomis ſumpta; foreque ait ut evertat Ieroſolymam ſicut evertit Samariam & domum Achab. Verum latomi ad evertendum perpendiculo non utuntur, ſed vectibus, ſed dolabris. Sane Deus tamen non evertit, quin aliud ſubſtituat: id *perpendiculum* ſignificat. Deinde non temere evertit, ſed cum magno iudicio, ad delicti menſuram ſupplicio irrogato. ET DELEBO IERUSALEM. Sic Sept. Chald. *abſtergam*: vox Hebr. utrumque ſignificat. SICUT DELERI SOLENT TABULAE. Sept. *ſicut deletur pyxis*. Hebr. *ſicut abſtergitur patina*. ET DELENS VERTAM, ET DUCAM CREBRIUS STYLUM SUPER FACIEM EIUS. Hebr. *Abſterſi, & vertit ſuper facies ſuas*: ſcilicet patinam pronam relinquit: ſic tergentes ſolent; quaſi dicat: Ieruſalem ſurſum deorſum vertam, nihil in ſuo ſtatu relinquam.

V. 14. DIMITTAM VERO, id eſt derelinquam, non eam iuvabo. ERUNTQUE IN VASTITATEM. Hebr. *prædam*. Reliquiæ in prædam erunt. Manaſſes effudit ſanguinem

V. 16. USQUE AD OS. Hebr. *ore ad os*; id eſt, uſque ad ſummum implevit Ieruſalem ſanguine.

V. 18. IN HORTO DOMUS SUAE, IN HORTO OZA Manaſſes eſt ſepultus. Novum locum Regum ſepulcris deſtinavit. Succeſſit eius filius Amon.

V. 23.

V. 23. TETENDERUNTQUE INSIDIAS. Hebr. *Et coniuraverunt servi ipſius Amon contra eum.* Occiderunt,

V. 26. SEPELIERUNTQUE. Sic Sept. & Chald. Hebr. *Et ſepelivit eum*, ſcilicet populus in horto Oza. Succedit Ioſias eius filius.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET QUINQUAGINTA QUINQUE ANNIS REGNAVIT. Notant, comprehenſis iis quibus fuit captivus in Babylone, II. Paralip. XXXIII. verſ. 11. HAPHSIBA. Hebr. חפצי-בה *Chephtzi-bah* : exponitur, *Voluntas, complacentia, beneplacitum, affectio, mea in ea*: ſic Iſaiæ LXII. 4. Nomen inde habuiſſe videtur, quod eſſet amabilis, & placitæ indolis, & omnes ei bene vellent. Ieroſolymitanam fuiſſe teſtatur Ioſephus.

V. 3. CONVERSUSQUE EST, ET AEDIFICAVIT EXCELSA, &c. Quidam exponunt: *Et converſus eſt*; id eſt, averſus fuit a viis, & pietate patris: fecit contra quam fecerat pater eius. Alii notiſſimo Hebraiſmo: *Rurſus ædificavit*, &c. EXCELSA. De his vide I. Samuel. IX. 12. QUAE DISSIPAVERAT EZECHIAS: ſupra cap. XVIII. verſ. 4. SICUT FECERAT ACHAB. Vide I. Reg. XVI. 32. 33. 34.

V. 4. IN IERUSALEM PONAM NOMEN MEUM, id eſt in templo quod eſt in Ieruſalem: ibi ſolum erit ſolemnis cultus meus, nec alius Deus ibi coletur: ibi nomen meum ſolum invocabitur, & appellabitur domus Iehovæh. Vide I. Reg. VIII. 29. & cap. IX. verſ. 3. ſic infra verſ. 7.

V. 5. IN DUOBUS ATRIIS, ſcilicet ſacerdotum, & populi.

V. 6. ET TRADUXIT FILIUM SUUM PER IGNEM. Vide ſup. cap. XVII. verſ. 17. ET ARIOLATUS EST. Significatum verbi עונן *ghonen* abunde excuſſimus Levitici XIX. 26. & Deuter. XVIII. 10. Hic diverſimode convertunt. I. *Et obſervavit tempora*; id eſt, ex inſpectione cæli & ſtellarum, futura prædixit, & divinavit: obſervavit horas, dies, menſes, annos, & tempora negotiis agendis idonea & opportuna. II. *Et præſtigiis vacavit*, ſeu *operam dedit*: artem præſtigiatricem exercuit: fuit magnus præſtigiator. III. *Et obnubilavit*; id eſt, uſus eſt arte divinandi ex nubibus. Verbum eſt futurum Hebraice, ut duo etiam proxime ſequentia, plane ad indicandam continuitatem & pervicaciam maleficiorum Menaſeh. MULTIPLICAVIT, UT FACERET MALUM; id eſt; plurimum fecit quod malum eſt, vel videtur, in oculis Iehovæh: vel plurimum mali fecit, &c. ingentia mala deſignavit.

V. 7. POSUIT QUOQUE IDOLUM LUCI, QUEM FECERAT. Hebr. *Et poſuit ſculptile luci, quod*, vel *quem fecit*. Quidam: *Poſuit item cum ſculptili lucum, quem fecerat*. Aliqui: *Et poſuit ſculptile luci, quem fecerat*, id eſt lucum ſculptum, ſive lucum magno artificio ſculptum. Hypallage. Hiſpanicus Interpres: *Y puſo una entalladura del boſque, que el avia hecho*, id eſt *un retablo enque eſtava entallado el boſque*, &c. *era doble idolatria*. Senſus Noſtri ſimplicior eſt, *Idolum luci*, id eſt formam & ideam, ſeu ſculpturam luci, id eſt lucum affabre ſculptum: vel idolum quod antea fuerat in luco, ut ex vero luco, quem Menaſeh plantaverat, idolum tranſtulerit in domum Dei. Vide infra cap. XXV. verſ. 6.

V. 13. ET EXTENDAM SUPER IERUSALEM FUNICULUM SAMARIAE. Notant eſſe metaphoram ab architectis, & latomis; quaſi dicat: Deſignabo veluti linea, funiculo, & regula quadam, id quod volo perdi, & deiici, ac demoliri ex Ieruſalem: eodem modo Ieruſalem tractabo, quo tractavi Samariam: quemadmodum curavi evertendam Samariam, ita curabo evertendam Ieruſalem. ET PONDUS DOMUS ACHAB. Hebr. *& libramentum, perpendiculum*, quo, filo pondere plumbeo appenſo, utuntur architecti, & latomi, *domus Achabi*. Exponunt: Id eſt, ſicut Achabi gens deleta eſt, ita harum familiam prorſus deleturus ſum: quod executus eſt partim in Zedechia, & filiis, infra cap. XXV. verſ. 7. partim in Iſmahele, ibidem verſ. 26. Nam Zorobabel, & ſucceſsores eius, non per Salomonem, ut reliqui omnes, ſed per Nathanem a Davide deſcendunt, ut apparet Lucæ III. cum architecti & latomi ad demolienidum, regula, ac perpendiculo non utantur, ſed vectibus, ſeu dolabris. Uſurpat tamen Deus hic metaphoram regulæ, ac per-

perpendiculi, ut innuat se magno iudicio, & iusta vindicta, ac iuxta delicti mensuram, destruere impios. ET DELEBO IERUSALEM, SICUT DELERI SOLENT TABULAE. Varie Hebræa conveniunt. I. *Et abstergam Ierusalaim, sicut abstergit quispiam scutellam.* II. *Et expurgabo Ierusalaim, sicut expurgabit scutellam.* III. *Et tergam Ierusalaim, quemadmodum tergit quispiam lebetem*, vel *caldariam*. IV. *Et defricabo Ierusalaim, quemadmodum qui defricat frixorium.* V. *Et detergam Ierusalem, quemadmodum quis patinam detergit.* VI. *Et absterfurus sum Ierusalaim, ut qui abstergere solet gabatam*; id est, cives regni Iudaici, ut sordes patinæ profundioris abstergam, & deradam, & præsens regnum subvertam. Vide complementum huius vaticinii Ieremiæ XXXIX. DELENS VERTAM, ET DUCAM CREBRIUS STYLUM SUPER FACIEM EIUS. Eleganter sensum expressit, ut illud Poetæ:

Sæpe stylum vertas....

obtusiori enim styli parte antiqui delebant, acutiori scribebant. Hebr. *Absterfit*, וְנִי *vertet super facies eius*. Quidam: *Abstergit, deinde subvertit eam in os*: ne quid in ea humoris, aut sordium remaneat; id est, penitus depilatam, & direptam subvertet Ierusalaim.

V. 16. USQUE AD OS. Hebr. *ore ad os*. Quidam, *de latere ad latus*. Alii, *ab angulo ad angulum*: ut פה *peh*, *os*, idem sit quod פנה *pinah*, *angulus*. Nonnulli, *ad orificium usque*; vel *ad summum usque*. Aliqui, *confertim*. Vide hanc locutionem supra cap. X. vers. 22.

V. 17. ET UNIVERSA QUAE FECIT. Aliqui: *Et quidquid fecit* post captivitatem suam: de quibus II. Paralip. XXXIII. a vers. 11. usque ad 16.

V. 18. ET SEPULTUS EST IN HORTO DOMUS SUAE: vel quia indignus a suis habitus est qui sepulcro piorum aliorum Regum inferretur; vel ex testamento, ut credibile est, aut voluntate ultima ipsius; tamquam si resipiscens tum demum agnovisset, ac professus esset indignum se qui cum maioribus in sepulcro Regum repeneretur. IN ORTO OZA. Hebr. *Huza*. Aliqui putant hunc fuisse Huziiah Regem Iehudæ de quo supra cap. XV. 13. qui regium illum hortum conseverit. Alii appellative capiunt: *in horto obfirmationis, regni, imperii*; id est, in horto regio: sic infra vers. 26.

V. 19. MESSALEMETH. Heb. משלמת *Meschullemeth*: sic dicta videtur quasi *pacifica, prospera, fortunata, augusta*. DE IOTEBA, sive *Iotbah*: augurantur, fortasse fuisse illam Iotabatham in finibus Moabitarum, de qua Numer. XXXIII. 33. & Deuteron. XI. 7. Potuit impius Menaseh uxorem alienigenam duxisse. Nec a vero prorsus aberit, fuisse Iotapatam, Iudæi Iosephi captivitate claram.

V. 25. NONNE...SCRIPTA SUNT? &c. sic supra vers. 17. Vide cap. XX. vers. 20. & I. Reg. XI. vers. 41.

V. 26. SEPELIERUNTQUE EUM. Hebr. *Et sepelivit eum*, scilicet populus, vel Iosias filius. Vel phrasi Hebraica, *Et sepultus fuit is*. IN SEPULCRO SUO. Quidam, *in sepulcro illius*, videlicet Menasis patris eius, quocum sepeliri fortasse voluit superstitione ductus.

MENOCHII.

Vers. 3. SICUT FECERAT ACHAB REX ISRAEL. Confertur Achabo Manasses, quia uterque idololatriæ deditissimus fuit, uterque etiam virorum sanctorum sanguine cruentatus. MILITIAM CAELI. Militia cæli sunt astra, quæ a diis gentilium nomen habent Iovis, Martis, Veneris, Saturni, Appollinis, Latonæ, &c.

V. 4. IN DOMO DOMINI, id est in atriis templi: quod patet ex Lib. II. Paralip. XXXIII. 4. & 5. ubi sic legitur: *AEdificavit quoque altaria in domo Domini*: & mox: *AEdificavit autem ea cuncto exercitui cæli, in duobus atriis domus Domini*, hoc est in atriis eximis, quorum alterum appellatur *Atrium Gentium*, alterum *Atrium Israelitarum*; multi tamen explicant de atrio Israelitarum, & Levitico.

V. 6. TRADUXIT FILIUM SUUM PER IGNEM. Vide dicta supra cap. XVI. 3. ARIOLATUS EST: alii, *Observavit tempora*. Significatur aruspicum, & divinorum superstitio, ut etiam eo quod sequitur, *Observavit auguria*. PYTHONES. Vide dicta II. Reg. XXVIII. 7.

V. 7. IDOLUM LUCI, vel idolum sal-

falsi alicuius numinis, verbi gratia Baalis, aut Priapi, quod prius in luco ab ipso plantato constituerat, ausus est in templum transferre; vel priore in luco relicto, aliud simile excitavit in templo, quod a prioris illius similitudine *luci idolum* diceretur. Vatablus, & Eman. Sa *idolum luci* interpretantur *lucum sculptum*. PONAM NOMEN MEUM, sanctuarium meum, & altare in quo sacrificiis colatur nomen meum.

V. 8. NON FACIAM COMMOVERI PEDEM ISRAEL DE TERRA, &c. faciam ut Israel stabiles, & quietas sedes habeat.

V. 9. SUPER GENTES, plusquam, aut peius quam gentes, &c.

V. 11. IN IMMUNDITIIS SUIS, idolis. Vide dicta supra cap. XVII. num. 12.

V. 12. TINNIANT AMBAE AURES EIUS, id est stupens, attonitusque reddatur.

V. 13. EXTENDAM SUPER IERUSALEM FUNICULUM SAMARIAE. Metaphora ducta est ab architectis, qui etiam funiculum suum mensorium extendunt, & applicant muris quos demoliri cogitant, & illis signum aliquod imprimunt, ne plusquam opus sit deiiciant. Id patet ex illo Ieremiae Thren. II. 8. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam.* Vel etiam funiculus sortem significat, ut saepe in Scriptura: & sensus erit, eamdem Iudae, & Samariae sortem futuram, ut eadem erunt in Deum peccata. PONDUS DOMUS ACHAB, punitionem, quae pondus, aut onus saepe appellatur in Scriptura. Vide Isa. XIII. 1. & XIV. 28. Ier. XXIII. 33. Nahum. I. 1. Zach. IX. 1. SICUT DELERI SOLENT TABULAE, &c. Sumpta videtur metaphora a tabulis ceratis, in quibus stylo characteres exarare solebant antiqui, quos cum delere volebant, conversa posteriori, & latiori parte styli, exiguos illos sulcos complanabant, ita ut plane non apparerent, nec legi possent, quod *inducere characteres* Latini dicunt. FACIEM, tabulae planitiem.

V. 14. DIMITTAM, id est deseram, derelinquam. RELIQUIAS HEREDITATIS MEAE, reliquias populi mei.

V. 16. DONEC IMPLERET IERUSALEM USQUE AD OS, id est usque ad summum, ut solet vas cum impletur. Heb. *de ore ad os*, seu *os ad os*. Septuaginta, *os super os*, Chald. *ab extremitate ad extremitatem*; quasi dicat totam. ABSQUE PECCATIS, praeter peccata.

V. 18. IN HORTO OZA. Ita appellatur hortus palatii regii, quod fortasse prius hortus ille viri alicuius fuisset qui Oza diceretur. Eum hortum Adrichomius in arce Sionis ad Regis palatium ponit, idque textus videtur exigere, nisi dicamus Manassem sibi mausoleum aliquod in proprio aliquo palatio erexisse. Quare Manasses in sepulcris Regum Iuda non fuerit sepultus, non liquet. Abul. quaest. XIX. propter scelera, id a populo ei negatum putat, quod tamen creditu difficile est, cum filium reliquerit regni successorem.

V. 21. IMMUNDITIIS, idolis. Vide dicta cap. XVII. 12.

V. 23. TETENDERUNT EI INSIDIAS SERVI EIUS. Caedis occasionem, aut causam Scriptura non memorat.

V. 26. IN HORTO OZA. Vide dicta num. 18. huius capitis.

TIRINI.

Vers. 7. IDOLUM LUCI; id est, idolum quod antea colebatur in luco a Manasse constructo, transtulit e luco publico, & posuit in templo Domini. Erat idolum istud, qualecumque fuerit, luco minore ex argento, ligno, vel aere, affabre ad instar nativi luci, conflato circumdatum, ut patet ex cap. XXIII. vers. 6. & 7.

V. 10. LOCUTUS EST DOMINUS IN MANU SERVORUM SUORUM PROPHETARUM, id est per Prophetas suos, puta Ioelem, Oseam, Amos, Nahum, Ionam, Abdiam, Michaeam, & prae omnibus Isaiam, Regi Manasse sanguine & affinitate quoque iunctum, immo socerum ipsius; qui quod liberius in impios Regis mores inveheretur, ab illo ferra dissectus fuit, ut tradunt Hebraei. De reliquis Prophetis Isaiae coaetaneis, eamdem

ob cauſam, ſcribit Ioſephus *a*, *ex eorum numero per ſingulos dies aliquem ſupplicio affectum fuiſſe a Manaſſe*. Porro ſcelerum illius ſarraginem habes ſuſius expreſſam II. Paralip. XXXIII. uti & pœnam ſubſecutam, nempe captivitatem Manaſſe, & abductionem in Babylonem. Seriam deinde eiuſdem pœnitentiam, & reſtitutionem in regnum: reſtitutionem quoque cultus per eumdem divini, & omnis impietatis exſtirpationem: denique longum & felix regimen, & mortem felicem graphice ibidem deſcriptam habes. Sub hæc tempora, reducto iam Manaſſe e carcere Babylonico, contigiſſe hiſtoriam Iudith exiſtimat Cardinalis Bellarminus, Serarius, Bonfrerius, & quidam alii *b*.

V. 13. EXTENDAM SUPER IERUSALEM FUNICULUM SAMARIAE, ET PONDUS DOMUS ACHAB, id eſt eamdem menſuram, idem genus pœnæ. Sicut enim eadem fuerunt vitia Samariæ, ſeu decem tribuum Iſraelis, & Ieruſalem, ſeu tribus Iudæ, & Beniaminiæ, idcirco idem etiam utriſque exitium minatur. Metaphora ſumpta a fabris utentibus perpendiculo ſeu filo quod extenditur pondere plumbeo, ut iuxta normam & menſuram ædificent, vel reſtaurent. Ita Caietanus. Alia ſimili metaphora deſumpta a ceratis tabulis, ſubdit: DELEBO IERUSALEM, SICUT DELERI SOLENT TABULAE: ET DELENS VERTAM, ET DUCAM CREBRIUS STYLUM SUPER FACIEM EIUS. Solet enim ſtylus, qui olim pro calamo erat, una parte acutus eſſe, & notas in cerata tabula exarare; altera vero parte obtuſior & latior, qua ſi ſcripta minus probarentur, ſubito delebantur, complanata cera, ut rurſus novæ notæ, vel imagines induci poſſent. Quod ſi vox una alterave, vel brevis verſus obcæcandus eſſet, ſemel inducebatur adverſus ſtylus; ſi plures verſus, ſæpius, donec deletis omnibus litteris, pura reſtitueretur tabula. Quod ſane accidit in hac Ieroſolymæ vaſtatione, in quam hoſtilis primum inductus eſt ſtylus, quando Babylonius Rex captivum ind: Manaſſen *c* Regem cum magna nobilitatis parte in carcerem Babylonicum abduxit. Secundo, quando Pharao Nechao, occiſo Ioſia Rege, Regem Ioachaz (cap. XXIII. verſ. 33.) in AEgyptum miſit exulatum cum ſuis. Tertio, & quarto, quando Nabuchodonoſor nunc Ioakimum (Ibid. & cap. XXIV. verſ. 1.) ſubiugavit, nunc Ioakinum (cap. XXIV. verſ. 14. 16.) eius filium & ſucceſſorem in Babylonem abduxit cum aliis decem millibus nobilium & militum, & octo millibus opificum captivis. Quinto quidquid reliquum fuerat, eraſit funditus idem Nabuchodonoſor anno undecimo Sedeciæ, quando & urbem, & templum (cap. XXV. ver. 9. &c.) flammis exuſſit, & incolas omnes in Chaldæam captos tranſmiſit.

V. 18. ET SEPULTUS EST IN HORTO OZAE. Nam loco nomen fecerat infelix caſus Ozæ ſacerdotis, ob extenſam temere manum in arcam fœderis morte mulctati, II. Reg. VI. 8. Hic locus Ieroſolymæ vicinus erat, & iam regiis hortis adiunctus: ubi Manaſſes redux Babylone, mauſolæum ſibi conſtruxerat, dignum regio cadavere; in quo mauſolæo tam ipſe, quam filius eius Amon ſepultus fuit. Porro Amon iam Rex creatus maluit parenti ſuo iuveni, & in omnem impietatis turpitudinem abiecto ſimilis eſſe, quam eiuſdem ſenis & reſipiſcentis veſtigiis inhærere. Forte etiam, quod ait Glycas, animo ſic conſtituerat: *Pater meus a puero multa ſcelera fecit, ac in ſenecta pœnitentiam egit: quare & ego in hac ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me convertam*. Et hæc præſumptio illius videtur moviſſe Deum, ne perinde exſpectaret pœnitentiam ipſius atque exſpectarat pœnitentiam Manaſſis, quia paternis calamitatibus, & domeſticis exemplis nullo modo melior aut prudentior evaſerat: hinc iuſta Numinis vindicta in ipſo pene regni ſui limine exſtinctus eſt, cum biennio ſolo regnaſſet, & violenta ſervorum manu de medio ſublatus eſt.

(*a*) Ioſeph. ſup. cap. IV.
(*b*) Bellar. Tom. I. Lib. I. cap. XII. Ser. in Iudith 1. q. 11. Bonfr. poſt Pentateuchum.
(*c*) II. Paralip. XXXIII. verſ. 11.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 3. & 6. ADORAVIT OMNEM MILITIA CAELI, deos gentium, & planetas. LXX. τῇ φρατρίᾳ τῷ οὐρανῷ. FILIUM SUUM PER IGNEM TRADUXIT, ut ſupra cap. XVI. verſ. 3. & II. Par. XXVIII. III. Combuſſit in honorem Moloch, quod erat idolum Moabitarum.

V. 13. Variæ ſunt metaphoræ, & ſimilitudines: res quæ ſic denotatur, eſt nota. SICUT DELERI SOLENT TABULAE. LXX. *Sicut deletur pixis*. Hebr. *Sicut abſtergitur patina*.

V. 17. RELIQUA AUTEM SERMONUM. Multa hic occurrunt de conſecrato filio, cæde Prophetarum, magia, & pœnitentia, & an tempore Iudith Rex fuerit Manaſſes: quæ ſuis locis explicanda erunt. Certe poſt reditum e Babylonia nemo putat Manaſſem vacaſſe idololatriæ. Illud monendum hic eſt, fuiſſe Manaſſen (vix ſcitur qua arte, aut modo) captum & ductum in Babyloniam, II. Paralipomen. XXXIII. 11. probabilius eſt, hoc actum eſſe a Merodacho (qui iam Babyloniam, Ninivem, & Aſyriam obtinebat) quem eumdem eſſe qui vocatus eſt Nabuchodonoſor primus (immo & Mardocempadus) exiſtimo certum. Hiſtoria habetur citato II. Paralipom. cap. XXXIII. ex quo loco habetur, quanta ibi paſſus ſit Manaſſes, quomodo oraverit, & tandem rediiſſe in regnum: verum quo anno regni redierit, ſpectat ad hiſtoriam Iudith de qua ſuo loco: vide interim opus chronol. cap. X. Aliqui ſane rediiſſe putant anno regni vigeſimo ſecundo: ita Genabrar. Alii dant decem annos captivitati (quo tempore Ammon pro patre regnavit) & quadraginta iniquitati, ſeu ante pœnitentiam, & quinque annos poſt reditum. Torniellus vult captum Manaſſen anno regni decimo quinto. Salianus indicat captum anno regni ſeptimo, & rediiſſe anno octavo, & anno nono occiſum Holofernem. Quod autem nulla Regis mentio fiat in libro Iudith, eſt, inquit, quia Rex data fide Babylonio, permiſit (quaſi ignarus rei geſtæ) ut populus pro arbitrio ageret. Sed clarius infra Iudith cap. XIII. verſ. 23. & iterum cap. XVI. ibidem.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. MILITIA CAELI, aſtra ſub nominibus Iovis, Martis, Veneris, &c.

V. 4. IN DOMO, & atriis templi.

V. 7. IDOLUM LUCI, e luco idolum translatum in templum, aut aliud illi idolo ſimile.

V. 12. & 13. TINNIANT, ſtupeant. FUNICULUS SAMARIAE: ſors, & captivitas, qualem experta eſt Samaria. PONDUS, onus.

V. 14. DIMITTAM, derelinquam.

V. 16. ABSQUE PECCATIS, præter peccata.

V. 18. IN HORTO OZAE. Eſt hortus palatii regii, forte a venditore ſic dictus.

CAPUT XXII.

Iosias templum ac Dei cultum instaurat; Dominum super reperto Deuteronomii libro consulens, responsum accipit, inducenda super Iudam scripta in eo mala propter neglectum a patribus Dei cultum, ipsum tamen prius in pace moriturum.

1. OCto annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, triginta & uno anno regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Idida, filia Hadaia de Besecath. 2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. 3. Anno autem octavo decimo Regis Iosiæ, * misit Rex Saphan filium Aslia, filii Mesulam, scribam templi Domini, dicens ei: 4. Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt ianitores templi a populo, 5. deturque fabris per præpositos domus Domini: qui & distribuant eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi: 6. tignariis videlicet & cæmentariis, & iis qui interrupta componunt: & ut emantur ligna, & lapides de lapicidinis, ad instaurandum templum Domini. 7. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, & in fide. 8. Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud. 9. Venit quoque Saphan scriba ad Regem, & renuntiavit ei quod præceperat, & ait: Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: & dederunt * ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini. 10. Narravit quoque Saphan scriba Regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram Rege, 11. & audisset Rex verba Libri Legis Domini, scidit vestimenta sua. 12. Et præcepit Helciæ sacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan scribæ, & Asaiæ servo Regis, dicens: 13. Ite & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Iuda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba Libri huius, ut facerent omne quod scriptum est nobis. 14. Ierunt itaque, Helcias sacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Asaia, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Ierusalem in Secunda: locutique sunt ad eam. 15. Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me: 16. Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala super locum istum, & super habitatores eius, omnia verba Legis quæ legit Rex Iuda: 17. quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. 18. Regi autem Iuda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis, 19. & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram

ram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & fleti visti coram me, & ego audivi, ait Dominus: 20. idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui *omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Misit Rex Saphan filium Aslia*. Non est scribendum *Assia* pro *Aslia*, id est duplex *ss* pro *sl*.

V. 9. *Ut distribueretur fabris a prafectis*.

Præpositio *a* non est commutanda cum coniunctione *ac*.

V. 20. *Omnia mala qua inducturus sum super locum istum*. Non mutes *inducturus* cum *introducturus*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 3. TEMPLI DOMINI. Hebr. *domus*, seu *in domum Domini*. Chald. *in domum sanctuarii Domini*.

V. 4. CONFLETUR, scilicet in monetam, vel colligatur: sic infra. IANITORES TEMPLI. Chald. *præfecti thesaurorum*.

V. 5. SARTATECTA. Hebr. *scissuram*, seu *rupturam*.

V. 6. INSTAURANDUM, id est reficiendum.

V. 7. SUPPUTETUR EIS, id est exigatur ab eis ratio. IN POTESTATE. Id additum ab Interprete, quamquam Hebr. aliquid respondet, scilicet *in manu eorum*, sed alio sensu: dicitur enim, *Quod datur in manu eorum*: id quod vertit sic, *Quod accipiunt*. IN FIDE; quasi dicat: Fidei illorum committatur. Hebr. *In fide faciant*.

V. 8. LEGIS: scilicet Manasses omnes sacros libros sustulerat: verisimile est tamen postea pœnitentem restituisse. Vide Chrysost. hom. IX. in Matth. & VII. in I. Corinth.

V. 9. QUOD PRAECEPERAT. Hebr. Chald. & LXX. *verbum*, id est rem.

V. 4. SECUNDA. Nomen est vici. Hieronymus II. cont. Pelag. fuisse quamdam urbis partem muro vallatam interiori. Idem Soph. I. ait fuisse secundam portam in muro secundo post portam piscium.

V. 17. ET SUCCENDETUR; pro, propterea succendetur.

V. 19. PERTERRITUM. Sic etiam Chald. at Hebr. & LXX. *emollitum*, scilicet timore. STUPOREM. Hebr. Chald. & LXX. *desolationem*, seu *vastationem*.

E S T I I.

Vers. 14. IERUNT ITAQUE HELCIAS SACERDOS, ET AHICAM, ET ACHOBOR, ET SAPHAN, ET ASAIA, AD HOLDAM PROPHETIDEM UXOREM SELLUM. Quæritur: Quare non audierunt Ieremiam, qui fuit celeberrimus Propheta, & tempore Iosiæ floruit? aut quare saltem non alios viros Prophetas, de quibus seq. capit. dicitur: *Quod cum Rege ascenderint in templum Domini sacerdotes, & Prophetæ*? De Ieremia respondetur a nonnullis, eum tunc temporis adhuc ætate puerum, & proinde nullius auctoritatis fuisse. Sed huic obstat, quod Ieremias prophetare cœperit anno decimo tertio Iosiæ, ut habetur Ierem. I. Iosias autem ad hanc Prophetissam misit demum anno decimo octavo sui regni, ut dicitur hoc capite. Igitur Ieremias iam per quinque annos prophetaverat. Proinde aliter respondent quidam, Ieremiam occupatum fuisse in commonendis & instruendis iis qui ex populo decem tribuum erant residui, ut perstiterent in cultu & timore Dei. De reliquis viris prophetis responderi potest, eos tantum scribas, & legisperitos fuisse, sicut & vertit Paraphrastes Chaldæus. Nam Prophetæ nomen sub-

in-

inde ita generaliter accipitur. Et verisimiliter Prophetissa illa Holda fuit admodum celebris, sicut suo tempore Debora. Iud. III. 4. & 5.

V. 20. COLLIGERIS AD SEPULCRUM TUUM IN PACE, UT NON VIDEANT OCULI TUI OMNIA MALA QUAE INTRODUCTURUS SUM SUPER LOCUM ISTUM. Dicet aliquis: Quomodo Iosias sepultus est in pace, cum fuerit in prælio interfectus? nempe progressus contra Regem Pharaonem: nam III. Reg. II. hæc duo opponuntur, *mori in pace*, & *interfici gladio*, ubi David præcipit Salomoni de Ioab, ut canos eius non deducat pacifice ad inferos, sed curet eum interfici. Respondeo, hoc loco sepulturam in pace distingui tantum contra captivitatem hostilem, aliasque calamitates, quas Scriptura populum passurum a Babyloniis paulo ante insinuaverat: unde & sequitur: UT NON VIDEANT OCULI TUI OMNIA MALA, &c. Collectus est ergo in pace, quia mortuus antequam illa mala adventarent. Simul notandum ex hoc loco, viris sapientibus & cordatis gravius esse malum videre magnam afflictionem populi, præsertim spiritualem miseriam, quam cito mortem oppetere. Unde dicebant Machabæi: *Melius est nobis mori in prælio, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum*: I. Mach. III.

MARIANAE.

Vers. 2. FECITQUE QUOD PLACITUM ERAT CORAM DOMINO. Hebr. *Rectum in oculis Domini fecit*: sic Sept. & Chald. Ad hæc præcipit Helciæ Pontifici,

V. 4. UT CONFLETUR PECUNIA. Sept. Conflate *argentum*. Chald. *Ut conflet argentum*, *quod erat templo oblatum*. Sed quorsum conflaretur? an rude offerebatur, & non potius signatum? Ergo *confletur*, id est colligatur. Hebr. *Et perficiat argentum*: scilicet totum expendat: nam forte sacerdotes partem servabant in alios usus. Porro boni Principis argumentum, cum ad cultum religionis animum convertit, quod in loas visum est cap. XII. IANITORES TEMPLI. Sup. cap. XII. vers. 9. vertit *qui custodiebant ostia*: quo loco de ea voce aliquanto plura. Illis certe datum erat, pecuniam oblatam ut in gazophylacium mitterent. Detur ergo pecunia ea præfectis

V. 5. AD INSTAURANDA SARTATECTA. Hebr. *fcissuram*, de quo cap. XII.

V. 6. UT EMANTUR .... LAPIDES DE LAPICIDINIS. Sept. *lapides excisos*. Chald. *lapides dolatos* dixit.

V. 7. NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM. Hebr. *Non supputetur cum eis*; id est, non exigatur ab illis ratio. SED IN POTESTATE HABEANT, ET IN FIDE. Hebr. *Quia in veritate ipsi facientes*, pro faciunt. Fides obligatur fide. Itaque præpositis operum, non fabris dabatur pecunia, nulla ratione exacta.

V. 8. LIBRUM LEGIS REPERI, dicit Helcias. Omnes libros legis Manasses impius sustulit.

V. 9. CONFLAVERUNT SERVI TUI. Nescio cur in significatione conflandi fere Interpretes verbum הניבו *hitichu* posuerunt: nam radix *natach*, *fundere* proprie significat. Ita quidam vertit: *Effuderunt servi tui argentum*: scilicet ex gazophylacio detraxerunt, collegerunt. Sic Hebræus. Hoc Saphan dicit Regi, additque Legem inventam. Rex mittit ad Holdam Prophetissam uxorem Sellum

V. 14. CUSTODIS VESTIUM, id est æditui, seu thesaurarii. De custode vestium mentio superius facta est in Iehu. IN SECUNDA habitabat Holda, forte vici nomen est Ierosolymæ, sic dicti. Hieronymus II. contra Pelag. fuisse quamdam urbis partem muro coniunctam. Soph. I. ait fuisse secundam portam in muro secundo post portam piscium. Chald. & plerique vertunt, *In domo doctrinæ*, ubi scilicet erat schola ad erudiendam iuventutem: idque vox Hebr. *misneh*, significare potest. Sed & Thalmud in *ghemara* dividitur & *misnah*, quæ posterior vox *iteratam doctrinam* significat. Verbum *fanam*, unde *misneh*, ponitur in significatione docendi Deut. VI. 7. Ergo ibi habitabat Holda Prophetissa, quam consuluerunt missi a Rege. Respondet illa:

V. 18. PRO EO QUOD AUDISTI VERBA VOLUMINIS. Hebr. *Verba quæ audisti*, supple eventura erant, sed mutantur ex parte: aut potius, *Verba quæ audisti*; pro, cuius verba audisti; quasi dicat: Sic di-

dicit Dominus Deus Iſrael, cuius verba audiſti.

V. 19. ET PERTERRITUM EST COR TUUM. Hebr. *Quoniam emollitum eſt cor tuum*, ſcilicet præ metu. QUOD...FIERENT IN STUPOREM. Hebr. *in deſolationem*, ſcilicet legis occaſione Iudæi.

V. 20. COLLIGAM TE, mortis genere ſuavi. IN PACE. Quomodo *in pace*, qui in bello occiſus eſt cap. proximo verſ. 29? Verum *in pace*, quoniam in ſepulcrum ſuum eſt illatus; vel quoniam templi excidium non vidit, quod ſequentia verba indicant: UT NON VIDEANT OCULI TUI OMNIA MALA, &c.

MALVENDAE.

Verſ. 1. OCTO ANNORUM ERAT IOSIAS, &c. Conferendum hoc caput cum II. Paralip. XXXIV. ubi fuſius iſta ennarrantur. IDIDA (Heb. *Iedidah*) ſonat *dilectam*, & *amabilem*. DE BESECATH. Hebr. *Botzkath*. Vide de hoc oppido Sortis Iehudæ, Ioſue XV. 39.

V. 3. ANNO AUTEM OCTAVO DECIMO REGIS IOSIAE, non ætatis, ſed regni, ut exponitur II. Paralip. XXXIV. 8. nam ætatis erat viginti ſex.

V. 4. UT CONFLETUR PECUNIA. Hebr. *Et conſumet pecuniam*. Varie reddunt. I. *Ut perficiat conflare pecuniam*; id eſt, ut perfecte, & exacte conflet argentum rude & non percuſſum, qui ſenſus iuvatur e verſ. 9. *Et fuderunt*, ſeu *conflarunt argentum*: quem & plerique amplectuntur. II. *Ut perficiat pecuniam*; id eſt, ut perfecte exigat pecuniam, ſeu argentum ab ædituis. III. *Et finiet argentum*; id eſt, ut uſque ad finem totum illud argentum ſupputet. IV. *Ut conſummet*, ſeu *conficiat argentum*; id eſt, ut totum colligat. V. *Ut in ſummam redigat pecuniam*. VI. *Et abſolvet argentum*; id eſt, totum tollet, abſolvet, perficiet collectionem. VII. *Ut abſolvat aptare pecuniam*; id eſt, res oblatas, aut argentum infectum pecunia commutare, ut accommodari ad uſum ſuum ſtatim poſſit. Conſer cum cap. XII. ſupra. IANITORES TEMPLI. Hebr. *obſervantes limen*, vel *cuſtodes liminis*, ſeu *vaſorum*, nempe ſacerdotes, ſeu Levitæ. Vide ſup. cap. XII. verſ. 9.

V. 5. & 6. De his duobus verſibus vide ſupra cap. XII. verſ. 11. & 12.

V. 7. VERUMTAMEN NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM QUOD ACCIPIUNT, &c. Vide de hoc verſ. ſupra cap. XII. verſ. 15. Quidam reddunt: *Veruntamen non ſubducebatur cum illis ratio pecuniæ traditæ in manum illorum: nam fide illi agebant*. Erant ii curatores operis Levitæ, qui nominibus exprimuntur II. Paralip. XXXIV. verſ. 12.

V. 8. DIXIT AUTEM HELCIAS, nimirum cum executioni mandaſſet quod Rex imperaverat. LIBRUM LEGIS REPERI IN DOMO DOMINI. Notant, adeo neglectam ſub Manaſeh, & Amon impiis Regibus legem Iehovæh, ut pro re magna, & extraordinaria habitum ſit repertum fuiſſe librum legis in templo. Forſan rerum potiente impietate abolita ſunt pleraque exemplaria legis, ſeu igne cremata, ſeu concerpta, aut abiecta. Alii intelligunt authenticum ipſum Moſis authographum, iuſſu Dei in ſacrario repoſitum, Deuter. XXXI. verſ. 24. & ſequentibus.

V. 9. CONFLAVERUNT SERVI TUI PECUNIAM. Ioſephus: *Pecunia quæ inflaurationi ſuperfuit in maſſas conflata, crateras inde & libatoria, phialaſque ad miniſteria templi confecere*. Alii reddunt: *Colaverunt*, vel *finierunt ſervi tui argentum*; id eſt, ſacerdos, & ego finivimus; hoc eſt, ad finem uſque ſupputavimus pecuniam, &c. Conſer cum verſ. 4. ſupra. Aliqui: *Ordinaverunt ſervi tui pecuniam*. Hiſpanicus Interpres: *Tus ſiervos an iuntado & dinero*. Ex verbo: *Fuderunt*, vel *effuderunt*, *ſervi tui argentum*. Quidam exponunt, ſcilicet ex arca illa, ſeu gazophylacio, de quo ſupra cap. XII. verſ. 9. & 10. id eſt, extraxerunt pecuniam ex arca vel infuderunt in ſacculos, ſeu loculos, aut faſciculos. Vide ſupra cap. XII. verſ. 10. Plerique cum Noſtro: *Fuderunt*, id eſt liquefecerunt, deliquaverunt, conflaverunt argentum.

V. 11. SCIDIT VESTIMENTA SUA. Ex lectione legis videns, & execrans tantam impietatem, & obliterationem divinorum præceptorum in populo; tum ex horrore divinorum ſuppliciorum, quæ lex comminatur tranſgreſſoribus.

V. 12. ACHOBOR FILIO MICHA. Hebr. *Ghachbor filio Michaiah*. II. Paralip. XXXIV. verſ. 20. ſcribitur *Habdon filio Michah*.

V. 14.

V. 14. OLDAM. Hebr. חלדה *Chuldah*, ſic dicta videtur, quaſi Muſtella, a vivacitate, & acumine indolis & ingenii. FILII THECUAE, FILII ARAAS. Heb. *Filii Thikuah*, *filii Charchas*. II. Paralip. XXXIV. 22. dicitur, *filii Thokhath*, *filii Chaſrah*. QUAE HABITABAT IN IERUSALEM IN SECUNDA. Plerique exponunt, In ſecunda parte urbis. S. Hieronymus Lib. II. in Pelagianos: *Haud dubium, quin urbis partem ſignificet, quæ interiori muro vallabatur.* Et in I. Sophoniæ ad verſ. 10. enarrans illud, *Et ululatus a Secunda*, inquit: *Quod autem ait, Et ululatus a ſecunda, ſecundi muri in eodem climate* (nempe portæ piſcium, quæ Dioſpolin ducit, & loppem) *portam ſignificat, de qua & in Regnorum libro ſcriptum eſt: & hæc habitabat in Ieruſalem in ſecunda.* Alii משנה *miſchneh* proprium cuiuſdam vici Ieroſolymitani nomen exiſtimant. Quidam Hebræorum hariolantur, Ieruſalem triplici muro circumdatam. Intra primum murum, plebem omnem, & variarum artium officinas, tabernaſque fuiſſe: intra ſecundum vero, nobilitatem, magiſtratus, & liberalium diſciplinarum ſtudioſos, & doctores ac profeſſores habitaſſe; ubi & Holdam domicilium habuiſſe: intra tertium vero fuiſſe domum Domini, & domum regiam. Verum ipſe vix credam. Multi ſecuti Chaldæum, reddunt, *in repetitione*, *iteratione*, id eſt in domo doctrinæ, ſive in ſchola, ſeu academia. Aiunt fuiſſe locum prope templum, in quo docti conveniebant, ut repeterent, & conferrent de lege. & vaticiniis Prophetarum. Quidam volunt, locum fuiſſe in quo litteris humanioribus dabant operam, cum tunc Ieroſolymis ſub Manaſſe, & Amon nulli eſſent libri ſacri, aut divinæ litteræ tractarentur. Fortaſſe locus ſic dictus, quod in eo משנה תורה *miſchne torah*, prælegeretur, & explanaretur. Vide Deuteron. XVII. verſ. 18. Tremellius, & Iunius: *Ea enim habitabat Ieruſchalaimis in parte ſecunda ab eo, id eſt in parte civitatis regiæ proxima: ſic redditur ratio cur ad hanc potius quam ad alios Prophetas Rex hos miſerit. Vide ſupra cap. XX. verſ. 4. Alii ſcholam, vel ludum litterarium exponunt; quaſi dicas, Repetitionum locum: quæ interpretatio uſui quidem Hebræorum in Commentariis recepto convenit: ſed in ſcripturis ſine exemplo eſt, ſi bene obſervavimus.* Hæc illi. Nec prorſus aliene exiſtimaverim *miſchneh*, ſeu ſecundarium, locum fuiſſe ubi coccina dibapha tingebantur. Coniectura quoque ducor, ad hanc potius Chuldam miſſos legatos, quod hæc tunc potiſſimum ætate, ſanctitate, auctoritate, & dono prophetiæ præ aliis clarefceret.

V. 20. IN PACE. Explicant, Id eſt incolumi regno, & nondum effuſa ira quam interminatus ſum: nam alioquin Ioſias telo extinctus eſt, infra XXIII. 29. & II. Paralip. XXXV. 23. denique cum bona gratia mea.

MENOCHII.

Verſ. 3. SCRIBAM TEMPLI DOMINI, cui ſcilicet ſumptuum, & rationem templi cura demandata erat. Vel certe unus erat ex divinæ legis peritis, ac theologis: hanc enim ſcientiam ſcribæ profitebantur, qui etiam fere erant ex genere Levitico: & huiuſmodi doctorem fuiſſe coniici poteſt ex eo, quod ille legem Deuteron. recitat infra num. 10.

V. 4. CONFLETUR PECUNIA; id eſt, argentum rude, & infectum confletur in pecuniam. Septuaginta habent, σφράγιζον ἀργύριον *argentum ſigna*, eodem ſenſu.

V. 5. SARTATECTA TEMPLI. Hebræus habet *ſciſſuram* ſeu *rupturam*.

V. 6. TIGNARIIS, lignariis fabris, materiariis. CAEMENTARIIS, fabris, muratiis. QUI INTERRUPTA COMPONUNT: qui muros rimas agentes, & fatiſcentes, reparant, & inſtaurant.

V. 7. NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM, &c. hoc eſt quod alia ſimili occaſione factum legimus ſupra cap. XII. num. 15. ubi habemus: *Non fiebat ratio iis hominibus qui accipiebant pecuniam ut diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam.* Vide ibi dicta.

V. 8. LIBRUM LEGIS REPERI. Videtur reperiſſe in arca aliqua pecuniaria, dum inde argentum ad templi fabricam effunderetur. Is erat Liber Deuteronomii, ut paſſim affirmant Interpretes: is enim unus maxime continet quæ terrori eſſe poſſunt violatoribus Moſaicæ legis.

V. 9. RENUNTIAVIT EI QUOD PRAE-

PRÆCEPERAT: quid ſcilicet factum eſſet circa ea quæ præceperat.

V. 11. SCIDIT VESTIMENTA SUA, præ zelo ſcilicet honoris divini, & metu divinæ vindictæ in regnum ſuum.

V. 12. SERVO REGIS, aulico Regis.

V. 13. CONSULITE DOMINUM, Prophetam aliquem interrogantes.

V. 14. AD HOLDAM PROPHETIDEM UXOREM SELLUM. Septuagint. editionis Romanæ habent, *μητέρα τελιγαμαινα*, *matrem Sellem*, *ſive Sellum*; alii tamen textus habent *uxorem*. Hunc Sellum Hebræi vocant avunculum patris Ieremiæ. CUSTODIS VESTIUM, ſacerdotalium, vel, ut alii volunt, regiarum. HABITABAT IN IERUSALEM IN SECUNDA. Septuaginta retinuerunt Hebræum nomen *Maſſem*, quod *ſecundam* ſignificat. Chaldæus eam interpretatur *domum doctrinæ*. Vatablus locum ſecundæ dignitatis a templo, quo loco dabatur opera eruditioni, & doctrinæ. Sa vult fuiſſe nomen vici. Divus Hieron. Lib. II. contra Pelagian. *Haud dubium*, inquit, *quin urbis partem ſignificet, quæ interiori muro vallabatur*: & in Tradit. Hebraic. in II. Paralip. in ea verba, *Habitabat in Secunda*, ita ſcribit: *Locus erat Ieroſolymis extra murum, id eſt inter murum civitatis & antemurale, qui vocatur Secunda, cuius mentio fit in Sophonia Prophetæ*. Idem in cap. I. Sophoniæ num. 10. ait, fuiſſe ſecundam portam ſecundi muri, poſt portam piſcium. Ribera ibid. & Villalpandus Tom. III. Lib. III. cap. IX. aiunt hanc ſecundam portam fuiſſe in ſecundo muro claudente Bezetam, eamque e regione reſpondiſſe portæ piſcium, per quam Chaldæi invaſerunt Ieroſolymam, ut propterea voce clamoris in porta piſcium perſonante, ululatus ei a ſecunda porta reſponderit.

V. 16. OMNIA VERBA LEGIS, omnes minas quæ Deuteronomii libro coram Rege recitato continentur.

V. 19. IN STUPOREM, ET IN MALEDICTUM. Stuporem peregrinorum, qui deſolationem civitatis videbunt, vel audient, & populi qui illam incolebat, peccata & ingratitudinem deteſtabuntur.

TIRINI.

Verſ. 7. NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM. Idem eſt quod cap. XII. verſ. 15. dixerat Ioas Rex, *Non fiat ratio his hominibus*; id eſt, ne cogantur quæſtores reddere rationem accepti vel expenſi, ſed credatur ipſis per omnia. Vide ibidem expoſita reliqua huius capitis ad ſartatecta templi ſpectantia: nam Ioæ veſtigiis inſtic Ioſias, & eumdem quem ipſe tunc præſcripſit, etiam nunc ſervari modum iuſſit in inſtaurandis quæ diruta, vel corrupta fuerant.

V. 8. LIBRUM LEGIS: puta Deuteronomium, ut cenſet Chryſoſtomus *a*: vel etiam reliquos Pentateuchi libros, ut vult Ioſephus; qui addit, repertos inter promendum aurum ex gazophylacio. Sed Rabbi Salomon, quem citat, & ſequitur Lyranus, vult omnes libros legis combuſtos iam pridem fuiſſe ab impio Achaz, ut omnes impietatis ſuæ teſtes & ſyndicos amoveret, qui ipſum violatæ legis divinæ, & abiuratæ patriæ religionis arguere poſſent: cum vero ſacerdotes aliqui religioſiores nollent legem divinam ſic ex hominum memoria prorſus perire, libros legis in muro templi hinc inde perfoſſo, id eſt in ſecretis loculamentis, abſcondiſſe: quæ iam per cæmentarios, dum ſartatecta inſtaurant, aperta, & libri in lucem producti fuerint.

V. 11. SCIDIT VESTIMENTA SUA REX, CUM AUDISSET VERBA LIBRI LEGIS DOMINI: verbi gratia minas Deuteron. XXVIII. & Levit. XXVI quæ merito terreant legentem, & tinnire faciant ambas aures.

V. 14. IERUNT AD HOLDAM, alias *Oldam*, PROPHETIDEM UXOREM SELLUM; ſed tum veroſimiliter viduam, vel ſaltem toro viri iam abſtinentem: nam quæ toro adhuc uterentur (una dempta Anna Samuelis matre, I. Reg. II. 20.) nullas legimus ſpiritu prophetico afflatas. Certe quatuor Philippi filiæ Act. XXI. virgines erant. De Sybillis, aliiſque Gentilium vatibus idem docet ſanctus Hieronymus *b*. Debboram, quo tempore prophetavit, Iudic. IV. viduam fuiſſe affirmat ſanctus Ambroſius. Elizabetham a conceptu Ioannis Baptiſtæ, toro mariti abſtinuiſſe, pu-

tat Sanctius; & ita de reliquis. Porro hæc Holda Prophetissa, HABITABAT IN IERUSALEM IN SECUNDA, scilicet *parte civitatis*; quasi dicat, In secunda, seu exteriore civitate: quam nempe secundus & extrarius murus vallabat ad munitionem civitatis obductus ab Ezechia Rege, II. Paral. XXXII. 5. Ita sanctus Hieronymus *c* in Tradition. Hebraicis. Alibi tamen *secundam* mavult *portam* exponere, nempe quæ erat in illo secundo civitatis muro. Sed eodem redit. Domicilium vero Prophetidis idcirco videtur sacer Scriptor voluisse hic exprimere, ut causam haberemus cur ad illam potius missus fuerit a Rege quam ad Ieremiam, vel Sophoniam, vel alium quempiam eo tempore florentem Prophetam. Nempe Holda vicina erat, eiusdem urbis incola, & omnibus notissima: alii vel urbe aberant, vel necdum innotuerant. Reliqua huius capitis vide II. Paralip. XXXIV.

(*a*) Chrysost. Homil. IX. in cap. II. Matth. & Homil. in I. Corinth. II.
(*b*) Hieron. Lib. I. adversus Iovinian. Ambr. Lib. de Viduis.
(*c*) Hieron. in Sophoniæ I. vers. 10.

GORDONI.

Vers. 1. ANno octavo ætatis regnat: anno octavo regni (ætatis decimo sexto) quærit Deum: & anno decimo octavo ætatis expiatur & reparatur templum. Vide II. Paralip. XXXIV. 6. & 8.

V. 7. VERUMTAMEN NON SUPPUTETUR. Dabatur pecunia præfectis operum, quam illi fabris numerarent, nulla exacta ratione a præfectis. Iubet Rex pecuniam conflari, id est colligi: tamen Septuaginta habent χωνευσατε; quamvis certe quod mittebatur in gazophylacium, non videtur fuisse rude metallum.

V. 8. Priorum Regum improbitate, cum alia, tum libri legis desiderabantur, hinc ad rem novam attonitus Rex vers. 13. consulit Dominum. Sicut Manasses abstulit libros legis, ita pœnitentia ductus, eos restituisse putatur. Inventus iam liber erat Deuter. ut ait Hieronym. in Ezech. Genebrard. Abulens. & alii.

V. 14. IERUNT ..... AD HOLDAM PROPHETIDEM ..... QUAE HABITABAT IN IERUSALEM IN SECUNDA. Quid hic per *secundam* intelligatur, certatur. Ibi habitabat Holda Prophetissa. Aliqui civitatem, alii portam secundam, alii secundam civitatis partem, seu suburbium designant. LXX. retinent משנה *mischne* Hebraicum quod aliqui interpretantur *dogmum doctrinæ*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. Scriba hic videtur qui rationum templi curam habebat.

V. 4. CONFLETUR. Rude argentum excudatur, vocatis ad opus lignariis, & murariis, fabris: vel certe colligatur ut confletur summa; si verum est rude argentum non fuisse coniectum in gazophylacium.

V. 11. SCIDIT. Signum zeli, & doloris.

V. 16. VERBA LEGIS, Deuteronomii.

CA-

CAPUT XXIII.

Iosias Deuteronomium coram populo legit, percussoque cum Domino fœdere, ac destructis abominationibus, præcipit Paschа celebrari: quo in Mageddo occiso, succedit impius filius Ioachaz, quem Pharao captum ducit in Ægyptum, substituto Eliacim, quem IoaKim nominat, & ei gravem multam imponit.

1. ET (*a*) renuntiaverunt Regi quod dixerat. Qui misit: & congregati sunt ad eum omnes senes Iuda & Ierusalem. 2. Ascenditque Rex templum Domini, & omnes viri Iuda, universique qui habitabant in Ierusalem cum eo sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini. 3. Stetitque Rex super gradum: & fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta eius, & testimonia, & cæremonias, in omni corde, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis huius, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto. 4. Et præcepit Rex Helciæ Pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, (*b*) † ut proicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universæ militiæ cæli: & combussit ea foris Ierusalem in convalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel. 5. Et delevit aruspices, quos posuerant Reges Iuda ad sacrificandum in excelsis per civitates Iuda, & in circuitu Ierusalem: & eos qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli. 6. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ierusalem in Convalle cedron, & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & proiecit super sepulcra vulgi. 7. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. 8. Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Iuda: & contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee: & destruxit aras portarum in introitu ostii Iosue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis. 9. Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalem; sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum. 10. Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennom: ut nemo conseceraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch. 11. Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda, Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combussit igni. 12. Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant Reges Iuda, & altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit Rex: & cucurrit inde, & dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron. 13. Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem montis Offensionis, (*c*) quæ ædificaverat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit Rex. 14. Et contrivit statuas, & succidit lucos: replevitque loca eorum ossibus mortuorum. 15. (*d*) In-

ſuper & altare, quod erat in Bethel, & excelſum, quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Iſrael: * & altare illud, & excelſum deſtruxit, atque combuſſit, & comminuit in pulverem, ſuccenditque etiam lucum. 16. Et converſus Ioſias, vidit ibi ſepulcra, quæ erant in monte: miſitque & tulit oſſa de ſepulcris, & combuſſit ea ſuper altare, & polluit illud iuxta verbum Domini, quod locutus eſt vir Dei, qui prædixerat verba hæc. 17. (e) Et ait: Quis eſt titulus ille, quem video? Reſponderuntque ei cives urbis illius: Sepulcrum eſt hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel. 18. Et ait: Dimittite eum, nemo commoveat oſſa eius. Et intacta manſerunt oſſa illius, cum oſſibus Prophetæ qui venerat de Samaria. 19. Inſuper & omnia fana excelſorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant Reges Iſrael ad irritandum Dominum, abſtulit Ioſias: & fecit eis, ſecundum omnia opera quæ fecerat in Bethel. 20. Et occidit univerſos ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria: & combuſſit oſſa humana ſuper ea: reverſuſque eſt Ieruſalem. 21. (f) Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phaſe Domino Deo veſtro, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro fœderis huius. 22. Nec enim factum eſt Phaſe tale a diebus Iudicum, qui iudicaverunt Iſrael, & omnium dierum Regum Iſrael, & Regum Iuda, 23. ſicut in octavo decimo anno Regis Ioſiæ factum eſt Phaſe iſtud Domino in Ieruſalem. 24. Sed & pythones, & arioſos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda & Ieruſalem, abſtulit Ioſias: ut ſtatueret verba legis, quæ ſcripta ſunt in Libro, quem invenit Helcias ſacerdos in templo Domini. 25. Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, iuxta omnem legem Moyſi: neque poſt eum ſurrexit ſimilis illi. 26. Verumtamen non eſt averſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor eius contra Iudam: propter irritationes, quibus provocaverat eum Manaſſes. 27. (g) Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam a facie mea, ſicut abſtuli Iſrael: & proiiciam civitatem hanc, quam elegi, Ieruſalem, & domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi. 28. Reliqua autem ſermonum Ioſiæ, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? 29. (h) In diebus eius aſcendit Pharao Nechao Rex Ægypti, contra Regem Aſſyriorum, ad flumen Euphraten: & abiit Ioſias Rex in occurſum eius: & occiſus eſt in Mageddo, cum vidiſſet eum. 30. Et portaverunt eum ſervi ſui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Ieruſalem, & ſepelierunt eum in ſepulcro ſuo. Tulitque populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ: & unxerunt eum, & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo. 31. (i) Viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ, de Lobna. 32. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius. 33. * Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath, ne regnaret in Ieruſalem: & impoſuit mulctam terræ, centum talentis argenti, & talento auri. 34. Regemque conſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ pro Ioſia patre eius: vertitque nomen eius Ioakim. Porro Ioachaz tulit, * & duxit in Ægyptum, & mortuus eſt ibi. 35. Argentum autem & aurum dedit Ioakim Pharaoni, cum indixiſſet terræ per ſingulos, ut conferretur iuxta præceptum Pharaonis: & unumquemque iuxta vires ſuas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao. 36. Viginti quinque annorum erat Ioakim cum re-

regnare cœpiſſet: & undecim annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Zebida filia Phadaia de Ruma. 37. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

(a) II. Paralip. xxxv. 20. (b) Eccli. xlix. 3. (c) III. Reg. xi. 7. (d) III. Reg. [xiii. 32. (e) II. Paralip. xxxv. 1. (f) III. Reg. xiii. 2. (g) Infra xxiv. 2. (h) II. Paralip. xxxv. 20. (i) II. Paralip. xxxvi. 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 15. *Et altare illud, & excelſum deſtruxit.* Non ommittas poſterius *&* poſitum ante *excelſum.*

V. 33. *Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla.* Non augeas vocem *Rebla* una ſyllaba, *Reblatha*; quamquam utroque nomine eadem una civitas ſignificetur.

V. 34, *Et duxit in Ægyptum, & mortuus eſt ibi.* Multi libri ommittunt *& mortuus eſt ibi*, ſed immerito.

Lectionum Varietas.

V. 4. *Qua facta fuerant Baal, & in luco, & univerſa militia cæli.* Quidam libri auferunt *in* præpoſitum *luco*, conſentanee Hebræo, & Græco.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. MISIT, ſcilicet nuntios qui vocarent. OMNES, id eſt maior pars: ſic & inf.

V. 2. PROPHETAE, ſcilicet qui aberant, cum conſulta eſt Holda.

V. 3. GRADUM, id eſt locum e terra elevatum. Hebr. *columnam*, id eſt locum editiorem. CAEREMONIAS. Heb. *ſtatuta*, ſeu *decreta*. SUSCITARENT. Chald. *ſtabilirent*; quaſi dicat, Stare faceret: videntur enim cadere quæ non obſervantur.

V. 4. SECUNDI, ſcilicet a Pontifice. IN LUCO. Hebr. *ipſi luco*, id eſt luci ſimulacro. BETHEL, ſcilicet ut pollueret altare ibi extructum.

V. 5. DELEVIT ARUSPICES. Hebr. *ceſſare fecit* (id eſt abolevit) *ſacerdotes*, ſcilicet ſanorum. DUODECIM SIGNIS. Hebr. *influentiis*, ſeu *ſignis*. Chald. *ſideribus* LXX. *planetis*.

V. 6. LUCUM, ſcilicet ſculptum, de quo ſup. & cap. xxi. VULGI, ſcilicet qui lucum illum adoraverat.

V. 7. EFFEMINATORUM, id eſt ſcortorum maſculorum. DOMO DOMINI, ſcilicet atrio populi. PRO QUIBUS. Chald. & LXX. *in quibus*. QUASI DOMUNCULAS, id eſt tenturia, ſeu cortinas. Hebr. *domos*. Chald. *menſuras*. LXX. *ſtolas*.

V. 8. CONTAMINAVIT, id eſt profanavit: ſic infra. GABAA erat in Beniamin. PORTARUM, id eſt quæ erant ad portas. AD SINISTRAM, ſcilicet *introeunti*, ut eſt Chald. & in LXX.

V. 9. NON ASCENDEBANT, ſcilicet ex eo tempore. FRATRUM, ſcilicet ſacerdotum; quaſi dicat: Ob peccatum erant ſolum privati proteſtate ſacrificandi.

V. 11. EQUOS, ſcilicet quibus vehebantur in curribus, qui Solem orientem ſalutabant. Ita quidam alii equos ſculptos intelligunt, quadrigam ſcilicet Soli dicatam more gentilicio. EXEDRAM. Hebr. & Chald. *cubiculum*. LXX. *gazophylacium*, PHARURIM, id eſt ſuburbiis, ſcilicet præfectus.

V. 12. CUCURRIT; pro, currere fecit, id eſt proiecit. Chald. *procul fecit*. LXX. *deſtruxit*.

V. 13. OFFENSIONIS. Sic vocat Oliveti montem ob idololatriam. Hebr. *Deſtructionis*. Chald. *Olivarum*. IDOLO. Hebr. Chald. & LXX. *Abominationi*. OFFENSIONI, id eſt idolo. Hebr. & Chald. *Abominationi*. POLLUIT. Chald. *profanavit*: ſic & infra.

V. 14. OSSIBUS: ſcilicet horum contactu profanabantur.

V. 15.

V. 15. ET ALTARE ILLUD; pro, altare inquam illud. EXCELSUM. Hebr. etiam & Chald. *excelsum*: unde apparet, aliud esse *altaria*, aliud *excelsa*.

V. 17. TITULUS, id est statua. Solebant ad sepulcra erigi statuæ, seu columnæ, ubi scribebatur nomen sepulcri, quod etiam hodie Iudæi observant.

V. 18. PROPHETAE, id est pseudoprophetæ.

V. 24. FIGURAS IDOLORUM. Hebr. *teraphim*. Chald. *fimulacra*, IMMUNDITIAS. Hebr. Chald. & LXX. *idola*. STATUERET, id est impleret. Chald. *firmaret*.

V. 25. SIMILIS. Vide sup. cap. XVIII. simile quiddam de Ezechia dictum, quod intelligo quantum ad aliquid, sicut & illud: *Non est inventus similis illi, qui confervaret legem Excelsi*. Vel est Hyperbole.

V. 29. ABIIT, scilicet impediturus ne forte Ierusalem invaderet. MAGEDDO urbs in tribu Iuda.

V. 31. LOBNA urbs Iuda.

ESTII.

Vers. 9. VERUMTAMEN NON ASCENDEBANT SACERDOTES EXCELSORUM AD ALTARE DOMINI IN IERUSALEM; SED TANTUM COMEDEBANT AZYMA IN MEDIO FRATRUM SUORUM. Hi erant sacerdotes Aaronici: nam alioqui non fuisset eis pœna non ascendere ad altare Domini. Utrum autem fuerint sacerdotes excelsorum ad cultum idolorum, an vero ad cultum unius Dei, non liquet. Pro priori parte facit, quod dicitur Iosias contaminasse excelsa de Gabaa usque Bersabe; pro posteriori, quod postea dicitur Iosias occidisse universos sacerdotes excelsorum, sed additur, *qui erant ibi*, nimirum in civitatibus Samariæ. Et ad prius dici potest, Scripturam cum dicit, *Non ascendebant sacerdoter excelsorum*, &c. non loqui de omnium excelsorum sacerdotibus, sed de quorumdam tantum, in quibus videlicet uni Deo sacrificabatur, sed contra legem, idque fiebat per sacerdotes Aaronicos.

V. 25. SIMILIS ILLI NON FUIT ANTE EUM REX. Simile quid est cap. XVIII. ubi vide quomodo hoc intelligatur. Hic vero subditur de Iosia: QUI REVERTERETUR AD DOMINUM IN OMNI CORDE SUO, ET IN TOTA ANIMA SUA, ET IN UNIVERSA VIRTUTE SUA, IUXTA OMNEM LEGEM MOYSI. Ubi nota contra hæreticos nostri temporis, primum legis præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, &c. a Iosia fuisse servatum, ac proinde a nobis quoque posse servari. Si quæras quare non graviter offenderit Deum, quandoquidem temere, ut videtur, occurrens Pharaoni, se suosque morti & calamitati obiecerit; respondeo, eum potuisse causas habere probabiles, quare regno suo ab exercitu Pharaonis metueret. Et quamvis Pharao protestaretur, se non venire adversus eum, non tamen illi fidem habere tenebatur, quia sæpe callida sunt Regum consilia. Deinde, sicut David peccavit, & pœnitentiam egit, ita de Iosia confiteri non est absurdum.

V. 29. ET OCCISUS EST AB EO IN MAGEDDO, CUM VIDISSET EUM; id est, cum fuisset cum eo prælio congressus, ut patet ex II. Paralip. v. Et est quædam λειπογρά, seu potius χαιεπισμος cum leniori verbo, *Videre*, pro *prælio decertare* ponitur, sicut etiam passim congredi dicuntur generali vocabulo, qui pugna decertant. Similem phrasim explicuimus supra cap. XIV. ubi & alia in hanc rem dicimus. Porro quod hic Iosias occisus dicitur in Mageddo, intelligendum est ex collatione huius loci cum cap. XXXV. Lib. II. Paralip. quod in campo Mageddo letaliter vulneratus, in via mortuus sit, & sic illatus in Ierusalem. Dicitur quidem III. Esdræ I. quod perveniens Ierosolymam vita functus est; sed liber ille non habet auctoritatem canonicam. Nihil etiam repugnat, si dicatur in campo Mageddo vulneratus, & in Mageddo mortuus.

MARIANAE.

Vers. 3. STETITQUE REX SUPER GRADUM. Chald. *super gradus*. Gradus quidam videntur fuisse ubi Principes sederent, Rex in supremo gradu. Sept. *super columnam*: sic Hebr. sed *super* sumitur pro *iuxta*, ut multis aliis locis: aut tribunal *columna* vocatur, quod emineret. Hieronymus cer-

certe ſuperius cap. 11. verſ. 14. vertit *ſuper tribunal*, ubi eadem verba Hebr. ſunt. Tum II. Paralip. cap. XXXIV. verſ. 31. *Et ſtans Rex in tribunali ſuo*, ubi repetitur quod hic dicitur, ſed aliis verbis Hebr. ſcilicet: *Et ſtetit Rex ſuper ſtationem ſuam* aut *locum*. Fœdus percuſſit, ut ambularent cum Deo. ET SUSCITARENT VERBA FOEDERIS, id eſt facerent ut in uſum redirent quæ in eo libro continebantur, ſtabilirentque.

V. 4. ET IANITORIBUS præcepit Rex. Hebr. *cuſtodibus liminis*, alii *vaſorum*, quoniam סף *ſaph*, *pelvim* putant ſignificare, ſeu quodcumque vas. Sic Hebræus. IN CONVALLE combuſſit Rex vaſa Baal derracta de templo Dei. Chald. *in torrente Cedron*. Alii *in planitie*, ſeu *campeſtribus*.

V. 5. DELEVIT ARUSPICES. Heb. *Ceſſare fecit chemarim*; id eſt, idolorum ſacerdotes amovit ab officio. QUI ADOLEBANT .... DUODECIM SIGNIS: eos ſuſtulit. Hebr. *Mazaloth*, pro qua voce Sept. *planetas*, Chald. *ſidera* vertit, Pagn. *ſigna*. Sed certe vox *duodecim* Hebr. non eſt.

V. 6. IN CONVALLE CEDRON eſferri fecit lucum. Sept. & Chald. *torrentem* dixerunt. Vox *nahal* Hebr. locum declivem ſignificat, in quem aqua defluit, etiamſi aqua deficiat, nempe vallem. SUPER SEPULCRA VULGI proiecit pulverem. Hebr. *filiorum populi*, ſic Sept. id eſt popularium. Peccata ſua mortuos etiam ſequuntur.

V. 7. DESTRUXIT QUOQUE AEDICULAS EFFEMINATORUM. Sept. *initiatorum*. Chald. *idolorum*. Vox Hebr. קדשים *kedeſim*, *conſecratos* ex vi vocis ſignificat, ſed per antiphraſim fere ſumitur pro ſcortis maſculis. MULIERES TEXEBANT QUASI DOMUNCULAS. Hebræi fere vocem *bathim*, pro qua Noſter *domunculas* poſuit, hoc loco putant ſignificare *cortinas*, ſeu *veſtes*. Ita in illis domunculis duo mala erant, & pueri proſtituti, & mulieres cortinas idolis texentes. Ergo DOMUNCULAS LUCIS, id eſt idoli, quod in luco erat. Metonymia.

V. 8. CONGREGAVITQUE OMNES SACERDOTES: ne ſcilicet amplius diſperſi in excelſis ſacrificarent. CONTAMINAVIT EXCELSA, id eſt profanavit, ut populum averteret, ne iis locis offerrent hoſtias. DE GABAA. Urbs in tribu Beniamin. IOSUE PRINCIPIS CIVITATIS. Tunc cenſura optima & efficax, quando ne Princip bus quidem parcitur: aras quæ ad domum eius erant, Rex diruit.

V. 9. COMEDEBANT AZYMA. Sacerdotes excelſorum, privati ſacrificandi munere, veſcebantur oblationibus templi, quæ per azyma intelligit, quoniam fermentum in donariis non miſcebatur. Videntur fuiſſe e tribu Levitica.

V. 10. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHETH... UT NEMO CONSECRARET. Hebr. *traduceret*. PER IGNEM. Hebr. *in igne*. Porro *Tophetb* locus erat Ieroſolymæ vicinus impio cultui ſerviens, ubi & Gehenna.

V. 11. ABSTULIT QUOQUE EQUOS. His utebantur qui mane prodibant Solem ſalutatum. IN PHARURIM. Sept. hanc & ipſi vocem intactam reliquerunt, quaſi nomen proprium. Chald. *in ſuburbanis* dixit, ubi eunuchus Nathan habitabat. CURRUS. Ii currus eidem vanitati deſtinati erant.

V. 12. ET CUCURRIT INDE. Vox Hebr. *iaroz* id poteſt ſignificare. Sed quorſum hoc loco *curſus?* Sept. in ſignificatione deſtruendi ſumunt, ſcilicet a radice *razaz*, quæ id ſignificat. Ergo DESTRUXIT REX, & demolitus eſt inde altaria. Chald. *Procul inde fecit*, id eſt a templo ubi Manaſſes poſuit. Excelſa polluit, quæ erant ad dexteram

V. 13. MONTIS OFFENSIONIS. Sic Sept. Hebr. *montis Deſtructionis*. Chald. *montis Olivarum*, id eſt Oliveti. Sed vocatur *deſtructionis*, ob idololatriam quæ ibi exercebatur. QUAE AEDIFICAVERAT SALOMON REX. De re hac, & qui ii dii eſſent, III. Reg. XI. 7. IDOLO SIDONIORUM. Hebr. Sept. & Chal. *abominationi*.

V. 15. ET EXCELSUM. Hebr. *excelſum* ſine ה, poteſtque appoſitive legi, *altare excelſum*, inquam, quod erat in Bethel, abſtulit.

V. 16. SUPER ALTARE. Nimirum, ut illud pollueret, combuſſit oſſa ſuper illud.

V. 17. QUIS EST TITULUS ILLE?

LE? Forte vidit ſepulcrum hominis Dei, de quo III. Reg. cap. XIII. Alii *ſtatua*, ſcilicet quæ ſepulcro erat impoſita; & *titulus* inter alia *ſtatuam* ſignificat. Seu columna erat, in qua ſepulti nomen inſcriptum erat.

V. 21. IN LIBRO FOEDERIS HUIUS. Prout ſcriptum eſt in hoc libro fœderis, ſcilicet in Lege, Facite Phaſe.

V. 22. NEC ENIM FACTUM EST PHASE TALE. Coniunctio *enim* redundat, conſunditque ſenſum, neque enim præceſſit cuius reddatur cauſa. Itaque II. Paralip. XXXV. 18. ubi hoc refertur, illa coniunctio non ponitur. Sed Hebr. eſt כי *chi*, id eſt *quia*, pro qua Hieronymus poſuit *enim*.

V. 23. SICUT IN OCTAVO DECIMO. Alii vertunt *ſed in octavo*; alii *niſi in octavo*. Sententia eadem, quam melius Hieronymus explicat. Ergo Phaſe illud decimo octavo anno Ioſiæ eſt factum.

V. 24. ARIOLOS. Alii *magos*. FIGURAS IDOLORUM. Hebr. *theraphim*; ideſt, idola forma humana, quæ reſponſa reddebant, abſtulit. IMMUNDITIAS. Hebr. *idola*.

V. 29. PHARAO NECHAO. Herodotus narrat hanc expeditionem Lib. II. vocatque hunc Regem *Neco*: fortaſſis ſic dictus, quod claudus eſſet pedibus: id enim ea vox ſignificat Hebr. & Chald. *hagbira*, id eſt *claudus*, poſuit. IOSIAS REX IN OCCURSUM EIUS prodiit, ſcilicet ut tranſitum per fines prohiberet, aut ut Aſſyrio opem ferret. IN MAGEDDO. Urbs erat in tribu Iuda. *Mageddo* & *Magedan* vocatur Marc. VIII. 11. *Dalmanutha* & *Magedan*, Matth. XV. *Magdalum* ab Herod. Lib. II. unde *Magdalena* ad lacum Geneſar ſita, prope Tiberiadem. CUM VIDISSET EUM, ſcilicet Ioſias Nechao. *Videre* eſt *pugnare* hic, & ſuperius cap. XIV. verſ. 8. Occiſus eſt Ioſias, &

V. 30. PORTAVERUNT EUM. Hebr. *Currui impoſuerunt*, quod II. Paralip. XXXV. 24. *Tranſtulerunt eum de curru in alterum currum*. Succeſſit Ioſiæ filius Ioachaz. ET UNXERUNT EUM. Filii Regum non ungebantur, niſi iure controverſo, ut hic: nam Ioachaz minor erat fratre Eliacim, ut patet ex utriuſque ætate. Quod ſi I. Paralip. III. verſ. 15. *Ioachaz* ſeu *Iohanan* vocatur primogenitus, id ad dignitatem eſt referendum, & fortaſſis mater eius nobilior ceteris erat.

V. 31. LOBNA urbs in tribu Iuda. Inde erat mater Ioachaz. Qui imitatus eſt

V. 32. PATRES EIUS, id eſt maiores, Amon ſcilicet, & Manaſſe. Eos in malo eſt imitatus.

V. 33. IN TERRA EMATH, ſcilicet in finibus Antiochiæ, Nechao vinxit Ioachaz. Pro eo ſubſtituit Ioacim. Ille, ut daret aurum Nechao,

V. 35. CUM INDIXISSET TERRAE PER SINGULOS. Hebr. *Verum æſtimare fecit terram*, id eſt ſubſtantiam omnium. Vox *per ſingulos* Hebr. non eſt. IUXTA VIRES SUAS. Hebr. *iuxta æſtimationem ſuam*. Itaque tributum indixit, non per capita, ſed iuxta cenſum cuiuſque: quæ ratio imperandi tributa æquior eſt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. QUI MISIT: ET CONGREGATI SUNT. Heb. *Et miſit Rex*, ſubaudi nuntios, & *collegerunt*. Quidam: *Et miſit Rex, qui congregarent ad ſe*, &c.

V. 3. SUPER GRADUM. Hebr. *ſuper* vel *iuxta*, *columnam*. Locum exiſtimant fuiſſe columnis ſuffultum, in quo Rex manere ſolebat, cum erat in templo. Alii, *ad columnam ſuam*, ſeu *in ſuggeſtu ſuo*. Nonnulli, *ſuper tribunal ſuum*: ſed vide ſupra cap. XI. verſ. 14. ACQUIEVITQUE POPULUS PACTO. Hebr. *Et ſtetit omnis populus in fœdere*. Quidam: *Et perſtitit*, &c. Alii: *Cui aſſiſtebat omnis populus in ipſo fœdere*, præſentia videlicet, & opere, ut ſequentia docent: ſed eſt Hiſpaniſmus, *Y eſtuvo todo el pueblo en el concierto*; id eſt, iniit ipſe quoque fœdus, in idem fœdus venit. Hiſpanicus Interpres: *Y todo el pueblo confirmò el concierto*. Aliqui: *Stabatque univerſus populus in fœdus illud*.

V. 4. SACERDOTIBUS SECUNDI ORDINIS. Varie Hebr. convertunt: 1. *ſacerdotibus reſecundationis*; hoc eſt, ſacerdotibus iterum atque iterum ſuccedentibus ſecundum vices ſuas, iuxta ordinem præſcriptum a Davide: 2. *ſacerdotibus ſecun-*

cunditatis, ſecundi, ſecundarii, ſecundanis, id eſt ſecundi ordinis, & gradus, ſeu ſecundæ dignitatis a Pontifice ſummo. ET TULIT PULVEREM EORUM IN BETHEL, ut nec pulvis eorum remaneret in terra Iehudæ. Quidam, Ut comportatis undique ſordibus, locum illum quem Iſraelitæ ſacrum habuerant, religione ſpoliaret, ac prorſus pollueret, & profanaret: parebat enim Bethel regno Iehudæ inde a temporibus Abiæ, II. Paralipom. XIII. 19. Vide I. Machabæorum XI. 34. in Bethel poſuerat vitulum unum Ieroboam, & erexerat altare, I. Reg. XII. 29. & 32.

V. 5. ARUSPICES. כמרים *cemarim*. In voce obſcura iuvat aliorum expoſitiones audire. Elias in Thisbi: *Ubicumque vocabulum* כוהן *coben, ſacerdotem, ſive miniſtrum, qui idololatriæ ſervit, ſignificat, ibi ſemper* Thargum *reddit per* כומר *cumar. Vide Geneſ.* XLVII. 22. & *Iudicum* IX. *Porro Interpretes dicunt, ſic appellatos fuiſſe a nigredine Chaldaice: atque eo tempore plerique, inquiunt, nigris veſtibus induti erant, ſicut adhuc hodie fere ſolent monachi. Ego autem dico* כומרים *cumarim nuncupatos fuiſſe ab eo quod ſimul in uno loco recluſi continebantur, ex ſignificato Chaldaico & Rabbinico. Vide aruc in radice* כמר, & *ſic vocatur habitatio. Vbi chumarim, id eſt monachi habitant, in lingua Romana clauſtrum, & in lingua Germanica cloſter, quod a claudendo nomenclaturam habet. Sed & ſecta raſorum ſacerdotum dicitur, qui non ſunt cumarim, neque in uno loco ſimul continentur, ſed morantur ubicumque locorum volunt.* Reuchlinus: *Camar, religioſus, monachus, nigris indutus veſtibus, ædituus, capellanus.* Sanctes: *Camar, ſacerdos idolorum, quod indueret veſtes nigras, ſeu adultas.* Forſterus: *Cemarim, miniſtri ſacerdotum, æditui, ab incenſione thuris, & precibus, quas pro populo faciebant. Aliqui volunt dictos ab atro veſtitu, quem geſtabant. Alii quod eſſent incluſi, quaſi monachi monaſteriis: vel a ſtigmatibus, quæ in facie, & in corpore ipſorum inuſta erant: vel ab ardore devotionis, quo erant accenſi in ſacris ſuis peragendis.* Mercerus: *Camar Syris eſt claudere, & contrahere. Hinc monachos Elias in Thisbite cumarim dici putant, ut olim idolorum ſacerdotes, quod in cloſtris degant. Alii cemarim putant eſſe ædituos, ſacerdotum miniſtros, ab adolendo thure: alii ab ſtigmatibus quæ ſuo corpori inurebant; alii ab ardore, quo ſua ſacra peragebant. Sed ab atro veſtitu potius dicti videntur. Videntur autem alii fuiſſe a ſacerdotibus, ut ex Sophoniæ* I. *verſ.* 4. *apparet: forſan, qui Græce Hierophanthæ.* Marinus: *Cemarim, ſacerdotes idolorum, arbitror vocem eſſe Chaldaicam, & ſic dici a contrahendo, quaſi contractos, clauſos, ut idolis ſerviant.* Avenarius: *Cemarim, ſacerdotes idololatrici, qui incenſi, ſeu cremati ſunt ardore falſæ religionis.* Montanus in I. Sophoniæ, verſ. 4. *Cemarim, quo nomine Chaldæus Interpres vanorum deorum ſacrificulos perpetuo vertit: ſignificat autem verbum atros & convolutos, ſive quod atris veſtibus uterentur: ſive quod magis placet, in certa collegia, familiaſque diſtincti eſſent, ſuaſque ſingulæ ſectæ domos haberent, in quibus conclui ſi habitarent: quales Idææ famuli, atque Iſidis & Anubis ſacerdotes, quatuaque augnrum collegia in gentium libris legimus.* Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Cemarim, ſacrificuli, quaſi atrati dicti, quod pullis veſtibus ex ſuperſtitioſo ritu incederent, ſacerdotes gentiles, & idololatrici. Hodie Iudæi monachos ſic vocant.* Druſius in I. Sophon. verſ. 5. *Camarim, Camari. Camaros quidam cenſent fuiſſe idolorum ſacerdotes, Ieorſim degentes, colore fumido amictos (horret enim iſte color vel maxime) unde & nomen ab eoque diminutivum Camillus, id eſt adminiſter ſacrorum. Vide Animadverſionum Lib. I. cap.* XIX. *Camar, Camillus, ut puer, puellus. Hodie Iudæi monachos cumarim appellant.* Eadem habet in Animadverſionibus. Schindlerus: *Camar, Camillus, ſacerdos gentilis, miniſter ſacrorum. Plurale cemarim, ſacerdotes, præſertim idolorum, fuſcis, aut nigris veſtibus induti, camilli, phanatici.* De Camillis Feſtus: *Camillus proprie appellatur puer ingenuus.* Et rurſus: *Cumeram vocabant antiqui, vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utenſilia, quod & camillum dicebant: eo quod ſacrorum miniſtrum camillum appellabant.* Servius in XI. AEneidos: *Statius Tullianus de vocabulis rerum, libro primo, ait dixiſſe Callimadium, Camillum appellari Mercurium, quo vocabulo ſignificant deorum miniſtrum. Romani quoque pueros, & puellas nobiles & inveſtes, camillos, & camillas*

appellabant F' minicarum , & Flaminum præminiſtros. Macrobius Lib. III. Saturnal. cap. VIII. *Statius Tullianus de vocabulis verum Lib. I. ait dixiſſe Camillachum Tuſcos Camillum appellare Mercurium, quo vocabulo ſignificant præminiſtrum deorum. Romani quoque pueros , puellaſve nobiles & inveſtes camillos , & camillas appellant , Flaminicarum, & Flaminum præminiſtros*. M. Varro Lib. VI. de lingua Latina, cap. III. *Camillam , qui Gloſſemata interpretati , dixerunt adminiſtram: addi oportet , in his quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptiis Caſmillus , qui Cumeram fert , in quo quid ſit in miniſterio , plerique extrinſecus nectunt. Hinc Caſmillus nominatur in Samothraces myſteriis Dius quidem adminiſter diis magnis*. Gloſſæ veteres: *Camilla* ἱερὰ , id eſt ſacerdos, ſeu ſacerdotiſſa. Vide Scaligeri Conjectanea in Varronem , & Caſtigationes in Feſtum . Nec deſunt qui *cemarim* dictos velint a Camirene urbe Chaldææ, quæ in Scripturis Ur Chaldæorum vocatur , in qua erat Pyræum magnum , & cuſtodia ignis perpetui , nam certum eſt Camirenem , & chemarim , appellari ab igne, uſtione, crematione, ardore: ac dictos *cemarim*, ſacerdotes, & miniſtros, cuſtodes ignis æterni, quem Perſæ colebant. Vide Geneſ. XI. verſ. 28. Fortaſſeque iſtos fuiſſe ex eorum numero, aut illis ſimiles, quos deſcribit Strabo Lib. XV. pag. 733. *In Cappadocia (etenim maxima eſt ibi magorum multitudo, qui Pyrethi vocantur, & multa Perſicorum deorum templa) non cultro, ſed ſtipite quodam mactant , tamquam malleo verberantes . Sunt & Pyratheia ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt : in ea magi & cinerem multum , & ignem perennem ſervant: & eo quotidie ingreſſi, imprecationes faciunt per horam ante ignem , virgarum faſciculum tenentes , pileis , infulis velati ex utraque parte dependentibus , adeo ut vittæ labia contegant, ac malas*. Ergo *cemarim* fuerint forte Pyrethæ. De Pyræis, ſeu Pyrathæis Perſarum, vide quoque Theodoretum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. V. cap. XXXVIII. Procopium Lib. II. Perſicorum , cap. XII. & Suidam . ET DUODECIM SIGNIS , מזלות *mazzaloth* alibi non invenitur: aiunt eſſe *planetas*, *ſidera* , *aſtra* , *conſtellationes* , *duodecim ſigna zodiaci*, a נזל *nazal* , *fluere* ; quaſi dicas *influentias*, quia influxum ſuarum virium ac qualitatum præſtant in hæc inferiora. Alii ab אזל *azal*, eliſo Aleph , *eundo*, *errando* , a curſu nimirum quem conficiunt : vel indicat ſidera errantia.

V. 6. ET EFFERRI FECIT LUCUM DE DOMO DOMINI: vel metonymice *idolum luci* , ſive idolum quod fuerat in luco; vel proprie lucum ſculptum, & affabre factum, quem Menaſeh poſuerat in templo Domini. Vide ſup. cap. XII. verſ. 7. Hiſpanicus Interpres, *El retablo del boſque*. SUPER SEPULCRA VULGI. Heb. *Super ſepulcrum filiorum populi*. Quidam , *Super ſepulcrum illorum popularium* , videlicet idololatrarum, in deteſtationem idololatriæ cui adhæſerant, & contaminationem ſepulcrorum impiorum hominum, in exemplum vivis. Nec vana eſt eorum conjectura qui ſuſpicantur, illud ſepulcrum fuiſſe filiorum vulgi conſecratorum idolis, quos ſcilicet parentes per ignem diis conſecraverant : quaſi in honorem ac venerationem conſecrationis commune ſepulcrum filii illi populares habuerint , ſeparatum a ſepulcris non conſecratorum ; filii autem Regum , & nobilium conſecrati aliud ſepulcrum, vel propria ſepulcra diſtincta haberent. Rex autem Joſias injecto in illud ſepulcrum cinere luci idolatrici, locum omni falſa religione exuit, ac contaminavit .

V. 7. DESTRUXIT QUOQUE AEDICULAS EFFEMINATORUM . קדשים *kedeſchim* , exponunt, *Paratos* , *impuros* , *profanos* , *pollutos* , *contaminatos* , *ſcortatores* , *meretricarios* , *veneri deditos* , *ac mancipatos*. Alii, *Meritorios* , *cinædos* , *catamitos* , *ſcorta maſcula* , *pathicos*. Nonnulli , *Sacros* , *ſanctos* , *ſanctificatos* , *conſecratos* , *dicatos* , *initiatos* , quaſi conſecratos abominando libidinis ſceleri . Quidam impuros hos catamitos exiſtimant conſecratos fuiſſe alicui deo , ut Aſtarte ſeu Veneri , aut Bahal Phogor, ſeu Priapo . Alii nihil de impuritate libidinis præpoſteræ hic intelligi putant, ſed *kedeſchim* accipiunt, ſacerdotes , & miniſtros diis conſecratos, & initiatos . Vide in Deuteron. XXIII. 17. Quidam vertunt : *Et deſtruxit lupanaria quæ erant in domo Jehovæ*, id eſt in atrio populi. Aliqui intelligunt domunculas ſacerdotum , qui verſabantur in cultu ac deorum , quos *kedeſchim* , id eſt ſcorta ma-

masçula, vocat; intelligit enim de ſpirituali fornicatione, id eſt idololatria. PRO QUIBUS MULIERES TEXEBANT QUASI DOMUNCULAS LUCI. Varie ex Hebræo transfundunt. I. *In quibus mulieres texebant cortinas luco*; ut fuerint ſtructæ ædiculæ in templo ſacerdotibus idolorum, vel ſcortis maſculis, in quibus ædiculis habitarent etiam feminæ, quæ texerent cortinas, ſeu aulæa, aut vela pro luco illo. II. *Quorum mulieres texebant domunculas luco*, id eſt tentoria. III. *Ubi mulieres texebant ædiculas ad lucum*, id eſt ſacella textilia. IV. Hiſpanicus: *En las quales las mugeres texian pavellones para el boſque*. Chaldæus Interpres reddit *menſuras*; ut forte eſſet impius ille ritus ſimilis huic noſtro pio, quo menſuras corporum ſanctorum, vel ſacrarum imaginum, vittis fericis exceptas, opis, & ſalutis gratia geſtamus; ſic illæ mulieres texebant idolorum, & luci menſuras. Quidam convertunt: *Texebant cortinas Aſtharte*, id eſt *Veneri*: pro משרת *aſcherah*, *lucum*, capiunt עשתרת *gbaſcbthareth*, ac cortinas intelligunt, ſub quibus neſandæ Veneri dabant operam; ut ſit illud II. Machabæor. IV. 12. *ſub petaſo*. Vide ibi.

V. 8. CONGREGAVITQUE OMNES SACERDOTES DE CIVITATIBUS IUDA. Hebr. *Et venire fecit omnes ſacerdotes de urbibus Iehudah*. Exponunt, id eſt accerſivit. Alii: *Inſuper abductis omnibus ſacerdotibus e civitatibus Iehudæ*, Id eſt ex excellis quæ in ſingulis civitatibus Iehudæ erant, ut ab idololatria deſiſterent, & Deum colerent. DE GABAA, Saulis, ſeu Beniaminis, quæ tunc temporis erat terminus ſeptemtrionalis regni Iudaici in Biniamine. Vide I. Reg. XV. verſ. 22. & Ioſue XVIII. verſ. 24. USQUE BERSABEE. Terminus meridianus terræ ſanctæ. Vide Iudic. XX. I. ET DESTRUXIT ARAS PORTARUM. Hebr. *excelſa portarum*, id eſt ſacella, ſeu altaria idolorum, quæ erant ad portas Ieruſalaim. IN INTROITU OSTII IOSUE PRINCIPIS CIVITATIS. Hebr. *Quæ ianuæ portæ Iehoſuah principis urbis*. Quidam: *Etiam quod erat ad oſtium portæ Iehoſuæ præfecti urbis*; quaſi dicat: Sine diſcrimine privata, & publica potentium, & tenuium idolis ſacrata excelſa, ſeu ſacella abſtulit.

V. 9. VERUMTAMEN NON ASCENDEBANT SACERDOTES EXCELSORUM AD ALTARE DOMINI. Hebr. in futuro, *Non aſcendent*. Quidam, *Non aſcenderunt*; ſubaudi, ultra ex eo tempore. Alii, *Non offerunt*; id eſt, abdicati ſunt ipſi, & tota eorum poſteritas a ſacrorum miniſterio. Vide Ezechiel. XLIV. 10. & ſeqq. Erant ii ſacerdotes Levitici generis, qui deficientes a Deo facti fuerant ſacerdotes excelſorum. *Sacerdotes excelſorum*, id eſt qui e genere Aaronis veri ſacerdotes ſunt, ſed peregrino cultu ſe contaminaverunt. SED TANTUM COMEDEBANT AZYMA IN MEDIO FRATRUM SUORUM. Exponunt: *Sed comedunt azymos panes inter fratres ſuos*; id eſt, ſunt eodem iure poſt reſipiſcentiam, quo qui corporali vitio laborabant, Levit. XXI. 17. & ſeqq. Summa eſt, Ioſiam leniore iudicio erga ſacerdotes uſum eſſe, ut generi Levitico parceret, in quo Deus frequentia & manifeſta ſuæ miſericordiæ ſigna ediderat, ut in Aaronis perſona, Deuteron. IX. 20. poſteris Chorachi, Numeror. XXVI. 11. Ebiathare, I. Reg. II. 26. tum ut nihil gravius in reſipiſcentes ex publica corruptione ſtatueret.

V. 10. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHETH; QUOD EST IN CONVALLE FILII ENNOM, &c. Hunc verſum copioſe explanavimus, Lib. XI. de Antichriſto, cap. VIII. ubi ſane de *Topheth*, de *valle filiorum Hinom*, de ritu traducendi filios per ignem, late diſſeruimus; ut nihil neceſſe ſit huc ea tranſcribere. Porro illud, *Contaminavit*, exponunt, Polluit, religione idololatriæ exuit. Catachreſis locutionis ſumpta ex communi uſu: ſic deinceps.

V. 11. ABSTULIT QUOQUE. Hebr. *Et ceſſare fecit*, vel *abolevit*, id eſt amovit, ſubſtulit. Alii: Id eſt *interfeci iuſſit*. EQUOS, QUOS DEDERANT REGES IUDA SOLI, ex ritu Perſarum, & Armeniorum. De Perſis Iuſtinus Lib. I. *Nam & ſolem unum deum Perſæ eſſe credunt; & equos eidem deo ſacratos ferunt*. Q. Curtius Lib. III. Rerum Alexandri, cap. II. *Currum deinde Iovi ſacrum albentes vehebant equi: bos eximiæ magnitudinis equus, quem ſolis appellabant, ſequebatur*. Herodotus Lib. I. num. 189. *Interim quidam e ſacris equis candidis petulanter ingreſſus fluvium*, &c. quin & Soli equos mactabant.

Xenophon Lib. VIII. Cyropædiæ : *Equi ducebantur victimæ Soli*. Herodotus Lib. VII. num. 113. *Magi mactatis equis candidis litaverunt*. Philostratus Lib. I. de vita Apollonii, cap. xx. de Rege Babylonis: *Erat autem candidum equum Soli mactaturus ex Nysæis de meliore nota, & egregiis phaleris ornatum, tamquam in pompam profecturum*.

Ovidius Fastorum I.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda deo.

De Armeniis Xenophon Lib. IV. Cyri Expeditionis: *Equumque vetulum, quem acceperat, ei tradidit in sacrificium mactandum: inaudierat enim Soli sacrum esse*. De Massagetis Herodotus Lib. I. extremo: *Ex diis unum Solem venerantur, cui equos immolant. Est autem institutum hoc sacrificium, ut dcorum perniciissimo omnium mortalium perniciissimum mactent*. Strabo Lib. XV. pag. 513. *Massagetæ Solem unicum deum agnoscunt, eique equum sacrificant*. IUXTA EXEDRAM NATHANMELECH. Alii, *Ad cubiculum*, id est domum Nethan-Melech: synecdoche. Nonnulli, *Ad aulam*. QUI ERAT IN PHARURIM. Plerique : *Qui erat in suburbanis*; id est, qui erat præpositus, ac præfectus suburbanis urbium, atque villarum. Hispanicus Interpres : *El qual tenia cargo de los exidos*. Alii : *Quæ* domus erat *in ipsis suburbiis*, civitatis Davidis. Nonnulli: *Quæ in latitudinibus*, id est in platea. פרורים *paruarim* videtur vox externa, seu Syriaca, quam omnes fere *suburbia* interpretantur. CURRUS AUTEM SOLIS. Id quoque ex ritu Persarum. Xenophon Lib. VIII. Cyropædiæ: *Equi ducebantur ad sacrificium Solis: post eos producebatur currus albus, cum aureo iugo, & coronatus, Iovi sacer. Tone hunc Solis currus albus, itidem, uti prior ille, coronatus*. Herodotus, Lib. VII. num. 55. de exercitu Xerxis : *Debinc equi sacri, ac sacer currus : tum ipse Xerxes*.

V. 12. ALTARIA QUOQUE QUAE ERANT SUPER TECTA, &c. Qui adorabant exercitum cœlorum, altaria in tectis statuebant, ad sacrificandum illi cœlesti militiæ, ut apparet ex Ierem. XIX. 13. & Sophon. I. 5. ET ALTARIA QUAE FECERAT MANASSES IN DUOBUS ATRIIS, &c. id est populi, & sacerdotum. Vide sup. cap. XXI. vers. 5. ET CUCURRIT INDE. Quidam transitive reddunt : *Et currere fecit illinc*; id est, cito amoveri, & tolli altaria illa iussit; vel *fugavit ea illinc*. Alii ex vicino verbo רצץ *ratzatz*, exponunt: *Et concussit, conquassavit, confregit, contrivit, conculcavit inde*. Nonnulli: *Quibus abruptis inde, proiecit pulverem eorum*, &c. Sed sensus Nostri præferendus, quo indicatur cita, & diligens cura, ac studium Iosiæ in extirpanda idololatria.

V. 13. AD DEXTERAM. Exponunt, Id est meridiem versus. Montem illum offensionis fuisse ad meridiem, seu inter orientem & austrum ipsi Ierusalaim, sacri topographi observant. Vide in Iosue XV. 8. MONTIS OFFENSIONIS. Hebr. in dativo, *monti perditionis*. משחית *maschith* est participium Hiphil, *perdens, corrumpens, destruens*; quod tamen plerumque pro abstracto substantivo capitur, *perditio, corruptio, destructio, monitis corrumpentis, perdentis, destruentis*, vel *montis perditionis, corruptionis, destructionis*. Hebræi, & nostri secuti Chaldæum Paraphrastem, *montem Oliveti* hic intelligunt, qui a fructu *mons* משחה *mischah*, id est unctionis, dicebatur; sed in detestationem idololatriæ, per paranomasiam, seu antonomasiam, *mons maschit, corrumpentis*, vel *perditionis*, hic appellatur, ut Osee IV. 15. *Beth-Aven*, pro *Beth-El*. Alii volunt montem, qui & Calvariæ id dictus, sic vocatum, quod in eo malefactores, & facinorosi perderentur. At sacri topographi perspicue distinguunt montem Offensionis, seu perditionis, a monte Olivarum, & a monte Calvariæ: quod est verissimum. Siquidem mons Olivarum est ad orientem ipsi Ierusalem; mons vero Calvariæ ad occidentem; at mons Perditionis, de quo hic, ad meridiem. Vide in Iosue XV. 8. & in XVIII. 16. & I. Reg. XI. 7. QUAE AEDIFICAVERAT SALOMON, &c. Vide I. Reg. XI. 5. & 7.

V. 15. ALTARE QUOD ERAT IN BETHEL, ET EXCELSUM QUOD FECERAT IEROBOAM, &c. Vide I. Reg. XII. 28. & seqq.

V. 16. MISITQUE, ET TULIT OSA

SA DE SEPULCRIS, ET COMBUSSIT EA SUPER ALTARE. Vide I. Reg. XIII. 2.

V. 18. CUM OSSIBUS PROPHETAE QUI VENERAT DE SAMARIA: & se cum eo sepeliri iusserat. Vide I. Regum XIII. 31.

V. 19. QUAE FECERANT REGES ISRAEL: signate, non quas fecerant Chuthæi novi incolæ.

V. 20. ET OCCIDIT UNIVERSOS SACERDOTES EXCELSORUM. Hebr. *Et mactavit omnes sacerdotes excelsorum*. Quidam volunt, haud intelligi mactatos sacerdotes Hebræos excelsorum, qui tum vivi reperti sunt, neque enim id permississent Chuthæi, qui Regi Assyriorum parebant, ut in eorum ditione Rex Iehudæ id sibi sumeret; sed hanc clausulam per sequentem exponi, & mactatos sacerdotes dici, quod ossa eorum iam mortuorum super altaria combusta fuerint, in detestationem altarium, & sacerdotum, quod metaphorice quoddam sacrificium videbatur: idque non dissicuisse colonis novis, qui sibi Deum terræ placatum optabant, sup. cap. XVII. a vers. 25. usque ad 34. Alii vivos sacerdotes sacrificatos volunt, qui non divinitus vocati fuerant, neque Levitici generis erant, sed ex ipsis Israelitis ex institutione Ieroboami facti, I. Reg. XII. 31.

V. 22. A DIEBUS IUDICUM, &c. Exponunt, Sed illis non annumeratis. Sive, quod dicunt, *a diebus Iudicum* exclusive; ideo in II. Paralip. XXXV. 18. Semuel tantum, qui eorum ultimus fuit, nominatur; quasi dicat: A constituto regno nullus fuit qui tanta sedulitate populum, sacerdotes, & se ipsum præparavérit ad celebrandum pesach, impuritatem omnem amovendo, & fœdus Dei renovando, denique ecclesiæ disciplinam severissime exigendo.

V. 25. SIMILIS ILLI NON FUIT ANTE EUM REX, &c. Hic versus contrarius videtur illi cap. XVIII. vers. 5. ubi hoc ipsum de Ezechia dicitur. Conciliant, Ezechiam in illis actionibus eius sanctis, & piis, quæ ibi describuntur non habuisse parem; at Iosiam simpliciter excelluisse in omnibus. Alii utrobique hyperbolem esse volunt, ut illud Ecclesiast. XLIV. 20. *Non est inventus similis illi*, &c.

V. 21. ERIT NOMEN MEUM IBI Vide cap. XXII. vers. 4.

V. 28. RELIQUA AUTEM SERMONUM IOSIAE, &c. Vide similem versum supra cap. 21. vers. 25.

V. 29. PHARAO NECHAO. Hebr. *Nechoh*. Quidam a נכה *niccah*, *percussum*, *ac debilem pedibus*, id est claudum, seu podagricum, interpretantur, ut II. Samuel. IV. 4. Huius Nechoh res gestas describit Herodotus, Lib. II. num. 158. & 159. & Lib. IV. num. 42. Et bellum hoc cum Iosia gestum his verbis; *Terrestri autem acie congressus cum Syris in Magdolo, victoria potitus est: & post prælium Cadyti magna Syriæ urbe*. Fortasse innuit Chamatham, de qua infra vers. 33. IN OCCURSUM EIUS; id est, ut eum depelleret, & se illi bello opponeret. IN MAGEDDO. Hebr. *Meghiddo*. *Magdolum* vocat Herodotus. S. Beda in Chronico, & ex eo Ado Viennensis, & Hermannus Contractus: *Iosias cum Nechaone Ægyptiorum Rege congressus, occiditur in campo Mageddo, quæ nunc Maximianopolis vocatur*. Scaliger putat ex vetere aliquo scriptore hæc accepisse Bedam. Maximinianopolim urbem fuisse AEgypti, sub dispositione Ducis Thebaidos, in Notitia imperii dicitur. Notat idem Scaliger, Herodotum scribere hanc pugnam accidisse ad urbem Magdolum sitam in finibus AEgypti, cuius etiam mentio in numismate Antonini Pii, *Magdoliton*: occurrisse enim Nechaoni Regem Iosiam, ut eum intercluderet aditu in Palæstinam, & in AEgyptum summoveret. Magdolum urbem AEgypti fuisse, Stephanus diserte affirmat: haud longe a Pelusio abfuisse, Itinerarium Antonini demonstrat: & Ieremias XLIV. 1. & XLVI. 14. aperte Magdolum urbibus AEgypti annumerat. Hanc esse Maximianopolim, facile crediderim: sed quod prælium Nechaoh cum Iosia ad urbem Magdolum AEgypti, futilissimum Scaligeri delirium est, cum Scriptura perspicue affirmet, Iosiam cecidisse in Meghiddo, quam urbem fuisse tribus Manassis, longe ab AEgypto remotam, certissimum, ex Iosue XVII. 11. & Iudic. I. 27. eam descripsimus in Iosue XII. 21. Ergo Herodotus vel *Magdolum* accepit pro *Meghiddo*, in tanta vetustate nomine luxato; vel,

vel, ſi Magdolum AEgypti urbem intellexit, falſus eſt : æque falſum, quod Beda prodidit *Mageddo*, Maximinianopolim poſtea dictam, ſi de Maximinianopoli AEgypti intellexit. CUM VIDISSET EUM. Exponunt, Id eſt in primo congreſſu. Quidam : *Quando vidit eum* ; id eſt, quando pugnavit, & conflixit cum eo. Sic Latini dicunt *cernere ferro*. Vide ſupra cap. XIV. verſ. 8. & 11. & Geneſ. XXXII. 30.

V. 30. TULITQUE POPULUS TERRAE IOACHAZ, &c. videlicet ne Rex AEgypti regnum Rege vacuum occuparet. IOACHAZ. Hebr. *Iehoachaz*. Notant, hunc I. Paralip. III. verſ. 15. nuncupari *Iochanam*, & Ieremiæ XXII. verſ. 11. *Sallum*. Alii id non probant, nam nolunt Ioachaz fuiſſe primogenitum Joſiæ, ut de Iochanam affirmatur eo loco Paralipomenon; ſed *Iehoiakimum*. Ergo iuxta hos *Iochanam* erit *Iehoiakim*, non *Iehoachaz*. Vide infra 36. ET UNXERUNT EUM. Quidam obſervant, eos hoc feciſſe ut hoc ſigno declararent regnum armis AEgyptiorum turbatum, tamquam de integro ſe huic tradere contra vim hoſtis defendendum : alioqui unctione opus non erat, cum eſſet legitimus ſucceſſor. Alii volunt omnes Reges ungi ſolitos; ſed de hoc peculiariter exprimi, ob turbatum tum regnum.

V. 31. AMITAL. Hebr. חמוטל *Chamutal*. Sonat Hebræis *calorem roris*. DE LOBNA. Vide ſupra cap. XIX. verſ. 8.

V. 33. VINXITQUE EUM PHARAO NECHAO. Aliqui : *Quem vinciri iuſſit Parbo Neco*, tantiſper dum reverteretur ab expeditione in Charcemiſchum, II. Paralip. XXXV. 20. & Ieremiæ XLVI. 2. Joſephus, poſt reditum a bello Charchemiſico, vinctum tradit. Sed vide Comm. in eum Ieremiæ locum. IN REBLA. Hebr. *Riblah*, de qua vide Numer. XXXIV. 11. Tremellius, & Iunius, ex Paraphraſte Ieroſolymitano in eum locum Numerorum, volunt eſſe *Apamiam* Syriæ urbem ad Orontem fluvium, de qua Strabo Lib. XVI. pag. 749. Plinius Lib. V. cap. XXIX. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. At S. Hieronymus in XLVII. Ezechielis ex Hebræorum ſententia Apamiam Sephama potius dictam exiſtimat, cum Reblah ipſi, & pleriſque aliis ſit Antiochia, & Syriæ urbs clariſſima. Vide Num. XXXIV. 10. IN TERRA EMATH. Hebr. *Chamath*, id eſt Epiphaniæ. Vide Geneſ. X. 18. NE REGNARET IN IERUSALEM. Heb. duplex eſt lectio. In textu, *In regnare in Ieruſalem*; id eſt, quam primum regnare cœpit, initio regni, per tres tantum menſes inchoato. Alii cauſam vinculorum hic indicari putant; quaſi dicat : Quia auſus eſt regnare in Ieruſalem, invito AEgyptio, qui interfecto Joſia, & profligato eius exercitu, ad ſe ius nominandi Regis pertinere exiſtimabat. In margine vero ſcribitur, *De regnare in Ieruſalem*; id eſt, ne regnaret ultra, aut deinceps. CENTUM TALENTIS ARGENTI. Quidam Hiſpanice, *cien quintales de plata*. Alii, duodecies centena millia regalium Caſtellanorum. ET TALENTO AURI. Aliquibus eſt Hiſpanice *un quintal de oro*. Aliis duodecim millia aureorum Hiſpanicorum.

V. 34. ET DUXIT IN AEGYPTUM. ויבוא *vaiiabo* Noſter tranſitive accepit : *Et venire fecit, duxit, deportavit*. Ex formula tamen *Kal* intranſitivum eſt : *Et venit in AEgyptum*, ſcilicet ipſe Ioachaz. ET MORTUUS EST IBI. Notant, ex vaticinio Ieremiæ XXII. 11. & 12.

V. 35. ET UNUMQUEMQUE IUXTA VIRES SUAS, &c. Poſteriorem hanc totam partem verſus nos iuſto verborum ordine, ac pondere reddidimus (*Vir ſecundum ordinationem eius angariavit argentum, & aurum populum terræ ad dare Pharaghon Nechoh*.) Alii multifariam. I. *Ab unoquoque ſecundum æſtimationem ſuam exigebat argentum & aurum a populo terræ, ut daret ipſi Parbo Nechoh*. II. *Vix iuxta æſtimationem, eius, exegit argentum & aurum a populo ad dandum Tarboni Necho*. III. *A quoque iuxta æſtimationem*, ſubaudi facultatum, id eſt pro ratione facultatum, *exigens argentum & aurum, idque ab univerſo populo terræ, ut daret hoc Parboni Nechoh*. IV. *Ab unoquoque pro æſtimatione ſua exigebat argentum illud & aurum, a populo, inquam, terræ, ut daret Parboni Neconi*.

V. 36. VIGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT IOAKIM CUM REGNARE COEPISSET, &c. Hinc quidam colligunt, Ioachazum non fuiſſe primogeni-

genitum Iosiæ, nec maiorem natu Ieoakimo: cum Ieoachaz, qui tantum tribus regnavit, regnare cœperit anno ætatis suæ vigesimo tertio, sub vers. 31. Iehoiakim vero, ut hic dicitur regnare cœperit anno ætatis suæ vigesimo quinto: sed hunc prudentiorem & cautiorem, expectasse regnum accipere a Nechaone victore; fratrem vero iuniorem inconsideratione ac temeritate populi percepisse regnum sine voluntate AEgyptii, ac propterea regno stetim deturbatum. Iosephus perspicue affirmat, Iehoiakimum fuisse seniorem Ioachazo. Verum obstat locus II. Paralipom. xxxvi. vers. 5. ubi Iochanam, vel Iehoachaz dicitur primogenitus Iosiæ. Vide supra vers. 31. Quamvis aliqui in loco Paralipomen. primogenitum non natura, sed dignitate regia accipiunt, quod ante fratrem regnaverit. Proinde alii hunc locum ita exponunt. Natus viginti quinque annos erat Iehoiakim, cum regnare inciperet; subaudi, solus post fratris captivi mortem: nam dum captivus viveret, putabatur ad eum ius regni pertinere: ideo hic Iehoiakim eius veluti Prorex erat, licet Ieremias cap. xxii. vers. 11. de illo plane prophetasset, fore ut in regnum non reverteretur. ET UNDECIM ANNIS REGNAVIT. Exponunt: Cum Prorex fratris captivi, tum Rex post fratris mortem. ZEBIDA. Hebr. זבידה *zebiddah*, vel זבוּדה *zebuddah*, nam est gemina lectio, *donatam*, *dotatam* significat. DE RUMA. Vide I. Samuel. 1. vers. 1.

MENOCHII.

Vers. 2. PROPHETAE. In his haud dubie fuerit Ieremias, & Baruch, & Sophonias, & Urias, & Holda Prophetissa, ut non sit necesse Prophetas cum Chaldæo *scribas* interpretari.

V. 3. SUPER GRADUM, id est in tribunali suo. FOEDUS PERCUSSIT CORAM DOMINO, &c. iureiurando omnes obstringens ad cultum Dei, & ad servandas leges Mosaicas, &c. SUSCITARENT VERBA FOEDERIS: sanctus instaurarent, & renovarent.

V. 4. SACERDOTIBUS SECUNDI ORDINIS, qui scilicet erant Pontifice inferiores. ET IN LUCO. In Hebræo sumitur quasi proprium nomen alicuius idoli לאשרה *laaserah*, id est *ipsi luco*, in Greco etiam LXX. ubi habemus τῷ ἄλσει, *Luco*. Notat autem Theodoretus, τὸ ἄλσος sive Lucum, Astharten esse, sive Venerem. MILITIAE CAELI. Vide dicta cap. xxi. num. 4. IN BETHEL, quasi in locum immundissimum, eo quod ibi vitulus aureus diutissime adoratus fuisset.

V. 5. ARUSPICES. Quos hic D. Hieronymus vocat *aruspices*, apud Sophoniam cap. 1. num. 4. *aedituos* appellat: est tamen utrobique eadem vox Hebræa כמרים *chemarim*, quam quidam vertunt *atratos*, sive *pullatos*, idolorum scilicet sacerdotes nigris vestibus indutos, idololatrarum prophetas, qui ex viscerum hostiarum inspectione se futura prædicere mentiebantur.

V. 26. EFFERI FECIT LUCUM DE DOMO DOMINI, idolum luci, de quo dictum est num. 4. & cap. xxi. num. 7. SUPER SEPULCRA VULGI, non communia omnibus cœmeteria, sed vulgi, qui coluerat idolum illud: nam II. Par. xxxiv. 4. dicitur: *Et super tumulos eorum qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit*; quasi diceret: Dii tui, & simulacra tua tecum sint in perditionem. AEDICULAS EFFEMINATORUM, &c. scortorum masculorum. Hos Montanus vocat initiatos, quod scilicet impurissimi homunciones ibi prostituti essent, & quasi consecrati in idolorum illorum honorem. Vide Pinedam in Iob cap. xxxvi. num. 14. QUAE ERANT IN DOMO DOMINI, in atriis scilicet Israelis, & Gentium. DOMUNCULAS LUCI, domunculas, sive ædiculas ex cortinis, post quas nequissimæ libidini operam dabant. Vel intelligit cortinas quæ ipsi idolo luci prætendebatur, maioris reverentiæ conciliandæ gratia: cui interpretationi favet versio Vatabli, quæ sic se habet: *In quibus mulieres texebant cortinas Luco.* Itaque certis temporibus in ædiculis illis, aversæ Veneri impuri idololatræ operam dabant, & in iisdem mulieres alio tempore cortinas texebant, quibus idolum velaretur.

V. 8. CONTAMINAVIT EXCELSA UBI SACRIFICABANT SACERDOTES: qui non sacrificabant quidem idolis, sed Deo, verum alienis, inconcessis, & illegitimis locis, contra id quod lege Deut. xii. 11. mandabatur verbis illis: *Ca-*

Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi. DE GABAA USQUE BERSABEE, id est quam late patuit regnum Iuda. ARAS PORTARUM: altaria erecta in honorem idolorum, quæ erecta erant ad portas Ierusalem. IN INTROITU OSTII IOSUE PRINCIPIS CIVITATIS, id est portæ urbis vicinæ domui Iosue primarii magistratus laici, sive iudicis. QUOD ERAT AD SINISTRAM PORTAE CIVITATIS: quod ostium erat ad sinistram, introeuntibus videlicet, ut est in Chaldæo, & Septuaginta.

V. 9. VERUMTAMEN NON ASCENDEBANT SACERDOTES EXCELSORUM AD ALTARE DOMINI IN IERUSALEM. Sacerdotes hi excelsorum, ut Abulensi placet, & Vatablo, erant veri sacerdotes Levitici generis, qui in pœnam prævaricationis non sunt ausi ascendere ad aram Domini in Ierusalem: & licet una cum aliis sacerdotibus comederent de oblatis, privati tamen erant dignitate sacrificandi in Ierusalem, quod erat de ordine sacerdotali deiectos ad Levitarum ordinem redigi. TANTUM COMEDEBANT AZYMA. Non excluduntur tamen aliæ oblationes, sed tantum ius sacrificandi, quod prius illis fuerat commune cum aliis sacerdotibus.

V. 10. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHETH, &c. pollutum, & contaminatum haberi voluit, interdixitque ne quis consecraret filios suos per ignem Moloch. De hac confectatione vide dicta cap. XVI. num. 3. *Topheth* autem vallis est iuxta Ierusalem, quæ appellatur etiam Vallis Iosaphat, & Vallis Cedron, & Vallis filiorum Ennon. Dicebatur *Topheth*, quod tympanum significat, quod scilicet tympanis sacrificuli Moloch strepere solerent, ad obruendos scilicet vagitus, & eiulatus infantium, quos edebant dum per ignem transferrentur.

V. 11. EQUOS QUOS DEDERANT... SOLI. Impii enim Reges, qui Solis & Lunæ simulacra in ipso templo posuerant, equos quoque, & currus Soli dicaverant. IN INTROITU, &c. Pagninus, & Vatablus ex Hebræo vertunt: *Ab introitu domus Domini usque ad cœnaculum*, seu *cubiculum Nathan Melech*, &c. NATHAN MELECH EUNUCHI. Septuaginta vertunt, *Nathan Regis enunchi*: accipiunt enim *Melech* non pro nominis proprii parte, sed pro nomine appellativo; ut significetur Nathan eunuchum, sive cubicularium Regis fuisse, cui equorum, & currus Solis cura credita esset. IN PHARURIM. LXX. etiam retinent tamquam nomen proprium. Pagninus, & Vatablus vertunt, *In subuphanis*.

V. 21. SUPER TECTA COENACULI ACHAZ. Impii Reges etiam privatas aras idolis excitarent domi, præsertim in suprema palatii parte: quod etiam queritur Ieremias, cum ait cap. XIX. 13. *Et erunt domus Ierusalem, & domus Regum Iudaficut Topheth immundæ, omnes domus, in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cæli, & libaverunt libamina diis alienis*: & Sophonias cap. I. v. *Disperdam*, inquit, *de loco hoc reliquias Baal, & eos qui adorant super tecta militiam cæli*. IN TORRENTEM CEDRON: in vallem Topheth immundam, per quam decurrit torrens Cedron.

V. 13. IN IERUSALEM, in Ierosolymitano suburbio. MONTIS OFFENSIONIS, *montis Oliveti*, ut vertit Pagninus. Chald. *Ab austro montis Olivarum*. Vatablus, *Ad dextram montis vastationis*, vel *destructionis*. Mirum est adhuc stetisse idola Salomonis post Ezechiam, qui ea sustulit ex regno Iuda, ut etiam sustulit Manasses scelerum suorum pœnitens. Dicendum videtur, ab impiis Regibus extructa fuisse fana, & excitata idola iis similia quæ excitaverat Salomon in iisdem locis, ideoque Salomoni tribui primo illorum auctori. ASTAROTH, &c. Vide dicta III. Reg. XI. 5. 6. & VII. OFFENSIONI MOAB, idolo Moabitarum, quod Israelitis offensioni fuit, & scandalo. Heb. & Chald. habent, *Abominationi*.

V. 16. IUXTA VERBUM DOMINI. Vide III. Reg. XIII. 2.

V. 17. TITULUS ILLE QUEM VIDEO. Apparet erectum fuisse cippum aliquem super lapidem sepulcralem, cum inscriptione quapiam in memoriam posteritatis. RESPONDERUNT CIVES URBIS ILLIUS, id quod vel ex inscriptione, vel ex traditione didicerant.

V. 18. ET INTACTA MANSERUNT, &c.

&c. Vide III. Reg. XIII. 31. Fruſtratus non eſt ſpe ſua fraudator ille Propheta, & oſſa eius ex aliorum ſocietate tuta fuerunt, in mercedem fortaſſe fidei ſuæ, qua Prophetæ vaticinio crediderat.

V. 21. SECUNDUM QUOD SCRIPTUM EST. Ex lectione Deuteronomii, de qua capite ſuperiori, excitatus eſt Ioſias ad Phaſe magna cum ſolemnitate celebrandum.

V. 24. PYTHONES. Vide dicta Deut. XVIII. 11. ARIOLOS. Vide dicta Num. XXIII. 5. IMMUNDITIAS. Hebr. & Chald. & Septuaginta habent, *idola*. STATUERET, id eſt impleret. Chald. *firmaret*.

V. 25. SIMILIS ILLI NON FUIT, &c. Vide dicta ſupra cap. XVIII. 5.

V. 27. ET DOMUM, ſcilicet templum Ieroſolymitanum.

V. 29. ASCENDIT PHARAO NECHAO. Belli cauſam non habemus ex Scriptura. Ioſephus Lib. X. cap. VI. impulſum affirmat cupiditate regni amplificandi. IN OCCURSUM EIUS. Prohibendi tranſitus cauſa fuit, vel periculum proprium, vel ſua cum altero Rege amicitia. CUM VIDISSET EUM; id eſt, cum pugnaſſet cum eo. Vide dicta ſupra cap. XIV. num. 8.

V. 30. DE MAGEDDO, qui eſt campus iuxta civitatem eiuſdem nominis, in tribu Manaſſe, ut vult Adrichomius, vel in tribu Iuda, ut volunt alii. IN SEPULCRO SUO. II. Paralip. XXXV. dicitur: *Sepultus eſt in mauſoleo patrum ſuorum*. TULIT POPULUS TERRAE IOACHAZ; &c. Solicitatus populus ab ipſo Ioachaz ſecundogenito, factione populari ad regnum illum admovit. UNXERUNT EUM. Ungi voluit Ioachaz ad firmandum ſibi apud populum ſuum Regnum, quod fratri ſuo Ioakim natu maiori deberi intelligebat.

V. 32. PATRES EIUS, Amon, & Manaſſes.

V. 33. VINXITQUE EUM PHARAO, cum ab expeditione bellica reverteretur in AEgyptum. IN REBLA, quæ, ut ait ſacer textus, eſt *in terra Emath*, in tribu ſcilicet Nephthalim ad montem Libanum, iuxta fluvii Iordanis initia. Adrichomius eamdem facit Reblam cum Reblata. Divus tamen Hieronymus diverſas fuiſſe exiſtimat. CENTUM TALENTIS, &c. Vide dicta ſupra cap. XVIII. num. decimo quarto.

V. 34. VERTITQUE NOMEN EIUS IOAKIM. Nominis impoſitio dominativæ poteſtatis ſignum eſt. Voluit ergo hanc mutationem nominis inducere ut perpetuum eſſet argumentum, quod a Pharaone Rex creatus eſſet. *Eliacim*, Hebr. אליקים, ut Ariæ Montano placet, Dei retributionem, aut affirmationem, aut firmitatem ſignificat, vel idem eſt quod Deus vindicans; *Ioachin* vero, Hebr. יהויכין *Iehoiachin*, eſt Domini præparatio, ſive Domini firmitas. Itaque utroque nomine idem fere ſignificatur. Eliacim iſte, ſive Ioachim appellatus etiam eſt Iechonias Matth. I. 11. Vide quæ dicemus I. Paralip. III. 15. & 16.

TIRINI.

Verſ. 3. SETITQUE REX Ioſias *ſuper gradum*. II. Par. XXXIV. verſ. 31. dicitur ſtetiſſe *in tribunali ſuo*: quod, ut dixi cap. XVI. verſ. 18. vocabatur *Muſach ſabbati*, quod ex interiori ſacerdotum atrio, in quod Achaz illud invexerat, ad exterius atrium iubente Ezechia iam reductum erat in locum ſtationis Regis ordinarium.

V. 4. SACERDOTES SECUNDI ORDINIS. Hic vocantur principes ſacerdotum qui a ſummo Pontifice, ſeu primo ſacerdote ſecundi erant, & præerant reliquæ turbæ ſacerdotum per viginti quatuor claſſes diſtributorum.

V. 6. De ſimulacro *luci* vide cap. XXI. verſ. 7. Huius idoli & luci flammis abſumpti cineres ſparſit ſuper SEPULCRA VULGI, id eſt in locum ubi vulgares homines tumulari ſolebant; qui erat in convalle Cedron, cuius pars una vocabatur *Tophet*, de quo mox verſ. 10.

V. 7. *Effeminati* quinam fuerint, dixi III. Reg. XIV. 24. Quorum turpitudini in loco ſacratiſſimo ſaltem ad ſpeciem tegendæ, texebant meretrices, ſeu ex ramis, opertoria quædam inſtar tentoriorum vel domuncularum ſilveſtrium, ut in templo lucum aut ſilvam, ſi non nativam, ſaltem factitiam haberent, ad ſua ſcelera quadamtenus tegenda.

V. 9. SACERDOTES EXCELSORUM.

Id eſt, qui ex poſteris Aaron, impuris ſacris operam aliquando dederant in excelſis, iam converſi non permittebantur aſcendere AD ALTARE DOMINI IN IERUSALEM, nempe ad ſacrificandum. Ne tamen omnibus vitæ neceſſariis deſtituerentur, permiſſum fuit ut IN MEDIO FRATRUM SUORUM, id eſt inter reliquos Aaronis poſteros, comederent azyma : ſynecdochice, ſpecies pro genere ; quaſi dicat : Participes eſſent omnium eorum quibus alii ſacerdotes veſci poterant. Similes habes Ezech. XLIV. 10. de Levitis qui in Bethel aureis vitulis ſacrificarant.

V. 10. MOLOCH. Idolum hoc erat Ammonitarum, idemque quod Melech, id eſt Rex, quia erat forma Regis. Huic idolo Iudæi per fœdam mollitiem ſemen humanum, per abominabilem idololatriam filios ſuos, filiaſque in holocauſtum vivas offerebant. Siquidem cavæ ænæ ſtatuæ, ſed intus ab igne ſubſtructo candenti puerulos in manus dabant, ſacerdotibus interim pſallentibus altiſſima voce, tubiſque tympaniſque (unde & loco nomen *Tophetb*, id eſt *tympanum*, hic, & Iſaiæ XXX. verſu ultimo) perſtrepentibus, ne miſerorum puellorum eiulatus audiri poſſet a parentibus vel affinibus, quibus perſuadebant, infantes hac via a diis ad æthera rapi. Porro *Tophetb* iſtud, & infernalis carnificina erat in *Ge-hennon a*, id eſt *valle Ennon*, veteris cuiuſdam Iebuſæi, quæ pars eſt vallis Cedron. Unde gehennæ nomen deſumptum ad infernum deſignandum : nam crudelis illa laniena, & horrendum incendium typus erat tormentorum infernalium. Ita S. Hieronymus, Abulenſis, & alii. Quis deorum hoc idolo repræſentatus fuerit, dixi III. Reg. XI. verſ. 5.

V. 11. ABSTULIT, & publicis uſibus reddidit, EQUOS Perſarum deo Soli a Regibus Iuda devotos. Sicut enim tauri Iovi, ſic equi Soli a profanis immolabantur, & in ſacrificio flammis abſumebantur, teſtibus Xenophote, Strabone, & Ovidio *b*. Hi equi ſtabulabantur tantiſper IN PHARURIM, quod Pagninus vertit *in ſuburbanis*, IUXTA EXEDRAM NATHANMELECH, id eſt iuxta aulam publicis concurrentium ad deum Solem colendum conſeſſibus deſtinatam, cuius curam habebat eunuchus iſte ſeu miniſter aulicus *Nathanmelech*, & præerat tum curribus, tum equis Soli ſacris.

V. 20. UNIVERSOS SACERDOTES EXCELSORUM, QUI ERANT IBI (in Samaria) OCCIDIT SUPER ALTARIA. Sic enim de Ioſia prædixerat ille Prophetа, qui olim ad corripiendum Ieroboamum a Deo miſſus fuerat in Bethel III. Reg. XIII. verſ. 2. Sed hinc patet primo, poſt abductas decem tribus in Aſſyriam, remanſiſſe nihilominus, aut certe ex latebris revertiſſe in Samariam, & Bethel plures ex genere Iſraelitico cum ſuis ſacerdotibus & ſacrificulis, quos hic Ioſias ferro iugulatos, loco brutarum victimarum, in ſuiſmet profanis altaribus immolavit *c*. Secundo, Ioſiam, collapſo iam Aſſyrio imperio, Samariam, Bethel, & alias antea Iſraelitarum urbes, ſeu vi, ſeu ultronea deditione redegiſſe in ſuam poteſtatem : neque enim alias potuiſſet tam libere in illas urbes ſævire.

V. 22. NEC FACTUM EST PHASE TALE A DIEBUS IUDICUM. Non eſt hic ſermo de immolatione ſolius agni paſchalis decima quarta luna ad veſperam : quia certum eſt, abductis iam in Aſſyriam decem tribubus, pro ratione capitum tum Ieroſolymæ præſentium, longe tenuiorem fuiſſe, multoque minori numero agnorum paſchalium immolationem, quam fuerit omnibus anteactis tot ſæculorum annis, cum omnes duodecim tribus ad illius agni immolationem concurrerent. Sed Phaſe hic vocatur illa omnis hoſtiarum copia, quæ totis ſeptem azymorum diebus offerebantur Deo, & pleræque ſpontanea & libera oblatione : uti hoc anno Ioſias obtulit pecorum triginta millia, & alii principes pro rata, ut habes II. Paralip. XXXV. Ex quo loco elucidatur iſtud Ioan. XVIII. 28. Ipſi principes ſacerdotum *non introierunt in prætorium*, Pilati Gentilis hominis, *ut non contaminarentur*, *ſed ut manducarent Paſcha*, id eſt ſacrificia quæ ſeptem illis azymorum diebus immolabantur : nam agnum paſchalem iam pridie comederant, ut eſt communis ſententia.

V. 25. SIMILIS ILLI (Ioſiæ) NON FUIT ANTE EUM REX. Quomodo id verum ſit, dixi cap. XVIII. verſ. 5.

V. 29. ASCENDIT PHARAO CONTRA REGEM ASSYRIORUM, & quidem

dem iubente ac mittente Deo, ut dicitur II. Paralipom. xxxv. verſ. 21. & 22. Ii qui putant hiſtoriam Iudith contigiſſe tempore Manaſſis Regis, putant hunc Regem Aſſyriorum eumdem fuiſſe qui Iudith. I. & ſequentibus capitibus vocatur Nabuchodonoſor, qui ob devictum Arphaxat Regem Medorum factus inſolentior, non ſolum rebellis factus fuit Regi Babylonio, cui videtur fuiſſe cognatus (ut dixi in Chronicon. *d*) ſed inſuper omnia alia orientis regna ſuo voluit unius imperio ſubiicere. Verum fractus a Iudæis per Iuditham, ab aliis deinde, & nominatim ab AEgyptiis, & Chaldæis, laceſſitus & pluries attritus, iterum Babylonio iugo collum ſubdere coactus eſt. Forte tamen probabilius eſt per *Regem Aſſyriorum* non alium hic intelligi quam Regem Babylonis, ut colligi videtur ex cap. xxiv. verſ. 7.

V. 30. TULIT POPULUS TERRAE, plebs nempe promiſcua, IOACHAZ FILIUM IOSIAE, alio nomine vocatum *Sellum*, Ieremiæ verſ. 11. & *Iechoniam*, Eſdræ III. cap. I. verſ. 34. Hunc viginti duorum annorum iuvenem videtur populus ideo præpoſuiſſe Eliacimo fratri eius ſeniori, qui annum vigeſimum quintum iam exceſſerat, quia magis ſtrenuus & acrior futurus credebatur adverſus recentem hoſtem Regem AEgypti. Sed in ſuos magis ſæviit hic leunculus quam in hoſtes, a quibus trimeſtri poſt prælio victus, captus, & in AEgyptum abductus eſt, ut hic habes verſ. 33. & Ezech. xix. verſ. 3. & 4. & Ieremiæ xxii. 11.

(*a*) Ioſ. cap. xv. verſ. 8.
(*b*) Xenophon. Lib. VIII. Cyripediæ. Strabo Lib. XV. Ovid. Lib. VIII. Faſtorum.
(*c*) Chron. cap. xxiii. in Cyaxare, & cap. xxxiv. in Nabo-Pol. Aſſare.
(*d*) Chron. cap. iii.

GORDONI.

Verſ. 3. STETITQUE REX SUPER GRADUM. Sic II. Paralip. VI. 12. *Steit* (Salomon) *coram altari Domini*.

V. 4. TULIT PULVEREM ... IN BETHEL, ut pollueret ibi conſtructum altare: ita aliqui. Sed ideo potius exportari iuſſit eo, ut longe abeſſet impius cinis a civitate Ieruſalem. Sic etiam verſu 6.

V. 6. EFFERRI FECIT LUCUM a templo, ſcilicet aut verum, aut per imaginem depictum.

V. 7. DESTRUXIT QUOQUE AEDICULAS EFFEMINATORUM. En fructum prioris Idololatriæ, proſtituti corporis mulieres, & pueros eiecit pius princeps. Domunculas luci vetat: texebant cortinas luco, ſeu etiam idolis.

V. 8. Rex diruit aras quæ erant ad domum Ioſue principis civitatis: ergo nec principibus Rex pepercit.

V. 10. & 11. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHET. *Tophet* locus erat ſerviens impio cultui, ubi erat etiam Gehenna. ABSTULIT QUOQUE EQUOS. His equis utebantur qui mane prodibant Solem ſalutaturi. IN PHARURIM. Chaldæus *in ſuburbiis* dixit, ubi Eunuchus Nathan habitabat. LXX. vocem Hebraicam retinent. *Exedra* locus ubi ſunt ſedes ad hominum conſeſſum.

V. 12. ALTARIA QUAE FECERAT MANASSES. Manaſſes quamvis poſt reditum abſtinuerit ab idololatria, tamen non deſtruxit altaria iſta, nec alia hic recenſita. Sed quid illud, CUCURRIT INDE? Aliqui ſic: Currere fecit, ſeu proiecit. Chald. *Procul fecit*. Sept. κατέλαβε, *deſtruxit*: ἐκάθηρε, quaſi abeſſe fecit, quod Noſter denotare voluit. Hebr. וירץ *veiarats*: radix רצץ, *fregit*, *collifit*.

V. 13. MONS OFFENSIONIS. Chald. *Oliveti*, ſeu *olivarum*: ſic dictus ab offenſione Dei per idola. Vide III. Reg. xi. 7. Hebr. *Abominationis*.

V. 17. Solebant ad ſepulcra erigi columnæ, vel ſtatuæ. De hac prædictione, & Propheta, vide III. Reg. cap. xiii.

V. 19. & 20. Samaria iam venerat in poteſtatem Aſſyriorum; tamen eo etiam profectus Ioſias, deſtruxit idola occiſis ſacerdotibus.

V. 21. & 22. FACITE PHASE. Notatur hic Phaſe factum anno decimo octavo Ioſiæ. De hoc vide II. Paral. xxxv. 18.

V. 25. NON FUIT ILLI SIMILIS. Et verum eſt in phaſe, & quibuſdam aliis rebus: quod etiam hoc ſenſu dictum eſt de Ezechia cap. xviii. verſ. 5.

V. 29. De morte Ioſiæ dixi in opere Chronol. & de tota hiſtoria. De hoc Pharaone, lege Herodot. Lib. II.

V. 30. De hoc caſu Ioſiæ, lege II. Paralip.

ral. cap. XXXVI. Occurrit Iosias volens impedire ne Pharaonis exercitus per fines Iuda transiret contra Babylonium. MAGEDDO urbs est in tribu Iuda, quæ Matth. XV. 39. vocatur *Mageddo*, & *Macedan*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. PROHETAE. Baruch, & Sophonias adfuisse putantur.

V. 3. SUPER GRADUM, in tribunali.

V. 3. Erant duo ordines sacerdotum. *Lucum* interpretatur Tehodoretus Venerem, seu Astharten. BETHEL, ubi vitulus diu adoratus fuit, unde nunc habebatur locus immundissimus.

V. 6. SEPULCRA VULGI, idololatrarum, & separata a communi cœmeterio.

V. 7. Ediculæ appensis cortinis, post quas sceleratæ libidini dabatur opera.

V. 8. CONTAMINAVIT EXCELSA, etiam illa in quibus vero Deo sacrificabatur, iuxta legem Deuter. cap. XII. vers. 11. DE GABAA, id est per totum regnum Iuda, eversis etiam aris quæ erant in portis.

V. 9. Hos vero sacerdotes in pœnam delicti redegit in ordinem Levitarum, inhibito illis sacrificio.

V. 33. VINXITQUE, cum ab expeditione rediret in AEgyptum. IN REBLA in tribu Nephtalim ad Libanum, & Iordanis fontem. De talento vide cap. XVIII. vers. 14. in Notis.

CAPUT XXIV.

Ioakim triennio servit Regi Babylonis; deinde varios patitur latrunculos: quo mortuo, succedit filius Ioachin; quem cum thesauris templi ac domus regiæ universoque robore habitatorum Ierusalem, ducit Nabuchodonosor in Babylonem, suffectio in Regem illius patruo Matthania, quem vocavit Sedeciam.

1. IN diebus eius ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Ioakim servus tribus annis: & rursum rebellavit contra eum. 2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Iudam, ut disperderent eum, (*a*) iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos Prophetas. 3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Iudam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit, 4. & propter sanguinem innoxium, quem effudit, & implevit Ierusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus propitiari. 5. Reliqua autem sermonum Ioakim, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Iuda? Et dormivit Ioakim cum patribus suis: 6. & regnavit Ioachin filius eius pro eo. 7. Et ultra non addidit Rex AEgypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim Rex Babylonis, a rivo AEgypti usque ad fluvium Euphratem, omnia quæ fuerant Regis AEgypti. 8. Decem & octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Ierusalem: nomen matris eius Nohesta filia Elnathan de Ierusalem. 9. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius. 10. (*b*) In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor Regis Babylonis in Ierusalem, & circumdata est urbs munitionibus. 11. Venitque Nabuchodonosor Rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam. 12. Egressus

ſuſque eſt Ioachin Rex Iuda ad Regem Babylonis, ipſe & mater eius, & ſervi eius, & principes eius, & eunuchi eius: & ſuſcepit eum Rex Babylonis anno octavo regni ſui. 13. Et protulit inde omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus regiæ: & concidit univerſa vaſa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Iſrael in templo Domini iuxta verbum Domini. 14. Et tranſtulit omnem Ieruſalem, & univerſos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, * & omnem artificem & cluſorem: nihilque relictum eſt, exceptis pauperibus populi terræ. 15. (*c*) Tranſtulit quoque Ioachin in Babylonem, & matrem Regis, & uxores Regis, & eunuchos eius: & iudices terræ duxit in captivitatem de Ieruſalem in Babylonem. 16. Et omnes viros robuſtos, ſeptem millia, & artifices, & cluſores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxitque eos Rex Babylonis captivos in Babylonem. 17. (*d*) Et conſtituit Matthaniam patruum eius pro eo: impoſuitque nomen ei Sedeciam. 18. Vigeſimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpiſſet, & undecim annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius erat Amital, filia Ieremiæ, de Lobna. 19. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim. 20. Iraſcebatur enim Dominus contra Ieruſalem & contra Iudam, donec proiiceret eos a facie ſua: receſſitque Sedecias a Rege Babylonis.

(*a*) Sup. XXXII. 27. (*b*) Dan. 1. 1. (*c*) II. Par. XXXVI. 10. Ezc. 11. 6. & XI. 4. (*d*) Ierem. XXXVII. 1. & lit. 1.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 14. *Et omnem artificem & cluſorem*. Pro ſimplici *cluſorem*, alii compoſitum ſcribunt *incluſorem*. Idem recurrit infra verſ. 16.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. SERVUS, ſcilicet ſolvens tributa.

V. 2. LATRUNCULOS. Hebr. *agmina*, ſcilicet militum.

V. 4. PROPITIARI, id eſt parcere.

V. 5. DORMIVIT, ſcilicet in itinere dum abduceretur in captivitatem.

V. 7. DE TERRA SUA, ſcilicet contra Ieruſalem.

V. 8. COEPISSET, ſcilicet mortuo patre: nam cum illo regnavit annis decem.

V. 13. CONCIDIT, ſcilicet in fruſta.

V. 14. CLAUSOREM, ſcilicet caſtrorum, id eſt peritum caſtrametandi. Chald. *ianitores*, id eſt urbis cuſtodes.

V. 15. IUDICES. Hebr. & LXX. *fortes*, id eſt potentes, ſeu robuſtos. Chald. *magnates*.

V. 16. SEPTEM MILLIA, ſcilicet de aliis tribubus: nam de Iuda tria millia: itaque omnes decem millia, ut dictum ſupra MILLE. Erant hi de illis ſeptem millibus.

V. 20. IRASCEBATUR, &c. quaſi dicat: Dei irati permiſſione illa fiebant.

ESTII.

Verſ. 3. FACTUM EST HOC PER VERBUM DOMINI CONTRA IUDAM, UT AUFERRET EUM CORAM SE, PROPTER PECCATA MANASSE, &c. Idem ſubinde repetitur a Ieremia, quod videlicet Dominus noluit flecti miſericordia ſuper populum Iuda, propter peccata Manaſſe, quibus ipſum ad iram provocaverat, ita tamen ut etiam Deus iuſtam cauſam iræ haberet in popu-

pulum, ut ſupra cap. XXI. 11. oſtenſum eſt. Interim notandum, quod locus iſte manifeſte convincit errorem hæreticorum noſtri temporis, qui negant, dimiſſo peccato, relinqui pœnam aliquam temporalem exſolvendam. Manaſſes enim, tametſi graviſſime peccaſſet, pœnitentiam egit, & exaudita eſt oratio eius, quemadmodum habetur II. Paral. XXXIII. Quo non obſtante, Dominus peccata eius vindicat etiam in eius poſteritate: ita ut propter peccata eius populus Iuda ductus fuerit in captivitatem, punitus quidem propter propter ſua peccata, ut cap. XXI. explicatum eſt, ſed indirecte etiam, & occaſionaliter, ut ex hoc loco, & aliis patet, propter peccata Manaſſe.

V. 5. ET DORMIVIT IOAKIM CUM PATRIBUS SUIS. Quomodo hoc conveniat cum iis quæ ſunt II. Paralip. XXXVI. vide ibi explicatum.

V. 15. & 16. TRANSTULIT QUOQUE IOACHIN IN BABYLONEM, ET MATREM REGIS ..... ET OMNES VIROS ROBUSTOS, ET ARTIFICES, ET CLUSORES. Pridem legebatur compoſitum *incluſores* pro *cluſores:* quare ita mutatum ſit, non ſatis liquet. Quid enim per incluſores, ſeu *cluſores* intelligatur, non convenit inter Interpretes. Quidam intelligunt ianitores, id eſt cuſtodes urbis: ſed nulla apparet cauſa illos abducendi præ reliquis. Quidam accipiunt eos qui ſtringunt, & recondunt enſem, id eſt milites. Sed ſupra iam dictum erat, *omnes viros robuſtos*, & mox etiam ſubditur, *omnes viros fortes & bellatores*, & ſupra etiam verſ. 14. *omnes fortes exercitus*. Proinde eorum ſententia magis placet qui intelligunt *cluſores*, vel incluſores caſtrorum, id eſt peritos caſtrametandi, & ſimiliter per artifices, eos qui callebant artes earum rerum quæ ad uſum belli pertinebant. Abduxit ergo hos Rex Babyloniæ, partim ut ſibi ad bellum eſſent uſui, partim ut civitati Ieruſalem in poſterum ſubtraheret occaſionem rebellandi. Sane legimus ſimili conſilio uſos Philiſthæos, quando caverant ne faber ferrarius inveniretur in omni terra Iſrael, ut narratur I. Reg. XIV.

MARIANAE.

Verſ. 1. IOACHIM. Hic eſt quem Nechao Rex AEgypti conſtituit Regem cap. XXIII. verſ. 34. & quem Nabuchodonoſor veniens in Iudæam ſubiecit. ET RURSUM REBELLAVIT. Hebr. *Et rediit*, ſeu *reverſus eſt*. Chald. & Sept. ſcilicet poſtquam Aſſyrius rediit in patriam, Ioakim rebellavit.

V. 2. IMMISITQUE EI DOMINUS LATRUNCULOS. Hebr. *agmina*, ſeu *turmas*, ſcilicet militum. Latrunculi nocere multum non poterant. Vox *ghedud*, *turmas* ſignificat.

V. 5. DORMIVIT IOAKIM. Ubi ſepultus? ſepultura aſini, in agrum proiectus: Ierem. XXII. 19. & ibi Hieronymus. Quod ſi ſepulcrum eius prope Ieruſalem viſebatur, multa poſt mortem cenotaphia excitantur. Plura eo loco Ieremiæ diximus.

V. 6 REGNAVIT IOACHIN FILIUS EIUS. Videtur idem eſſe nomen patris & filii; ſed differunt: prior per Koph ſcribitur, & Mem in fine; poſterior per Caph, & Nun. Latine prior *Ioakim*, poſterior *Ioachin*.

V. 17. ET ULTRA NON ADDIDIT REX AEGYPTI. Quid hoc? Ierem. XXXVII. 4. dicitur: *Exercitus Pharaonis egreſſus eſt de AEgypto*: ſcilicet Sedecia Rege id factum eſt. Hic autem dicitur non egreſſum de AEgypto Pharaonem, tempore ſcilicet Ioakim, & filii eius, quod mirum erat, non tutatum ab Aſſyriis eum cui ipſe Pharao regnum de manu dederat. Veniunt Babylonii,

V. 10. CIRCUMDATA EST URBS MUNITIONIBUS. Hebr. *Et venit civitas in obſidionem*; id eſt, obſeſſa eſt.

V. 11. UT OPPUGNARENT EAM. Hebr. *Obſidentes eam Nabuchodonoſor & ſervi eius venerunt*.

V. 12. ANNO OCTAVO. Ierem. LII. 28. dicitur *anno ſeptimo*: nimirum fine anni ſeptimi, initio octavi regni Nabuchodonoſor, ſe illi tradidit Ioachin. Qui eum duxit Babylonem cum multis aliis. In his

V. 14. ARTIFICEM ET CLUSOREM. Chald. *artificem & ianitorem*, ſcilicet milites urbis cuſtodes & præſidiarii. Aliqui

clu-

cluſores, ſeu *incluſores* volunt intelligi peritos caſtrametandi.

V. 15. ET IUDICES TERRAE. Hebr. *fortes*, ſeu *robuſtos terræ*, viros ſcilicet copioſos.

V. 16. SEPTEM MILLIA: verſ. 14. dixit *decem millia*. Verum ex aliis locis ſeptem millia fuerunt, ex Ieruſalem tria millia. ARTIFICES, ET CLUSORES MILLE: ſcilicet ex iis ſeptem millibus hi mille erant. Qui *cluſores* eſſent, verſ. 14. eſt dictum. Babylonius etiam Regem ſubſtituit, qui & ipſe rebellavit.

V. 20. IRASCEBATUR ENIM DOMINUS. Latina perſpicua, Hebraica non uno modo vertuntur. Quidam ſic: *Quoniam contra naſum* (id eſt iram) *Domini fuit* (ſcilicet ut reſidui aliqui eſſent) *in Ieruſalem & in Iudæa, donec eiiceret eos a facie ſua: & rebellavit* (pro, ideo rebellavit) *Sedecias in Regem Babylonis*. Alii ſic: *Quoniam iuxta naſum* (id eſt iram) *Domini fuit in Ieruſalem, & Iudæam, donec eiiceret eos a facie ſua, & rebellavit* (pro, ut rebellaret) *Sedecias*; quaſi dicat: Non ſine eius nutu ea rebellio contigit. Verum hi vocem בְּ *bal*, ut præpoſitionem accipiunt omnes, ut ſignificet *propter*, aut *iuxta*. Quid vero, ſi pro adiectivo ſumatur hac ſententia? *Quoniam excelſa ira Domini fuit in Ieruſalem & Iudam, donec*, &c. *& rebellavit* (pro, ideo rebellavit) *Sedecias*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN DIEBUS EIUS, nempe anno quarto regni eius, ut perſpicue dicitur Ierem. XXV. 1. & cap. XLVI. verſ. 2. qui fuit primus regni Nabuchodonoſori, Ieremiæ XXV. 1. nempe, ut quidam volunt, eorum tredecim quibus ſimul cum patre Nabopollaſaro regnavit. Vide Scaligerum, Emmium, & alios recentiores Chronologos. ASCENDIT, poſtquam fudiſſet Nechoh Regem AEgyptiorum ad Euphratem, ut ſcribitur Ierem. XLVI. 2. NABUCHODONOSOR. Hebr. *Nebuchadnetzar*. Scaliger Lib. III. Canonum iſagogicorum, pag. 315. *Hunc male Nabuchadnetzer Maſſoritæ vocant, & multi hodie hebraizantes multum ſe in Hebraiſmo profeciſſe putant, ſi ita, potius quam quomodo omnis vetuſtas eum vocavit, appellent*. Hic prima mentio Regis inſignis, & ſacris, profaniſque litteris celebrati: de quo Strabo Lib. XI. pag. 687. ex Megaſthene hæc refert: *Nabucodonoſorum autem, qui magis a Chaldæis probatur, magis etiam quam Herculem uſque ad columnas perveniſſe, quouſque etiam Tearconem: illum tamen exercitum ex Hiſpania in Thraciam, Pontumque duxiſſe*. Ioſephus Lib. I. adverſus Apionem: *Megaſthenes in quarto Indicorum, ubi declarare contendit prædictum Regem Babyloniorum Nabuchodonoſorum, Herculem fortitudine, & rerum geſtarum magnitudine præceſſiſſe. Dicit enim eum & maximam Africæ partem, & Hiſpaniam ſubiugaſſe*. Plura etiam de eo Beroſus Chaldæus apud Ioſephum Lib. I. in Apionem; item Alexander Polyhiſtor. Alphæus, & Abydemus apud Euſebium Lib. XI. Præparationis Evangelicæ, cap. IV. SERVUS, id eſt tributarius, ſtipendiarius, beneficiarius. TRIBUS ANNIS, id eſt quinto, ſexto, & ſeptimo regni ſui.

V. 2. LATRUNCULOS CHALDAEORUM. Hebr. *turmas, acies, agmina, Chaldæorum*, id eſt caſtra Nabuchodonoſori conſtantia ex Chaldæis, & iis aliis gentibus, quæ hic ennumerantur. QUOD LOCUTUS FUERAT PER SERVOS SUOS PROPHETAS, nempe per Moſem Deuteron. XXXI. & XXXII. per alios ſup. cap. XXI. verſ. 10. & ſequentibus; per Chuldam, ſupra cap. XXII. verſ. 15. & ſeqq. & per Ieremiam cap. XIV. & XV. cum ſeqq.

V. 3. PROPTER PECCATA MANASSE UNIVERSA QUAE FECIT. Hebr. *In peccata Menaſeh, ſecundum omnia quæ fecit*. Quidam: *In peccatis Menaſſis, ſicut totum quod fecit*. Alii: *Propter peccata Menaſeh, iuxta omnia quæ fecerat*, vel *deſignaverat*. Nonnulli: *Propter peccata Menaſchis, ſimilia omnibus quæ fecit*; vel *propter peccata ſimilia omnino iis quæ fecerat Menaſcheb*. Traiectio, ut Geneſ. V. 29. & Iudic. XVIII. 31. De peccatis Menaſeh vide ſupra cap. XXI. verſ. 2. & ſeqq. de peccatis vero populi eum imitantis, vide ibid. verſ. 15. & cap. XXII. verſ. 17.

V. 4. QUEM EFFUDIT, ET IMPLEVIT IERUSALEM, &c. Vide cap. XXI. verſ. 16.

V. 5. RELIQUA AUTEM SERMONUM,

NUM, &c. Vide consimilem versum sup. cap. XXIII. vers. 28.

V. 6. IOACHIN. Hebr. *Iehoiachin*, qui I. Paralip. III. 15. vocatur *Iechoniah*, & Ieremiæ XXII. 28. *Choniaeu*.

V. 7. ET ULTRA NON ADDIDIT REX AEGYPTI, &c. nempe usque ad ultimos Tzidkiæ, cum obsideretur Ierusalaim a Chaldæis, Ierem. XXXVII. 4. & 5. A RIVO AEGYPTI. Vide I. Reg. VIII. 65.

V. 8. ET TRIBUS MENSIBUS REGNAVIT, & decem amplius diebus, ut exprimitur II. Paralip. XXXVI. NOHESTA. Hebr. נחשתא *Nechusta*: ab augurio, & observatione sic dicta videtur; vel a colore æneo; aut quasi *serpentina*, seu *colubrina*, ab astutia, & calliditate.

V. 12. EGRESSUSQUE EST IOACHIN, &c. id est, se dedidit, & potestati victoris permisit.

V. 13. IUXTA VERBUM DOMINI: supra cap. XX. vers. 17.

V. 14. OMNEM IERUSALEM, vel *totam Ierusalem*. Quidam, *ex tota Ierusalaima*; hoc est, ex toto regno. Synecdoche. DECEM MILLIA. Exponunt: In quorum numero erant e tribu Iudæ ter mille viginti tres, Ieremiæ LII. 28. Volunt esse prolepsim, quæ duobus sequentibus versibus speciatim explicatur. ET CLUSOREM. מסגר *masgher* varie interpretantur. I. *Clausorem portarum*, *ianitorem*, *custodem ostiarium*, *portarium*: synecdoche, id est custodes urbis. Fortasse milites præfidiarios intelligit, in arcibus & munitionibus inclusos. II. *Incluforem* castrorum, *castrametatorem*, peritum castrametandi. III. *Incluforem*, id est aurificem, gnarum includendi gemmas in auro. IV. Ex significato Chaldaico, nonnulli Hebræorum exponunt: *Virum reputatum nobilem*, *magnum*, *magnæque existimationis*, quasi pretiosum: intelliguntque consiliarios sapientesque. V. Plerique *clausorem*, *claustrarium*, id est *fabrum ferrarium*, ut præcedens vox חרש *charasch* significet *fabrum lignarium*, *masgver* vero *fabrum ferrarium*. Appositæ Hispanicus Interpres vertit, *Cerra Ieros*, a claudendo. Aliqui eo nomine collective ingeniotos artifices designari putant: sic vers. 16. & Ieremiæ XXIV. 1. & cap. XXIX. vers. 2.

V. 15. ET IUDICES TERRAE. Hebr. *& fortes terræ*. Quidam, *potentiores regionis*: quorum numerum coniectantur fuisse bis millium.

V. 16. ET OMNES VIROS ROBUSTOS SEPTEM MILLIA, ET ARTIFICES, ET CLUSORES MILLE. Hos omnes annumerant illis decem millibus supra vers. 14. hoc modo: duo millia ex potentioribus terræ, vers. 15. & hoc versu septem millia robustorum, & mille opifices, sunt universe decem millia, de quibus vers. 14. Alii aliter statuunt, ut ex decem millibus tria millia fuerint ex tribu Iehudæ, Ieremiæ LII. 28. alia septem millia ex Biniamin, Levi, aliisque tribubus, qui sese Iehudæ tribui adiunxerant: in quibus decem millibus mille erant fabri, & inclusores. OMNES VIROS FORTES, ET BELLATORES. Hebr. *Et omnes prævalidos facientes bellum*. Quidam: *Et omnes robustos bellatores*. Alii: *Et quidquid roboris erat bello aptum*. Hos quidam in decem millibus includunt: alii præter illos, hos incerto numero adiiciunt; quasi dicat: Transtulit tandem omnes viros militares: ut provinciam vehementer attenuaverit, eam omni robore bellico penitus exhauserit.

V. 17. MATTHANIAM. Heb. *Mathaniah*. Vide I. Paralip. III. 15. IMPOSUITQUE NOMEN EIUS SEDECIAM. Hebr. צדקיהו *Tzidkiiahu*. Notant certo iudicio & ratione impositum ei hoc nomen a Babylonio, quod quidam interpretantur *Iustitia mea Deus*, ut memor esset colendæ & administrandæ iustitiæ, ac pietatis: vel si rebellis ac perduellis esset, implorat in eum divinam vindictam. Ego potius exposuerim, *Iudicium*, seu *Iustitia Dei*: ut Iod sit paragogicum & emphaticum, quod in Zedekia edita sint admiranda & horrenda iudicia divinæ iustitiæ.

V. 18. AMITAL, FILIA IEREMIAE, DE LOBNA. Vide cap. XXIII. vers. 31.

V. 19. QUAE FECERAT IOAKIM, frater eius ex utroque parente.

V. 20. IRASCEBATUR ENIM DOMINUS, &c. Hunc versum verbatim ex Hebræo nostra Translatio repræsentavit (*Quia super nasum IHUH fuit in Ierusalaim, & in Iehudah, usque ad deiicere eum corde super facies suas: & defecit Tzidkiiahu in Rege Babelis.*) Alii variis modis. I. *Quia super furor*, vel *superior furor*, *excellens furor*, seu *alta*, seu *excelsa ira*.

ira. בעבור *gbal* enim capiunt ut nomen : *Iehovah fuit in Ieruſalaim*, & *in Iehudam*, *quouſque fecit proiicere eos a ſuper faciem ſuam* : & *rebellavit Zidki-Iahu in Regem Babel*. Ac ſi dicat : Suprema ira Iehovæ efficit ut impii regnent, & cum ad ſummum peccatorum cumulum pervenerint, funditus cum populo deleantur. II. *Quia furor Domini erat contra Ieruſalaim*, & *Iehudah*, *donec proiicere faceret eos a facie ſua* : & *defecit Sidchiiahu contra Regem Babel*. III. *Nam propter furorem Iehovæ*, *qui erat contra Ieruſalaim*, & *Iehudah*, *donec eiecit eos a facie ſua*, *defecit Sidchiiahu a Rege Babel*; id eſt, nam tantam iram conceperat Dominus contra Ieruſalem, & Iehudam, ut permitteret rebellare Zedekiam, quo fieret ut abducerentur a terra ſua in captivitatem. IV. *Nam cum ira Iehovæ erat* (congregatio, vel cœtus) *in Ieruſalaim*, & *Iehudah*, *donec proiecit eos a facie ſua : tum rebellavit Sidciiahu contra Regem Babel*; id eſt, nam invito & ægre ferente Domino, congregatio eorum qui evaſerant, nec abducti fuerant in captivitatem, erat in Ieruſalem, & in Iehudah, donec eiecit eos de terra ſancta, in qua erat templum Domini, in quo facies, id eſt arca Iehovæ ipſius erat, ſuper quam præſentiam ſuam exhibebat : proinde rebellavit Sedicias. V. *Etenim iuxta furorem Domini actum eſt contra Ieruſalaim*, & *Iehudam*, *donec proiiceret eos a conſpectu ſuo*, & *rebellis fuit Zedekias adverſus Regem Babylonis*. VI. *Nam ſecundum iram Iehovæ fiebat in Ieruſalaimis*, & *in Iehudah*, *adeo ut abiiceret eos a facie ſua* : & *rebellavit Tzidkiia contra Regem Babylonæ* : a quo Rex fuerat inſtitutus, ſup. verſ. 17.

MENOCHII.

Verſ. 1. ASCENDIT NABUCHODONOSOR, &c. Cauſa belli a Nabuchodonoſor contra Ioakim ſuſcepti præter divinam ultionem, ea eſſe videtur, quod Ioakim cliens, & tributarius factus eſſet Regis AEgypti, ut vidimus extremo ſuperiore capite, cum quo Nabuchodonoſor gerebat inimicitias. SERVUS, id eſt tributarius. REBELLAVIT CONTRA EUM, AEgyptiorum auxiliis confiſus, quos bellum moliri contra Nabuchodonoſor ſentiebat.

Bib. Sac. Tom. VI.

V. 2. LATRUNCULOS, qui varias regni partes vexabant, agminatim irrumpentes, prædam facientes, & regni pacem ingentibus illatis damnis turbantes. IUXTA VERBUM DOMINI. Vide ſuperiori cap. num. 27.

V. 3. POST VERBUM DOMINI, *iuxta verbum Domini*, ut habent Septuaginta. CORAM SE, a conſpectu ſuo.

V. 4. SANGUINEM INNOXIUM, &c. Vide ſupra cap. XXI. num. 16.

V. 5. UNIVERSA QUAE FECIT ; II. Paralip. XXXVI. 8. dicitur : *Reliqua abominationum eius*, *quas operatus eſt*, & *quæ inventæ ſunt in eo*. Divus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in II. Paralip. cap. XXXVI. quem multi, & graves ſequuntur auctores, ait, in eius corpore extincto inventa fuiſſe ſtigmata, & notas litterarum, quæ nomen Chodanaſar referrent. Sic Balis pſeudoprophetæ ſeſe gladiolis, & cultris incidebant, donec ſanguinem elicerent, & in magis, ac maleficis quotidie diabolicæ notæ reperiuntur.

V. 7. A RIVO AEGYPTI, qui etiam torrens, & fluvius AEgypti dicitur, cuius frequens in ſacris litteris mentio eſt, de eremo veniens, & in mare mediterraneum influens iuxta Rhinocoluram.

V. 11. UT OPPUGNARET EAM. Non ſtatim admiſſus eſt Chaldæus, ſed per internuntios actum eſt, dataque fuit a Nabuchodonoſore fides, nihil ſe mali illaturum civitati, velle tantum ſibi obſidibus cautum eſſe, ne Ioachin deficiens, Tyriis, & AEgyptiis hoſtibus ſuis iungeretur, vel tributum negaret. Itaque cum ſic conventum eſſet, egreſſus eſt Ioachin ad Regem Babylonis.

V. 12. SUSCEPIT EUM REX BABYLONIS, ſpecie tenus amice, ſed poſtmodum fidem ſeſellit, ut oſtendunt quæ ſequuntur.

V. 13. UNIVERSA VASA AUREA. Eſt hyperbole, nam ex I. capite Lib. Eſdræ conſtat longo poſt tempore aliqua adhuc ſuperfuiſſe. QUAE FECERAT SALOMON : non illa eadem, quæ nimirum amplius non extabant templo non ſemel direpto, ſed alia iis ſimilia a Ioſia præſertim pio Rege ad priorum illorum exemplar fabrefacta.

V. 14. CLUSOREM, vel, ut alii legunt, *incluſorem*, eum ſcilicet artificem,

qui auro, & argento gemmas includit. Ita S. Hieronymus explicat, & alii. Vatablus, & Emanuel Sa, *includorem* scilicet caſtricum explicant, id eſt peritum caſtrametandi, & vallo includendi: quos adduxit Nabuchodonoſor, ne ſi iterum tentaretur rebellio, uſui eſſe poſſent. Aliquid ſimile fecerunt Philiſthæi I. Reg. XIII. 19.

V. 17. IMPOSUERUNT EI NOMEN SEDECIAM. Vide dicta ſup. cap. XXIII. num. 34.

V. 20. IRASCEBATUR ENIM DOMINUS: ideoque permittebat ut novum peccatum veteris peccati pœna eſſet. RECESSIT SEDECIAS A REGE BABYLONIS, rebellavit.

TIRINI.

Verſ. 1. IN DIEBUS EIUS, puta tertio anno Ioakim iam completo, Daniel. I. verſ. 1. & anno quarto inchoante, Ierem. XXV. verſ. 1. ASCENDIT NABUCHODONOSOR REX BABYLONIS, anno primo regni ſui: *& obſedit* a *Ieroſolymam*, & capta urbe *vinctum* Ioakim *b catenis duxit in Babylonem*, cum Daniele *c*, eiuſque ſociis, & aliis pluribus *de ſemine regio*. Sed ſupplex tyranno factus mox a vinculis exſolvitur Ioakim, & libertati, regnoque ſuo redditur: nobilibus Babylone pro obſidibus relictis. Ioakim redux Ieroſolymam iam ſervus, id eſt ſubditus & tributarius, Regi Babylonis, tribus annis ex fide tributum, nec pluribus pependit. Quod cum graviter ferret Babylonius, neque tamen bellis aliis implicitus ipſe in Iudæam recurrere poſſet, miſit nihilominus quantas potuit copias ex latrunculis, id eſt militibus (ut dixi II. Reg. IV. 2.) Chaldæas, Syriæ, Moab, & Ammon, raptim collectas, a quibus ſubinde variis cladibus affecti Iudæi, denique finiente anno undecimo *d* regni Ioakim, plane ſubacti, & rurſum ſervituti ſubiecti ſunt, Rege Ioakimo morte infami ſublato, & *cadavere* illius *ſepultura aſini* e *ſepulto*, *& extra portas Ieruſalem proiecto* (utique a Chaldæis) *ad æſtum per diem* f, *& ad gelu per noctem*, ibidemque *putrefacto* g. Ita fere Ioſephus *h*, Comeſtor, Dionyſius, Caietanus, Hugo, Vatablus, Barradius, Emanuel Sa, Serrarius, & Sanctius. De ſceleribus Ioakim vide Ierem. XXII. verſ. 13. & ſequentibus.

V. 6. ET REGNAVIT IOACHIN FILIUS EIUS PRO EO, iure ad ſe devoluto ſceptro. Sed non placuit Regi Nabuchodonoſor, ut filius parenti tam indignis modis a Chaldæis tractato, paternarum verſimiliter iniuriarum futurus ultor ſuccederet. Ita Ioſephus *i*. Eodem ergo tempore illo, nempe *octavo* (v. 10.) *anno regni Nabuchodonoſoris*, cum Ioachin, qui & Iechonias, nonniſi trimeſtri (verſ. 8.) regnaſſet, cum infeſtis copiis iterum Ieroſolymam (v. 10) Babylonius recurrit. Sed Ioachin diffiſus viribus ſuis, & perſuaſus a Ieremia Propheta, noluit incertam belli aleam experiri: & egreſſus (verſ. 12.) obviam Nabuchodonoſori, ſeipſum, ſuoſque, ſuaque omnia ultro illi dedidit, ea tamen conditione, ut ait Ioſephus, ne quid mali inferret ſeu urbi, ſeu civibus. Verum Nabuchodonoſor putavit magis expedire rebus ſuis, ſi Regem Ioachin cum univerſa aula & nobilitate, omneque civitatis robur in Babyloniam devcheret, ne urbem Ieroſolymam a civium ſplendore nudam, fabrorum alioruinque artificum, & *cluſorum*, ſeu, ut eſt apud Ieremiam (cap. XIV.) *incluſorum* (id eſt claudentium caſtra, & metantium, & vallis foſſiſque cingentium, quos metatores iam, vel architectos, vel ingeniarios vocamus) ope & induſtria ſpoliatam, omnique robuſtiorum militum præſidio deſtitutam relinqueret. Sicut enim olim I. Reg. VII. & XIII. caverant Philiſthæi, ne Hebræi ullos haberent penes ſe fabros ferrarios, qui gladios, lanceas, aliave arma ad rebellandum cuderent, ita nunc ſatagunt Chaldæi, ut nullus in Iudæa maneat faber, nullus artifex, nullus Architectus, qui vel mœnia urbium, aut arcium componere, vel arma, aliave inſtrumenta bellica conficere poſſet, inquit Angelomus.

V. 17. ET CONSTITUIT MATTHANIAM PATRUUM EIUS Regem pro Ioachino: & quod ſupremæ in alium potſtatis, & plane paternæ auctoritatis eſt, Matthaniæ nomen mutavit, & *Sedeciam* vocitari iuſſit, quod idem valet atque *iuſtitia Dei*. Quo nomine præmonuit, & quaſi præfagiit Nabuchodonoſor, in Rege Iudaico, ſi a fœdere & iurata fide deflecteret, exemplum ſtatutum iri divinæ iuſtitiæ:

tiæ: quod revera contigiſſe ſeq. cap. patebit.

(a) Dan. cap. 1. verſ. 3.
(b) II. Paralip. cap. XXXVI. verſ. 7.
(c) Daniel. cap. 1. verſ. 3. &c.
(d) II. Reg. cap. XXI. verſ. 16.
(e) Ierem. cap. XXII. verſ. 19.
(f) Ierem. XXXVI. verſ. 30.
(g) Ierem. cap. XXII. ſup.
(h) Ioſeph. Lib. X. Antiquit. cap. VIII.
(i) Ioſeph. ſup. cap. IX.

GORDONI.

NE hic prolixior ſim, non repono quæ ex hoc argumento prolixe ſatis recenſui de duplici hac captivitate in opere Chronol. ubi ad annum mundi 3374. agitur de priore captivitate, & ibidem Qq. cap. XII. a num. 8. & iterum cap. X. num. 12. poſtremam captivitatem (quam deſolationem vocant) attigi ibidem ad ann. 3392. & locis in reliquo opere illo citatis.

V. 1. Ioakimum (quem Nechao Rex AEgypti conſtituit Regem, cap. XXIII. verſ. 34.) Nabuchodonoſor Babylonius veniens in Iudæam ſubiecit: & Ioakimus, poſtquam Babylonius rediit in patriam, rebellavit, ſepeliendus ſepultura aſini, Ierem. cap. XXII. verſ. 19.

V. 2. *Latrunculi* hic intelliguntur turmæ militum, ut habet vox Hebraica.

V. 6. IOACHIN FILIUS Ioakimi (ignominioſe ſepulti) regnat. Si idem eſt nomen patris, & filii, ſaltem mutata littera una ad diſtinctionem; hic eſt Iechonias, trium menſium Rex.

V. 15. & 16. TRANSTULIT..... CLUSORES. Intellige præſidiarios milites, ſeu portarum cuſtodes, & clauſores. Aliqui intelligunt caſtrametandi peritos. At quomodo decem millia? certe ex Ieruſalem tria millia, ex aliis 7000. At ſunt inſuper 1000. artifices? ſint hi ex numero 7000. & in eo comprehenſi.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. REBELLAVIT ſperans auxilium ab AEgyptiis.

V. 11. & 12. Promiſerat Nabuchodonoſor ſe nihil damni illaturum; ſed fidem fefellit.

V. 13. Non eadem vaſa Salomonica; ſed alia ſimilia, & a Ioſia, atque aliis Regibus ſubſtituta, ad imitationem Salomonis. Suſtulit vero vaſa quæ erant fere omnia, aut omnia quæ inveniebantur.

V. 16. CLUSORES, aliqui intelligunt clauſores gemmarum, ex Hieronymo.

CAPUT XXV.

Obſeſſa a Nabuchodonoſor Ieruſalem, Sedecias cæcus ac vinctus, necatis coram ſe filiis, in Babylonem ducitur cum reliquo populo; quibuſdam tamen ad exercendam terram relictis: poſt exuſta una cum templo omnia magnifica ædificia, præfecit Nabuchodonoſor Godoliam; quo ab Iſmaele interempto, fugit populus in Babylonem, Ioachin autem in captivitate ſublimatur a Rege Babylonis.

1. FActum (*a*) eſt autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis ipſe & omnis exercitus eius, in Ieruſalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu eius munitiones. 2. Et clauſa eſt civitas atque vallata, uſque ad undecimum annum Regis Sedeciæ, 3. nona die menſis: prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. 4. Et interrupta eſt civitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt, per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum ad hortum Regis (porro Chaldæi obſidebant in circuitu civitatem) fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis. 5. Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum Regem, comprehenditque eum in planitie Iericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, diſperſi ſunt, & reliquerunt eum. 6. Apprehenſum ergo Regem duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha: qui locutus eſt cum eo iudicium. 7. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem. 8. Menſe quinto, ſeptima die menſis, ipſe eſt annus nonus decimus Regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, ſervus Regis Babylonis, in Ieruſalem. 9. (*b*) Et ſuccendit domum Domini, & domum Regis: & domos Ieruſalem, omnemque domum combuſſit igni. 10. Et muros Ieruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. 11. Reliquam autem populi partem, quæ remanſerat in civitate, & perfugas qui transfugerant ad Regem Babylonis, & reliquum vulgus, tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ. 12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas. 13. (*c*) Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem. 14. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & ſcyphos, & mortariola, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabant, tulerunt. 15. Necnon thuribula, & phialas; quæ aurea, aurea; & quæ argentea, argentea; tulit princeps militiæ: 16. id eſt, columnas duas, mare unum, & baſes quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vaſorum. 17. (*d*) Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una: & capitellum æreum ſuper ſe altitudinis trium cubitorum: † & retiaculum, & malogranata ſuper capitellum columnæ, omnia ærea, ſimilem & columna ſecunda habebat ornatum. 18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum, & tres ianitores. 19. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus ſuper bellatores viros: & quinque viros de his qui ſteterunt coram

Rege,

Rege, quos reperit in civitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: * & sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate. 20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad Regem Babylonis in Reblatha. 21. Percussitque eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Iuda de terra sua. 22. Populo autem qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiserat Nabuchodonosor Rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan. 23. Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi & viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset Rex Babylonis Godoliam; venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, & Iohanan filius Caree, & Saraia filius Thanchumeth Netophathites, & Iezonias filius Maachathi, ipsi & socii eorum. 24. Iuravitque Godolias ipsis & sociis eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: manete in terra, & servite Regi Babylonis, & bene erit vobis. 25. Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regio, & decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est: sed & Iudæos & Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha. 26. Consurgensque omnis populus a parvo usque ad magnum, & principes militum, venerunt in AEgyptum, timentes Chaldæos. 27. Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachin Regis Iuda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis: sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachin Regis Iuda de carcere. 28. Et locutus est ei benigne: & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. 29. Et mutavit vestes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitæ suæ. 30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei a Rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.

(*a*) Ierem. xxxix. 4. & lii. 4. (*b*) Psalm. lxxiii. 7. (*c*) Ierem. xxvii. 19. (*d*) III. Reg. vii. 25. Ierem. lii. 17. II. Paral. iii. 15.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.	LECTIONUM VARIETAS.
V. 19. *Et sexaginta viros e vulgo*. Male scribunt libri *sex*, pro *sexaginta*: quod est decies.	V. 17. *Et retiaculum, & malogranata*. In aliis est *reticulum*, omissa vocali prima, quod Latinius est.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. NABUCHODONOSOR, scilicet successor eius, de quo sup. cap. XXIV.

V. 3. MENSIS, scilicet quarti, ut dicitur Ierem. XXXIX.

V. 4. DUPLICEM, scilicet murum, & antemurale. AD HORTUM, id est prope hortum.

V. 6. LOQUTUS EST CUM EO IUDICIUM, id est iudicio disceptavit, seu condemnavit, scilicet ob rebellionem.

V. 8. EXERCITUS. LXX. *coquorum*. Hebr. *laniorum*, id est militum: scilicet mactant hi more coquorum, & laniorum. Chald. *homicidarum*.

V. 14. TRULLAS. Chald. *scopas*.

V. 15. QUAE AUREA, &c. id est, tam aurea quam argentea; vel quasi dicat: Separavit aurea ab argenteis.

V. 16. ID EST. Additum id ab Interprete.

V. 18.

V. 18. SECUNDUM, id est vicarium Pontificis. IANITORES. Hebr. *custodes vasorum*, scilicet sacrorum. Chald. *custodes thesauri*. LXX. *custodes liminis*.

V. 19. STETERANT, &c. quasi dicat, Qui Regi astabant, scilicet nobilissimos. SOPHER PRINCIPEM. LXX. *scribam principis*. PROBABAT, &c. Chal. *Congregabat populum terræ*. LXX. *Ordinabat populum terræ*.

V. 27. EVILMERODACH, scilicet qui successit Nabuchodonosori, de quo in principio capitis.

V. 29. SUAE, scilicet Ioachin, vel Evilmerodach.

V. 30. ANNONAM, id est victum.

ESTII.

Vers. 4. & 5. FUGIT ITAQUE SEDECIAS PER VIAM QUAE DUCIT AD CAMPESTRIA SOLITUDINIS, ET PERSECUTUS EST EXERCITUS CHALDAEORUM REGEM, COMPREHENDITQUE EUM. Series narrationis huius diligenter conferenda est cum iis quæ sunt apud Ieremiam. Interim hic notandum, quod non liceat violare pacta etiam inita cum infidelibus, etiamsi sint per potentiam extorta, maxime si sint iureiurando firmata. Nam tale erat pactum huius Sedechiæ cum Nabuchodonosor.

V. 27. FACTUM EST VERO IN ANNO TRIGESIMO SEPTIMO TRANSMIGRATIONIS IOACHIN REGIS IUDA ..... SUBLEVAVIT EVILMERODACH REX BABYLONIS CAPUT IOACHIN REGIS IUDA DE CARCERE. Quare hoc ita a Deo ordinatum fuerit, duæ adferuntur rationes. Una, ut per hoc ostenderetur quam pium & sanctum sit obsequi consiliis Prophetarum, & sanctorum virorum. Nam Ioachin, suadente Ieremia, se Nabuchodonosori sponte tradiderat. Ex quo etiam illud consequens est, quod non sit per se malum habitare in medio infidelium: nam alioqui Ieremias numquam tale consilium dedisset Regi Iochin. Sed & potissima causa fuit cur Deus ita voluerit Ioachin elevari e carcere, & quod ut Scriptura loquitur: *Rex victor sit ei locutus benigne, & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone*: potissima, inquam, causa fuit propter aliqualem continuationem regni Iuda in stirpe Davidica, videlicet in isto Ioachin, (qui I. Paralip. III. & a Ieremia pluribus locis, & Matth. I. Iechonias vocatur) & filio eius Salathiel, ac deinceps usque ad Christum, iuxta prophetiam Iacob, Gen. XLIX. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.*

MARIANAE.

Vers. 1. ANNO NONO REGNI EIUS, scilicet Sedeciæ. Ierem. XXXIX. 1. MENSE DECIMO. Is mensis *Tevet* est, si a Nisan inchoamus annum, quod est verius; aut *Thammuz*, si a Tisri. EXTRUXERUNT .... MUNITIONES. Sept. *murum*. Chald. *vallum*. Vox Hebr. דיק *daiek*, *turres ligneas*. Sic Hebræus.

V. 3. NONA DIE MENSIS. Cuius mensis? quarti, Ierem. XXXIX. 2. & cap. LII. vers. 6. *Thammuz*, si a Nisan; aut *Tevet*, si a Tisri, quod non puto.

V. 4. INTERRUPTA EST CIVITAS, aditu patefacto. NOCTE FUGERUNT. In Hebr. non est *fugerunt*; sed hoc: *Et omnes viri belli nocte per viam portæ*, &c. Desunt verba, ut festinatio fugæ indicetur ex ipsa festinatione scribentis. Capitur Sedecias, & ducitur ad Regem Babylonis. Qui locutus est

V. 6. CUM EO IUDICIUM; id est, iudicio, & iure eum damnavit. Ex supplicio quod sequitur, intelligitur tenor sententiæ.

V. 8. MENSE QUINTO. Is est *Ab* id est Iulius, seu Augustus. Die septima eius mensis venit Nabuzardan Ierosolymam, & die nona incendit templum. Sic notatur in Kalend. Hebræo. ANNUS NONUS DECIMUS REGIS BABYLONIS. Ierem. LII. vers. 30. *In anno vigesimo tertio*. Verum hic notatur annus, quo templum eversum est; ibi, cum Ammonitis, & Moabitis victis, Iudæi qui inter eos sunt inventi, Babylonem missi sunt, quadriennio post templum incensum: sic Seder Holam. NABUZARDAN PRINCEPS EXERCITUS. Sept. ἀρχιμάγειρος, id est *coquorum princeps*. Hebr. vox *princeps mactantium*, seu *lanionum* significat.

Et

Et quidem coqui iidem lanii erant, mactabant quæ parare volebant. Inde a similitudine officii traducta eſt vox ad milites, qui homines mactant: idque Hieronymus ſecutus, *Principem exercitus* & militum dixit.

V. 9. SUCCENDIT DOMUS, Ioſephus Lib. VII. de Excid. Ieroſol. Hieronymus cap. IX. ait id factum Auguſti die decimo, quo etiam die a Tito rurſus templum eſt incenſum: quod plane fuit mirabile, ſi verum. OMNEMQUE DOMUM. Hebr. additur *magnam*. Sic Sept. Chald. *domos procerum*. Utique ne iis quidem pepercerunt. Sic Ierem. LII. verſ. 13.

V. 11. PERFUGAS QUI TRANSFUCERANT, antequam urbs caperetur. TRANSTULIT. Hebr. *In captivitatem egit*. הגלה *beghlah* id ſignificat.

V. 14. OLLAS QUOQUE. De his omnibus nominibus vaſorum, III. Reg. eſt dictum.

V. 16. ID EST. Additum id ab Interprete.

V. 18. ET TRES IANITORES. Hebr. *cuſtodes liminis*, ſeu *vaſorum*, ſcilicet templi, tulit Nabuzardan.

V. 19. EUNUCHUM UNUM, QUI ERAT PRAEFECTUS SUPER BELLATORES. Omnes ad unum hoc loco, etiam Chald. pro סריס *ſaris*, voce Hebr. ponunt, *eunuchum*. Sed mirum, caſtratum militibus præfectum: niſi forte corruptelam indicare vult gentis, præficientis qui minime apti erant. Aut per eunuchum, aliquem ex intimis Regis intelligamus, qui plurimum eunuchis utebantur, unde ad omnes intimos ea vox manarit. De quo plura Geneſ. XXXIX. verſ. 1. ET QUINQUE VIROS. Ierem. LII. verſ. 25. *ſeptem viros*; ſed quinque erant præcipui, aut ex ſeptem duo fugerunt. ET SOPHER PRINCIPEM EXERCITUS. Pro *Sopher* alii *ſcribam* vertunt. Septuag. *ſcribam principis exercitus*. Chald. *ſcriba magiſter exercitus*. Ierem. LII. verſ. 25. & *ſcribam Principem militum*. QUI PROBAT TYRONES Hebr. *colligentem populum terræ*. Nimirum ſcriba in exercitu erat, qui milites conſcribere, eoſque in milites referebat.

V. 21. IN TERRA EMATH: ſcilicet prope Antiochiam erat Reblatha: ibi omnes hi ſunt occiſi.

V. 24. NOLITE TIMERE SERVIRE CHALDAEIS. Chald. *Ne metuatis a ſervis Chaldæorum*. Sic Chald. Hæc Godolias, quem victor rebus præfecerat.

V. 27. VIGESIMA SEPTIMA DIE MENSIS eductus eſt Ioachin de carcere. Ierem. LII. 31. dicitur vigeſima quinta die menſis id factum. Reſpondent, die vigeſima quinta mortuum Nabuchodonoſor, ſepultum vigeſima ſexta die proxima Evilmerodach de carcere, in quem pater conjecerat ob affectatum regnum, eductum ad ſceptra, & tunc Ioachin ſublevaſſe, cum quo in carcere uſum habuerat, & quem decreverat die quo mortuus eſt pater ſublevare. David Kimhi in eum Ieremiæ locum. EVILMERODACH fuit Nabuchodonoſoris filius, & ſucceſſerat mortuo. ANNO QUO REGNARE COEPERAT. Hebr. *anno regnare ſui*. Sed bene Hieronymus ſententiam expreſſit. Septuag. & Chald. *anno regni ſui* dixerunt. Is Ioachin eduxit de carcere.

V. 30. OMNIBUS DIEBUS dabatur annona Ioachin. VITAE SUAE. Vel vitæ Evilmerodachi, vel vitæ ipſius Ioachini; ſed melius de ipſo Rege Ioachino intelligatur. Et vide, dona Regum, ut & Dei, eſſe perpetua, neque ullo novo decreto mutari.

MALVENDAE.

Verſ. 1. MUNITIONES. דיק *daiek*: mirum quam de hac voce varient Interpretes. Forſterus hæc annotat: *Daiek, genus ædificii militaris, ex ligno facti, ex verbo adiunclo: deinde a comminutione appellationem habere, & in oppugnatione extra ad urbium muros poſitum eſſe, ex ipſo themate, & aliis circumſtantiis certo conſtat: quale autem fuerit, & quo nomine poſtea Græcis, vel Romanis fit dictum, incertum eſt: ideoque Interpretes uſque adeo in vertendo variarunt. Hieronymus vertit munitionem. Doctor Ioannes Reuchlinus præceptor meus ſanctiſſimæ memoriæ, voluit ſignificare tormentum bellicum, quod muros comminuit, quod bombardam vocant. Alii antemurale, alii turrim, alii ſpeculam, alii aliter vertunt. Nos communiori vocabulo machinamentum transferemus, cuius uſus fuit in oppugnationem urbium*. Ergo ut cernas varietatem, Reuchlinus, *tormentum bellicum*, quod *bombardam* vocant, eo quod con-

conterat, & comminuat muros; Caietanus, & Montanus, *vallum*; Kimchius, Sanctes, Vatablus, & Schindlerus, *turrim* vel *turrim ligneam*, id est turres ligneas ad tela, & saxa in urbem iacienda; Forsterus, & Avenarius, *machinamentum ex ligno factum*; Marinus, *arietem*, *machinam bellicam*; Reuchlinus, & Buxtorfius *antemurale*; Reuchlinus, Alfonsus Zamorensis, Pomarius, Tremellius, Iunius, Avenarius, Buxtorfius, *propugnaculum*; Reuchlinus, Alfonsus Zamorensis, Leo Iudas, Isidorus, Clarius, Buxtorfius, *munitionem*. Hispanicus Interpres, *Ingenios*, id est machinas bellicas, sic dictas Hebraice, & Hispanice, ab attenuatione, & subtilitate ingenii & artis, qua fabricantur. Fortasse quod Hispani in Belgio vocant *digue*, voce consona, id est ingentem aggerem.

V. 3. NONA DIE MENSIS, subaudi *quarti*: eclipsis, quæ suppletur ex Ieremiæ XXXIX. 2. & cap. LII. vers. 6. anni currentis.

V. 4. ET INTERRUPTA EST CIVITAS. Quidam exponunt, Ab ipsis obsidentibus, portam medianam urbis occupantibus, ut dicitur Ierem. XXXIX. 3. Crebris enim arietum & machinarum ictibus perfractus, & perruptus est murus ab hoste obsidente. Alii, Ab ipsis obsessis, cum iam amplius famem tolerare non possent. Sed prior explanatio est rectior. VIRI BELLATORES, Tzidkiiæ. FUGERUNT PER VIAM. Hebr. abest verbum *fugerunt*, ut intelligamus fugam fuisse præcipitem: quod tamen exprimitur Ierem. LII. 7. & XXXIX. 4. PER VIAM PORTAE QUAE EST INTER DUPLICEM MURUM: intelligunt, per pseudothyron, seu porticum muri. Vide in Ierem. XXXIX. 4.

V. 6. IN REBLATHA, id est Antiochia Syriæ. Vide supra cap. XXIII. vers. 33. Hinc apparet Nabuchodonosorem posita obsidione urbis Ierusalaim, supra vers. 1. cum ea diuturnior videretur, digressum inde, abiisse Antiochiam. Sic infra vers. 20. & 21. QUI LOCUTUS EST CUM EO IUDICIUM. Heb. *Et locuti sunt cum eo iudicium*. Plerique exponunt: Id est, acriter ac vehementer increpaverunt eum: dure ac aspere locuti sunt cum eo, ob violatam fidem Regi Babylonis. Alii notant, *iudicium* hic sumi pro interrogatione, seu quæstione de rebus quæ in iudicio in controversiam venire solent: *Et locuti sunt cum eo iudicium*; id est, interrogaverunt eum causam facti, seu habuerunt quæstionem de eo. Hispanicus Interpres, *Tusosele la accusacion*. Quidam: *Et in iudicio iure condemnaverunt eum*. Nonnulli: *Et tulerunt de eo sententiam*, scilicet ii qui erant a consiliis status, & belli Regi Babylonis. Hinc coniiciunt quidam, Tzidkiiam indignum habitum qui in conspectum Regis Nabuchodonosori veniret, sed a ministris damnatum. Verum Ieremiæ XXXIX. 5. diserte scribitur: *Et locutus fuit*, &c.

V. 8. SEPTIMA DIE MENSIS. Vide Ierem. LII. vers. 12.

V. 11. ET PERFUGAS QUI TRANSFUGERANT, &c. Hebr. *Et cadentes qui ceciderant*, vel *qui dilapsi fuerant*. Quidam: *Et defectores qui defecerant*, vel נפל *desciscentes qui desciverant*, id est eos qui durante obsidione transfugerant in castra Chaldæorum: vel quique ex Iudæis desciverant ad Regem Babyloniæ.

V. 14. ET OLLAS, &c. De his sequentibus nominibus valorum, quæ hoc, & proximo versu describuntur, vide I. Reg. VI. & VII. ET TRULLAS. יעים *iaghim* varie reddunt, *scopas*, *hamos*, *batillos*. Nos cum multis, *palas*. Vide Exod. XXVII. 3. ET TRIDENTES. מזמרות *mezammeroth* vertunt *psalteria*; alii *fuscinulas*; nonnulli *cultros*; quidam *instrumenta musica*; nos *inciforia*. Vide I. Reg. VII. 50. ET SCYPHOS, ET MORTARIOLA: duabus vocibus unam expressit, מכפות *cappoth* proprie *cavitates*, *volas*. Quidam *cyathos*; alii *cochlearia*; Hispanicus *cucharones*; nonnulli *acerras*. Vide Num. VII. 84.

V. 15. THURIBULA. מחתות *machtboth* exponunt *acerras*, vel *palas*, vel *trullas*, aut *receptacula ignis*. Vide Exod. XXV. 38. ET PHIALAS. מזרקות *mizrakoth*. Quidam *pelves parsorias*; alii *malluvia*; nonnulli *crateras*. Vide Exod. XXVII. 3. & Numer. VII. 84. QUAE AUREA, AUREA; ET QUAE ARGENTEA, ARGENTEA. Hebr. *Quod*, vel *quæ aurum*, *aurum*, vel, *auri*, *auri*: זה *quod*, vel *quæ*, *argentum*, *argentum*, seu *argenti*, *argenti*. Id est, quæcumque aurea, & quæcumque argentea erant, vel aurea seorsim, & argentea seorsim separavit, & asportavit.

V. 16. NON ERAT PONDUS AERIS OMNIUM

OMNIUM VASORUM; id eſt, adeo immenſum fuit æs aſportatum, ut ponderis eius ratio iniri non potuerit. Quidam vertunt: *Pondus æris rationem ſuperabat.*

V. 17. DECEM ET OCTO CUBITOS, &c. De hoc verſu vide I. Reg. VII. 15. & ſeqq.

V. 18. SARAIAM: de quo vide I. Paralip. VI. 14. SACERDOTEM SECUNDUM. Alii *ſecundarium*, ſeu *ſecundanum*: exponunt, Scilicet ab eo, ſecundæ dignitatis ab illo; quaſi dicat, Vicarium ſummi Pontificis, ſecundas ab eo obtinentem, & præfectum principibus Levitarum. Vide Num. III. 32. Nonnulli intelligunt unum ex minoribus, & ſecundi ordinis ſacerdotibus, a ſummo. ET TRES IANITORES. Hebr. *& tres cuſtodes liminis*, vel *vaſis*. Vide ſup. cap. XII. verſ. 9.

V. 19. QUI ERAT PRAEFECTUS SUPER BELLATORES. סָגִיד *pakid*, *viſitator*, *inſpector*, *præfectus*, *præpoſitus*, *commiſſarius*, *magiſter*. Hiſpanicus Interpres, *mæſtre de campo*. Recte. Fortaſſe erat iudex rerum capitalium in exercitu; vel is quem nos *proviſorem generalem* exercitus appellamus; aut is quem Cicero *epiſcopum* vocat. ET QUINQUE VIROS. Vide Ierem. III. 25. DE HIS QUI STETERANT CORAM REGE. Hebr. *de videntibus faciem Regis*; id eſt, ex illis qui aſſiſtebant Regi, ex domeſticis, familiaribus, intimis, aſſiduis apud Regem, ſive ex ordinariis miniſtris Regis. Sic I. Reg. X. 8. Eſther I. 14. QUI PROBABAT TYRONES DE POPULO TERRAE. Participium Hiphil מַצְבִּי *matzbi* diverſe explicant: 1. *colligentem*, *congregantem*, *populum terræ*; ſubaudi, ad militiam: 2. *militare facientem populum regionis*: 3. *in militia*, ſeu *ad militiam inſtituentem*, *vel conſtituentem populum terræ*: 4. *facientem exercitare*, id eſt ut exercitio armorum aptus eſſet ad militiam, & idoneus ad exercitum, *populum terræ*: 5. *qui exercitum conſcribebat e populo terræ*.

V. 23. OMNES DUCES MILITUM. Hebr. *omnes principes copiarum*, ſeu *exercituum*, videlicet ipſius Zedekiæ, palantes per agros, qui diſperſi fuerant, ſup. verſ. 5. & Ieremiæ XL. 7. Sic infra verſ. 26. IN MASPHA. Hebr. *Mitzphah*. Hæc vel Iudaica erat, de qua Ioſue XV. 38. vel Biniaminica, de qua Ioſue XVIII. 26. & Iudic. XX. 1. quod rectius arbitramur. NETOPHATHITES. Eclipſis, quæ ſupplenda eſt, ex Ierem. XL. 8. *Et filii Ghephai Netophatitæ*. Quidam ſic dictum volunt a *Nethophah*, urbe in tribu Iudæ, Hezrae II. verſ. 22. nomen familiæ eſſe aliis videtur ex II. Paralip. II. 54. ET IEZONIAS. Hebr. *Iaazaniahu*, Ierem. XL. 8. eliſo Aleph, dicitur *Iezaniahu*. MAACHATHI. Hebr. *Mahachathitæ*, forſan ex ea gente de qua Deuter. III. 14. Alii *Mahacathitam* fuiſſe volunt e tribu Iehudæ ex poſteris Calebi, I. Paralip. II. verſ. 48. Vide Ierem. XLII. 1.

V. 24. NOLITE TIMERE SERVIRE CHALDAEIS. Hebr. *Non timebitis a ſervis Chaldæorum*. Quidam: *Ne timeatis ab eſſe ſervos Chaldæorum*: vel *ne timeatis eſſe*, vel *ut ſitis ſervi Chaldæorum*; id eſt, ne timore recuſetis eſſe ſervi Chaldæorum: qui ſenſus Noſtri etiam firmatur e Ierem. XL. 9. ubi ſcribitur: *Non timebitis a ſervire*, vel *a ſerviendo Chaldæis*. Alii ſimpliciter exponunt: *Ne timeatis a ſervis Chaldæorum*, id eſt a ſervis, & miniſtris Nabuchodonoſori Regis Chaldæorum, vel a Chaldæis.

V. 27. TRASMIGRATIONIS IOACHIN: de qua ſup. cap. XXIV. verſ. 10. & ſeqq. VIGESIMA SEPTIMA DIE MENSIS. Vide Comment. in Ierem. LII. 31. SUBLEVAVIT..... CAPUT IOACHIN...DE CARCERE. Exponunt: Id eſt, exemit, extulit, eduxit, eum de carcere, ac ſumma miſeria. Alii: Id eſt, reſtituit eum priſtinæ dignitati, evexit ad ſummos honores. Vide de hac locutione in Geneſ. XL. 13. EVILMERODACH. De quo Beroſus in III. Chaldaicarum rerum: *Nabuchodonoſorus itaque incidens in languorem, de vita migravit, cum regnaſſet annis tribus & quadraginta. Huius regni dominus effectus eſt filius eius Evel-maradochus, propter iniquitates & libidines paſſus inſidias a marito ſororis ſuæ Nitigliſſoroore peremptus eſt, cum duobus regnaſſet annis.* Eadem omnino habent Alexander Polyhiſtor, & Alphæus priſci ſcriptores, apud Euſebium Lib. IX. Præparationis Evangelicæ, cap. IV. Quidam conantur eius nomen interpretari, quaſi ſit, *Fatuus-Merodach*, vel *Iunior-Merodach*, nempe reſpectu illius de quo ſup. cap. XX. verſ. 12.

V. 28. ET LOCUTUS EST EI BENI-

GNE. Hebr. *Et locutus eſt ad eum*, vel *cum eo bona*. Quidam : *Locutus quoque eſt cum eo humaniter* : vel *blande & benigne allocutus eſt eum*. Aliqui: *Cum quo locutus eſt bonis verbis*. ET POSUIT THRONUM EIUS, &c. id eſt, dedit ei digniorem & eminentiorem locum inter alios Reges. QUI ERANT CUM EO. Ambiguum, *cum eo*, Iehoiachimo captivi; vel *cum eo* Evilmerodacho, apud ipſum ſocii, amici, vel beneficiarii.

V. 29. IN CONSPECTU EIUS, id eſt vel in menſa eius, vel in aula eius. Hiſpanice dicimus, *En la meſa de Eſtado*.

V. 30. ANNONAM QUOQUE CONSTITUIT EI SINE INTERMISSIONE. Hebræa varie convertunt. I. *Annona autem eius, annona continua*. II. *Portio autem eius erat portio perpetua*. III. *Et conſuetum eius, conſuetum continui*; vel & *uſitatum demenſum cibi eius, uſitatum demenſum cibi continuitatis*. IV. *Et cibus eius, cibus quotidianus*. V. *Nam cibarium eius, cibarium iuge*. VI. *Et viaticum, commeatus, eius, viaticum, commeatus, aſſiduitatis, perennitatis, perpetuitatis*. ארחה *aruchah* aiunt eſſe *viaticum, cibum, cibarium, commeatum, prandium, convivium, demenſum cibi, conſuetum, uſitatum demenſum cibi, expenſæ*. PER SINGULOS DIES. Rectè reddidit Hebraiſmum, *Verbum, rem, demenſum, ordinarium, conſtitutum diei, in die ſuo*. Quidam, *Demenſum diei cuiuſcumque in diem quemque*. Hiſpanicus Interpres, *Cada coſa en ſu tiempo*, ſcilicet *todo lo que avia de meneſter*. Vide de hac locutione Exod. v. verſ. 13. & cap. XVI. verſ. 4. Levit. XXIII. 37. OMNIBUS DIEBUS VITAE SUAE. Ambiguum, *vitæ ſuæ*, Iehoachini; vel *vitæ eius*, Evilmerodachi; ſed prius eſt rectius : ſic ſupra verſ. 29.

Valentiæ, 17. Februarii, 1624. ætatis meæ 58. operæ tamen plus uno menſe intermiſſo, ob ingentia frigora.

MENOCHII.

Verſ. 1. REGNI EIUS, Sedeciæ ſcilicet.

V. 3. PRAEVALUIT FAMES IN CIVITATE; quaſi diceret : Multis modis contra famem certatum eſt, ſed fruſtra. PANIS, cibus.

V. 4. INTERRUPTA EST CIVITAS: rupti ſunt urbis muri, vel crebris arietum ictibus, quos Chaldæi in muros intorquebant, ut vult Abulenſis, & Vatablus; vel, ut exiſtimat Caietanus, a Sedecia, & civibus ipſis rupti ſunt, ut viam ſibi aperirent ad fugam longæ famis, & belli. QUAE EST INTER DUPLICEM MURUM. Salianus putat ex arce Sion ad hortum Regis, qui erat in valle Hennon ad torrentem Cedron, fugam intendiſſe Sedeciam. Erant autem duæ portæ civitatis vicinæ palatio Regis, quæ eo ducebant, porta ſcilicet equorum, & aquarum, quarum prior erat in angulo muri civitatis, & muri Ophel, ut Villalpandus expreſſit in imaginem Ieruſalem, ut propterea merito inter duos muros dicatur : quæ porta omnium erat occultiſſima, & in una valle Tyropœon, ideoque fugæ opportuniſſima. Videtur autem hoc tempore obſidionis muro clauſa fuiſſe huiuſmodi porta, noctuque ad egreſſum Regis perfoſſum fuiſſe illum murum, ut Ezechielis prophetia cap. XII. 12. impleretur. AD CAMPESTRIA SOLITUDINIS, ultra Iordanem orientem verſus.

V. 6. IN REBLATHA. Vide dicta cap. XXIII. num. 33. LOCUTUS EST CUM EO IUDICIUM; id eſt, acriter, & iuſte pro meritis Sedeciam in fidelitatis, & ingratitudinis arguit: ſcilicet quod a ſe conſtitutus Rex pro Ioachin, fœdus ſecum initum violaſſet.

V. 8. PRINCEPS EXERCITUS. In Hebræo eſt רב טבחים, *rab tabbachim*, quod Septuaginta vertunt ἀρχιμάγειρος, id eſt *præfectus coquorum*, quia erat præfectus culinæ regiæ, ait Theodoretus. Paginus, & Vatablus vertunt *præfectus lanionum*. At verbum *rab tabbachim* idem eſt quod *princeps mactantium*, quales ſunt laniones, coqui, milites, hocque optime congruit, agitur enim de bello.

V. 9. OMNEMQUE DOMUM, *magnam* addit Ieremias cap. LII. num. 13.

V. 11. TRANSTULIT in Babylonem captivos.

V. 12. RELIQUIT VINITORES ET AGRICOLAS, qui pro Chaldæis colerent regionem, ne ſcilicet terra lacte, & melle manans, agricolarum inopia redderetur inutilis.

V. 14.

V. 14. TRULLAS. Pagninus, & Vatablus vertunt *scopas*, quod etiam habet Chald. Septuaginta retinent vocem Hebr. יעים. D. Hieron. varie interpretatur, nam alibi *forcipes*, *tridentes*, & *creagras* vertit. Vide quæ de huiusmodi instrumentis, & supellectili diximus III. Reg. VII. 50.

V. 15. QUÆ AUREA, AUREA, &c. id est, tam aurea quam argentea. Vel sententia est: Separavit aurea ab argenteis.

V. 17. DECEM ET OCTO CUBITOS, &c. Vide dicta III. Reg. VII. 15.

V. 18. SACERDOTEM PRIMUM, summum Sacerdotem, Pontificem. SACERDOTEM SECUNDUM, id est Pontificis gerentem vices. ET TRES IANITORES. Hi omnes sacerdotes, & ianitores, qui erant Levitici generis, videntur in templo delituisse.

V. 19. EUNUCHUM UNUM, cubicularium, qui erat magister militum. QUI STETERANT CORAM REGE: qui scilicet Regis aulici fuerant. QUI PROBABAT TYRONES DE POPULO TERRÆ: qui scilicet conscribebat exercitum, & eos qui nomina militiæ dabant: vox enim סופר *sopher* non tam proprium nomen quam officium significat, nam *sopher* idem est quod scriba.

V. 21. IN REBLETHA: de quo dictum supra cap. XXIII. num. 3.

V. 22. GODOLIAM. Iosephus ait hominis nobilis filium fuisse, virum æquum, & bonum, qui videtur fuisse aliquis de Iudæorum transfugis, cui Rex multum fideret.

V. 24. IURAVITQUE GODOLIAS IPSIS, securitatem scilicet promittens.

V. 25. PERCUSSERUNT GODOLIAM. Cædis causam Scriptura non expressit. Iosephus Lib. X. cap. XI. indicat Israelem, qui de sanguine regio erat, eam dignitatem, in qua constitutus erat a Chaldæorum Rege, Godoliæ invidisse: quam coniecturam probat Salianus. IN MASPHA. Erat ea civitas, ut putat Adrichomius, in confinio tribuum Iuda, & Beniamin, itaque aliquando in tribu Beniamin esse dicitur, aliquando in tribu Iuda.

V. 27. EVILMERODACH, Nabuchodonosoris filius, & in regno successor. SUBLEVAVIT CAPUT IOACHIN: afflictum Ioachin statum erexit. Solent enim captivi, & calamitosi incedere demisso capite.

V. 28. SUPER THRONUM REGUM, aliorum Regum quos subiugaverat, & captivos habuerat Nabuchodonosor, honestiusque habuit, & benignius tractavit.

V. 29. COMEDEBAT PANEM IN CONSPECTU EIUS, illum adhibendo convivam, vel alens eum in ipsa Regia, in qua ipse degebat. VITÆ SUÆ. Incertum, de Ioachino, an de Evilmerodach intelligendum sit.

V. 30. ANNONAM CONSTITUIT, &c. non enim aliunde quo viveret habebat.

TIRINI.

Vers. 2. CLAUSA EST CIVITAS ATQUE VALLATA. Tamen ad tempus interrupta fuit obsidio, Pharaone ex AEgypto cum innumeris copiis in Iudæam adversus Nabuchodonosorem excurrente, & Chaldæis, intermissa tantisper obsidione Ierosolymorum, AEgyptio obviam profectis, ut habes Ierem. XXXVII. vers. 4. Sed exiguum respirandi spatium fuit, Pharaone (ut ibidem vers. 7. prædicitur) præ metu in AEgyptum recurrente, & Chaldæis ad intermissam obsidionem mox reductis.

V. 3. PRÆVALUITQUE FAMES IN CIVITATE, usque eo ut & parentes *a* carnibus filiorum vescerentur, & filii *b* carnibus parentum.

V. 4. ET INTERRUPTA EST CIVITAS, crebris ictibus arietum & catapultarum hostilium. FUGIT ITAQUE SEDECIAS, *media nocte*, inquit Iosephus *c*, *cum iam in urbem irrupissent Chaldæi*. Sed transfugarum indicio proditus, desertus a suis, ex fuga retractus, in Reblatha ad Regem Babylonis adductus est. Hic vers. 21. & cap. XXXIX. Ieremiæ vers. 5. *Reblatha* dicitur esse in terra Emath, quæ, teste S. Hieronymo, eadem est quæ Antiochia Syriæ, seu Epiphania, ab Antiocho Epiphane sic postmodum nominata: estque in confiniis Iudææ, qua via eo descendendum ex Chaldæa. Ibi enim

cum magna parte copiarum hærebat Nabuchodonosor, ut propius absens a Chaldæa, si quid ibi forte turbarum moveretur, facilius commodiusque occurreret: simul etiam ut ex pingui vicinia, commodius de supplemento militum, & commeatu necessario suis Jerosolymam cingentibus provideret.

V. 6. IN REBLATHA adducto Sedecia, Rex Babylonis LOCUTUS EST CUM EO IUDICIUM; id est, curavit solemni iudicio disceptari, diiudicarique eius causam, & quid supplicii commeruerit, publice pronuntiari.

V. 7. FILIOS ergo SEDECIAE, quibus nihil illi carius erat, iussit in conspectu parentis omnes iugulari. Ubi vero parentis oculos tam acerbo spectaculo pupugit, mox stylo ferreo eosdem illi oculos expunxit, & vinctum catenis in Babylonem abduxit. Scribit Iosephus *d*, Sedeciam Regem, postquam Ieremias Propheta prædixisset abductum iri illum in Babylonem; & Ezech el, ipse quoque Propheta, constanter affirmat *e*, numquam visurum illum Babylonem: cum hæc duo putaret simul conciliari non posse, utrumque vaticinium contempsisse, atque ita in rebellione, & obstinata urbis defensione perstitisse. Nec intelligebat miser abduci posse in Babylonem, sed oculis prius captum, quibus illam licet captivus inveheretur, videre tamen non poterat. Porro quando, aut qua morte defunctus sit Babylone Sedecias, non liquet ex sacra Scriptura, quæ solum affirmat, *in carcere* fuisse *usque ad diem mortis eius f*. Post mortem vero, regii funeris honore condecoratum fuisse, ut ei Ieremias prædixerat *g*, & Nabuchodonosorem iussisse, testatur Iosephus, & Hebræi in Seder-Olam: qui addunt, inter consuetas nænias & planctus, Iudæos in funere Sedeciæ, etiam hoc miscuisse: *Heu! qui mortuus est Rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum?* id est luens peccata omnium superiorum ætatum, inquit Genebr. *h*.

V. 21. INTERFECIT EOS. Cur summum Pontificem, aliosque hic commemoratos interfecerit Nabuchodonosor, in causa fuit quod Regi suo Sedeciæ familiares & a consiliis fuerint, auctoresque rebellionis, & violatæ fidei crederentur. Ex Threnis Ieremiæ colligi videtur, suspendio necatos fuisse, cap. v. vers. 12. *Principes manu suspensi sunt*: Erat enim istud supplicii genus Chaldæis, Persis, & Medis usitatissimum, ut patet ex patibulo Aman, Esther VII. 10. & litteris Darii, I. Esdræ VI. vers. 11. Alii tamen malunt, capite plexos fuisse tam hos principes, quam filios Regis, de quibus vers. 7. Porro hic *Saraias sacerdos primus*, id est summus Pontifex, pater fuit Esdræ & fratris eius Iosedec, ut dicitur I. Esdræ VII. 1. & I. Paralip. VI. 14. *Sophonias* vero vocatur *sacerdos secundus*, id est unus ex sacerdotibus secundi ordinis, qui erant principes sacerdotum, & capita familiarum sacerdotalium in viginti quatuor classes distributarum, ut dixi cap. XXIII. vers. 4.

V. 22. POPULO PRAEFECIT GODOLIAM, tamquam Viceregem, & Chaldæis stipendiarium. Hic (ut ex Hebræorum traditione docet Lyranus) ex obsessa urbe, ad Chaldæorum castra hortante Ieremia transfugerat, utilemque in multis operam præstiterat Chaldæis, utpote locorum peritus, & secretorum hostilium conscius. Quæ res uti favorem ipsi apud Chaldæos, ita odium extremum apud Iudæos peperit, & intempestivæ mortis occasio fuit.

V. 27. EVILMERODACH REX BABYLONIS, filius, & successor Nabuchodonosoris, quam primum exstinctus fuit parens, SUBLEVAVIT CAPUT IOACHIN REGIS IUDA DE CARCERE, in quo iam 37. annos egerat. Notant ex Rabbinorum scriptis Lyranus, Abulensis, & Sanctius, ipsum hunc quoque *Evilmerodach* a parente in eumdem cum Ioachino carcerem ultimo regni & vitæ Nabuchodonosoris anno, cum hic iam. fibi regnoque redditus esset, compactum fuisse, quod cum septennio illo, quo Nabuchodonosor maniacus cum bestiis ageret, & filius regnum administraret, multa visus fuerit in eo administrando secus quam parenti placeret, peccasse forsan, & parenti detraxisse, sibique de mania illius, & intemperiis applaudisse. In communi ergo carcere amicitia hæc inter Evilmerodach & Ioachinum conciliata fuit. Hic *Evilmerodach*, alio, & quidem proprio nomine, *Baltassar* dictus fuit, ut patet ex Danielis cap. v. & ex nostro Chronico *i*. *Merodach* vero commune Chaldæis Regibus no-

nomen fuit, a primo illo qui iugum Aſſyriorum excuſſit, in reliquos ſucceſſores derivatum, ſicut nomen *Pharao* apud AEgyptios, *Cæſar* apud Romanos, &c. Vide Chronicon noſtrum cap. XXXIV. in quæſt. *De initio & fine ſeptuaginta annorum Babylonicæ captivitatis*.

(*a*) Thren. cap. IV. verſ. 10 & Baruch cap. II. verſ. 3.
(*b*) Ezech. cap. V. verſ. 10.
(*c*) Ioſeph. Lib. X. Antiq. cap. XI.
(*d*) Ioſeph. ſup. Ier. XXXII. verſ. 5. & 24. verſ. 3.
(*e*) Ezech. cap. XL. verſ. 13.
(*f*) Ierem. cap. III. verſ. 11. & Ioſeph. ſup.
(*g*) Ierem. cap. XXXIV. Ioſeph. ſup. Seder-Olam cap. XXVIII.
(*h*) Geneſ. ibid.
(*i*) Chron. cap. XXXIV. & XXXV.

GORDONI.

Verſ. 6. IN REBLATHA. Ibi ſubſtiterat Rex Babyloniæ. Hieronymus notat Antiochiam Syriæ, & quæ ab Antiocho dicta eſt Epiphania.

V. 8. De his columnis, & rebus aliis aſportatis in Babyloniam, lege ſupra Lib. III. cap. VII.

V. 19. & 21. PRAEFECTUS SUPER BELLATORES. Non eſt mirum: nam, ut alias, varia erant Eunuchorum genera: erant ſæpe qui Regum intimi habebantur. TERRA EMATH. Erat ibi Reblatha prope Antiochiam, ubi occiſi ſunt.

V. 26. & 27. Lege de his Ieremiæ cap. XLI. & LII. verſ. 31. At cum hic dicatur Ioachin ſolutus vinculis die vigeſima ſeptima menſis, quomodo citato verſ. 31. dicit Ieremias ſolutum die vigeſima quinta? Reſpondeo: Evilmerodach (qui Ioachinum in carcere familiarem habuit) die vigeſima quinta qua obiit pater Nabuchodonoſor, ſtatuit ut liber eiſet Ioachinus: die vigeſima ſexta ſepultus eſt pater: tandem die vigeſima ſeptima reipſa effectum eſt quod ſtatuerat Evilmerodach.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. EIUS, Sedeciæ.

V. 4. INTERRUPTA. Interruptus murus vel ab hoſtium machinis, vel a civibus. Vide de hac re Ezech. XII. 12.

V. 12. RELIQUIT VINITORES ET AGRICOLAS, qui terram colerent.

V. 14. TRULLAS. Hieronymus vocat *forcipes*. Vatablus *ſcopas*.

V. 18. Sacerdos ſecundus eſt qui Pontificis vicem gerebat. Addit ſacerdotes recentiores.

V. 21. REBLATHA. Adrichomio eſt Rabla, ſupra cap. XXIII. verſ. 33.

V. 25. MASPHA. Urbs inter Iudam & Beniamin.

V. 27. EVILMERODACH ſucceſſor regni. De his alibi.

FINIS TOMI SEXTI.